Universidad de Deusto
Biblioteca

Coriolan⁹ & casil

Refugatis.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca
Estante
Plúteo
379196
324562
241"16"
L 79 f
4000039919b



FR. FRANCISCI
CORIOLANI
CAPVCCINI SACRÆ
THEOLOGIÆ olim
Romæ prælectoris
TRACTATVS
De Casibus reseruatis iuxta regulam Decreti à fœl. record. Clem. VIII. Regularibus præscriptam.
Nunc primum in Gallijs excusus

LVGDVNI
Sumptibus Ludouici Prost hæredis Rouille.
Cum priuilegio Regis
M. DC. XXIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCIETATIS JESU BIBLIOTHECA COLLEGII LOJOLÆI

R. P. Fr.

FRANCISCI CORIOLANI CAPVCCINI

TRACTATVS DE CASIBVS RESERVATIS iuxta regulam Decreti à fœl. record. Clem. VIII. Regularibus præscriptam,

IN HAC TERTIA EDITIONE adeò multis in locis auctus, & locupletatus, maximè cum explicatione Bullæ in Cœna Domini à S.D.N. Papa Gregor. XV. hoc anno 1621. publicatæ: vt nouum opus, & nouus Tractatus iure vocari posit:

126999

Omnibus non tantùm Regularibus, Confessariis, ac Pœnitentibus necessarius, verùm & quibuslibet aliis personis Ecclesiasticis apprimè vtilis:

Cum Priuilegijs Summi Pontificis, Cæsareæ Maiestatis, Regis Christianiss. & Sereniss. Archid. Flandriæ.

Accessit præterea Index geminus, prior Articulorum, Casuum, Paragraphorum, & Excommunicationum: posterior verò rerum, verborum, & sententiarum notatu dignorum, copiosissimus.

PROVINCIA DE COMILLAS BIBLIOTECA MADRID

Es de la misma de Arteaga.

CLARISSIMO D.D.

PETRO SCARRON,

REGIS IN CVRIA Lugdunensi Consiliario, Canonico & Sacristæ in æde Diui Pauli meritissimo,

LVDOVICVS PROST Hæres Rouille S. P. D.

VIRTVTVM *tuarum summa vis, summáque præstantia, Vir amplissime, quas in te non leuiter adumbratas, aut fictæ simulationis specie aliqua tectas, sed veras, planeq́; expressas intueri licet; initio me in admirationem magnam adduxit, deinde verò in earumdem assiduam contemplationem; tandémque cognoui nihil omnino ad summam cum probitatem, tum etiam eruditionem tibi deesse cunctis ornamentis instructissimo ingenij atque animi. Hinc effluxit mea in te obseruantia prope singularis, vt nihil ardentiùs optarem quàm tibi obsequium præstare, & aliquo argumento propensionem hanc voluntatis meæ testatam relinquere. Vt hoc peragerem,* dederítne viam Casúsve, Deus-

ve? Vterque sanè. Nam iamdudum eam mentem iniecerat Deus, vt insigne aliquod Theologiæ opus prælo commissum sub tui nominis auspicijs prodiret: & fauerunt euentus boni, qui casu fortuito doctissimum hunc iuxtà ac vtilissimum R. P. Fr. Francisci Longi à Coriolano, celeberrimi olim Romæ sanctæ Theologiæ prælectoris, Tractatum de Casibus reseruatis, ad me transmiserunt, tibi offerendum, quem fore tibi gratum non diffiteor, siquidem omnibus eruditis maximè Theologis cum in primis adhuc vagiret cunabulis, fuerit acceptissimus; immò fore tibi gratissimum spero, cum nunc matura adoleuerit ætas, & à nobis in hac postrema editione fuerit sedulò lustratus, ita vt non abs re vsurpare possimus tritum illud sed verissimum apud omnes, quibus aliquod cum Musis commercium, δὶς τέραι φρονίδες σοφώτεραι; ab Auctore verò adeo illustratus ac locupletatus vt merito nouus fœtus, nouaq; proles censeri possit. Id autem egit celeberrimus Auctor, indefesso labore, de quo nihil tale verendum quod de Protogene; Protogenem enim pictorem sua ætate nobilem tam improbo fuisse studio, tamq; indefessa pingendi cura ac diligentia memoriæ proditum est, vt Apelli parem in omnibus futurum dicerent, si manum de tabula tollere potuisset; adeo vtile in omni vitæ humanæ instituto vulgatum illud, μηδὲν ἄγαν, vt Isocratis in compositione cura diligentior à plerisque reprehendatur: sed, vt prænonui, non erit arguendus Auctor si in spartas suas ornandas multoties insudarit, ter manum operi adiecerit, vt vltimum tandem colophonem adhiberet: hac enim vltima editione opes opilus attexuit, ditissimis etiam quibuslibet ingenijs non spernendas, adeo vt quod de amethysto naturalium rerum scriptores tradidere, nimirum quò fatigatur, tractatur, ac teritur magis, eò etiam in sui admirationem magis accendere, & intuentes in amorem trahere, hoc de opere vsurpare liceat, tum demum scilicet fore vt placeat cum fatigabitur, inq; manus sumptum noua, assiduaq; lectione teretur. Hoc igitur rediuiuum passimq; nobilitatum sub tui nominis tutela in lucem prodire volui, quod & virtutes sanè quàm multæ, nobiles & eximiæ, quæ in te spectantur vt præfatus sum, postulabant; postulabat multiplex ac varia eruditio tua, maximè in Theologia, & Iurisprudentia cum vitæ innocentia morumq; integritate maxima coniuncta, qua fratrum tuorum fortunam æquasti; postulabat admirabilis tua ac prope diuina prudentia in agendis rebus non minus naturæ beneficio quàm longo studio & meditatione comparata; postulabat tua summa dicendi copia, venustas & lepor; postulabat elegantia morum atque suauitas propè singularis, tantaq; cum summa grauitate in familiari consuetudine & colloquio comitas & facilitas, quibus agrestes homines statim tibi concilias, nedum eos qui moribus atque

ingenijs videntur exculti; postulabant multæ aliæ virtutes, quarum ἔνδαλμα quoddam in te fulget illustrius tanquam in paradigmate omnibus ad æmulandum proposito, quas ex industria prætereo. Nam & odio, vt inquit Tragicus Poëta, sunt sæpenumerò nimiæ laudationes, & amens sim, si tam leui hoc & angusto genere dictionis tuarum laudum magnitudinem adæquare velim. Quapropter absque vlla diligentiori commendatione, & sine magnifico laudum tuarum præconio, offero amplissimæ Dominationi tuæ venerationis meæ symbolum. Quod si tibi non ingratum fuisse intellexero, erit vnde mihi de susceptis sumptibus ipse gratuler, & ad maiora tentanda animos aliquando erigam. Vale, vir amplissime, & antiquum Gazophilacium Rouillianum, vt soles, ama.

PRÆFA

PRÆFATIO ad Lectorem.

PERTRACTATVRVS in hoc opere *de Casibus reseruatis*, duo in primis prælibanda censui, quæ Lectorem minimè ignorare decet. Primum, quid *Casus* vox, ac nomen præ se ferat. Secundum, quid *Reseruatio* indicet. Id enim ipsa operis ratio postulat, quò earum rerum, quæ in eo tractantur, tum planior, tum facilior cognitio haberi possit.

CASVS in primis vox à cadendo dicta est; inde enim, & Angelorum, & hominum casus nuncupatur, cùm primùm à Dei gratia in peccatum lapsi, veluti è sublimi gradu ad ima ceciderunt. De Angelorum casu agit Isaias cap. 14. sub Regis Assyriorum nomine, illis verbis; *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* De hominum verò casu apud eundem, c. 64. legitur; *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos.* Hoc loco de Angelorum casu non agi-

Casus *vox vnde dicatur, & quid importet.*

Isai. 14.

mus, cùm iis post casum nullus pœnitentiæ locus relictus fuerit De hominum casu hoc tantummodò pertractandum est, quibus post lapsum ex Dei benignitate adhuc resurgendi spes refulget.

Auctoris intentio.

Nec tamen hîc communem omnium hominum lapsum, vel singulorum casus, aut peccata, quæ primum illud sequuta sunt, discutienda amplectimur: sed eorum dumtaxat hominum casus explicandos suscipimus, qui ab hominum vulgo, diuina vocatione semoti, perfectius Regilioſæ vitæ genus sub Regularis disciplinæ forma institutum profitentur. Quibus non incommodè aptari possunt priora illa Isaiæ verba, quibus Angelorum casus describit; *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui manè oriebaris?* Siue enim Luciferum sydus illud diei nuncium accipiamus, siue supremum illum olim Angelum, nũc cacodæmonem, qui Lucifer nuncupatur, interpretemur: vtrumque Religiosi hominis casum summis lachrymis deflendum animo contemplandum obiicit.

Quid enim Religiosi viri statum (si priorem sensum prosequi lubet) magis apud scripturas commendat, quàm ipsum fulgentis syderis, seu lucis nomen? Equidem Apostolos Religiosam vitam profes-

sos, ac Religiosorum institutores fuisse, testis est Matthæus, cùm Petrum omnium Apostolorum nomine dixisse commemorat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Hæc enim verba sunt: vt ait D. Bernardus in declamat. quæ voluntariam persuasère hominibus paupertatem, ac Monachis clausstra, & deserta Anachoretis repleuère: eos tamen Christum præclaro illo titulo exornasse, nemo ignorat, vt non tam sydera, quàm orbis lucem apud Matthæum c. 5. appellauerit: *Vos estis lux mundi:* atque ipsos, vsque adeò syderum instar operum fulgore emicare voluit, vt præclara quoque virtutum exempla, velut lucem in alios effunderent; *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Hoc planè ipsum, & Regularis vitæ professoribus à Christo demandatum opus incumbit: vt qui Apostolicam vitam, & institutionem profitentur, sydera ac Luciferi lucem ferentes, Orbem clarissimis virtutum fulgoribus illustrent, ac cœlestis gratiæ diem hominibus annuncient. Matt. 19. Matth. 5.

At si fortè accidit, vt qui ad sublimem Religionis statum euectus est, in aliquod graue crimen prolabatur, eidem, non sine luctu, Isaiticum illud dici potest, *Quomodo*

ceci

cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Eo siquidem casu orbis Christiani Lucifer occidit, sydus obtenebratur, ac cœlestis Religionis professor, velut Apocalypsea illa stella, quam è cœlo cadentem olim Ioannes conspexit, è Religiosæ perfectionis æthere delapsus, in imum culpæ detruditur: ita vt, qui manè per vigilantissima virtutum studia, ac Regularis obseruantiæ lucem, sibi, & aliis oriebatur; post occasum, extincto gratiæ lumine, in peccatorum cœno volutetur.

Si verò iuxta alterum sensum Luciferum præcellentem illum quondam Angelum exponamus, profectò non dissentaneum erit, Angelicum Religiosorum statum eo significari: cùm Religiosum virum nihil minus, quàm carneum Angelum esse deceat, quem Angelica mentis puritate, Angelicis studiis, Angelicis moribus, Angelica conuersatione, Angelica denique vita ornatum esse oportet, vt Angelicum, & Euangelicũ inter homines statum commendet. Is verò cùm primùm ab Angelica hac vitæ institutione excidit, protinus in Dæmonem degenerat, hoc ipso Saluatore de Iuda attestante, qui vix ab Apostolicæ vitæ fastigio lapsus, statim à Christo audiuit: *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis*

bis vnus Diabolus est? Ioan. 6. Quod etiam Augustinus confirmat cont. Donatistas, his verbis: *Sicut expertus non sum meliores, quàm qui in Monasterio profecerunt: ita non sum deteriores expertus, quàm qui in Monasterio ceciderunt.* Ioan. 6.

Religiosus si aliquando in graue peccatum incidat, non mirum.

Neque tamen mirandum est, Regularis disciplinæ professores interdum è sublimi Religionis statu corruere, & in grauiora crimina nonnunquàm prolabi. Id enim, & humana fert imbecillitas, & non rarò hoc ipsum ex arcano Dei consilio nonnullis contingit, ne plus æquo erigantur: sed cum timore, & tremore, iuxta Apostoli consilium, propriam salutem operentur.

Qui enim nubes sibi attingere videbantur, ac se in tuto positos existimabant, mox in terram prolapsi, casum timere discunt, necnon meritas suæ elationis pœnas luunt. Porrò si inter Angelos, qui præstãtiori natura prædíti sunt, Deus prauitatem reperit, cùm ex his non pauci è cœlo decíderint; atque in tam exiguo duodecim Apostolorum numero, vnus Diabolus inuentus est: quid de hominibus, qui velut vasa vitrea ac testacea inuicẽ angustias patiuntur, iudicandum erit? Aut cur in tanta perfectorum virorum multitudine, vnum aut alterum à Regula excessisse admirabimur?

Num

Num immobilem, ac perpetuam nobis ſolis in eodem ſemper gratiæ, ac diuinæ amicitiæ ſtatu cõſtantiam pollicebimur? Hinc ſapienter D. Auguſt. Donatiſtis reſpondet:

Aug. cont. Donat. *Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ; homo tamen ſum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quàm Arca Noë, vbi tantùm inter octo homines vnus reprobus inuentus eſt. Aut melior ſit, quàm domus Abrahæ, cui dictum eſt: Eijce ancillam, & filium eius. Aut melior ſit, quàm domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt: Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Aut melior ſit, quàm domus ipſius Iacob, vbi lectum patris filius inceſtauit. Aut melior ſit, quàm domus ipſius Dauid, cuius filius cum ſorore concubuit. Aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret, non diceret: foris pugnæ, intus timores. Aut melior, quàm cohabitatio ipſius Chriſti, in qua vndecim boni, perfidum, & furem Iudam toleraverunt. Aut melior ſit poſtremò, quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt.*

Quòd ſi Auguſtinus id de ſui inſtituti viris iudicauit; quid miramur, quod cæteris quoque aliarum familiarum alumnis id interdum accidat, quod & Angelis, & Apoſtolis olim accidiſſe exploratum eſt: atque ij nonnunquam in grauiora peccata ruant, quæ maiorem ſuperiorum diligentiam, ac prouidentiam exigunt, ne illorum familiaritas, ac conſuetudo grauem cæteris perniciem, ac damnum afferant?

Caſuum reſeruatio vnde orta.

Atque inde Caſuum reſeruatio orta eſt (quod poſtremò eſt explicandum:) Nam cùm quædam grauiora crimina reperiantur, quæ præclarum Religionis ſtatum labefactant, & corrumpunt, nécnon Regularis obſeruantiæ profeſſores ab inſtituto Euangelicæ perfectionis gradu reuocant: ij, quibus cuiuſlibet Religioſæ Reipublicæ curandę prouincia demandata eſt, in eo maximè laborare debent, vt optimum Religionis ſtatum ſartum tectum ſeruent: & pullulantia hæc criminum ſemina (quoad rectè fieri poteſt) euellant: eò fit, vt grauiora huiuſmodi crimina ſibi abſoluenda reſeruent: quò iis grauiores pœnas taxent, pecoris ſui vultum agnoſcant, opem, & auxilium infirmis ouibus ferant, & tandem faciliùs perditos homines, ſi qui ſunt, horum reſeruatione, quaſi fræno ab iis perpetrandis coërceant.

Non omnis ſacerdos abſoluendi poteſtatem habet, quoad vſum.

Quanquam enim quilibet ſacerdos, ſimul, atque ſacri ſacerdotij ordine inſignitus eſt, poteſtatem ad remittenda quælibet peccata accipiat; illius tamen vſum in vllum priùs exercere non poteſt, quàm iuriſdi

risdictionis potestatem à legitimo superiore assequutus fuerit, qui eam potestatem (quandoquidem ad iurisdictionem spectat) in cæteris quidem peccatis liberam extendere: in quibusdam verò contrahere potest: nisi à superiori potestate prohibeatur. Atque inde Casuum, ac peccatorum reseruatio ortum habet, quæ tam à diuino, quàm à positiuo iure commendatur. A

Ioan. 20. diuino quidem, vt perspicuum est Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:* ac præterea

Luc. 10. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* A positiuo verò Ecclesiæ, quæ cùm totam iurisdictionis potestatem in Christi oues in summo Pontifice acceperit, hanc Ordinum Rectoribus confert, quam fœlic. mem. Clemens VIII. Pont. Max. non pridem Apostolico decreto communiuit, ac Regulis nonnullis concluſit, vt hîc infrà videbitur, & nos in Tractatu explicabimus.

De his ergo Casibus, qui apud Regulares reseruantur (Deo fauente) hic noster Tractatus erit, eo planè consilio à nobis compactus, non vt cum hæreticis, qui non tam Casuum reseruationem, quàm ipsius Pœnitentiæ sacramentum negant, manum consererem: aut ex Catholicis vnum, aut alterum redarguerem, qui Casuum reseruationem

uationem potestatis abusum vocant, quos satis temeritatis arguit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. & can. 11. sed vt nonnihil commodi iis adferrem, qui cùm audiendarum confessionũ oneri incumbunt, atque eis per otium non vacat, aut Canonica iura, aut grauiores Auctores, qui hoc argumentum multis pertractant, reuoluere, libellum præ manibus habere possint, quo familiariter vtantur. Vniuersum porrò hunc Tractatum, quò clariùs ab omnibus intelligatur, in duas partes diuidemus. Prima, ea complectitur, quæ ad personas pertinent, ad quas Casuum vel reseruatio, vel absolutio spectat: quapropter ea tres sectiones continet, in quarum prima de iis omnibus agitur, quæ circa Casuum reseruationem à superioribus obseruari debent. In secunda de iis, quæ in Casuum reseruatorum absolutione Confessarij præstare debent. In tertia de iis, quæ ad Pœnitentes casu aliquo reseruato irretitos, instruendos spectant.

Totius operis diuisio.

Altera verò pars Casuum reseruatorum, qui in Decreto Clem. VIII. præscribũtur, tantummodò declarationem continet.

Omnia verò S. Rom. Eccl. iudicio submissa sunto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GREGORIVS Papa XV.

Ad futuram rei memoriam.

CVM sicut dilectus filius Franciscus à Coriolano Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professor, Nobis nuper exponi fecit ipse vnam Summam Conciliorum omnium, quæ à S. Petro vsque ad nostra tempora celebrata sunt, cum variis annotationibus, ac aliam Summam Theologicã S. Bonauenturæ ad instar Summæ Sancti Thomæ Aquinatis variis itidem Annotationibus, & Commentariis illustratam, & in septem tomos distributam; necnon alterum ab eodem Francisco aliàs impressum, sed nunc tertio multis in locis auctum, & locupletatum Tractatum de Casibus reseruatis iuxta decretum fæl. record. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri; necnon Breuiarum Chronologicum respectiuè inscripta opera in lucẽ edere intendat, ac vereatur, ne postquam in lucẽ prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, opera huiusmodi typis cudi facere curent in ipsius Francisci, ac ab eo causam habentium præiudicium: Nos eorum indemnitati, ne ex impressione huiusmodi aliquod dispendium patiantur prouidere, ipsosque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existũt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; supplicationibus ipsius Francisci nomine Nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem Francisco, ac ab eo causam habentibus prædictis, vt decennio proximo durante à primæua Operum huiusmodi (dummodo tamen antea à dilecto filio Magistro Sacri Palatij Apostolici approbata fuerint) impressione computanda, nemo tam in Vrbe, quàm in vniuerso statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto, Opera huiusmodi sine speciali dicti Francisci, seu ab eo causam habentium huiusmodi licentia imprimere, seu ab alio, vel aliis impressa vendere, seu venalia habere, vel proponere possit, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ concedimus, & indulgemus; inhibentes propterea vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ nostræ Apostolicæ, ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro alia causam à dicto Francisco habentibus prædictis,& pro reliqua tertiis partibus accusatori, & iudici exequenti irremißibiliter applicandis eo ipso absque vlla declaratione incurrendis pœnis,ne dicto decennio durãte opera prædicta,aut aliquam eorum partem,etiam prætextu additionum,aut explanationum tam in magno, quàm in paruo folio; ac tam in Vrbe, quàm in vniuerso statu Ecclesiastico prædictis sine huiusmodi licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impressa vendere, aut venalia habere,vel proponere quoquo modo audeant, seu præsumant, mandantes propterea dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis,seu eorũ Vicelegatis,ac Præsidentibus,Gubernatoribus,Prætoribus, & aliis iustitiæ ministris,Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, ac locorum status nostrì Ecclesiastici prædicti, quatenus causam à dicto Francisco habentibus huiusmodi in præmißis efficacis defensionis præsidio assistentes quandocũque ab ipsis fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscunque inobedientes irremißibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis,& quibusuis statutis,& Consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis,priuilegiis quoque indultis,& litteris Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis,confirmatis, & approbatis, tis,cæterisque contrarijs quibuscumque.Volumus autem quòd præsentium transumptis,etiam impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ,vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Iunij M. DC. XXI.

SCIPIO COBEL. Card.S.Susannæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA DIPLOMATIS Regis Christianissimi.

PRiuilegio Ludouici XIII. Regis Christianissimi sub datum die 21. Iunij 1621. cautum est, ne quis Bibliopola, aut Typographus in Regno Galliæ Opera. P. Francisci Coriolani Capuccini, videlicet summam Conciliorum, summam Theologicam S. Bonauent. variis annotationibus, & commentariis illustratam, atque in septem Tomos distributam: Item Breuiarum Chronologicum: Item Tractatum de *Casibus Reseruatis*, nunc tertiò recognitum, absque Auctoris, aut ab eo causam habentis licentia, ad decennium imprimere, vel alibi impressa vendere audeat, sub pœnis in diplomate contentis.

Signat.

LE BOSSV.

FERDI

FERDINANDVS II. Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Virtembergiæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Postquam nomine Religiosi deuoti Nobis dilecti Fr. Francisci Longi à Coriolano ordinem D. Francisci Capuccinorum professi, demissè nobis sit expositum singulari illius cura, assiduo studio, & peruigili diligentia Opera nonnulla Theologica congesta sub hisce titulis: Summa Conciliorum omnium, quę à S. Petro vsque ad Paulum Papam V. celebrata sunt, cum variis Annotationibus: Item Summa Theologica S. Bonauenturæ ad instar S. Thomæ Aquinatis, variis notationibus illustrata, & in septem Tomos distributa: Nec non Tractatus de *Casibus reseruatis* iuxta Decretum fœl. rec. Clementis Papæ VIII. quæ nunc, vt in plurium vtilitatem fructus inde redundet, præli beneficio propediem sint vulganda. Metuit autem ne primam eorumdem editionem

alij Typographi quæstus causa, quod plerunque euenire soleat, præproperè, aut vitiosè imitentur: adeoque cui ipse Author operam hanc commiserit, debito, speratoque laboris, & impendij sui fructu ad alios iniquè translato, fraudetur. Ac proinde suppliciter rogati simus, vt huic sollicitudini ex benignitate nostra Imperiali Diplomate Typographico ad certos annos indulto clementer consulere dignaremur. Nos pro inclinatione nostra singulari ad præclaros istiusmodi conatus gratioso patrocinio nostro adiuuãdos precibus istiusmodi, vt quæ æquitate nitebantur, haud grauatim annuimus. Ideoque vniuersis,& singulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuscumque negotiationem Librariam exercẽtibus firmiter, serióque inhibemus, præcipimus,& vetamus,ne quis supradicta opera, siue integra, siue dispartita citra cõsensum,& voluntatem antè memorati Auctoris, vel illius Typographi, quem ipse ad hoc delegerit,intra decennium proximum à prima vulgationis die computandum recudere, vel alibi etiam quocunque modo, forma, typo, vel charactere impressa, & recusa intra Sacri Romani Imperij fines, siue clam, siue palàm adducere, venundare, vel distrahere præsumat. Si quis autem

autem edictum hoc nostrũ transgredi,violare, aut contemnere deprehendatur, eum non solum eiusmodi libris perperam recusis,& apportatis,quos dictus Typographus eiúsue hæredes vbicunque inuẽti fuerint, siue propria, siue magistratus ibidem authoritate, atque auxilio sibi vendicare poterunt, priuandum: sed & pœna insuper decem marcharum auri puri, cuius semis prædicto Typographo, eiusue hæredibus, alter verò semis fisco nostro Imperiali fraudis vindici, toties, quoties contrà factum fuerit, pendatur, omni spe veniæ sublata, mulctandum decernimus: dummodò tamen huiusmodi Opera nihil in se scandalosum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij Constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in contextu, seu alias quomodocunque cõtineãt, & Typographus ipse terna vt minimum dictorum Operum exemplaria suis sumptibus quamprimùm ad Cancellariam nostram Cæsaream transmiserit. Mandamus ergo vniuersis nostris,& sacri Romani Imperij, Regnorumque, & Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis, quàm

sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum nomine, & loco ius, ac iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam priuilegium hoc nostrũ Cæsareum temerè, & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscripta pœna mulctari, aliisque modis idoneis, coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare voluerint, harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Ciuitate nostra Viennæ die 19. mensis Martij, Anno Domini 1621. Regnorum nostrorum Romani II. Hungarici III. & Bohemici IV.

FERDINANDVS.

De mandato sacræ Cæsareæ Maiestatis,

HERMANNVS QVÆSTEMBERG.

PRIVI

PRIVILEGIVM Archiducum Flandriæ.

CVM *expositum fuisset Serenissimis Archiducibus Austriæ, Ducibus Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, & Gueldriæ, Comitibus Flandriæ, Hannoniæ, &c. Ex parte Fratris Francisci Coriolani Theologi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum in animo se habere in lucem dare ad gloriam Dei, & S. Ecclesiæ vtilitatem Opus quoddam in folio à se compositum septémque Tomis distributum cum hoc titulo; S. Bonauenturæ Cardinalis Episcopi Albanensis, & Sacrosanctæ Ecclesiæ, Doctoris eximij Summa Theologica, cum multis annotationibus, & commentariis illustrata. Verùm cum non facile foret reperire, qui illud Opus arriperet, si vnicuique facultas illud excudendi concederetur ob notabile damnum, quod ei accideret, qui suis expensis id præstaret, dictus exponens humiliter supplicauit Serenissimos Archiduces, quatenus in eo prouidere dignentur, Suæ Celsitudines, hisce consideratis precibus præfati Fratris Francisci Coriolani annuentes, interdixerunt omnibus & quibuscunque suarum Ditionum Bibliopolis, & Typographis, ne supradictam S. Bonauenturæ Summam*

Summam per ſpatium ſex annorum computandorum à tempore finitæ Editionis cuiuſlibet Tomi abſque licentia ſupplicantis imprimant, ſub pœna confiſcationis exemplarium, ſi quædam contra hanc prohibitionem edi contingat: & inſuper ſex aureorum pro quoque exemplari, applicandorum partim Fiſco ſuarum Celſitudinum, partim vſui dicti Exponentis. Datum Bruxellis decimo Calendas Februarij, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo decimonono. Ma. V.

Ad mandatum ſuarum Celſitudinum.

ILEBOMTE.

FACVL

FACVLTAS admodum R.P. Generalis.

CVm Opus hoc *de Caſibus reſeruatis* apud Regulares à fœlic. record. Clem. VIII. poſitis, à R. P. Fr. Franciſco de Coriolano noſtræ Religionis Sacræ Theologiæ olim Prælectore compoſitum, Patres illi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt ſeruatis ſeruandis, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Datum Papæ die 2. Iulij, quæ eſt Feſtum Viſitationis B. Mariæ. 1616.

FR. PAVLVS A CESENA Gen.

Locus ſigilli.

Perlegi

Universidad de Deusto
Biblioteca

PErlegi Librum *de Casibus reseruatis* admodum R. P. Fr. Franciſci Coriolani, ex commiſſione Reuerendiſſ. P. Fr. Hyacinthi Petronij, Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, in quo nihil offendi, quod Fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduerſetur: quinimò cenſeo librum hunc valdè perutilem, atque optimam continentem doctrinam, prorſúſque dignum, qui in lucem edatur, atque imprimatur.

Ego IOANNES FRANCISCVS PALVMBVS, Clericus Regularis, S. Theol. Profeſſ.

TRactatus *de Caſibus reſeruatis* Regularium admodum R. P. Franciſci Coriolani Ord. Capuccinorum, Regularibus ipſis maximè neceſſ. cæteríſque ſtudioſis omnibus valdè vtilis, ab ipſo Auctore ſic de nouo recognitus, & auctus, nihil (mea ſententia) continet, quod ſit contra fidem orthodoxam, vel cõtra bonos mores, propter ſanam doctrinã, & eruditionem. Igitur typis mandari poſſe cenſeo, ſeruatis tamẽ iis, quæ in Indice Rom. Pont. continentur. In cuius rei fidẽ, præſentes dedi, & me ſubſcripſi. Datum Neapoli die 3. Iulij. 1617.

M. MERVLA S. Theol. Doct. Canon. Neap.

Perlegi

PErlegi Tractatum hunc de *Caſibus reſeruatis*, à R. admodum P. Franciſco Coriolano Capuccino compoſitum, & in eo nihil offendi fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium: imò multa, quæ ad Confeſſariorum doctrinam maximè facere poſſunt. Itaque prælo mandari, & ad communem omnium Religioſorum vtilitatem publicari poſſe cenſeo: ea tamen lege, vt in fronte eiuſdem Tractatus aſcribatur nomen Auctoris, néc non facultas ſui Generalis ex præſcripto Indicis Romani.

RVTILIVS GALLACINVS vidit, & regiſt. fol. 39.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſgerens.

Imprimatur. *Fr. Gregorius Donatus Magiſter, Reuerendiſſ. P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apoſt. Mag. Socius. Ord. Prædic.*

VIrtute ſupradictorum Priuilegiorum facultatem do ego Frater Franciſcus Coriolanus Capuccinus Domino *Ludouico Proſt Hæredi Rouille*, Bibliopolæ Lugdunenſi, vt noſtrum Breuiarium Chronologicum, & Tractatum *de Caſibus reſeruatis* imprimere, & vendere poſſit. Datum Romæ die 4. Febr. 1622.

Ita eſt. Ego Fr. FRANCISCVS CORIOLANVS Capuccinus manu propria.

APPRO

Universidad de Deusto
Biblioteca

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in sacra Theologica Magister, in sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, & diuini Verbi Prædicator, & à Domino Dionysio Simone de Marquemont, Illustrissimo & Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunensi, in Librorum censuram in hac Diœcesi incumbere iussi : Fidem facimus, Nos *R. P. Fr. Francisci Coriolani Capuccini Tractatum de Casibus reseruatis iuxta regulam Decreti à fæl. record. Clem. VIII. Regularibus præscriptam*, vidisse & euoluisse, nihilque Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ sanctæ Ecclesiæ sacris Dogmatibus aduersum non modò non contineri ; sed omnia planè iuxta sanctorum Patrum sanam doctrinam eruditissimè exponi. Lugduni apud S. Paulum, 21. Octobris 1622.

I. C. DE VILLE.

DECRE

DECRETVM S. D. N. CLEM. PAPÆ VIII. SVPER CASVVM RESERVATIONE, ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

§. 1. *SAnctissimus Dominus noster, qui iampridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.*

§. 2. *Quocirca, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquos, prout subditorum vtilitati expedire, prudenter in Domino iudicauerint.*

I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

II. Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.

III. Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu Conuentus egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Iuramentum falsum factum in Iudicio Regulari, seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus.

VIII. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.

X. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscunque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à superioribus ad inferiores; & ab inferioribus ad superiores.

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.

§. 3. *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire: nisi quando peccatum aliquod*

aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint.

§. 4. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: iique sint docti, prudentes, charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant; & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius iudicauerit.*

§. 5. *Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

§. 6. *Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscunque Regularium superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit.*

§. 7. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam Generalis Decretis: necnon consuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obseruatis: aut regulis in Generalibus, seu Prouincialibus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECRET. SVPER CAS. RESER.

Capitulis editis, ſtatutis, & conſtitutionibus, etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis: priuilegiis, indultis, & conceſsionibus quibuſcunque: quorum tenores hîc pro expreſsis haberi voluit: cæteríſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum, die 26. Maij 1593.

ANDREAS SORBOLONGVS Secretarius Viſitationum.

ELEN

ELENCHVS
ARTICVLORVM,
QVI IN SECTIONIBVS
PRIORIS HVIVS OPERIS
Partis tractantur.

Prior numerus ſectionem: poſterior articulum: poſtremus paginam indicat.

AN Prælati poſſint ſibi reſeruare caſus. ſect. 1. art. 1. pag. 1.

Quo iure prælati regulares poſſint ſibi reſeruare caſus reſpectu ſuorum ſubditorum. ſect. 1. art. 2. pag. 11.

An iuriſdictio prædicta competat prælatis regularibus, iure diuino, vel humano, ſect. 1. art. 3. pag. 15.

An omnes Prælati religionum poſſint ſibi reſeruare caſus. ſect. 1. art. 4. pag. 18.

An talis reſeruatio poſſit fieri indifferenter de omnibus peccatis. ſect. 1. art. 5. pag. 21.

An Superiores religionum poſſint ſibi reſeruare abſolutionem excommunicationis à ſe comminatæ. ſect. 1. art. 6. pag. 30.

An quilibet Superior regularis habeat facultatem abſoluendi à reſeruatis. ſect. 1. art. 7. pag. 37.

Quis modus ſeruandus in recurſu ad Superiores pro abſolutione à reſeruatis. ſect. 1. art. 8. pag. 40.

An ſit licitum ſtatutum, quo regulares ſubditi obligantur iterùm confiteri Superiori peccatum reſeruatum; aliàs ritè confeſſum. ſect. 1. art. 9. p. 54.

An Superior teneatur audire peccata reseruata simul cum non reseruatis,vt subditum absoluere possit à reseruatis.sect.1.art.10.pag.59.

Quæritur,quando subditus confitetur Superiori habenti potestatem ordinariam ad absoluendum à casibus reseruatis;& ab illo simpliciter absoluitur ab omnibus peccatis : ipse tamen per obliuionem inculpabilem omisit aliquod peccatum reseruatum;an liber maneat à præsentatione,& reseruatione,ita vt confiteri possit illud cuicunque Confessario deputato.sect.1.art.11.pag.63.& 64.

An quando idem peccatum pluribus modis reseruatum est, ablata vna reseruatione,auferantur & reliquæ.sect.1.art.12.pag.66.

An possimus vti extra confessionem illa notitia, quam habuimus in confessione.sect.1.art.13.p.68.

An quælibet peccati occasio sit necessariò euitanda. sect.1.art.14.pag.72.

Quid faciendum, quando ex vsu confessionis nulla sequitur reuelatio.sect.1.art.15.pag.83.

An possit Superior,siue elector propter solam scientiam in confessione habitam alicuius grauis culpæ, negare suffragium ei, qui exteriùs reputatur dignus : ipse autem per confessionem scit esse indignum.sect.1.art.16.pag.84.

An debeat Superior facultatem concedere subdito petenti,vt possit ab illis absolui à casibus reseruatis : vel an debeat dare talem facultatem Confessario id petenti.sect.1.art.17.pag.86.

An si in Conuentu sit Generalis,& Prouincialis,sufficiat se præsentare Prouinciali.sect.1.art.18.p.95.

An Superior dando facultatem absoluendi à reseruatis,possit taxare pœnitentiam à confessario imponendam pœnitenti.sect.1.art.19.p.96.

An

An incidant in aliquam pœnam,qui absque facultate absoluunt.sect.1.art.20.pag.99.

An Superiores religionum possint sibi eligere Confessarium,quem maluerint. sect.1.art.21.pag.101.

An Guardiani possint absolui etiam à reseruatis, à Confessariis ab ipsis electis.sect.1.art.22.p.106.

An respectu Prouincialium sint casus reseruati,adeò, vt si ipsi in aliquem inciderint, teneantur se præsentare Generali.sect.1.art.23.pag.111.

An Vicarij locorum, seu Conuentuum habeant facultatem eligendi sibi Confessarium. sect. 1. art. 24.pag.117.

An simpliciter Sacerdotes subditi habeant hanc eandem facultatem:vt scilicet ad libitum possint sibi eligere Confessarium.sect.1.art.25.pag.118.

Quidam Superior Regularis præcepit subdito suo in virtute sanctæ inobedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,vt dicat ei veritatem de aliqua re : quæritur, an absolutio talis excommunicationis pertineat ad illum Superiorem, qui eam tulit : an verò subditus possit à quocunque alio Confessario absolui:cùm censeatur non reseruata.sect.1.pag.120.

An quilibet Sacerdos sit idoneus ad Confessiones audiendas.sect.2.art.1.pag.127.

An Confessarius debeat sequi opinionem suam, an pœnitentis.sect.2.art.2.pag.139.

An Confessarij deputati possint absoluere ad libitum à casibus reseruatis omnes suos pœnitentes. sect.2.art.3.pag.142.

An Confessarius habens potestatem absoluendi à reseruatis, possit absoluere in foro conscientiæ pœnitentem, qui commisit delictum publicum, antequã à iudice sit expeditus. sect.2. art.4. p.154.

An Confessarij deputati, quando habent facultatem absoluendi reseruata, possint illam aliis committere. sect. 2. art. 5. pag. 155.

Quando Superior concedit facultatem pro reseruatis: sed tali loco, & tempore, quod facilè posset venire in cognitionem peccatoris, quid faciet Confessarius. sect. 2. art. 6. pag. 160.

An facultas eligendi Confessarium finiatur per vnum actum: id est per electionem vnius Confessarij vna vice. sect. 2. art. 7. pag. 162.

An si moriatur, vel amoueatur ab officio Prælatus, teneat facultas data. sect. 2. art. 8. pag. 164.

An Confessarij deputati, qui aliquando habent facultatem pro reseruatis, habeant quoque illam pro omnibus censuris. sect. 2. art. 9. p. 168.

An sufficiat ratihabitio, vt absolutio sit valida. sect. 2. art. 10. pag. 171.

An Confessario sufficiat dicere Prouinciali pro habenda facultate circa reseruatos, *Pater, indigeo vestra auctoritate*: & an etiam idem dicendum sit de pœnitente. sect. 2. art. 11. pag. 174

An necesse sit, vt Confessarius disertis verbis explicet pœnitenti onus de se præsentando. sect. 2. art. 12. pag. 175.

An absolutio data à Confessario cum tali onere de se repræsentando, censeatur data cum conditione. sect. 2. art. 13. pag. 180.

An si Confessarius det primò absolutionem, & postea manifestet pœnitenti onus de se præsentando, si pœnitens non acceptat tale onus, absolutio data valeat. sect. 2. art. 14. p. 182

Forma absolutionis pro habentibus indulgentiam plenariam. sect. 1. p. 187.

Forma absolutionis ab omni casu, etiam pertinẽte ad Papam,

Papam, quæ datur fratribus in agone existentibus, auctoritate priuilegiorum Ordinis. sect. 2. p. 188.

An Confessario liceat loqui de rebus in Confessione auditis, de licentia pœnitentis. sect. 2. art. 15. pag. 189.

An in articulo mortis quilibet Sacerdos possit absoluere à casibus reseruatis, absque eo, quòd imponat onus, seu obligationem repræsentationis. sect. 2. art. 16. pag. 192.

An extra articulum mortis, occurrentibus aliis necessariis casibus, in quibus necesse est, aut implere præceptum annuæ confessionis; vel communicare, aut facere Sacrum, ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia: & pro tunc non patet aditus ad Superiorem; possit quis celebrare, vel Eucharistiam sumere absque confessione, cum sola contritione: cum animo tamen faciendi, quod tenetur, tempore suo; vel debeat confiteri deputato, & ab eo absolui cum obligatione. sect. 2. art. 17. pag. 203.

An tempore Iubilæi, qui non habet auctoritatem ab Ordinario ad audiendas confessiones, possit illas audire. sect. 2. art. 18. p. 212.

An possint pœnitentes absolui à casibus reseruatis, & à censuris ab aliquo alio sacerdote deputato, & auctoritatem habente ab Ordinario post elapsum tempus Iubilæi. sect 2. art. eod. p. 213.

An Confessarius malè absoluens pœnitentem, teneatur ad aliquid. sect. 2. art. 19 p. 214.

An absolutio possit dari absenti. sect. 2 art. 20. p. 220.

An inferior possit commutare pœnitentiam à Superiore taxatam, in absolutione casus reseruati. sect. 2. art. 22. pag. 230.

An Confessarij sollicitantes pœnitentem ad pec-

catum carnis, sint suspecti de hæresi. sect. 2. art. 22. pag. 234.
Breue Pij I V. contra Confessarios sollicitantes pœnitentes ad libidinem. sect. 2. art. eod. pag. 235.
In principio tertiæ sectionis explicantur fusè sex decim conditiones Confessionis.
Prima conditio, vt Confessio sit simplex. sect. 3. pag. 241.
Secunda conditio, vt Confessio sit humilis. sect. 3. pag. 252
Tertia, vt sit pura. sect. 3. pag. 260.
Quarta, vt sit fidelis. sect. 3. pag. 263.
Quinta, vt sit frequens. sect. 3. pag. 266.
Tertia conditio, vt sit nuda. sect. 3. pag. 273.
Septima conditio, vt sit discreta. sect. 3. pag. 277.
Octaua conditio, vt sit libens. sect. 3. pag. 279.
Nona conditio, vt sit verecunda sect. 3. pag. 288.
Decima conditio, vt sit integra. sect. 3. pag. 291.
Vndecima conditio, vt sit secreta. sect. 3. pag. 298.
Duodecima conditio, vt sit lachrymabilis. s. 3. p. 312.
Decimatertia conditio, vt sit accelerata. sect. 3. p. 319.
Decimaquarta conditio, vt sit fortis. sect. 3. p. 324.
Decimaquinta conditio, vt sit accusans. sect. 3. p. 326.
Decimasexta conditio, vt sit parere parata. sect. 3. pag. 328.
An possint cogi regulares, vt in quolibet mense pluries confiteantur. sect. 3. art. 1. pag. 334.
An si Religiosus non habeat nisi venialia, possit cogi, vt illa confiteatur. sect. 3. art. 2. p. 342.
An Religiosus non habens neque venialia pro tempore Confessionis, teneatur confiteri: & si confiteatur, quid faciet. sect. 3. art. 3 p. 347.
An pœnitens non habens nisi venialia, possit confiteri cuilibet Sacerdoti. sect. 3. art. 4. p. 354.

An

An pœnitens in peccato mortali, adimplens pœnitentiam à Confessario sibi impositam, satisfaciat. sect. 3. art. 5. pag. 356.
An pœnitens sumendo indulgentiam, teneatur exequi opera pœnalia sibi à Confessario aliàs imposita. sect. 3. art. 6. pag. 359.
An peccare cum spe veniæ, aggrauet peccatum. sect. 3. art. 7. pag. 360.
An liceat pœnitenti manifestare personam complicis, in confessione. sect. 3. art. 8. pag. 364.
An liceat Confessario interrogare de Complice, in confessione. sect. 3. art. 9. pag. 368.
An regularis, casu reseruato innodatus in sua prouincia, si pergit in aliam, possit à prouinciali illius prouinciæ absolui. sect. 3. art. 10. pag. 371.
An religiosi itinerantes possint se simul confiteri. sect. 3. art. 11. pag. 374.
An pœnitens habita opportunitate Pronincialis, aut Generalis, non se præsentans peccet: & an teneatur denuò se præsentare. sect. 3. art. 12. pag. 376.
An liceat regularibus indifferenter se confiteri extra suum ordinem. sect. 3. art. 13. pag. 380.
An regulares possint accipere Bullam Cruciatæ, & per eam absolui à reseruatis. sect. 3. art. 14. p. 384.
An regulares, tempore Iubilæi plenissimi, possint confiteri extra suum Ordinem, & absolui. sect. 3. art. 15. pag. 388.
An quando datur facultas tempore Iubilæi, vt religiosi possint eligere sibi Confessarium ab ordinario approbatum; sufficiat quòd Confessarius sit approbatus à prælatis ordinis. sect. 3. art. 16. pag. 393.
An tempore Iubilæi absolutus à censuris, & reseruatis, non adimplens omnia, quæ diploma præcipit,

cipit, sit absolutus, nécne. sect.3.art.17.p.394.
An nouitij teneantur se præsentare pro casibus reseruatis.sect.3.art.18. pag.398.
An religiosi iuuenes teneantur confiteri Superiori: an verò & ipsi gaudeant facultate data omnibus à Clem. VIII. vt sit in eorum libertate id facere, nécne.sect.3.art.19.p.405.
An religiosi subditi ad libitum possint mutare Confessarium absque licentia Superiorum. sect.3.art. 20. pag.406.
An subditi possint impediri à Superiore, ne mutent Confessarium ad libitum: & mutando nihilominùs Confessarium, an teneat data absolutio.sect. 3.art.21.pag.410.

ELENCHVS PARAGRAPHORVM, ET CASVVM, QVI IN SECVNDA HVIVS OPERIS Parte explicantur.

Prior numerus casum: posterior paginam indigitat.

DE veneficiis, incantationibus, & sortilegiis. cas.1. pag.425.
Apostasia à religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra sepia Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. cas.2.p.446.
Epistola diui Bernardi. cas.2. pag.465.
Instructio de iis, ad quæ tenetur eiectus à religione. cas.2. pag.468.
Nocturna è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam

etiam non animo apostatandi facta. cas.3. p.472.
Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. cas. 4.pag.504.
Iuramentum falsum in iudicio regulari,& legitimo, cas.5.num.523.
Constitutio Pauli V. cas.5.pag.525.
De denuntiatione. cas.5.pag.531.
De inquisitione. cas.5.pag.542.
De inquisitione particulari. cas.5. pag.445.
De accusatione. cas.5.pag.556.
De testibus. cas.5 pag.565.
De Reo. cas.5. pag.583.
De rei obedientia. cas.5. pag.603.
De rei defensione. cas.5. pag.607.
Capita defensionum. cas.5. pag.608.
1. Quòd non constet de corpore delicti. cas.5. §.1. pag.609.
2. Quòd tale delictum non poterat ab eo committi. cas.5.§.2. pag.614.
3. Quòd reus est innocens à delicto.cas.5.§.3.p.617
4. De exceptionibus cõtra iudicem.cas.5.§.4.p.621.
5. De exceptionibus contra testes. cas.5.§.5.p.643.
6. De exceptionibus contra processum. cas.5. §.6. pag.65.
7. De exceptionibus contra propriam Confessionem.cas.5.§.7.pag.680.
8. De exceptionibus contra sententiam. cas.5. §.8. pag.695.
9. De exceptionibus contra delictum confessum. cas.5. §.9.pag.711.
10. De vltima rei defensione. cas.5. §.10.pag.721.
Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto. cas.6. pag.636.

Falsi

Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conuentus. cas.7. pag.742.
Furtum de rebus Monasterij, aut Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatũ mortale. cas.8.p.744.
Lapsus carnis voluntarius. cas.9.pag.760.
Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscunque personæ. cas.10.pag.791.
Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores, missarum. cas.11.pag.808.
Explicatio Bullæ in Cœna Domini à Gregorio XV. anno 1621. promulgatæ.pag.817.

TEXTVS BVLLÆ.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam, &c. pag. 844.

Sequuntur excommunicationes.

I. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, &c.pag.846.
II. Item excommunicamus, &c. omnes, & singulos, cuiuscumque gradus, seu conditionis fuerint, Vniuersitates, &c. pag.861.
III. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursores, ac latrunculos,&c. pag.886.
IV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes,& singulos,qui Christianorum quorumcunque nauibus,&c. pag.889.
V. Item excommunicamus,& anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia,&c. pag.894.

Item

VI. Item excommunicamus,& anathematizamus falsarios literarum, &c. pag.897.
VII. Item excommunicamus,& anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos,&c.pag.901.
VIII. Item excommunicamus, &c. omnes impedientes, seu iuuadentes eos, qui victualia, &c. pag.905.
IX. Item excommunicamus,&c. omnes illos, qui ad Sedem Apostolicã venientes,&c.p.906.
X. Item excommunicamus, &c. omnes interficientes, & mutilantes,&c.pag.907.
XI. Item excommunicamus,&c. omnes mutilantes,vulnerantes,percutientes,&c.pag.908.
XII. Item excommunicamus,&c. omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares, &c. pag. 916.
XIII. Item excommunicamus, &c. tam Ecclesiasticos, quàm sæculares cuiuscunque dignitatis, &c. pag. 918.
XIV. Item excommunicamus,&c. omnes & singulos,qui per se,vel per alios auctoritate propria,&c. pag.922.
XV. Quíve ex eorum prætenso officio vel ad instantiam partis, aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas,Capitula,Conuentus, Collegia,&c. pag.930.
XVI. Nécnon qui Archiepiscopos, Episcopos,alióque superiores, & inferiores prælatos, & omnes alios quoscunque iudices, &c. pag. 939.
XVII. Quíve iurisdictiones, seu fructus,reditus, & prouentus ad nos,& sedem Apostolicam,& quascũq; Ecclesiasticas personas,&c. p.946.

Quíve

XVIII. Quíve collectas, decimas, tallias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis, &c. pag 947.

XIX. Item excommunicamus, &c. omnes, & quoscunque magistratus,& iudices,notarios, scribas, executores, subexecutores quomodolibet, &c pag.953.

XX. Item excommunicamus, &c. omnes illos, qui per se, seu per alios directè,vel indirectè sub quocunqne titulo, vel colore, inuadere,&c.pag 956.

XXI. Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem:nisi in mortis articulo constitutus: nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, &c.pag.957.

De absolutione à casibus Bullæ in Cœna Domini pag.959.

PRIMÆ

PRIMÆ PARTIS SECTIO PRIMA.

In qua tractatur de pertinentibus ad Prælatos, continens articulos 25.

ARTICVLVS I.

An Prælati possint sibi reseruare casus?

SVMMARIVM.

1 *Confessio instituta est à Christo tanquàm forum.*
2 *Confessio est de iure diuino.*
3 *Confessio quando instituta.*
4 *Confessio tanquàm forum quoddam est.*
5 *Sacerdotes in confessione Iudices sunt arbitrarij.*
6 *Potestatẽ reseruãdi casus esse in Ecclesia,de fide est.*
7 *Casus reseruandi vsus.*
8 *Casus reseruandi rationes: & negans facultatem reseruandi casus in Ecclesia,hæreticus est.*

1 RESPONDEO, quòd pro fundamento dicendorum tam in hoc articulo, quàm in sequentibus, præsupponi debet, quòd confessio instituta est à Domino nostro Iesu Christo,tanquàm forum quoddam, in quo causæ peccatorum discuterentur, & terminarentur per

Confessio à Christo instituta est tanquam forum.

Sacerdotes, qui fori pœnitentialis sunt Iudices: rei sunt peccatores: processus, & merita causæ in conscientiis hominum leguntur: & vltima sententia est illa; *Ego te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.*

Cõfessio est de iure diuino.

2 Confessio igitur est de iure diuino, quod patet; quia ea, quæ sunt iuris humani, reperiuntur initium habuisse ex Concilij alicuius œcumenici, aut summi Pontificis Decreto: at cõfessio peccatorum fuit in Ecclesia ante omnia Conciliorum, Pontificúmve Decreta, vt patet ex Irenæo *lib.1.cap.9.* ex Tertull. *in Apolog.cap.4.* & Orig. *hom.2.in Leuit.* qui non solùm primi Generalis Concilio Nicæni videlicet tempora anteceſſerunt; sed etiam omnium aliorum Conciliorum, omniúmque Pontificum Romanorum, qui de sacramentali confessione sanctionem aliquam ediderunt.

Confessionẽ de iure diuino esse, efficaci argumento probatur.

Quòd cùm multis probari possit; sicut faciunt illi, qui aduersus hæreses scribunt, vt Pater à Castro, Bellarminus, Thomas Valdens. & alij: vnicum tamen argumentum validissimum adducam: nempe, si de iure diuino non fuisset instituta confessio, quî fieri posset, vt Principes, Regésq; potentissimi cogerẽtur, Sacerdotibus, qui & ipsi homines sunt, peccata sua omnia detegere; quãuis arcana, quamuis turpia, quamuis pudenda, quamuis horrorem, etiam ipsi confitenti adferentia, & eorundem Sacerdotum iudicio stare, ac mulctam ab illis iniunctam subire? Tanta res est hæc, vt nullo modo credibile sit, aut Ecclesiæ Præsides ausuros fuisse legem huiuscemodi ferre, aut populis persuaderi potuisse, vt eiusmodi legem acciperent, & tot iam sæculis obseruarent, nisi diuinum imperium, diuina institutio, diuina promissio accessissent. Igitur diuina

uina fuit auctoritas, quæ ad obedientiam in confessione facienda populorum animos inclinauit: diuina promissio, quæ eosdem, vt libenter ad confessionem accederent, inuitauit.

Confessio quando instituta fuit.

3 Si quæras, quando confessio instituta sit: dicam, quòd tunc; quando *Ioannis vigesimo* dictum est Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

Iam anteà fecerat soli Petro promissionem de clauibus, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum; quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis, & quodcunque ligaueris, erit ligatum.* Vbi nomine, *clauium*, intelligitur vera potestas ex auctoritate absoluendi: nam claues non solent fieri, vel dari ad significandum ostium esse clausum, vel apertum: sed ad aperiendum, vel claudendum re ipsa: & prętereà claues dari solent magistratibus in signum potestatis. Vnde in Apocalyps. 3. dicitur de Christo; *Qui habet clauem Dauid: aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:* vbi per *clauem* omnes intelligunt veram, & propriè dictã potestatem, qua possit Christus ex auctoritate iudiciaria absoluere, & ligare: quare, cùm easdem claues Christus cum Apostolis, corúmque successoribus communicauerit, veram potestatem ex auctoritate iudiciaria soluendi, & ligandi cum illis communicauit. Igitur quod anteà promiserat Petro: & *in cap. 18. apud Matth.* eandem promisit omnibus, seu prædictionem fecit quandam eius potestatis, quam Apostoli, & eorum successores accepturi erant: cum illis verbis: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueritis, erunt soluta & in cœlis*, apud D. Ioannem posteà receperunt. Matth. 16. Apoc. 3. Matth. 18.

Quod autem verba Christi apud Ioannem sic intelligi debeant,& non de auctoritate prædicandi Euangelium,quo peccata dimittuntur,determinatum est in Concil.Trident. *sess.*14.*can.*3. his verbis: Cõc.Trid. *Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris: Accipite Spiritum sanctum,quorum remiseritis peccata,remittuntur eis:& quorum retinueritis,retenta sunt,non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit:detorserit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema sit.* Ex quibus verbis Theologi communiter rectè deducunt,futuram confessionem distinctam peccatorum:non enim remittit Sacerdos,nisi quæ cognoscit: oportet ergo ei manifestare illa, quorum remissionem consequi optamus: & insuper, si quæ non sunt remittenda,eius sit arbitrio.

Præterea,dicit Christus, *Quorum remiseritis peccata,* & non dicit: *Quæ peccata remiseritis:* quia non tantũ peccata respicere oportet,sed personas etiam: necesse est enim, qui remissionem consequuturi sunt,accedant dispositi cum dolore commissorum, cum firmo proposito in futurum cauendi; cum fide,& spe Christiana:vnde fit,vt eadem peccata aliquibus remitti debeant:aliis verò minimè.

Confessio tanquam forum est.

4 Quòd etiam confessio instituta sit tanquam Forvm, in quo Sacerdotes iudices sunt, habet hoc D. August. *lib.*20.*de ciuit. Dei, cap.*9. vbi explicans illud Apoc.*Et vidi sedes,& sedentes super eas, & iudicium datum est eis:*ita loquitur. Non hoc putandum est de vltimo Iudicio dici: sed sedes Præpositorum,& ipsi Præpositi intelligendi sunt,per quos Ecclesia nunc gubernatur.Iudicium autem datum, nullum melius accipiẽdum videtur,quàm id,quod dictum

dictum est: *Quæ ligaueritis in terra: ligata erunt in cœlo.* Vnde Apostolus: *Quid enim mihi est,* inquit, *de his, qui foris sunt, iudicare? nónne de his, qui intus sunt,vos iudicatis?* & D.Gregor.*homil.*20.*in Euangel.* Gregor. exponens illa verba; *Quorum remiseritis,* inquit, Principatum superni Iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Quod conformiter etiam dixit D.Chryso- Chrysost. stomus *lib.*3.*de Sacerd.* in his verbis; *Pater omnifariam filio potestatem dedit.* Cæterùm, video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam: nam quasi iam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi,atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad Principatum istum perducti sunt. Habet hoc clariùs Concil. Tridentin. *in* Cõc. Tri- *sess.*14. *cap.*5. sic dicens; *Christus è terris ascensurus* dent. *ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides, Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur,in quæ Christi fideles ceciderint; quò pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.*

Sacerdotes in Confessione Iudices arbitrarij.

5 Benè verum est, quòd Sacerdotes in tali tribunali sedentes Iudices sunt arbitrarij: vt rectè sentit Scotus qui sine causa à Soto reprehenditur *in* 4.*dist.*18.*q.*1.*art.*1. quasi Scotus asserat illos non esse Iudices ordinarios,& delegatos.Sunt enim Sacerdotes verè Iudices aut ordinarij, aut delegati à supremo Iudice: hoc omnes Doctores communiter tenent: quin & ipse Scotus id non negat:sed quando dicit, quòd sunt arbitrarij, non vult dicere,quòd sunt arbitri: ideſt, iurisdictionem habentes ex conuentione partium: sed quia in arbitrio eorum posita est auctoritas soluendi,& ligandi, & pœnitentias imponendi. Sic eas vocat Concilium Scotus.

Cõc. Vormacienſe.

Vormacienſe, *cap.25.Pœnitentibus*, inquit, *ſecundùm differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur.* Debet igitur Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem, quoque modúmque culparum; & affectus, gemitúſque delinquentium diligenter examinare, manifeſtéque cognoſcere, temporum etiam, ac perſonarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inſpicere; vt pro conſideratione locorum, ætatum, vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum vniuſcuiuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos non deflectat. Idem

Hilarius.

quoque ſanctus Hilarius *can. 16. in Matth.* in his verbis: O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cœlo: vt quæ in terris, aut ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem

Leo Papa.

conditionem obtineant, & in cœlo. Et ſanctus Leo Papa explicans eadem verba. *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, &c.* dicit. In ſoluendis, aut ligandis quorumcumque cauſis, aliud non eſt ratum in cœlo, quàm quod Petro ſediſſet arbitrio. Sic quoque eos vocat Nauar.

Nauarr.

in cap. quem pœnitet, n.7. & in Manual. cap.26. num.27. Itaque ſi Scotus aſſeruit, Confeſſarios eſſe Iudices arbitrarios, aſſeruit id, quod dicunt Concilia, & Patres: non ergo debuit Sotus ſic eum carpere abſque vllo fundamento.

Sotus redarguitur.

Poteſtatem reſeruandi caſus eſſe in Eccleſia de fide eſt.

6 Quibus ſic prælibatis, dico ad quæſitum, quòd Prælati poſſunt ſibi reſeruare caſus. Nam de fide eſt, in Dei Eccleſia eſſe poteſtatem reſeruandi aliqua peccata, etiam quoad forum interius, non tantùm ſummo Paſtori Romano Pontifici: ſed etiam inferioribus Prælatis, Epiſcopali, vel quaſi iuriſdictio

iuriſdictione potientibus. Quòd tùm auctoritate, tùm ratione, & vſu probari poteſt. Primò ex *cap. latorem.33. q.2.* vbi quidam matricida à Ratholdo Argentoratenſis Eccleſiæ Epiſcopo ad Pontificem Nicolaum, vt ab ipſo abſolueretur, miſſus eſt. Et in *cap.vlt.26.quæſt.6.* habetur, vt Præsbyter pœnitentem alicuius grauis criminis reum, inconſulto Epiſcopo, non abſoluat. Patet etiam ex multis aliis iuris Canonici locis, in quibus expreſsè fit mentio caſuum reſeruatorum: vt in *cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. remiſſ. in 6. extrauagant. & ſi Dominici, eod. tit. extrauag. inter cunctos, de priuileg. Clem.1. eod. tit.* Et elicitur ex verbis Chriſti *Io.20. Quorum retinueritis, retenta ſunt.* Retinere enim quid eſt, niſi nolle remittere? Vnde in Concil. Carthagin. *can.31.* dicitur: Vt pœnitentibus ſecundùm peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. Et idem canon repetitus inuenitur in Conc. Africáno *can.10.* Et denique determinatum eſt in Concil. Trident. *ſeſſ.14. cap.7.* cuius hæc ſunt verba; *Magnopere verò ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis: ſed à ſummis duntaxat, Sacerdotibus abſoluerentur. Vnde meritò Pontifices maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores, ſuo poterunt peculiari iudicio reſeruare.* Et in ead. *ſeſſ. can.11.* ſic habetur; *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam: atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quominùs Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit.*

Prætereà vſu in Chriſtiana Republica hoc ſemper cuſtoditum eſt, vita vt illud Iuriſtarum axioma locum habeat: fideliſſimæ vetuſtatis mos retinen-

dus est: quia pro magno teste vetustas creditur. *l. More ff. de iurisdict. omn. iudic. l. testamentum. C. de testamento.* Et quod excellit antiquitate, veneratione habet. D. Basil. *orat. 1. de ieiunio.*

Casus reseruãdi vsus.

7 De hoc vsu reseruãdi casus testantur passim, & communiter Theologi: præsertim D. Bonauent. D. Thom. *in 4. dist. 18.* & ibi Sot. *art. 5. q. 2.* Antonin. *part. 3. tit. 17. cap. 11.* Suar. *tom. 4. disput. 29. sect. 1.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 10. puncto 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 14.* Reginald. *in praxi fori pœnitentialis q. 1. lib. 1. cap. 11.* Rodriquez *in qq. regular. tom. 1. q. 2.* ex quibus omnibus sequitur;

Primò, quòd Pontifex possit sibi reseruare casus respectu omnium, siue sint Episcopi, siue alij quicumque Prælati: quod est certum de fide ex vsu Ecclesiæ, & ex suprema potestate summi Pontificis. Et ratio est: quia omnis iurisdictio, quæ in Ecclesia est, tàm ordinaria quàm delegata, manat à summo Pontifice. Hinc ad talem potestatem designandam semper pallio vtitur, *cap. ad honorem de auctorit. & vsu pallij.* Pontifex ergo Max. pro suprema sibi à Christo data iurisdictione grauiores culpas reseruare potest suo iudicio. Sic olim matricidam Episcopus misit ad Papam, vt dictum est. & D. Antoninus *vbi suprà cap. 2.* refert, quòd grauissima crimina olim reseruabantur Papæ etiã absque excommunicatione. Sed hodie de facto nullam reseruat Papa pro foro conscientiæ, nisi ratione excommunicationis latæ ab homine, vel à iure, aut in Bulla Cœnæ Domini, quæ variis annotationibus illustrata in fine huius operis adiicietur.

Secundò, sequitur posse Episcopum respectu Parochorum sibi subditorum reseruare casus. Hoc constat ex vsu Ecclesiæ, & ex Concil. Trident. vbi suprà,

suprà, & patet per text. iuxta glos. *in cap. 2. de pœnit. in 6.* & in extrau. *& si Dominici el primo.* Et qui oppositum vellet tenere, esset hæreticus: vt definitur per Conc. Trid. relatum à Nauar. *in c. 27. n. 254.*

Sequitur deinde, delegatos posse etiamnum facere: sed iuxta tenorem delegationis eis datæ, & non ad libitum: ratio est; quia iurisdictio necessaria in sacramento Pœnitentiæ manat à superioribus Prælatis ad inferiores ministros: & ideò potest iuxta illorum arbitrium esse magis, & minus limitata. Vnde generaliter, hæc potestas; delegandi scilicet, est in his, qui habent ordinariam iurisdictionem: & cùm delegatio sit voluntaria, sicut potest omnino non fieri: ita etiam potest tantum ex parte fieri: id est, circa quasdam causas, & non circa alias, quæ proinde reseruatæ manent. Ille enim, cui delegatur iurisdictio, ex se non habet ius ad illas, & ab alio liberè datur: vnde fit, vt maior, & minor possit dari voluntariè.

Casus reseruãdi rationes.

8 Meritò autem prædicta casuum reseruatio visa est Pastoribus Ecclesiæ expedire: sicut dicit Concil. Trident. *vbi suprà:* quia ad Episcopos, & ad eos, qui quasi Episcopalem iurisdictionem habent, pertinet populi delicta corrigere. Nam tria sunt potissimùm eorum munia. Primò super gregem sibi commissum inuigilare: quòd significant leones, qui in ædium sacrarum vestibulis effingi solent. Secundò, populi vitia, & peccata resecare, *cap. irrefragabili, 1. extrau. de off. ordin.* & tradit Baron. *tom. 7. Annal. anno* 588. Tertiò illum verbo, & exemplo ædificare, & pascere, *c. inter cætera, extr. eod. tit.* D. Antonin. *3. p. tit. 19. cap. 11.* Ex quo fit, vt talia delicta à Prælatis meliùs corrigantur, & ad emendationem subditi iuuentur. Tùm propter pœnitentiam in-

iungendam: tùm propter confitentis directionem: tùm vt meliùs corrigi possint: tùm præsertim, vt acriori metu correcti homines ab huiusmodi sceleribus arceantur: vt dicit Sotus *in 4. distinct. 18. q. 2. art. 5.* saltem propter difficultatem obtinendi absolutionem; & hoc fræno in Christiano officio se contineant, cùm metuant subire examen Episcoporum, Regularium Antistitum, & aliorum grauium Iudicum; quos sciunt, non nisi maturo iudicio, illorum crimina expensuros, & non nisi rescissis occasionibus, condignáque indicta pœna beneficium absolutionis impensuros. Quandoquidem euenire solet, vt quod à quolibet absolui potest, pro nihilo ducatur, & faciliùs admittatur; cùm facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, *cap. clericorum, extr. de vita, & honest. cleric. cap. est iniusta, 23. q. 4.* & vbi timor, ibi & pudor.

Reseruantur etiam casus, ob imperitiam Sacerdotum inferiorum, propter quam in arduis causis volunt meritò superiores ad ipsos haberi recursus, *cap. omnis, de pœnit. & remiss.* Nam sicut in foro iudicij maiores causæ, maiores requirunt Iudices, *extr. de appell. cap. vt debitus, in fin. extr. de baptism. cap. maiores, in fin.* Sic in foro animæ maiora peccata, maiores Iudices requirunt, gloss. *in extrauag. 1. de pœnit. & remiss.* Item quia sunt quidam, quos non odium criminis: sed timor infamię, amissio proprij gradus, accessum ad pœnitentiam arcebant: & vt superiores sui tales cognoscant in propria persona, volunt audire eorum confessiones: vt magis grauentur, & ipsi cognoscant quanta fides eis super illa contritione sit adhibenda, *cap. ponderet. dist. 50.* facit: quia Prælatis dicitur Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera?* vt Gemin. *in cap. si*

Prou. 27.

si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6. & qui oppositum teneret, esset hæreticus; vt habetur per Conc. Trid. *vbi supr. can. 11.* vide etiam Nauarr. *in Manu. c. 27. num. 254.* Et ita extat mos Ecclesiæ vniuersalis.

Negans facultatẽ reseruãdi casus in Ecclesia, hæreticus est.

ARTICVLVS II.

Quo iure Prælati Regulares possint sibi reseruare casus respectu suorum subditorum.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares reseruant sibi casus eodem iure, quo Episcopi.*
2 *Prælati Regulares in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem.*
3 *Prælati Regulares possũt excõmunicare suos subditos.*
4 *Prælati Regulares non omnia possunt in suos subditos, quæ Episcopi in suos.*
5 *Prælati Regulares possunt ex priuilegio, quæ non possunt de iure.*

1 RESP. quòd eodem iure, quo Episcopi, cùm ex vsu Ecclesiæ, tum ex Concil. Triden. tum ex Decreto Clement. VIII. vt dictum est in primo articulo ibi, *secundò sequitur.*

2 Ratio est, quia Prælati Regulares habẽt circa suos subditos iurisdictionem, quasi Episcopalem, iuxta gl. receptam, & à quibusdam reputatam singularem, *in Clem. 1.* in verbo, proprij, *de reb. Eccl. non alien.* quam Cardinalis ibid. *q. 34.* cõmendat, dicens, eam seruari de cõsuetudine, & quòd ipse fecit eam frequenter obseruari: & per illam gl. putatam singul. dixit Abbas *in c. 1. de reb. Eccl. non alie. col. 1.* quòd huiusmodi Prelati exempti, qui habent iurisdictionem

Prælati Religionũ circa suos subditos habent iurisdictionẽ quasi Episcopalem. Cardin. Abbas.

nem quasi Episcopalem, possunt exercere in suos subditos, ea quæ Episcopi in suos.

Nauarr. *Prælati Regulariũ excõmunicare possũt suos subditos.*

3 Vide Nauarr. *lib.5.consil.de regul.consil.23.* qui etiam ait, posse Prælatos Regularium excommunicare iure communi suos subditos. *c.transmissam, & c.suffraganeis, de elect. & c.cùm ab Ecclesiarũ, de off.ord.*

Suarez. Suarez quoque *in 4.tom.disp.30. sect.2.n.5.* ait; De inferioribus autem Prælatis iurisdictionem Episcopalem habentibus; vt sunt Abbates exempti, & similes. Et in *num.6.* refert verba Congregationis Cardinalium. Sed in hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem: sed tantùm Episcopi: & *num.7.* ait idem esse tenendum de Prælatis Regularium respectu suorum subditorum; quia non sunt Episcopi, licèt in eos habeant iurisdictionem quasi Episcopalem. & *in disp.55 sect.5.in princip.* ait, quòd Generales, & Prouinciales videntur habere plenariam iurisdictionem Episcopalem in suos subditos.

Rodriq. Idem etiam fatetur Rodriquez *in sua sum.tom.1. cap.29.num.3.* scilicet, quòd Generales, & Prouinciales, qui habent iurisdictionẽ quasi Episcopalem, aut quasi Episcopalem, habent eandem iurisdictionem, & potestatem in subditos, quàm Episcopi in suos, cùm sint æquales in posse: & citat Panorm. *in cap.etsi clerici, §.de adulteriis, n.13. de iudic.* Quod adeò existimat verum Rodriquez, vt *in tom.1.qq.regular.* dicat; sicut hæreticantur, dicentes, Episcopos non posse sibi reseruare casus in foro interiori; ita etiam hæreticare videntur negantes istam authoritatem Prælatis Regularium. Quæ omnia retulimus propter eos, qui vel negant, vel dubitant de hac iurisdictione quasi Episcopali Prælatorum Regularium in subditos suos.

Panorm.

4 Hìc

4 Hìc verò notandum, quòd Toletus *in sua summa, lib.1.c.89.* dicit, quòd, etsi Prælati Religionum habeant iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos; non possunt tamen omnia in suos, quæ possunt Episcopi. Namque Concil. Trident. *sess.24.cap.6.* dat facultatem Episcopis, vt in irregularitatibus, ex occultis delictis prouenientibus, possint dispensare. Hæc tamen facultas sic facta Episcopis non competit Abbatibus, nec Prælatis Religiosorum ex sententia Congregationis super Concilium: & dat rationem, quia quamuis in suos subditos habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, non sunt tamen Episcopi. Toletus.

Prælati Regul. multa possunt ex priuilegio, quæ nõ possunt de iure communi.

5 Quod dictum intelligi debet de iure communi: nam aliàs ex priuilegio habent facultatem Prælati Regularium dispensandi suos ab irregularitatibus ex occultis delictis prouenientibus. Vnde Martinus Quintus concessit, quòd Prior Monasterij S. Benedicti Vallesoleti in foro conscientiæ possit absoluere Monachos ab omni excommunicationis sententia, etiamsi talis esset, quam ipse summus Pontifex reseruare consueuit: & cùm eis super irregularitatem etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reseruat (in morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) valeat dispensare: dum tamen aliquod horum trium non sit notorium.

Compend. priuilegiorum.

Simile priuilegium concessum est à Iulio II. ordini Prædicatorum: vt refertur *in Compendio Priuilegiorum Societatis Iesu*, verbo, *dispensatio.§.1.fol.83.* & in *Compend.priuil.D.Hier.Hispaniæ.*

Circa quam concessionem notat Collector priuilegiorum mendicantium verbo, *Absolutio ordinaria quoad fratres, §.40.* quòd licèt primò facta sit

soli

soli Abbati, seu Priori Monasterij sancti Benedicti Vallesoleti: postea tamen siue extensa, siue communicata fuit omnibus Prioribus, vel Abbatibus aliorum Monasteriorum. Et Sixtus IV. concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Minorum, & Prædicatorum, vt possint dispensare cum suis subditis in omni irregularitate, excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum; prout patet ex libro, *Monumenta Ordinum, in prima impress. fol.61. & in 2.impress.fol.144.concess.251.fol.240 concess.575.* Et Clem. IV. concessit, quòd Magister Ordinis, Prouinciales, Conuëtuales, atque eorum vices gerentes in Conuentibus possint dispensare cum fratribus sibi commissis: necnon cum fratribus sui Ordinis, ad eos declinantibus vndecumque, in Irregularitate, quam contraxerunt, antequàm, vel postquam Ordinem intrauerunt, ex eo quòd excommunicati, vel suspensi, vel interdicti celebrauerunt: vel si sic ligati, Ordines susceperunt: vide Monumenta Ordinum *in prima impress. fol.127. & in 2. fol.140. concess.318.* Qui similiter concessit, quòd fratres, quos Generales, & Prouinciales Ministri, & eorum Vicarij, ac Custodes in proprios habuerint confessores, possint eis absolutionis, & dispensationis beneficium impertiri. Hoc Priuilegium habetur authenticum *in Mari magno Prædicatorum fol.236.* Vide latè de hac re, quæ habet Rodriquez, *t.1.qq.regul.q.24.per totum.*

Monumenta Ordinii.

Mare magnum.

Rodriq.

ARTI

ARTICVLVS III.

An iurisdictio prædicta competat Prælatis Regularibus, iure diuino, vel humano?

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares secundùm aliquos, iure humano habent in suos iurisdictionem.*
2 *Prælati Regulares secundùm aliquos iure diuino habent potestatem reseruandi sibi casus.*
3 *Papa potest limitare iurisdictionem Ordinariorum.*
4 *Prælati omnes possunt sibi reseruare personas, tempus, & crimen.*

1 RESP. Quòd Rodriquez *in 1. tom. qq. regul. q.17.art.2.* tenet, quòd iure humano Papali id eis conuenit: nam ad solum summum Pontificem spectat veram Religionem approbare: vt ostendunt doctissimi Theologi; & tradit luculentissimè Bannes *in 2.2. quæst. 1. art.1. dub.8. concl.2.* quia si summus Pontifex auctoritatem habet, circa statum Episcoporum, diuidendo Episcopatus, ipsósque Episcopos certis legibus, & conditionibus continendo, & gubernando; multò magis potestatem habet circa statum Religionis inferiorem statu Episcoporum: vt eius substantiam, quæ in tribus essentialibus votis consistit, ad differentes fines proximos destinet; atque ita distinctos Ordines faciat, conuenientiáque media vnicuique Ordini constituat proprio fini proportionata. Atque ita huiusmodi potestas ad summum Pontificem spectat, vt nullus in Ecclesia possit nouum Ordinem

Papa solus veram Religionē approbat.

Nemo nouum Ordinẽ in Ecclesia instituit absque summi Pontif. licentia.

Ordinem instituere, absque summi Pontificis consensu, & confirmatione. Et hinc sequitur, quòd quando summus Pontifex aliquam Religionem confirmat, eo ipso tribuat potestatem Prælatis illius Religionis ad eam gubernandam: vt probat Bannes *vbi suprà in concluſ.6.*

Potestas reseruãdi casus competit Prælatis iure diuino.

2 Alij verò peritissimi Theologi addunt, quòd etiam iure diuino conueniat potestas iurisdictionis in foro exteriori Prælatis Religionum. Hanc opinionem Medina *in lib. de Indulg. cap.* 24. ait, grauissimos auctores docuisse: nullos tamen refert: sed possunt citari Sotus *lib.* 8. *de iust. & iur. q.* 5. *art.* 1. Rodriquez, Bannes, *vbi suprà*, Suarez *in* 4. *tom. disput.* 30. & alij: sed probatur.

Medina. Sotus. Rodriq. Suarez.

Primò; quia potestas iurisdictionis, quæ data est Ecclesiæ in illis verbis Matth. 18. *Dic Ecclesiæ. & si Ecclesiam non audierit, &c.* est potestas Prælatorum; nam per, *Ecclesiam*, eo loco intelliguntur Prælati secundùm communem interpretationem: præsertim verò Chrysostomi. At Præfecti Religionum sunt verè Prælati: vt visum est in præcedenti articulo: ergo iure diuino habent potestatem, & iurisdictionem.

Matt. 18.

Chrysost.

Secundò, quando Christus dixit Matth. 18. *Quæcumque solueritis, &c.* non solùm loquutus est cum Apostolis: sed etiam cum omnibus Prælatis: vt doctissimus Roffensis ait, *in ar. 9. cont. Lutherum*; tradens illis iurisdictionem in vtroque foro: vt insinuat Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. vel in foro exteriori tantùm: vt asserit Turrecremata *lib.* 2. *c.* 77. ergo cùm Præfecti Religionum sint Prælati, illis data est potestas iurisdictionis iure diuino.

Matt. 18.

Roffensis.

Sotus.

Turrecremata.

Tertiò, Episcopi habent potestatem iurisdictionis extra sacramentum immediatè à iure diuino, vt

vt probant Victoria *de potest. Ecclesiæ quæst.* 2. *n.* 28. Castro *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit. cap.* 24. & contra hæreticos, verbo, *Episcopus.* & Sotus *lib.* 10. *de iust. & iur. quæst.* 1. *art.* 4. sed Præfecti Religionum Generales, & Prouinciales sunt similes quoad iurisdictionem ipsis Episcopis, vt in præcedenti articulo probatum est; ergo Prælati Religionum habent suam potestatem immediatè à Christo sicut & illi.

Victoria. Castro. Sotus.

Papa potest limitare iurisdictionem Ordinariorum.

3 Hoc benè verum est, quòd sicut summus Pontifex potest tradere huic, vel illi talem, vel talem Ecclesiam, super quam iurisdictionem suam exerceat: ita pariter potest cum causa ab hoc, vel ab illo Ecclesiam talem, vel talem subtrahere, & alium substituere: quoniam Pontifex Romanus est Episcopus, & Pastor totius Orbis, cuius ouile, sunt omnes Catholici: eius igitur est diuidere oues, & earum curam peculiaribus pastoribus committere, secundùm indigentiam spiritualis vtilitatis ipsarum ouium. Sed quidquid sit de hoc, certum est, quòd possunt Superiores Regulares sibi reseruare casus, siue potestatem habeant à iure diuino, siue à iure humano: & quoad hoc habent nostri superiores iurisdictionem quasi Episcopalem.

Notandum est autem, quòd Prælati omnes tam sæculares, quàm Regulares tria possunt sibi reseruare.

Prælati omnes possunt sibi reseruare tria, sc. personas, tempus, & crimina.

4 Primò, personas quasdam; putà campsores, & mercatores, & huiusmodi: quod, etsi non videatur in vsu, fieri nihilominùs potest, non tamen respectu Curatorum, cùm Curati sint Iudices Ordinarij fori interioris suorum Parochianorum: & rario est, quia ad effectum ligandi, atque soluendi, requiritur potestas clauium, quæ datur in reci-

piendo Ordinem: requiritur etiam materia debita, scilicet subditus, quæ habetur ex iurisdictione. Hæc autem iurisdictio, vel est ordinaria: & eo ipso, quo quis admissus est ad parochiale beneficium, effectus est Confessor, vt habetur *in Conc. Trid.* Vel est delegata, sicut ille, cui committit Episcopus hanc facultatem; quare sicut potest committere in totum: ita & illam limitare, vt scilicet audiat omnes, excepto tali genere personarum.

Cõc. Trident.

Secundò, possunt reseruare tempus, scilicet excipiendo aliquas festiuitates, vel dando eis delegationem ad tempus, ad annum nempe, ad semestre. Dixi, *Delegationem:* nam hîc non est sermo de Curatis, qui perpetuam habent auctoritatem, sed de Delegatis, quibus tempus limitari potest.

Tertiò, possunt, & debent Prælati reseruare sibi crimina quædam grauiora, & atrociora: & hoc, tam respectu delegatorũ, quàm etiam Curatorum, vt tenet Gloss. *in Clem. dudum. de sepult.* & Gloss. *in cap. 2, de pœnit. & remiss.* vbi Francus *num.* 10. dixit, quòd ordinaria potestas Sacerdotum Curatorum concessa eis, à iure communi, potest per Episcopum arctari, & restringi, quoad absolutionem: nam sicut secundùm ius naturæ, & diuinum periculosiores infirmitates doctiori, & peritiori Medico reseruandæ sunt ad curam: ita maiora, & atrociora crimina reseruanda sunt Episcopis.

Gloss. Francus.

ARTICVLVS IV.

An omnes Prælati Religionum possint sibi reseruare casus?

SVMMARIVM.

1 *Ante decretũ omnes Prælati poterant sibi reseruare casus: post decretum verò limitata est potestas quoad personas.*

2 *Et quoad casus.*

3 *An liceat reseruare casus alios ab his, qui in Decreto sunt positi?*

4 *An liceat reseruare casum aliquem pro vno conuentu, non pro alio.*

1 REspond. quòd ante Decretum Clemen. VIII. omnibus Prælatis, etiam Guardianis, id licitum erat, vt constat ex Alexandro 6. & pariter poterant ad libitum sibi reseruare casus: & in Regula S. P. nostri Francisci *in cap.* 7. præsupponitur, quòd Prælati id possint facere, cùm sint Prælati Ordinarij, qui de iure id possunt: & quantum ad qualitatem, & numerum reseruandarum culparum, libera eis datur facultas, cùm per Regulam nulla exceptio fiat. Ait enim: *Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerant, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos ministros Prouinciales; teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt, sine mora.* Igitur cùm nulla de hac casuum reseruandorum facultate, quoad numerum, & qualitatem ipsarum in ea fiat mentio: & fratribus omnibus mandetur, vt ad Ministros, sine mora, pro reseruatis recurrant; satis hanc reseruandi facultatem Ministros habere, supponit.

Ante Decretũ omnes Prælati Regul. poterãt sibi reseruare casus.

Post Decretum limitata est potestas.

Regula.

Nunc autem post Decretum Clem. VIII. limitata est facultas, & quoad personas reseruãtes, & quoad casus ipsos: nam quoad personas reseruantes, Guardiani simpliciter id non possunt: quia ante Decretum de iure, id non habebant: & post Decretum, apud eos remanet facultas reseruandi, apud quos

Guardiani post Decretum casus sibi reseruare nõ possunt.

quos ante Decretum de iure talis facultas erat: & quantum ad Generales, & Prouinciales, possunt primò omnes illos casus, vel aliquos, qui in Decreto assignantur, sibi reseruare: deinde verò, si alios reseruare voluerint, pro toto Ordine Generalis in Capitulo Generali, cum communi consensu vocalium, ibi congregatorum id faciat: sicut, & Prouincialis pro sua Prouincia cum eiusmodi vocalium consensu: Hæc sunt verba Decreti: *si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.*

Prælati Regul. possunt sibi reseruare casus in Decreto positos.

2 Quoad casus verò, etiam limitata est facultas: nam solùm illos possunt reseruare, quos posuit Decretum, vel omnes, vel aliquos, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Dubia.

3 Duo dubia hîc occurrunt dilucidanda: vnum est; An liceat reseruare casus alios à Decreto, etiam pertinentes ad materiam eorumdem casuum, vt putà in materia lapsus carnis, reseruare tactus impudicos, oscula, litterulas, munuscula, &c. Alterum est: An liceat reseruare aliquem casum pro vno Conuentu, & non pro alio.

Possũt etiã sibi reseruare alios casus de eadẽ materia alicuius casus positi in Decreto.

4 Ad primum dubium, respondeo quod sic: potest enim fieri reseruatio aliorum casuum, etiam in eadem materia. Sic enim fatetur Pater Sorbus sibi declaratum fuisse ab eodem Papa legislatore: vide in Compend. Priuileg. titulo, *Absolutio ordinaria, quoad fratres*: ibi, *Capuccini annotatio.*

Sorbus. *Compend. Priuil.*

Ad secundum dubium, respondeo cum Suarez, quòd si ad bonum regimen alicuius Monasterij, seu

Suarez.

seu Conuentus, expediret specialiter in eo aliquem casum reseruare, quod potest superior cum consensu maioris partis Capituli Prouincialis huiusmodi casum, vel casus reseruare: Nec Pontifex id prohibet, dum dicit *in Capitulo Generali pro toto ordine, & in Capitulo Prouinciali pro tota Prouincia:* quia ibi non præscribit summus Pontifex, vt peccatum necessariò reseruandum sit pro tota Religione, aut pro tota Prouincia: sed solùm ait: *si peccatum aliquod graue pro Religionis conseruatione, aut conscientiæ puritate, reseruandum videbitur.* Potest autem ad conscientiæ puritatem pertinere, vt in vno loco fiat reseruatio, quamuis non fiat in alio: vt verbi gratia, si locus fuerit expositus maioribus periculis, & ideò necessarium sit, aliquid in eo seuerius præcipi, & obseruari. Et idem dicendum de illis Regularibus, qui ex Regula prohibentur, ne in Monasterio comedant carnes extra infirmitatem, quòd, pro Religionis conseruatione, possunt superiores maiores talem casum sibi reseruare. Et idem dicendum de subornatione in electione. Benè verum est, quòd pro hoc determinando requiritur consensus Capituli Prouincialis, seu Generalis, quia summus Pontifex nec soli personæ alicuius superioris, nec soli Capitulo vnius domus, aut Conuentus hanc potestatẽ committit.

ARTICVLVS V.

An talis reseruatio possit fieri indifferenter de omnibus peccatis?

SVMMARIVM.

1 *Casuum reseruatio non potest fieri indifferenter.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 *Casuum reseruatio est medicina præseruatiua, & curatiua.*
3 *In reseruandis casibus quid attendendum.*
4 *Casus reseruatus debet esse certus, non dubius.*
5 *Confessarius dubitans quid faciet.*
6 *In casibus reseruandis proprietas vocabuli seruanda est, non extensio.*
7 *Casuum reseruatio debet fieri de actibus externis.*
8 *Peccata interiora reseruare, esset error, secundũ Sotũ.*
9 *Attentans, & consummans actum, non comprehenditur in casu reseruato.*
10 *Reseruatio fit tantũ de mortalibus, non de venialibus.*
11 *Prælati Regulares tenentur aliquando sub mortali corrigere peccata venialia subditorum.*
12 *De mortalibus grauioribus fit reseruatio.*
13 *Grauitas peccati ex multiplici capite consideratur.*
14 *Reseruatio casuum præuia discussione fieri debet.*

Casuũ reseruatio nõ potest fieri indifferenter.

1 REspondetur, quòd circa hoc, responsio simpliciter est negatiua: nam, quantum ad numerum casuum, seu quantum ad casus ipsos, non possunt reseruari, nisi illi, qui in Decreto ponuntur, vel omnes, vel aliqui prout magis expedire videbitur: & quantum ad circumstantias casuum qui reseruandi sunt, hæc erunt notanda.

Reseruatio casuum est medicina præseruatiua, & curatiua.

2 Primò, quòd reseruatio est medicina quędam, tum pro Religione, tum pro Religioso: & pro Religione, est medicina præseruatiua: nam multi, si non virtutis amore, saltem ex hoc retardantur, ne talia peccata committant, quia scilicet sunt reseruata: vnde rectè possumus dicere, quòd casus reseruati sunt sepes Religionis. Pro Religioso verò sunt medicina curatiua. Quando ergo reseruatur casus, hoc non solùm fit, vt superior cognoscat oues suas, iuxta

iuxta illud Domini præceptum; *Agnosce vultum pecoris tui*: sed etiam, quia in magnis morbis peritiores medici adhibentur: & quia superiores præsumuntur esse peritiores, & prudentiores; propterea ad ipsos recurrendum est pro remedio, & medicina. Cuius optima figura fuit id, quod cõsuluit Iethro Moysi; vt scilicet constitueret super populum Tribunos, qui iudicarent populum omni tempore: & subdit, *Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent*: & infrà, *Constituit eos Principes, qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes.* Et sic ad propositum, confessarij ordinarij, & deputati, ordinarios casus, & peccata diiudicant: maiores verò, & atrociores, qui reseruati sunt, ad superiores referre necesse est. Prou. 17. Exod. 18.

In reseruandis casibus quid attẽdendum.

3 Ex hoc infero, quòd in talibus casibus reseruandis, sic attendendum est ad remedium pro Religione, vt cum hoc attendatur etiam ad infirmitatem Religiosi: ne scilicet ob difficultatem magnam, seu rigiditatem nimiam superioris, desperet infirmus: iuxta illud Salomonis, *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Prou. 30.

Casus reseruatus debet esse certus.

4 Secundò, est notandum, quòd casus reseruatus debet esse clarus, certus, non dubius, seu æquiuocus: vnde rectè Emmanuel Sa, *in suis Aphorismis titulo, casus*, ait: *Casus in dubio nõ præsumitur reseruatus.* Cui addo, quòd casus non expressus in textu Decreti, habetur pro omisso: & casus omissus, relinquitur dispositioni iuris communis, *l. si cum dote, ff. solut. matrim. in princip.* Hinc est, quòd aliquis casus potest habere plures significationes: vnam propriã; & alteram impropriam: propria assumi debet, impropria omissa. Emma. Sa.

5 Verum est tamen, quòd quando Confessarius dubitat, an id, quod proponitur, sit casus reseruatus, necne, non debet priùs absoluere, & iudicare esse reseruatum, quàm ipse resoluat se, vel legendo libros, qui casus conscientiæ tractant: vel doctiores consulendo: aliàs enim peccaret, exponendo se periculo absoluendi illum, quem non potest absoluere ex defectu iurisdictionis, quando iudicat non reseruatum illud peccatum, quod est reseruatum: vel exponens se periculo iniiciendi alteri scrupulum, & saltem opinionem, iudicando, esse reseruatum illud peccatum, quod non est reseruatum: sicut *in cap. si quis autem, de pœnit. distinct. 7. num. 270.* dixit in simili Nauarrus, *Peccare iudicem, qui in dubio fert sententiam, antequàm animi dubietatem deponat.*

Nauarrus.

In casibus reseruãdis seruãda est proprietas vocabuli, nõ extẽsio.

6 Tertiò, notandum est, & sequitur iam ex dictis: scilicet, quòd illi tantum dicuntur casus reseruati, qui secundùm iuris dispositionem, seruata proprietate vocabuli comprehenduntur in litera, & non per extensionem Doctorum, cùm reseruatio sit odiosa, &, vt ita dicam, pœnalis ad instar statuti; & consequenter, pœnæ sunt restringendæ, iuxta regul. iur. *Odia sunt restringenda, fauores sunt ampliandi, de regulis iuris in 6.* ita vt in eis vis verborum tantùm, habeat locum.

Casuũ reseruatio debet fieri de actibus exterioribus.

7 Quartò, notandum est, quòd reseruatio casuum debet fieri de actibus exterioribus cum effectu, & non de interioribus: *sic Palud. in 4.* vnde homicidium est casus Episcopo reseruatus, & tamen illud cordis non reseruatur Episcopo: cuius ea assignatur ratio, quia sicut Ecclesia non cognoscit de actionibus, quæ in solo intellectu sunt, aut voluntate, cùm solus Deus sit scrutator cordis: ita etiam non punit *Antonin. Tabien. Syluester.*

Antonin. Tabien. Syluester.

Hinc

De peccatis merè internis nõ potest fieri reseruatio.

Hinc primò infertur, quòd non potest fieri reseruatio de peccatis merè interioribus: ideſt de his, quæ in opus externum non exeunt per se, neque per accidens, vt dicunt Theologi: qualis est omnis consensus, & delectatio voluntatis de malo mortaliter, vt consensus in turpem fornicationem: quia in doctrina morali Theologica id dicitur posse, quod iure fieri potest: & è contrario, id non posse fieri, quod ritè, & legitimè non fit: & cùm reseruatio interiorum actuum nunquàm cedat in commodum animarum, & multoties in detrimentum: quia multa essent dubia, & dubia inextricabilia: & quòd Ecclesia non fecit hucusque, etiam in grauissimo merè mentali, incongruum est, vt aliquis faciat.

Sotus.

Peccata interiora reseruare, esset error, secundùm Sotum.

8 Vnde Sotus tractans de hoc, ait: Respondeo duo; primum, loquendo de absoluta potestate, reseruari quidem posse, scilicet peccata interiora mẽtis; quia illud non est iurisdictionem exercere in actus mentis, sed illam alteri non conferre: nihilominùs secundò dicimus, quòd esset error illa reseruare: quia peccata cordis sunt tum frequentissima, tum etiam occultissima, vt vix homo secum discernere possit, consenserit, nẽcne. Et ideò intolerabile est, cum huiusmodi scrupulis ad Papam, vel ad alios superiores recurrere: quanquàm opinio quorundam Canonistarum dicentium, hæresim mentalem esse reseruatam Papæ, & excommunicationi subiectam, falsissima est, & inopinabilis: sic Sotus, quem sequuntur omnes. Hinc sub casu de homicidio Episcopo reseruato non comprehenditur mandans fieri homicidium, quia casus intelligitur de homicidio exteriori cum effectu sequuto à se, & non ab alio. Nec obstat text. *in cap. mulieres, in fin. de sentent. excom.* quia ille text. loquitur, quoad peccatum mor-

tale:& sic quoad finem conscientiæ, vbi magis attenditur animus,quàm factum : at in casu proposito,verè ille non facit:ergo non incidit in casum reseruatum.

Attentãs, & nõ consummans actum, non comprehẽditur in casu reseruato.

9 Infertur etiam,quòd nullus comprehendatur sub casu reseruato,attentans aliquem actum,nisi ad consummationem deueniat,iuxta doctrinam Ioan. Andr. qui voluit, quòd nemo incidit in pœnam, quæ ipso iure, delinquenti pro delicto infligitur, si id delictum cogitauit, aut aliquid egit attentando: sed non consummauit, etiamsi per ipsum non stetit. Quod intellige,quantùm ad pœnam legis positiuæ : quia quoad Deum, iam mortaliter peccauit: egit enim contra conscientiam. Et Geminianus *in cap.vnic.§.fin.num.3. quòd metus causa,in 6.* in verbo, *extorsit*,ait,quòd quando lex imponit pœnam actui perfecto,non incurritur talis pœna;licèt quis fecerit præambula actus, si ipsum actum non consummauit. Pro hoc vide Baldum, qui consuluit, quòd statutum puniens adulterium, non militat in eo, qui attentauit,& fecit,quod potuit.

Ioan.And.

Gemin.

Reseruatio fit circa mortalia tantũ, non venialia.

10 Adhæc addo, quòd casus intelliguntur reseruati de peccatis mortalibus,seu in materia, quæ concernit peccatum mortale,& non circa venialia: nam nullo modo venialia reseruari possunt, cùm quis ea confiteri non teneatur. Aliqui verò dicunt, venialia aliquando reseruari posse:maximè à Regularibus Prælatis ; cùm illa percrebescerent, & religiosam disciplinam eneruarent:vt est,sine causa, & frequenter silentium frangere, literas inscio superiore scribere, in cubiculum alterius regularis ingredi,& huiusmodi,quæ,vt experientia satis docet, ex vsu in magnum professæ Religionis detrimentum vergunt.

11 Insuper

Prælati regulares tenentur aliquando sub peccato mortali corrigere aliqua peccata venialia subditorum. Eccles. 12.

11 Insuper Prælatos Religionum teneri sub pœna peccati mortalis corrigere talia peccata venialia, quæ cùm in communitate frequentantur, maximum damnum Reipublicæ, & toti cœtui afferre possunt:quandoquidem in Religioso statu illud sapientis dictum maximè locum habet ; *Qui minima contemnit,paulatim decidet.Eccles.*12. Nam sicut in humanis corporibus, qui paruis vulneribus suis medicinam adhibere negligunt, febres, ac putredines, atque adeò mortem quoque ipsam accersunt : eodem modo in toto Congregationis corpore,qui exigua paruipendunt,ad maiora inuitant, & ipsum totum corpus paulatim destruunt. Sot. *in 4.dist.18.q.2.artic.3. & de rat. teg. secr. membr.2.q.2. concluſ.3.* Bannes 2.2.*q.*33.*art.*2.*dub.*2.Lopez *part.*2. *instruct.cap.*55.Medina 1.2.*q.*69.*art.*4. Sayrus *lib.*3. *Clau.Reg.cap.*7.*num.*14.*& lib.*12.*cap.*3.*num.*17.

Nihilominus simpliciter, & formaliter loquendo,venialia,vt sic,non possunt ita reseruari, vt maneat obligatio ea confiteri superiori reseruanti,per ea,quæ tradit Suar. *tom.*4.*disp.*29.*sect.*3. Miranda *in Man.Prælut.tom.*2.*q.*34.*art.*4. Graffius *lib.*1.*decision. aur.cap.*20. Dixi *(formaliter loquendo)* vt sic : quia si Prælatus prohibet aliquid,quod est veniale,constituit trãsgressorem reum peccati mortalis:tum quia verba præceptiua, vel inhibitiua significant indubiè mentem legislatoris velle obligare ad mortale. *Clem.exiui, §.cùm autem,de verb.signif.* Tum quia lex præceptiua extenditur : vbi si non extenderetur ad obligandũ transgressorem ad mortale, nihil operaretur. Ergo cùm verba sint intelligenda,vt cum effectu aliquid operentur, *cap.relatum de cler.non resid.* glos.*in c.si à iudice,de app.* necessariò concludendum est,talem casus reseruationem obligare ad mortale.

Prælatus prohibens veniale obligat subditum sub mortali.

Facit

Facit à simili, quia quando lex continet pœnam supponentem peccatum mortale, tunc obligat ad illud; quamuis verba præcipientia non contineat, cùm pœna magis significet animũ obligandi, quàm verba: qui enim vult aliquid, videtur velle id, sine quo illud effici non potest. *l. illud, ff. de acquir. hæred. cap. præterea, de offic. deleg.* Exemplum. Nemo potest excommunicari, nisi pro peccato mortali, *cap. nemo, cap. nullus, 11. q. 3.* Quare lex præcipiendo aliquid sub pœna excommunicationis, videtur velle obligare ad mortale: vt dixit Sotus *in 4. d. 22. q. 1. art. 2. in fine.*

Sic cùm comedere carnes ex sui natura sine superioris licentia, sit peccatum veniale apud Monachos nigros, Prælatus, apponendo casus reseruationem, videtur velle obligare ad mortale: cùm dicta casuum reseruatio apponi soleat pro mortali: gloss. *in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* & quod dico de carnis comestione, dico etiam de aliis obseruãtiis Regularibus. Vide Graff. *in 1. part. decis. aur. lib. 2. cap. 52. num. 4.* Sed loquendo de peccatis venialibus simpliciter, & formaliter, de illis reseruatio nullo modo fieri potest.

De mortalibus grauioribus fit reseruatio. Cõc. Trid.

12 Et nec de quibuscumque mortalibus, debet fieri reseruatio: sed de grauioribus, & atrocioribus, prout præcipit, & ordinat sacrum Concil. Trident. *vbi suprà in art. 1.* (atrociora quædam, & grauiora crimina:) ergo non debent quælibet mortalia reseruari: nam ex hoc veniret contemptus, & præsentatio, plusquam est, odiosa redderetur. Facit ad hoc

Sacra Cõgreg. Card.

id, quod decreuit sacra Congregatio S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium in die nono mensis Ianuarij 1601. in hæc verba; *Et ne locorum ordinarij, quibus ius reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut confessarijs in animarum saluti procu-*

procuranda cooperantibus sint onerati: monentur omnes, vt paucos, eósque tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarúmque sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent.

Grauitas peccati ex multiplici capite consideratur.

13 Hæc autem grauitas consideratur habita ratione; primò eius, qui offenditur: prout est blasphemia contra Deum & sanctos prolata. Secundò, damni illati; vt est homicidium, furtum notabile, & huiusmodi. Tertiò, transgressionis, naturali rationi repugnantis: cuiusmodi est incestus, & peccata contra naturam. Quartò, habetur etiam ratio ad peccata, quæ frequentius in diœcesi committuntur; *arg. c. vbi periculum. de elect. in 6.* Quintò, habetur ratio ad conseruationem regularis obseruantiæ: vt de silentio, de comestione carnis, de subornatione in electionibus, &c.

Reseruatio casuũ debet fieri cũ præuia discussione & matura deliberatione.

14 Insuper & hoc quoque animaduertendum tam in Capitulis Generalibus, quàm Prouincialibus, quando iuxta præscriptam formam Decreti tractatur materia de nouo casu reseruando, vt talis determinatio fiat cum præuia discussione, & matura deliberatione: sic enim habet littera textus: *si quod aliud peccatum graue pro conseruatione Religionis, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur: id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli, in toto ordine: aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.*

Quod rectè præcipitur: nam si absque tali matura discussione proponantur, & acceptentur aliqui casus: quia facilitate proponuntur, eadem facilitate paulò post reuocantur. Vnde consultius est discutere priùs, & maturè deliberare, an sit expediens, omnes casus in Decreto positos reseruare, an

an verò aliquos tantùm: sicut multi Regulares fecerunt, qui tantùm duos, vel tres casus reseruarunt: cùm ad hoc ex Decreto optionem habeant: Dicitur enim ibi, *num.2. Aut omnibus, aut aliquot, prout subditorum vtilitati expedire, prudenter in Domino iudicauerint.* Et pariter discutere, & maturè deliberare de nouo casu reseruando, sicut dictum est.

ARTICVLVS VI.

An superiores Religionum possint sibi reseruare absolutionem excommunicationis à se comminatæ?

SVMMARIVM.

1 *Superior potest sibi reseruare absolutionem ab excommunicatione.*
2 *Non Sacerdos potest excommunicare, si ad hoc delegatur.*
3 *In quodam Capitulo generali vetitum fuit, ne superiores talem absolutionem sibi reseruarent.*
4 *Expedit vt aliquando fiat talis reseruatio. Et pro hoc quid agendum.*
5 *Prælatus in visitatione potest suis subditis præcipere sub præcepto sanctæ obedientiæ.*
6 *Peccatum etiam leue, post prohibitionem sub pœna excommunicationis, censetur mortale.*
7 *Prælatus potest à subdito exigere iusiurandum.*
8 *Prælatus potest etiam præcipere sub pœna excommunicationis.*
9 *Habens iurisdictionẽ Ecclesiasticam in foro exteriori, potest excommunicare, etiamsi non sit Sacerdos.*
10 *Absolutio ab excommunicatione potest dari à non Sacerdote, si ab eo lata sit.*
11 *Forma absolutionis ab excommunicatione.*

RESpond. quòd hæc difficultas rationabiliter mouetur propter Decretum Clem. VIII. nam videtur, quòd hoc ibi prohibeatur, & pro parte negatiua, scilicet, quòd non possit fieri talis reseruatio, sine consensu Capituli Prouincialis, patet: quia omnis casuum reseruatio est superioribus interdicta: nisi eo modo, quo suprà *in art.3.* explicauimus: & hîc reseruatur absolutio ab excommunicatione, quod videtur esse contra summi Pontificis intentionem.

Suarez. *Superior potest sibi reseruare absolutionẽ ab excommunicatione.*

1 Suarez refert, quòd positio ista est virorum Doctorum: ipse nihilominùs oppositum censet probabilius; nimirum, hanc potestatem non esse ablatam à Prælatis Regularibus: quia Decretum Clem. VIII. expressè loquitur de reseruatione culparum. Verba Decreti sunt; *Nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis ijs, &c.* In casu autem posito, non reseruatur peccati absolutio: sed censuræ, quæ longè diuersa est, & ad diuersum forum, & iurisdictionem spectat: nec satis est, quòd per se loquendo, non potest dari absolutio à peccato, non ablata censura: hoc enim accidentarium est: nam sufficit, quòd non sint idem, vt ab vna ad aliam non sit prohibitio extendenda, præsertim, cùm respectu superiorum sit onerosa, & vsum iurisdictionis restringens. Sic Suarez, & benè.

2 Cui addo, quòd, vt dicam infrà, *num.9.* etiam non Sacerdos potest excommunicare: ergo potest sibi reseruare absolutionem: imò absque eo, quòd eam

eam sibi reseruet, regula Canonistarum est, quòd quotiescumque quis excommunicatur ab homine, solùm, potest absolui ab eo, aut eius successore, aut superiore, aut delegato. Eius enim est soluere, cuius est ligare. Vide quæ habet Nauarr. *in Man. cap.27.num.40.& 41.*vbi tenet,quòd etiam non Sacerdos potest excommunicare.

3 Benè verum est,quòd in quodam nostro Capitulo Generali Romæ celebrato, & in quo ipsemet vocalis eram, cùm tale dubium propositum esset, & à Diffinitorio fuit resolutum, prout retulit,& publicauit tunc admodum R.P. Fr. Anselmus Monopolitanus Magister meus (postea Illustriss. Cardinalis à Clem.VIII. creatus) quòd licèt possit superior hoc facere, & sic præcipere: nihilominùs Capitulum Generale id prohibet facere.

4 Sed quia praxis docet multoties id expedire: propterea ad remouendum scrupulum, consultiùs facerent, vt in Capitulo Generali, vel Prouinciali determinaretur, vt superiores in aliquibus casibus grauioribus absolutionem ab excommunicatione liberè possint sibi reseruare.

Prælatus in visitatione potest præcipere sub præcepto sanctæ obedientiæ. Rodriq. Cõc. Trident.

5 Nam,quòd maior Prælatus in magna occasione:maximè in visitatione præcipere possit sub præcepto sanctæ obedientiæ, vt subditi ei dicant omnia, quæ sunt contra regulam, & statuta: non est dubium. Vide quæ habet Rodriquez *tom.2.qq.regul. quæst.6.art.7.* & patet ex Concil. Trident. *sess.25.de regul. cap.* 22. vbi præcipitur, vt in visitationibus Prælati regulares descendant ad præcepta regulæ, quibus fratres sunt astricti, quomodo scilicet obseruentur: & tunc transgressor peccat mortaliter: quando constat ei superiorem præceptum fecisse, *cap.nulli fas.dist.19.cap.violatores,25.q.1.* Idem etiam dicendum

dicendum de illis,qui transgrediuntur leges Ecclesiasticas, quando in illis apponerentur hæc verba: *In virtute sanctæ obedientiæ.*Gloss.*in Clem.si Dominum. §.ideò,de relig.& veneratione Sanctorum.* Vel sub obtestatione diuini Iudicij. *Clem.1. de immunit. Eccles.* Vel sub pœna excommunicationis Gloss. *in cap.1. de sagittar.* aut sub pœna carceris perpetui. Med. *Cod.de ieiun. tract.3.q.7.* Vel si diceretur, arctè, vel arctiùs prohibemus,vel præcipimus, *vt in Clem. dudum in fin.de sepult.* Et tunc in iis casibus præsumitur, mentem legislatoris Ecclesiastici velle obligare transgressorem ad mortale, si transgressus fuerit id,quod mandauit seruare verbo,vel scripto. Nam eo ipso,quòd in scriptis ponitur præceptum,intelligitur obligare ad mortale:ita Sot.*in 4.dist.20.q.1. art.4.vers.hinc fit.*

Præceptum in scriptis positũ,obligat ad mortale.

6 Quæ quidem procedunt,etiam si verba legislatoris non essent præceptiua formalis, vel si id, quod præcipitur, esset leue: nam statim quod prohibitum est sub pœna excommunicationis, censetur mortale, vt inquit, Sotus *in 4.dist.22.q.1.art.2. concl.2. in fin.* Et ratio est, quia quando lex continet pœnam præsupponentem peccatum mortale, tunc obligat ad illud: quamuis verba præcipientia non contineat: cùm pœna magis significet animum obligandi, quàm verba. Qui enim vult aliquid, vult etiam illud, sine quo illud effici non potest, *l.illud. ff. de acquir. hæred. cap.præterea.de offic. deleg.* Vnde cùm nemo excommunicari possit,nisi pro mortali.*cap.nullus.cap.nemo.*11.*q.*3.concluditur, quòd lex aliquid præcipiendo sub pœna excommunicationis, videtur obligare ad mortale. Quod tamen secus est de pœna suspensionis, interdicti, vel irregularitatis:quæ aliquando etiam sine culpa

Peccatum etiam leue post prohibitionẽ sub pœna excõmunicationis censetur mortale.

Limitatio.

incurritur, *cap.si ciuitas,c.si sententia, de sent. excomm. in 6.cap.si quis viduam, cap.aliquantos,dist.*50. Sotus *de iust. & iur.lib.*1.*q.*6.*art.*5. Nauarr.*in Man.cap.*23. *num.*53. Caietan.in verbo, *Suspensio.*licèt D.Anton. *in* 2 *p.tit.*4.*art.*2. Sylvest.in verbo, *præceptum in fin.* Med.*Cod.de ieiunio.tract.*3.*quæst.*7.& Armilla in verbo, *præceptum,n.*6. asserant, quòd venientes contra id, quod à Superiore prohibetur sub pœna suspensionis, depositionis, vel interdicti, peccent mortaliter,& rectè meo iudicio:nam etsi quod dicitur per Sot.& Nauarr. verum sit, quia irregularitas,& interdictum nunquàm incurritur sine culpa: tamen cùm hæ pœnæ infliguntur ab homine, regulariter apponi solent pro peccatis mortalibus. Prælatus ergo in visitatione quòd possit præcipere sub præcepto sanctæ obedientiæ, vt subditi ei dicant omnia, quæ sunt contra regulam, & statuta, non est dubium.

Prælatus potest exigere iusiurandum.

7 Quòd etiam possit in tali occasione, & aliquando debeat iusiurandum à suis subditis exigere: vt quiliber dicat quicquid scit,vel credit,vel fama est, contra regularem obseruantiam, patet per Hostiensem relatum à Rodriquez, *vbi suprà quæst.* 4.*art.*5.

Hostiens.

Prælatus potest etiã præcipere sub pœna excommunicationũ.

8 Et quòd etiam præcipere possit sub pœna excõmunicationis,nulli dubium est:vide quæ ad hoc dicta sunt suprà *in art.*2. & modò addimus id,quod habet Nauarrus *in Manual. c.*27. *num.* 5. scilicet, quòd omnes Prælati possunt excommunicare, etiamsi sint minores Episcopis, quales sunt Abbates, Præpositi, & Priores Ecclesiarum Collegiatarum Regularium, & sæcularium:quia hi omnes iure communi possunt excommunicare suos subditos, *cap.transmissam,cap.suffraganeis,de offic.ordin.* sed an

Nauarr.

an sic præcipiens, possit sibi reseruare absolutionem ab excommunicatione, hoc,inquam,est quòd in hoc articulo determinatur affirmatiuè.

9 Posset tamen dubitari; An excommunicatio possit dari à non Sacerdote: & pariter, an ab eodem possit absolui? quam difficultatem paulo antè tetigimus, & resoluimus breuiter: sed hûc remisimus fusiùs dilucidandam.

Habẽs iurisdictionẽ Ecclesiasticam in foro exteriori potest excõmunicare, etiãsi non sit Sacerdos.

Respondeo igitur cum Sylvest. verbo, *absol.*§.3. Angel. verb. *eodem.*2. §. 1. & cum Nauarro *libro* 5. *consil.de sentent. excommunicat.cons.*1. quòd sic; quia, vt dicit sanctus Thomas *in* 4. *sent. distinct.*18. *q.*2. *art.*2. *quæstiuncul.* 2. Excommunicare non pertinet directè ad claues: vnde qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, etiamsi non habeat claues, potest excommunicare: & non solùm potest id facere Religiosus non Sacerdos; verùm, & quilibet laïcus sæcularis ex Priuilegio Papæ iuxt. Gloss.celebrem,& receptam *in capit.præter.trigesima secunda dist.*in verbo, *Duci.*

Absolutio ab excommunicatione potest dari etiam à non Sacerdote, si talis dedit excommunicationẽ: sed in foro conscientiæ, & cum absolutione peccatorũ solùm à Sacerdote.

10 Quoad absolutionem verò ab excommunicatione, distinguendum est cum Angel. & Sylu. Nam dupliciter potest fieri. Vno modo in foro exteriori, alio modo in foro conscientiæ:quæ fit vnà cum absolutione à peccatis. Illa prior potest à non Sacerdote fieri: hæc posterior à solo Sacerdote: non ratione ipsius excommunicationis (quia ab ea, quilibet habens iurisdictionem excommunicandi, potest absoluere, vt dictum est) & qui à non Sacerdote absolutus est, à sola excommunicatione,manet quidem reconciliatus communioni hominum, & sacramentorum, in quantum priuatus erat per sententiam, & habet Io. And. *in cap. à nobis.*2. & ibi Henric. Bos. *num.*11.*de sent.excomm.*

Io. Andr. Henric. Bos.

Sed ratione peccatorum, à quibus non Sacerdos, non potest absoluere: vt dicũt Hẽric. Bos. *vbi suprà*, & latè Couar. *in cap. alma mater. p. 1. relect. §. 11. n. 10.*

Igitur, quando excommunicatus petit absolui extra confessionem, si excommunicatus est à non Sacerdote, potest ab eo absolui: si verò petit absolui in confessione, tunc à solo Sacerdote, ad id potestatem habente, potest absolui; & hæc propriè dicitur, absolutio in foro conscientiæ.

Forma absolutionis ab excommunicatione, quæ sit extra sacramentum.

11 Si quis modò quærat, quæ forma seruanda sit in absolutione ab excommunicatione extra sacramentum? Respondeo cum Sayro, Valent. Ang. Sylvest. Nau. Toleto, & cum communi, quòd in iure nulla est præscripta forma: communis tamen, & ordinaria est, quam ponit Toletus *in sua summa, libro 1. cap. 14* scilicet, vt:

Toletus.

Primò, absoluens faciat iurare absoluendum, se pariturum mandatis Ecclesiæ, seu ipsius absoluentis, *iuxt. cap. ex tenore, de sent. excommunic.* quod limita in grauioribus, non in leuibus excessibus.

Secundò, antequàm absoluatur, satisfaciat sufficienter læsæ parti pro sua facultate *cap. porrò. & cap. Parochianus, de sentent. excomm.*

Tertiò, absoluatur cum Psalmo, & oratione Dominica, verberibus, & aliis consuetis. Sylvest. verb. *absolutio. 3. num. 4.*

Quartò, iniungatur ei præceptum, vt nunquàm faciat contra canonem illum, contra quem faciens, incurrit in excommunicationem.

Quintò, vtatur verbo, *absolutionis*: vel *relaxationis*: dicat ergo primò, *Miserere, & orationem Dominicam*: rursum *saluum fac seruum tuum*, &c. *Domine exaudi*, &c. *Dominus vobiscum. Deus cui proprium est misereri semper, & parcere*, &c. Deinde dicat: *Absoluo*

uo te ab excommunicatione, quam incurristi propter hoc, vel illud: & restituo te sacramentis Ecclesiæ, &c.

Quæ forma non est ita necessaria, vt si ex ea prętermittatur aliquod verbum, non teneat, imò tenet: quia hæc non sunt de essentia. Panormit. *cap. fi. de restit. spol.* & Innoc. *cap. cum dilecta, de rescript.* cum communi Doctorum sententia.

Panorm. Innocent.

ARTICVLVS VII.

An quilibet Superior Regularis habeat facultatem absoluendi à reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Ad Guardianos modò non spectat reseruare casus.*
2 *Casuum reseruatio ad illos modò pertinet, ad quos de iure ante Decretum spectabat.*
3 *An recursus talis intelligatur de publicis, an etiam de secretis delictis.*
4 *Recursus ad Superiores intelligitur tam de publicis, quàm de secretis delictis.*

1 REspondeo, quòd circa hoc non defuerunt, qui putauêre absolutionem à casibus reseruatis ad Guardianos pertinere, eò quòd in Decreto dicitur: *vt aiebant superiores locorum.* Tales enim sunt Priores, Rectores, Guardiani, & similes: sed falsa est hæc sententia: nam in primis, in Decreto non reperiuntur talia verba *Superiores locorum*, sed reperiuntur benè hæc, *Superiores Regularium.*

Ad Guardianos nõ pertinet reseruare casus.

2 Deinde dicimus, ad eos pertinere absolutionem à casibus reseruatis, ad quos pertinet reseruare casus. Eius est enim soluere, cuius est ligare: vt dictum est *in præced. art.* Porrò si ligare non pertinet

Reseruatio casuum ad illos pertinet ad quos ante Decretum de iure pertinebat.

ad Guardianos: vt dictum est suprà *in art.4.* sed ad solos Prouinciales, cũ consensu Capituli Generalis: sequitur quòd apud ipsos resideat facultas absoluendi à casibus reseruatis. Vnde P. Sorbus *in suis Annot. ad Comp. priuil. vbi suprà*, ait, sibi factam fuisse declarationem à summo Pontifice, quòd absoluẽdi facultas supradictis casib. ad illos Prælatos pertinet, ad quos priùs ante Decretũ Clem. VIII. spectabat.

Sorbus.

Resolutiuè ergo ad difficultatem propositam dicimus, quòd si ante præfatum Decretum absolutio à reseruatis spectabat ad Prouinciales, ad ipsos etiam spectat modò: si verò ad Abbates, vel Rectores, vel Priores, seu Superiores locorum, ad illos etiam modò spectat.

Qui tamen omnes, non tam propria auctoritate, & voluntate reseruant, quàm communi auctoritate, seu ordinatione Religionis præscripto; vt in eis absoluendis iurisdictio sit Superiori loci reseruata: neque enim expedit, vt singulorum arbitrio, ac voluntati hoc committatur.

An recursus talis intelligatur de occultis, an solũ de publicis.

3 Dubitatur hîc, an recursus ad Superiores maiores pro absolutione à reseruatis culpis intelligatur de publicis, an verò de secretis? Hoc dubium mouetur propter verba nostræ Regulæ *in cap.7.* vbi Seraphicus Patriarcha dicit: *Si qui fratrum instigante inimico, mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos ministros Prouinciales: teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt, absque mora.* Super quæ verba disputant expositores, de quibusnam intelligantur. Communis sententia est, quòd de publicis, non de secretis loquatur Regula: sic S. Bonauent. Hugo, Pisanus, & Serena conscientia. Sic etiam declarat Gregor. IX. & Innocent. IV.

S. Bonau. Hugo. Pisanus. Serena cõsciẽtia. Gregor. 9. Innoc. 4.

Et

Et ratio etiam esse potest: quia cæteris paribus, grauius est peccatum, quod in scandalum aliorum publicè perpetratur, quàm quod occultè: & ideò grauius est puniendum. Et propterea præcepit Pater sanctus, vt tales delinquentes, quanto citiùs poterunt ad Ministros recurrant: vt scilicet pro qualitate delicti pœnam iuris luant, secundùm ordinem iudicij, & in foro contentioso pro tali delicto debitam.

Præterea, quia dicit Regula, *quantocius ad ministros recurrant sine mora*: per quæ verba patet, quòd de publicis peccatis loquitur, non de secretis: alioquin si pro secretis frater discurreret per loca, quærendo Ministrum, seipsum infamaret: quod quia est contra ius diuinum, & naturale, nullo pacto est asserendum Patrem sanctum præcepisse. Præterea Regula mandat, vt frater detegat suum peccatum Ministro, etiamsi non sit Sacerdos.

Hoc de occulta culpa non potest intelligi, quia multoties Superior non esset Sacerdos, vt nostra Regula præsupponit aliquando posse fieri: vnde de publicis solùm potest verificari: nam de secretis non tenetur quis alicui extra confessionem ea propalare: talis autem esset manifestatio, quę fieret Superiori non Sacerdoti: & esset contra illud, *Non tibi dico, vt te prodas, de pœnit. dist.1. cap. quis aliquando.* Præterea Regula dicit: *Ministri caueant ab ira, & conturbatione propter tale peccatum.* At conturbatio, ira, & huiusmodi affectus, non pro peccatis in confessione auditis: sed pro publicis, & manifestis aliquando solent euenire: & propterea de publicis, non autem de secretis peccatis loquitur.

4 Nihilominùs serena conscientia dicit, quòd Regula nostra intelligitur etiam de peccatis secre-

Recursus ad Superiores intelligitur etiam de secretis.

gitur tam de publicis, quàm de priuatis delictis.

tis. Sed distinctione opus est: nam vel est sermo de Regula sola, vel de Decreto Clem. VIII. Si de Regula sola, intelligitur etiam de secretis, cum discrimine tamen: nam pro publicis, præceptum est, vt statim delinquentes ad Superiores maiores recurrant: pro secretis verò, non tenentur sub præcepto sic statim recurrere, ne se prodant, & infament: si verò est sermo de Decreto Clem. VIII. casus illi intelliguntur simpliciter de peccatis secretis, & occultis, pro quibus recurrendum est ad eos, qui absoluendi tales errores facultatem habent: vt *in sequ. art.* fusè videbimus. Vide etiam quæ infra dicentur *in art. 4. secundæ sectionis.*

ARTICVLVS VIII.

Quis modus seruandus in recursu ad Superiores pro absolutione à reseruatis?

SVMMARIVM.

1 *Habens reseruatos, ad quid teneatur.*
2 *Non est grauamen pœnitenti, si de reseruato cogatur bis confiteri.*
3 *Confessarius non habens facultatem de reseruatis, absoluat à quibus potest, & pro reliquis mittat pœnitentem ad Superiorem.*
4 *Pœnitens non debet esse morosus in se præsentando.*
5 *Confessionis duplex dimidiatio, per se, & per accidẽs.*
6 *Circumstantia peccati in confessione tacenda est: quãdo ex illa Confessarius in cognitionem peccatoris venire potest.*
7 *An hoc etiam debeat seruari in articulo mortis.*
8 *Confessio non integra quando licita.*

9 Pecca

9 *Peccatum aliquod aliquando est bis confitendum.*
10 *Modus se præsentandi pro reseruatis quis in nostra Religione.*
11 *Modus iste à Soto improbari videtur: sed propugnatur.*
12 *Modus talis multipliciter defenditur.*
13 *Remedia plura pro reseruatis.*
14 *Reprehenduntur Confessarij, qui se offerunt ad præsentationem faciendam.*
15 *Ad Pœnitentiarios Papæ accedere possunt.*
16 *Deputati ad confessiones audiendas possunt literas Pœnitentiariæ aperire.*
17 *Confessario, qui se præsentaturum pro subdito promisit, mortuo subdito ipse tenetur se præsentare.*

1 REspondeo, quòd circa hæc ponam primò ea, quæ habet Nauarrus *in cap. 1. de pœnit. §. cautus, sub nu. 10.* quæ omnibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus deseruient. Deinde quæ in nostra Religione seruantur, & ab aduersariis defendemus. Nauarrus.

Quoad primum ergo Nauarr. dicit, quòd quando pœnitens habet aliquod peccatum, à quo nequeat absoluere Parochus, secundùm sententias receptiores, & vsum ab Ecclesia receptum, potest, & debet facere vnum de infrascriptis. *Habens reseruata ad quid teneatur.*

Primò, adeat superiorem Episcopum, vel Proepiscopum, vel alium, ad quem ea res pertineat: putà Pœnitentiarium Romanum, & confiteatur omnia peccata sua, à quo ab omnibus absoluetur.

Secundò, si ille Superior nolit audire omnia peccata, confiteri debet sola reseruata: & posteà etiam omnia alia confiteatur proprio Confessario, qui poterit eum absoluere ab omnibus; etiamsi Superior à reseruatis non absoluisset, secundùm Paluda-

num receptum, qui testatur ita seruari in Ecclesia Romana.

Tertiò, si priùs adierit inferiorem, qui nequeat eum à reseruatis absoluere, omnia illi confiteatur, qui absoluet eum à quibus potest, si modò non est excommunicatus: & pro absolutione casus reseruati remittet ad Superiorem, cui cõfitebitur solùm illum reseruatum, & ab eo solo absoluetur.

Quartò, potest & ipse pœnitens per se, vel per alium, Superiorem adire, & ab eo impetrare commissionem secretam verbo, vel scripto, qua generatim ipsius pœnitentis Confessario, quicumque ille fuerit, facultatem faciat, eum ab illo peccato absoluendi: sed hic modus periculosus esse potest, quoniam peccatum extra confessionem retegitur.

Quintò, potest pœnitens suo Confessario confiteri omnia peccata sua, & absolui ab eo de iis, quæ subsunt suæ potestati: & deinde Confessarius per se, vel per alium, seu per epistolam petere à Superiore, vt faciat sibi facultatem ad absoluendum quemdam hominem in genere, nullo penitùs expresso, qui confessus est tale peccatum, cuius absolutio est illi reseruata: quam facultatem, qui noluerit facere Superior, rarus erit, & plus satis morosus: si quis tamen adeò difficilis reperiatur, vtendum erit modo secundo. *sic Nauarr.*

Nõ est grauamen pœnitenti, si de reseruatis cogatur bis cõfiteri. Sotus. Nauarrus. Medina.

2 Est benè notandum circa hunc secundũ modum prædictum, quòd tam Sotus, quàm Nauarrus ipse docent, non esse grauamen pœnitenti, si de reseruato cogatur bis confiteri. At secundùm Medinam non debet confiteri, nisi cætera, quæ non fuerunt confessa, non autem reseruata: de quibus iam à Superiore est absolutus. Sed vtraque sententia probabiliter loquitur, & potest sustineri. Nec obstat quòd

quòd confessio sit semper facienda integrè vni Confessori: quia per pœnitentem non stetit, quin integrè confiteretur: sed per Superiorem, qui cùm maioribus causis communicatis aliquando sit impeditus, & longas subditorum confessiones non valeat audire, potest tantùm reseruata audire, & sacramentaliter absoluere: & semel legitimè absoluta, non sunt necessariò iterum confitenda: & integritas confessionis non requiritur de peccatis legitimè absolutis: sed eorũ, quæ non fuerunt absoluta.

3 Circa tertium verò modum, sciendum quòd si priùs pœnitens Confessarium adierit, qui à reseruatis facultatem non habet absoluendi, integrè confiteri tenebitur, tam scilicet reseruata, quàm non reseruata, ne dimidiata sit confessio. Confessarius autem absoluet eum, à quibus potest, non autem à reseruatis, cùm non habeat facultatem: alioquin absolutio nulla esset. Ad Superiorem ergo pro reseruatis pœnitentem mittat, de quibus pœnitens firmum propositum abstinendi habere debet: quòd si hoc facere nolit, neque à non reseruatis absolui potest, cùm non sit paratus integrè confiteri.

Propositum abstinẽdi à reseruatis qui nõ habet, neque à nõ reseruatis absolui potest.

4 Qui pœnitens sic absolutus cum onere se præsentandi, morosus esse non debet, sed habita opportunitate, absolutionis beneficium prædictum omni, qua potest, diligentia procurare debet: nam dum est in mora, vtputà, habendo opportunitatem, & absolutionem non procurans, semper manet in culpa. Quando autem Superiorem adibit, non est necesse, vt ei confiteatur omnia peccata, quæ Confessario confessus est: sufficit enim, vt tantùm illi reseruata propalet; vt ab illis absoluatur: nisi fortasse vbi Confessarius solùm audierit peccata, & non absoluerit: tunc enim integrè tenetur Superiori

Pœnitens non debet esse morosus in se præsentando.

riori confiteri: quia à Confessario in nullo fuit absolutus.

Si dicas cum Durando *in 4. dist. 17. q. 15.* & cum Adrian. *q. 4. de conf.* absolutionem sacramentalem de peccatis, aliàs non absolutis, diuidi non posse: quia vnũ peccatũ sine alio remitti non potest, secundùm fidem: ideò necesse est, vt Sacerdos absoluat pœnitentem, aut ab omnibus peccatis, aut à nullo: quia gratia facit, vt anima sit Dei amica, & simul, & semel non potest anima esse amica, & inimica: vnde si non absoluit ab omnibus, ergo non facit, vt anima sit amica Dei. Non ergo potuit inferior Confessarius absoluere à non reseruatis, & Superior à sibi reseruatis: sed alter eorum necesse est, vt ab omnibus absoluat, quia absolutio dimidiari non potest.

D. Bonau. D. Thom. Riccard.

5 Respondeo, quòd contra prædictos est D. Bonauent. D. Thom. Riccard. & multi alij, *in 4. dist. 17.* qui asserunt absolutionem sacramentalem posse in casu dimidiari, & per partes impendi. Nam, vt rectè ait Sotus *in dist. 18. q. 2. art. 5.* duplex est dimidiatio confessionis, per se, & per accidens. Per se est, quando quis malitiosè tacet aliquod peccatum, & non vult illud confiteri. Per accidens verò est, quando hoc simpliciter non intendit, sed quia aliter non potest fieri, euenit per accidens, vt dimidietur: puta, quando quis non confitetur aliquod peccatum, vel aliquam circumstantiam propter aliquam iustam causam: qualis est (vt verbis Nauarri vtar) verisimiliter credere, quòd confessio peccati ipsum Confessarium ad peccandum alliceret, vel induceret in notitiam alicuius peccati, & peccantis: quorum notitiam ipse habet per confessionem. Vide *in Man. cap. 9. num. 15.* & Sotus, *vbi suprà, ad 4.* ait; quando aliqua circumstantia mortalis aggrauans

Cõfessionis duplex dimidiatio per se, & per accidens: & prior non potest fieri in cõfessione: posterior verò, benè, & licitè fit.

Sotus. Nauarrus.

Sotus.

vergit

vergit in infamiam alterius personæ, adhibenda est diligentia, ne fiat confessio illi Sacerdoti, qui eam nouit, petendo facultatem confitendi alteri.

Circũstantia peccati in confessione tacẽda: quando ex illa Cõfessarius, venit in cognitionẽ complicis.

6 Si verò necessariò facienda erit confessio ei, qui personam agnoscit; tunc si ex hoc, quòd pœnitens confiteatur circumstantiam alteriùs personæ, aliquod periculum illi imminet, vel mortis, vel notabilis infamiæ; tunc tacenda est circumstantia: vt si quis accessit ad vnicam sororem, vel matrem: & confiteatur proprio fratri, qui id improperabit matri, vel sorori, reuelando secretum: vel flagitium vlciscetur in illis; tunc prætereunda est talis circumstantia. Et vt exemplificem etiam de Religiosis: quando quis Confessarius non habet, nisi vnum pœnitentem, & de hoc Superior factus est certior: si posteà talis Confessarius petit facultatem à Superiore pro aliquo casu reseruato, Superior in cognitionem personæ, probabiliter veniet, vnde melius est tunc illam petitionem, seu repræsentationem ad aliud tempus magis opportunum differre.

Sotus.

7 Subdit Sotus *in loco citato.* Sunt quidam, qui articulum mortis excipiunt; scilicet, quòd tunc non obstante tali periculo infamiæ alienæ, debet moriturus circumstantiam illam complicis confiteri: nam tenetur ille criminis socius, tale periculum famæ pati propter salutem morituri. Sed, inquit Sotus, rationem huius exceptionis non video: nam si ad salutem pœnitentis est necessaria illa explicatio circumstantiæ, fit vt etiam extra periculum mortis sit necessariò explicanda, si verò non est vsque adeò necessaria, in articulo mortis est tacenda: imò tunc plus tenetur infirmus consulere famæ alterius. At si nullum timetur periculum huiusmodi: sed hoc tantùm, quod Confessarius sciat

personam,

personam, quam nouit deliquisse, seruabit tamen secretum, tametsi deinceps non tanti æstimabit personam illam, tunc hoc non obstante, explicanda est circumstantia. Et hæc est sententia S.Thom. *in 4.dist.16.quæst.3.art.2.quæst.5.ad Quintum.* S.Bonauent. *dist.31.in 2.par.art.1.* Durand.*dist.16.q.4.* & recentiorum omnium.

S.Thom. S.Bonau. Durand.

Confessio nõ integra quando licita.

8 Ex dictis infertur primò, quòd aliquando Confessio non integra, vt est hæc, quæ fit Superiori de solis reseruatis, sancta est, & sacramentalis: nam licèt per se, & formaliter confessio integra esse debeat, alioquin non esset confessio, sed confessionis simulatio; per accidens tamen, & materialiter poterit partialis confessio esse salutifera, vt est in casu nostro; quando scilicet Superior tantùm reseruata, & non alia vult sacramentaliter audire.

Duplex integritas, per se, & per accidens.

Peccatum aliquod bis est confitendum.

9 Infertur secundò, quòd aliquod peccatum aliquando bis sit confitendum: vbi scilicet prorio Confessario integrè confessum est, & ob defectum plenariæ auctoritatis super omnia peccata, iterum illud peccatum Superiori reseruatum confiteri necesse est, si Confessario auctoritatem non conferat Superior.

Modus repræsentationis in nostra Religione.

10 In nostra verò Religione, circa præsentationem casuum reseruatorum aliter seruatur. Statutum est enim, vt quilibet Confessarius deputatus, audiat omnia peccata sui pœnitentis, tam reseruata, quàm non reseruata: & ostenso ei onere, quod habet, de se præsentãdo Superiori, si illud acceptat, eum tam à reseruatis, quàm à non reseruatis absoluat. Hoc autem ideò factum est, & sanctissimè à nostris Patribus institutum, tum ne Regulares Superiorẽ absentem cum infamiæ nota sæpe quærere videãtur, vel si est in eodem Monasterio, & nihilominùs,

hilominùs, sit iustis impedimentis irretitus, & non possit eum accedere; imò neque liceat, tunc subdito ad eum accedere, vtputà, quia cum aliqua illustri persona moratur, & nihilominùs pœnitens necesse habet vel non celebrare, vel expectare: & multoties præteribit hora; quin, quòd cũ tali mora suspicionem de aliquo tali casu dabit, vel inquietudinem apud Officiales Monasterij causabit, tum etiam, vt quotidie possit celebrare, vel sæpius sacram communionem facere, sicut laudabiliter, & fructuosè simul fit.

Obiectio. Sotus.

11 Si obiicias, quòd huiusmodi modus præsentationis improbatur à Soto, *vbi suprà*, in illis verbis, *secundus modus dicendi est*, quòd inferior audit totam confessionẽ, & de omnibus absoluit: remittit tamen eum ad Superiorem, non quidem absoluendum à peccato, sed vt liberetur ab obligatione præcepti; quo tenetur se præsentare Superiori, cui reseruatur cognitio talium peccatorum. Hìc verò modus longiùs, & peiùs distat à veritate: nam si inferior ab illis peccatis absolueret, non propriè dicerentur reseruata.

Solutio.

Ad hoc dico, quòd non est similis modus noster cum modo à Soto relato: nam apud Sotum, inferior non habet auctoritatem absoluendi à reseruatis: at in modo nostro, inferior habet facultatem à Superiore sibi delegatam, absoluendi scilicet inferiorem à reseruatis, cum onere se præsentandi Superiori: ergo non est eadem ratio de vno, ac de alio.

Modus præsentationis in nostra Religione defenditur.

12 Deinde dico, quòd modus noster non est contra vllum ius, neque contra Decretum Clem. VIII. imò est illi conformis; Superiores possunt id præcipere, inferiores tenentur acceptare, & ipsum obseruare, est conformis æquitati: & vltimo est approbatus

approbatus à sacra Congregatione probo singula.

1. *Non est contra vllum ius.*

Primò, non est contra vllum ius, quia omnia iura concedunt, vt Superiores possint sibi reseruare casus quosdam, pro quorum absolutione ad ipsos Superiores fiat recursus: at nullum ius præscribit modum, qui in tali recursu seruari debet: ergo relinquit eum arbitrio Superiorũ; qui, habito respectu ad conditiones personæ, loci, & temporis id determinant, quomodo eis meliùs in Domino videtur conducere ad salutem animarum sibi commissarum. At in nostra Religione omnibus Primoribus sic visum est expedire; ergo.

2. *Non est contra Decretum.*

Secundò, non est contra Decretum Clem. VIII. nam qui hoc opinantur, putant, quòd ex vi Decreti ablata sit potestas à Superioribus circa absolutionẽ casuum reseruatorum: & quòd tota sit penes ipsos Confessarios deputatos: sed, vt dicemus *in art. 3. secundæ sectionis*, tales hallucinantur: nam Decretum non dicit, vt Confessarij deputati absoluendi reseruata facultatem sic indifferenter habeant: sed determinat, vt quando casus occurrerit, quòd ipse Confessarius in primis iudicat non expedire, vt subditus Superiorem adeat, committatur ei facultas illum absoluendi; ergo ex se, & ex vi Decreti simpliciter id non habet: sed est necesse, vt ei committatur, & vtique ab ipso Superiore: nam Decretum non dat ei talem facultatem, vide *infrà in art. citato*; igitur, modus noster non est contra Decretum, imò est conformis: nam Papa Clemens non tollit recursum inferiorum ad Superiores pro casibus reseruatis, sed præsupponit; imò monet, vt Superiores prudenter, & moderatè vtantur auctoritate, quam habent. Vide textum.

Tertiò,

3. *Potuit sic determinari.*

Tertiò, modus noster potuit sic determinari, & assignari à Superioribus, & in eis est potestas concedendi hanc facultatem sub hoc onere. Hæc est communis sententia Doctorum. Henric. *quodlib. 1. quæst. 32.* Maior. *in 4. dist. 17. quæst. 6.* Adrian. *in 4. in materia de Confessione, q. 5. §. ideò pro solutione.* Angelica verbo, *Confessio. 5. num. 5.* & eandem videtur supponere Caietan. verbo, *Absolutio. c. 1.* & Med. *Cod. de pœnit. quæst. de Confess.* fratribus priuilegiatis facta. Idem tenet Nauarr. *in Man. cap. 5. num. 1. & cap. 26. num. 12. & in cap. fratres, de pœnit. dist. 5. num. 30. & in cap. placuit, de pœnit. dist. 6. num. 112.* Ledes. *in 2. p. 4. quæst. 8. art. 2. dub. 19.* Idem tenet Palud. *dist. 17. quæst. 5. art. 1. num. 6.* Almainus. *quæst. 1. circa finem,* & alij. Ratio verò est propter mutuum consensum, & quasi pactum initum inter Superiorem, & subditum: nam Superior posset non delegare iurisdictionem suam, & delegando, gratiam & fauorem subdito confert: ergo potest sub ea conditione eam concedere, vt si subditus velit tali gratia vti, consentiat obligationi comparendi coràm Superiore: & tunc subditus obligationem acceptans, obligatus manet: & non tam ex præcepto diuino confessionis, aut speciali præcepto Superioris; quàm ex pacto mutuo. Ita significant Palud. Almain. Medina, & alij, & distinctiùs explicauit Nauar.

Henric. Maior. Adrian. Angelica. Caietan. Medina. Nauar. Ledesma. Paludan. Almain.

Quilibet potest se obligare ad confitẽdum iterũ suum peccatum.

Obiectio.

Si dicas, quòd talis obligatio iniustè extorquetur, & est inuoluntaria, quia subditus nollet talem conditionem acceptare, sólúmque illam acceptat; quia non potest aliter facultatem obtinere, ac proinde, vel nulla, vel leuis est talis obligatio.

Responsio.

Respondeo, quòd hæc obiectio nullius momenti est; quia cùm Superior habeat integrum ius in talem causam, & nullo iure teneatur illam facultatem

subdito concedere; & si illam neget, nullam ei iniuriam irrogabit, vt dicemus *infrà in art.17. huius sect.* multò minus ei non facit iniuriam dando facultatem sub tali pacto, & non aliàs. Nec potest illa dici violentia,quandoquidem liberum est subdito non acceptare conditionem.

Quod verò addit Paludan. *loc. cit.* in his verbis; *licèt iste modus sit possibilis, non tamen est conueniens, non quia Ecclesia hoc non possit statuere: sed quia iuxta communem ritum,hoc non seruat, & quia frustrà audiret, ex quo absoluere non potest.* Hoc,inquam,nihil ad rem, quia, vt aduersùs Sotum paulò antè dicebamus,in nostra Religione Cõfessarij verè absoluunt, & à reseruatis absoluendi facultatem habent: sed cum tali onere,quod est diuersum.Est benè notandum, quòd fatetur Ecclesiam id posse statuere;ergo si Ecclesia potest hoc statuere,quod est magis,etiam Religio potest, & poterit hoc statuere, quod est minus:maius enim est audire peccatum,& non absoluere, & pro eius absolutione mittere pœnitentes ad Superiorem,quàm audire peccatum, & verè absoluere,& posteà habita opportunitate temporis ad Superiorem se præsentare.

Addit quoque Palud. *Frustrà hæc audiret, ex quo absoluere non posset*: sed hoc in nostro modo falsum est,vt iam diximus; nã Confessarius deputatus,cui datur talis facultas, licèt relinquat pœnitenti onus comparendi, nihilominùs verè,& sacramentaliter illum absoluit.Quòd si pœnitens nõ acceptet conditionem, verum est,non esse absoluendum: & ad summum sequitur, quòd talis obligatio debet proponi pœnitenti ante absolutionem, vt dicemus *infrà in art.12.secundæ sect.*Si verò est Superior,qui audit peccatum,falsum est,illum non posse absoluere: cùm

cùm possit absolutio bis cadere suprà eadem peccata, vt dicemus *infrà in art. seq.* & præterea, licèt non absoluat, neque ad hunc finem se illi subditus manifestet, nihilominùs non erit frustrà; quia potest deseruire, vt Superior vel meliorem medicinam,vel maiorem satisfactionem adhibeat: itaque modus noster rectè potuit ita stabiliri à Religione.

Quartò, talis modus debet acceptari;sicut de facto acceptatur à subditis, tum propter pactum factum, vt paulò antè dicebamus; tum quia vnusquisque potest ex suo consensu obligari ad confitendum iterum peccatum semel legitimè confessum, vt Nauar.*in c.fratres,num.*30.docet & per text. satis apertum *in extr.inter cunctas,de priuil.& c.vlt.de pœnit.dist.6.n.*3.& idem Nau.*in Man.c.9.in princip.* 4. *Ex pacto facto.* *Ad peccatum legitimè confessum,ad iterum confitendũ potest quis sponte se obligare.*

Constat autem Religiosum,qui consentit seruare statuta suæ Religionis, in quibus id determinatur,consentire etiam determinationi,& obligationi,si quam illi imponunt,ad confitendum bis illud peccatum, vel ad se præsentandum Superiori post confessionem factam Confessario deputato.

Præterea,talis modus ordinatus est in Capitulo Generali, in quo omnes Primores Religionis conueniunt, & à quibus talis modus receptus est sine contradictione.Vnde statuitur,quòd talis modus à subditis debet acceptari.

Quintò, debet acceptari; quia est conformis æquitati, & conseruat honorem, & famam pœnitentis:nã si pro absolutione casuum reseruatorum, semper ad Superiorem esset recurrendum,esset cum infamiæ nota ipsius Religiosi, & daretur facultas vagandi, in magnum detrimentum Religionis; vt ergo prouideretur & Religioso,& Religioni,rectè hîc modus adinuentus est,& determinatus. 5. *Est conformis æquitati.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Et vltimò talis modus seruari debet, quia est à sacra Congregatione approbatus.

Remedia pro reseruatis.

1. Vt ad Superiorem recurrant.

2. Confessarius potest præsentationẽ pro suo pœnitente facere.

13 Concludo igitur, quòd pœnitẽtes Regulares hæc remedia habent; quando reseruatis casibus sunt grauati. Primò, vt per se recurrant ad Superiorem, si præsens est, & hoc de iure. Deinde, vt per se, vel per alium, seu etiam per Confessarium impetrent facultatem à Superiori: & hæc est obseruantissima in Religionibus consuetudo, vt dicit Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5.* sed quæ nihilominùs cum magna cautela fieri debet: nam Confessarius non debet sic faciliter se offerre ad præsentationem faciendam pro suo pœnitente; nisi in magna necessitate, & ex pura charitate, nullo habito respectu ad interesse fauoris, aut vocis, aut alicuius rei temporalis. Hinc intelligimus, quàm perperàm agant plerique Confessarij, qui nedum pœnitentibus, peccatis reseruatis obrutis, vt ad Superiores Iudices accedant, non suadent: verumetiam vt faciliùs, & commodiùs in illis insordescant, spe alicuius lucri temporalis, vel vocis allecti, facultatem absoluendi à Superioribus maioribus se petituros pollicentur.

Reprehendũtur Confessarij, qui ad hoc sũt faciles.

Ezech. 31.

14 Sed *væ illis*, qui *consuunt puluillos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas:* vt comminatur Ezech. *in cap.* 31. Quem locum explicans D. Gregorius *2. par. Pastor. cap.* 8. sic ait: *Puluillos quippe sub omni cubito manus ponere, est cadentes à sua rectitudine animas, atque huius mundi se dilectione declinantes blanda adulatione refouere: quasi enim puluillo cubitum, vel ceruicalibus caput iacentis excipitur, cùm correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities fauoris adhibetur: vt in errore molliter iaceat, quem nulla asperitas contradictionis dictionis pulset.* Hæc ille. Non ergo tam faciles esse debent Confessarij in acceptanda pro pœnitentibus præsentatione: nisi quando necessitas, aut charitas magna vrget.

3. Ad Pœnitẽtiarios Papæ accedere possũt.

15 Tertium remedium, quod habent pœnitentes, est, quòd possunt accedere ad Pœnitentiarios Papæ, qui Romę sunt in Ecclesia S. Petri, S. Ioannis in Laterano, & S. Mariæ maioris: & extra vrbem in Ecclesia S. Mariæ de Laureto, à quibus omnibus possunt absolui, vt docet S. Bonauent. *in 4. d. 17. p. 3. art. 1. quæst. 2. in cap.*

Nam licèt Innoc. VIII. statuerit, quòd Fratres Eremitæ S. Augustini Congreg. Lombardiæ absque suorum Superiorum consensu à quibuscumque Apostolicis Pœnitentiariis ab eorum peccatis, & casibus reseruatis absolui non possint: vt habet Compend. priuilegior. *tit. absolutio ordinaria, quoad Fratres*, §. 36. & tale priuilegium per communicationem videatur posse extendi etiam ad quoscumque alios Regulares: praxis tamen est in contrariũ, quia tales Pœnitentiarij, tum Romæ, tum Laureti existentes passim absoluunt non solùm sæculares: verùm & omnes Regulares ad ipsos pro suorum peccatorum confessione accedentes.

Deputati ad cõfessiones audiẽdas possunt literas Pœnitentiaria aperire.

16 Notandum est hîc pro Regularibus ad sæcularium confessiones audiendas debitè expositis, quòd licèt nullo literarum gradu sint insigniti, aperire possunt cum licentia sui Generalis, vel eorum, qui designati sunt à dicto Patre Generali, literas sacræ Pœnitentiariæ, Magistris in Theologia, vel in iure canonico Doctoribus destinatas: & auditis confessionibus ad eos recurrentium, impositáque pœnitentia in literis expressa, vel de iure imponenda: ac in foro conscientiæ quascunque siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbo, siue scripto missas absolutiones, dispensationes, ac pœnitentiarum iunctiones, excipere, & exequi. Gregorius XIII. Societati Iesu. Quod priuilegium incipit; *Exponi nobis nuper fecisti.* Sub die 3. Aprilis anno 1582. sui Pontificatus anno 10. *n.* 198. vt habetur etiam in Compend. Minorum: *tit. Confessiones, & Confessores in Annotationibus Cappucini.* & in Compend. S. Hieron. Hispaniæ: *tit. Confessor. §. 2.* Emmanuel Rodericus *in sua collectione Priuilegiorum. Bulla 23. sub Gregorio XIV.* refert de verbo ad verbum hoc priuilegium.

Dubium. Solutio. *Confessus qui se præsentaturũ pro subdito promisit, moriẽs ipse subditus tenetur se præsentare.*

17 Sed quid faciendum, quando Confessarius promittens se pro pœnitente præsentaturum, moritur ante præsentationem factam: & hoc peruenit iam ad pœnitentis notitiam? Resp. quòd tunc debet ipse pœnitens per seipsum se præsentare, vel per aliam viam id procurare: est enim debitum contractum, & ideò semper clamat, quousque perfectè, & integrè soluatur.

ARTICVLVS IX.

An sit licitum statutum, quo Regulares subditi obligantur iterum confiteri Superiori peccatum reseruatum, aliàs ritè confessum?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia non potest statuere, vt quis confiteatur bis peccatum suum.*
2 *Peccator potest se obligare ad iterum confitendum peccatum semel ritè confessum.*
3 *Pœnitens sine suo consensu non potest obligari ad confi-*

confitendum bis idem peccatum.
4 *Consensus est duplex: expressus, & tacitus.*
5 *Cessante impedimento, tenetur pœnitens quærere absolutionem.*
6 *Absolutus ab excommunicatione in mortis articulo, & reconualescens, tenetur se præsentare Superiori pro excommunicatione, non pro casu reseruato.*
7 *Statutum de confessione iteranda, post Decretum Clem. VIII. non obligat.*

1 REspondeo, quòd circa hoc multa disputant Theologi: An scilicet possit Ecclesia hoc præceptum imponere. Aliqui enim absolutè affirmant: vt Henric. *quodlib.* 10. *q.* 1. Maior. *dist.* 17. *q.* 6. Syluester verbo, *Confessio, q.* 9. Imò non defuerunt, qui dicerent, ex vi cap. *omnis vtriusque sexus.* obligari de facto fideles ad hoc, si infra annum aliqua peccata confessi sunt non propriis Sacerdotibus, sed aliis, qui confessiones audiunt ex priuilegio. Verùm talis sententia falsa est: cùm confessio facta Regularibus, dũmodò ab ordinario sint approbati, valeat. Henric. Maior. Sylueſter.

Alij verò absolutè negant potestatem esse in Ecclesia ad imponendum hoc præceptum. D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 12. Durand. *dist.* 17. *q.* 15. Almain. *q.* 1. Palud. *dist.* 17. *q.* 5. Nauarr. *in Man. cap.* 9. *in principio,* cuius hęc sunt verba; *Præmittimus primò, conclusionem esse ab omnibus Catholicis receptam* in 4. dist. 17. *peccatum semel ritè confessum, non esse necessariò iterum confitendum sola lege diuina, & canonica: imò neque lex vlla humana sanciri potest, quæ ad id faciendũ obliget, absque proprio vniuscuiusque consensu, iuxta veriorem sententiam S. Thom.* quodlib. 1. artic. 11. & 12. *& aliorum quamplurium: scilicet Gerson.* in sect. 2. suprà Marcum. *Palud.* in 4. dist. 17. q. 5. col. 2. *Almain.* ibi col. 44. *Ecclesia nõ potest præcipere, vt quis confiteatur bis peccatum suum.* D. Thom. Durand. Almain. Palud. Nauarr. S. Thom. Gerson. Palud. Almain.

Dion. Adrian.

Dion. quem Maior & Almain. sequuntur, & Adrian. in 4. de Confess. q. 5. col. 3. *quos* in cap. fratres, nu. 30. de pœnit. dist. 6. sequuti fuimus. Sic Nauarrus.

Idem quoque habet Suarez *tom. 4. disp. 22. sect. 8.* cuius formalia verba hæc sunt: *Ego breuiter sentio, duobus modis posse intelligi hanc obligationem: primò præcisè, ob integritatem & perfectionem sacramenti: secundò ob aliquem vsum eius propter rationem aliquam religiosam, & honestam.*

Priori modo, sine dubio videtur dicendum, non posse eam obligationem imponi: vel quia materia non pertinens ad essentiam sacramenti ex Christi institutione non potest per alterius hominis voluntatem fieri de substantia, vel perfectione sacramentali, vel quia illa causa iam terminata est: & ideò non potest ad perfectionem iudicij iterùm per se pertinere, vel denique, quia aliàs posset semper peccatorum omnium iterùm confessio exigi, etsi millies fieret: quia non est maior ratio de secunda, quàm de tertia, vel qualibet alia repetitione. Illud autem perabsurdum est.

2 De posteriori autem modo potest esse nonnulla dubitatio, & ideò iterùm distinguendum est, quia duobus modis potest intelligi hæc obligatio: Primò, ex absoluta voluntate alterius præcipientis. Secundò, ex suppositione aliqua, quæ includat voluntatis consensum, & quasi pactum initum cum ipso pœnitente. De hoc modo posteriori non dubito, quin possit, hæc obligatio suscipi à peccatore. Primò per votum: potest enim aliquis voto se obligare, verbi gratia, ad generalem confessionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni; etiamsi sæpius ritè confessus sit: quia talis vsus sacramenti bonus est, & potest esse in consilio: actus autem huiusmodi

Peccator potest se obligare ad iterũ confitendũ peccatũ semel ritè confessum.

iusmodi potest esse materia voti.

Deinde ratione status voluntariè assumpti, quia sub hac obligatione potest esse eadem obligatio: vt si in aliqua Religione sit statutum generaliter confitendi semel in anno de rebus illius anni, vt referunt aliqui esse in Religione Cistercienſi, etiam sub obligatione ad mortale, in quo non video repugnantiam, quamuis non iudicem consulendum, quia est plus periculosum, quàm vtile: vnde satis est, si proponatur, vt regula conferens ad perfectionem.

3 Præterea hoc modo est vsitatum in Ecclesia, vt in casibus reseruatis detur facultas pœnitenti, vt propter necessitatem aliquam possit confiteri Sacerdoti inferiori sub conditione comparendi postea coram Superiore, ad quem per se talis casus pertinebat. At verò priori modo dicendum est, secluso consensu, & voluntate pœnitentis, non posse hanc obligationem absoluto præcepto imponi. Ratio potissima est: quia hæc est propria materia consilij, & ideò per se non cadit sub præceptum humanum. Item quia est res valde difficilis, & nullus potest esse finis, vel necessitas, propter quam expediat tale præceptum imponere. *Hæc Suarez.*

Sine suo cõsensu non potest obligari pœnitentem ad bis confitẽdum idem peccatum.

In quibus verbis ponderanda sunt, primò illa verba, *sub conditione*, nam propriè non est conditio illa, quæ imponitur pœnitenti, vt se præsentet: cùm in absolutione nulla cadat cõditio: potiùs est onus, & debitum contractum, & ideò soluendum: & quoadvsq; non soluitur, semper remanet obligatio.

Secundò, ponderanda est in vniuersum hæc doctrina, per quam fit satis illis, quibus non placet modus nostræ Religionis circa casus reseruatos: ac si non esset conformis iuri, & rationi, &

nihilominùs est ipsis conformissimus.

Consensus duplex: expressus, & tacitus.

4 Vltimò, aduertendum est, quòd consensus in prædictis potest esse vel expressus, vel tacitus. Expressus, quando quis expresè vouet, vel se obligat ad seruandum tale statutum, obligans se ad repetendam confessionem peccati, vel ad se præsentandum Superiori, etiam post absolutionem culpę habitam à Confessario, cum onere se præsentandi. Tacitus verò consensus est, cùm quis sæpè audit legere statuta suæ Religionis, quæ in tot Capitulis sunt confirmata, & non reclamat: vel si reclamat tanquam singularis, nihilominùs in communi, & à maiori, & saniori parte acceptatur statutum: tunc videtur, quòd tacitè illud probet, & sic illud, seu illa seruare tenetur.

Idem etiam dicimus de statuto aliquarum Religionum, quo obligantur in fine anni, vel quando ex itinere reuertuntur, confiteri scilicet, Prælato peccata, aliàs ritè confessa: sic Nauarrus, sic etiam P. Politius *in explicatione Regulæ nostræ, cap. 7.*

Nauarr. Politius.

Cessante impedimẽto, tenetur pœnitens quærere absolutionẽ.

5 Hoc bene est aduertendum, quòd qui ob impedimentum fuit indirectè absolutus à reseruato per inferiorem, tenetur quærere absolutionem, cessante impedimento, & tunc directè absoluatur. At qui ex solo statuto, & iure implicito tenetur repetere eadem peccata, satis est, si ea dicat suo Prælato posteà extra confessionem.

Absolutus in mortis articulo ab excõmunicatione, & reconualescens tenetur se præsentare Superiori pro excõmunicatione, nõ pro casu reseruato.

6 Quemadmodum, qui in mortis articulo directè absolutus est à reseruatis habentibus annexam excommunicationem, satis est, vt si conualescat, se repræsentet, & sine confessione peccata manifestet Superiori: vt videbimus *in art. 16. 2. sect.* quia cùm in mortis articulo sit directè absolutus à culpis, non tenetur iterũ ea subiicere Cõfessario, vt absoluatur.

7 Aliqui

7 Aliqui tamen tenent, quòd de facto tale statutum non obligat ad mortale, vt scilicet repetantur peccata: quia apud Cistercienses, apud quos tale statutum est, iamdiu consuetudo confitendi sic Prælatis cessauit, provt fatentur ipsimet Patres Cistercienses: imò Prælati renuunt audire confessiones, nedum Religiosos reos puniunt.

Statutũ de confessione reïteranda post Decretum Clem. VIII. non obligat.

His omnibus ego addo, quòd modò extat Decretum Clem. VIII. quo præcipitur, vt nullus Superior possit obligare subditum, vt sibi confiteatur peccata sua, nisi ipse subditus sponte id velit facere, vel nisi habeat reseruata. Hæc sunt verba Decreti: *Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire: nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint.*

ARTICVLVS X.

An Superior teneatur audire peccata reseruata simul cum non reseruatis, vt subditum absoluere possit à reseruatis?

SVMMARIVM.

1 *Superiores non tenentur audire in confessione reseruata, & non reseruata.*

2 *Peccata semel confessa possunt iterũ confessioni subiici.*

3 *Prælatus cautus esse debet, ne ex tanta repetitione peccati in confessione, scrupuli in anima pœnitentis vel generentur, vel nutriantur.*

1 REspondeo ad hoc cum Caiet. verbo, *Confessio.* Soto, *dist.* 5 8. Nauarro, *in cap. Sacerdos, §. quantus, de pœnit. dist.* 5. *num.* 12. quòd (vt etiam nos diximus suprà *in art.* 8.) Superior potest audire peccata

tantùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm reseruata, & ab eis pœnitentem absoluere, & remittere ipsum ad Confessarium inferiorem, siue Ordinarium, siue alium, vt talis Confessarius peccatis non reseruatis pœnitentis auditis, ab eis sacramentaliter eum absoluat.

Rodriq. Rodriquez verò putat contrariam opinionem secundùm Theologiam esse veriorem: scilicet, dictum Superiorem eam diuisionem facere minimè posse, & sic necessariò debere audire peccata reseruata, & non reseruata: provt tenet etiam Ledesma, Ledesma. *2.par.4.q.8.art.2.dub.3.concl.5.* Durand. Durand. *dist.17.q.15.* Sylvest. Sylvest. verbo, *confessio, 1.q.19.* Adrian. Adrian. *q.4.de confess. §.7.* & Victoria, *de confess.num.162.* Et fundamentum huius opinionis est: quia integritas confessionis est de iure diuino, in quo dictus Superior minimè potest dispensare: nulla præsertim necessitate, cùm ipse Superior possit remittere suum subditum ad Confessarium inferiorem cum auctoritate, vt ipsum ab omnibus absoluat.

Superiores non tenentur audire in cõfessione reseruata, & non reseruata. Nihilominùs prior sententia omninò est amplectenda: eò maximè, quia ratio oppositæ sententiæ non cogit: cùm diuisio confessionis non fiat per se, sed per accidens, vt suprà dictum est, & praxis id debet: nam Superiores vt plurimùm aliis negotiis Religionis sunt impediti. Itaque Superiores in tali casu possunt:

Primò audire, &, quantùm in eis est, debent procurare, vt integram confessionem faciant pœnitentes tunc, quando ad eos se præsentant: ipsosque absoluere integrè absque eo, quòd remittant ipsos ad Confessarios inferiores.

Secundò, possunt audire in confessione solùm reseruata, & de illis absoluere: & pro non reseruatis remittere ad inferiorem Confessariũ, qui reseruata etiam

etiam debet audire, vt à culpis etiam aliis pœnitentem absoluat simul cum culpis reseruatis.

Superior audiẽs reseruata extra confessionẽ à pœnitente, tenetur adhuc ad sigillum. Tertiò, possunt audire reseruata extra confessionem, remittẽdo absolutionem ad inferiorem Confessarium. Quod si facit, tenetur nihilominùs seruare sigillum confessionis, de quo sigillo *infrà in 3. sect. huius tractat. in explicatione vndecimæ conditionis Confessionis.* Ratio est; quia reuelatio peccati ipsi facta ordinatur ad confessionem: prout ait Ledesma: *vbi suprà*, qui cum Adriano, & Durando affirmat, quòd Pœnitentiarij Papæ, quando sic faciunt, non diuidunt confessionem: sed tantùm absoluunt à censuris Papæ reseruatis, non potentes, maximis negotiis implicati, integras pœnitentium confessiones audire, & sublatis censuris iam peccata non remanent reseruata; Papa enim solùm peccata cum censuris reseruat.

Hìc verò sciendum, quòd Confessio Religiosi, quæ fit iterato Superiori, si fit sacramentaliter, oportet vt ipse Superior absoluat pœnitentem sacramentaliter, & per talem absolutionem confertur pœnitenti noua gratia sacramentalis, vt tradit Sotus *dist.18. quæst.5. artic.5.* quia, vt docet Nauarr. *lib.3. consil. de Regul. consil.75. num.60.* est nouum sacramentum propter nouam confessionem peccatorum reseruatorum; cùm etiam peccata semel confessa, & legitimè, ac pœnitùs absoluta, possint esse iusta materia sacramenti pœnitentiæ; sicuti, & venialia, secundùm omnes Doctores.

Sotus. Nauarr. *Peccata semel confessa possunt iterum esse iusta materia sacramenti pœnitẽtiæ. Vide Nauarrum, & Suarez.*

2 Dubitatur hìc, an Superior teneatur audire Confessiones subditi, toties, quoties id petierit? Resp. quòd hoc dubium mouetur propter verba Decreti *num.3.* Dicit enim: *Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire; nisi quando* Dubium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

do peccatum aliquod admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu, id ab ipsis petierint. In quibus verbis disponit summus Pontifex, quòd non licet Prælato cogere subditum ad hoc: nam alioqui si aliis licitum est audire confessiones, multò magis id Superioribus licebit; cùm animarum cura ipsis sit commissa, & de iure communi ad id teneantur. Si ergo subditus petierit à Prælato, vt suas confessiones audiat, Prælatus tenetur eum audire. Sed dubium est an toties, quoties?

Respond. quòd sic: Primò, quia ad id de iure tenetur, vt dictum est, cùm sit suus proprius Parochus, & Decretum id non prohibet subditis: nisi per hoc à maioribus, vel æquè necessariis curæ oneribus auocetur, vel probabili ratione, seu coniectura ei constet, quòd non expedit illos tam frequenter audire.

Secundò, quia multoties expedit saluti animarum; Superiores enim, vt plurimùm, sunt peritiores aliis, & simul cum auctoritate, quam habent possunt illi pœnitẽti tale remedium præbere, quod non poterunt Confessarij subditi. Cùm ergo ad modum singulare præsidium recuperandi oues perditas, & confortandi, ac præmuniendi cõtra, & aduersùs luporum inuasionem sit sacramentũ Confessionis, & Superiores meliùs, quàm subditi ad id possint oues iuuare, patet quòd eos audire tenẽtur quoties id petierint. Quod etiam colligitur ex *c. 34. Ezechielis*, nam Prælatus est Pastor spiritualis: & ita tenetur ad pascendum gregem, vt quod pingue est, non occidat, infirmum consolidet; quod ægrotum sanet, quod confractum alliget; quod obiectum reducat, & quod perierat, quærat, ne grex Domini fiat in rapinam, & deuorationem omnium bestiarum

Ezech. 34.

bestiarum agri, seu dæmonum. Sed ponderandum est verbum Prophetæ, ait enim; *Quærat*, quasi dicat: Non expectet, donec ipsemet veniat, quantò magis ergo per se venientem debet recipere?

Deinde pro omnibus, etiam sæcularibus mouet, & illud grauissimè, quòd quoties quis putat, se non recordaturum peccati mortalis, quod admisit, in Quadragesima, vt illud tunc confiteatur, tenetur illud anteà confiteri: vt dicemus infrà *in 3. sect. in explicatio. 13. cond. confess.* & tunc de casu congruitatis potest efficere casum necessitatis: quoad Confessarium saltem. Vnde concluditur, quòd quoties Parochianus petierit confiteri à suo proprio Parocho, vel subditus à suo Prælato, tales tenentur eorum Confessiones audire.

3 Sed discretione opus est in tanta frequentia confitendi: cauere enim debet Prælatus, ne in conscientia subditi scrupuli nutriantur: vnde multoties expediret eos non audire. Et multò magis attendere debet in concedenda facultate, vt quotidie die ad sacram communionem accedant: nam sicut iis, qui in via Dei proficiunt, hoc potest permitti: ita illis, qui communi cursu in profectu spirituali perambulant, aliquando debet denegari: sed hoc non est nostrum institutum.

Prælatus cautus esse debet, ne ex tanta frequentia confessionum nutriantur scrupuli in anima alicuius subditi.

ARTICVLVS XI.

Quæritur, quando subditus confitetur Superiori habenti potestatem ordinariam ad absoluendum à casibus reseruatis, & ab illo simpliciter absoluitur ab omnibus peccatis: ipse tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

men per obliuionem inculpabilem omisit aliquod peccatum reseruatum.

An subditus liber maneat à præsentatione, & reseruatione, ita vt confiteri possit illud cuicumque Confessario deputato?

SVMMARIVM.

1 *Subditus se confitens Superiori, qui eum ab omnibus absoluit, non tenetur amplius ad illud se præsentare de reseruatis.*

2 *In visitatione Superiorum absolutus à censuris, an etiam ab oblitis absolutus sit?*

1 RESpond. quòd circa hoc dubium est sententia valde communis, affirmans, tunc auferri reseruationem peccati: ita tenet Gabriel. *dist.* 12. Adrian. *quæst.* 4. *de confess.* Sylvest. verbo, *confessio.* 1. *num.* 22. Nauarr. *in cap. consideret, §. cautus, num.* 32. *& in Manual. cap.* 26. *num.* 13. Couarr. *in cap. alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 12. Ledes. 2. *p.* 4. *quæst.* 8. *art.* 1. *dubit.* 8. Cano. *in relect. de pœnit. par.* 5. & alij. Fundamentum solùm est, quia Superior absoluens tollit omnia peccata, etiam reseruata, & hoc ipsum intendit formaliter, vel virtualiter; ergo tollit reseruationem etiam eorum, quæ oblita erant.

Gabriel. Adrian. Sylvest. Nauar. Couar. Almain. Ledesma. Cano.

Peccata reseruata vel habent excommunicationē, vel non.

Sed distinctione vtendum est; nam primò, peccata reseruata vel habent excommunicationem annexam, vel non: secundò, distinguendum est de modis confitendi Superiori, id enim fieri potest duobus modis, vnus est ordinarius ad communem confessionem faciendam de peccatis communiter

ter occurrentibus, absque vlla mentione, vel intentione speciali casuum reseruatorum. Alter modus est; quando Confessio specialiter fit Superiori, vel habenti iurisdictionem eius ad hunc finem, exonerandi scilicet omnino conscientiam, & consequendi absolutionem peccatorum reseruatorum, si quæ fortasse pœnitens habeat.

2 Quando ergo pœnitēs posteriori modo confitetur, & suam intentionem manifestat Superiori, & bona fide dicit illi omnia, quæ memoriæ occurrunt, quamuis aliquis casus reseruatus per obliuionem taceatur, liber manet à reseruatione. Et quoad absolutionem à censuris est etiam hoc certissimum, quod præcipuè docuit Paludan. *dist.* 14. *q.* 5. *artic.* 3. *concl.* 4. quia ad absoluendum à censura per se, & directè, non est necesse distinctè, & in particulari cognoscere causam censuræ: sed sufficit voluntas generalis absoluendi ab omnibus, etiam reseruatis, quam profectò habet Superior in illo casu.

Paludan.

Sic à simili, in visitatione Superiorum, quando absoluunt ab omnibus pœnis, & censuris, sufficit tunc habere intentionem absolui de omnibus: nam si posteà aliqua censura in memoriam venerit, iam est ablata, & absoluta.

In visitatione Superiorum, qui habet intentionem, vt ab omnibus censuris absoluatur, etiam ab oblitis absolutus est.

Sic quoque in tēpore Iubilæi plenissimi, quando datur facultas pro omnibus casibus reseruatis, & censuris: tunc enim si per obliuionem nō recordatur quis de aliquo casu alicuius peccati, vel censuræ; potest, & sufficit, quòd confiteatur posteà peccatum illud Sacerdoti deputato: nam ampliùs non est in illo casu reseruatio, seu censura aliqua.

Si verò Confessio fit Superiori, nulla facta mentione, vel intentione casuum reseruatorum, tunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

non satis est,vt peccatum oblitum,quod anteà erat reseruatum,posteà maneat non reseruatum, & sine onere confitendi illud Superiori. Vide Suarez,*t.4. disp.31.sect.4.assert.2.*ibi.*Quartum punctum.*

ARTICVLVS XII.

An quando idem peccatum pluribus modis reseruatum est, ablata vna reseruatione, auferantur & reliquæ?

SVMMARIVM.

1 *Peccatum validè remissum non manet ampliùs reseruatum.*
2 *Reseruatio vel fit cum censura,vel sine ea.*
3 *Ablata reseruatione Papali, aufertur & Episcopalis: quando hoc sit verum.*
4 *Ablata vna reseruatione,non semper aufertur alia.*

Peccatum validè remissum, nõ manet ampliùs reseruatum.

1 REspond. quòd in hoc dubio possumus agere de ablatione reseruationis per absolutionem directam ipsius culpæ deseruatæ,vel per aliumodum. De priori modo nulla potest esse dubitatio: regula enim est semper vera, scilicet peccatum per directam absolutionem validam semel remissum, non manere ampliùs reseruatum; quia iam non est materia necessaria Confessionis. Potiùs ergo inquirendum est; quando peccatum habet plures reseruationes,quid necessarium sit ad tollendam reseruationem; ita vt absolutio valida sit.

Reseruatio vel fit cum cẽsura, vel sine censura.

2 Pro quo notandum est, quòd reseruatio vel fit sine censura, vel cum censura. Si priori modo, existimo

existimo in primis,si reseruationes factæ sint ab eodem Superiore, licèt videantur plures,in re tamen non esse, nisi vnam repetitam: ideóque per vnam facultatem absoluendi à tali peccato, tolli omnem reseruationem huiusmodi. Voco autem eundem Superiorem, non solùm per identitatem personæ: sed etiam per identitatem potestatis, seu prælationis, vt si vnus Prouincialis reseruet vnum peccatum per vnum statutum,& successor eius per aliud statutum, vel per declarationem ab homine illud confirmet.

At verò si idem peccatum sit reseruatum à duobus Superioribus subordinatis; vt à Prouinciali, & à Generali: tunc clarum est,facultatem Prouincialis non sufficere ad tollendam reseruationem simpliciter, respectu Generalis;quia non potest inferior restituere iurisdictionem,quam Superior abstulit,sibique reseruauit.

3 E contrariò autem Nauar.*in Man.c.27.n.261.* ait, quòd ablata reseruatione Papali aufertur & Episcopalis: & ad propositum in Religione, ablata reseruatione Generalis, aufertur & illa Prouincialis. Hoc autem non placet Suarez, *vbi suprà sect.4. in fine.* Vterque tamen dicit verum suo modo; quod vt manifestum fiat, distinguendum est: nam vel tunc Papa vult auferre omnem reseruationem respectu casus illius, vel solùm suam. Primo modo verum dicit Nauarrus: Secundo modo, verum dicit Suarez:idem dicendum censeo de Generali,& Prouinciali proportionaliter.

Nauarr. *Ablata reseruatione Papali,aufertur & Episcopalis:quando hoc est verum.*

Suarez.

4 Si verò circa vnum peccatum sunt plures reseruationes respectu censuræ;quia scilicet, tam Superior, quàm inferior non solùm reseruauerunt sibi casus: sed etiam cum censura, tunc ablata vna

Universidad de Deusto
Biblioteca

censura, non aufertur alia; & opus est, vt quilibet suam censuram, vel per seipsum, vel per suum delegatum auferat.

ARTICVLVS XIII.

An possimus vti extra confessionem illa notitia, quàm habuimus in confessione.

SVMMARIVM.

1 *Vsus notitiæ comparatæ cum morali periculo reuelationis confessionis directè, vel indirectè, non est licitus.*

2 *Pœnitentiam publicam pro peccatis secretis non licet imponere, nisi ex consensu pœnitentis.*

3 *An si Confessarius id imponat in remedium.*

4 *An si sit in potestate Confessarij auferre talem occasionem, teneatur auferre.*

5 *Mutatio officij, vel loci cum morali suspicione reuelationis confessionis non est licita.*

Vsus notitia in Cõfessione cõparata cũ morali periculo reuelationis confessionis directè, vel indirectè, non est licitus.

1 RESpond. quòd circa hoc distinguendum est de vsu: nam aliquis vsus est, ex quo sequitur aliqua suspicio, & est vsus, ex quo nulla sequi potest. De priori, regula certa est. Vsus huius notitiæ cum morali periculo reuelationis directæ, vel indirectæ, nunquam est licitus. v.g. est Superior, qui audit Confessionem subditi, ex vi illius non potest illum ita gubernare, vt alij possint suspicari de peccato illius, neque in specie, neque in genere: vt auferendo illi ministerium aliquod, vel mutando locum: & summus Pontifex in suo Decreto disertis verbis id prohibet, dicens; *Tam Superiores pro*

pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad superioritatis gradum fuerunt promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur: atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandant.

Hîc verò occurrunt nonnulla dubia.

Pœnitentiã publicã pro peccatis cõmissis nõ licet imponere pœnitẽti, nisi ex consensu ipsius.

2 Primum est, an liceat imponere pœnitenti pœnitentiam publicam in satisfactionem peccati commissi, etiamsi inde sequatur reuelatio indirecta, ideſt, suspicio alicuius criminis grauis, vel in particulari, vel in generali talis pœnitentis? Ad quod dicimus, id fieri non posse, nisi ex spontanea acceptione pœnitentis, quia omnis reuelatio indirecta repugnat sigillo: quando verò pœnitens voluntariè acceptat, iam non est reuelatio confessionis, sed ipsemet pœnitens se prodit.

3 Sed difficultas maior est, quando Confessarius id iniungit non tantùm in punitionem peccati commissi, sed in remedium cauendi simile peccatum, aut tollendi scandalum, vel aliquid simile.

In quo casu si supponitur, medium illud esse necessarium, potest illud Confessarius præcipere pœnitenti: vt verbi gratia, quòd dimittat officium, vel hanc domum, seu Monasterium, aut aliquid simile, ipse tenebitur obedire. Quòd si noluerit, dimitti potest sine absolutione, & ita nulla est fractio sigilli, vt inquit Suarez: quia si aliud fit, totum est medio consensu, & voluntate pœnitentis: neque est grauamen, aut onus contra sigillum, quòd ille consensus per præceptum, aut per comminationem negandi absolutionem extorqueatur: quia supposita vera necessitate, illud præceptum non tam imponitur à Sacerdote Confessario, quàm declaratur pœnitenti

obligatio,quam in seipso habet:& ideò comminatio illa iusta est,imò & necessaria : quia non potest aliter Confessarius debito modo fungi suo munere.

4 Sed vlteriùs restat dubitatio : An sit in potestate Confessarij auferre talem occasionem : An possit,ipso inuito, illam auferre , non obstante suspicione, quæ moraliter inde timetur ? Exemplum commune est,si Confessarius sit Superior Religionis,qui potest mutare officium,vel locum subdito, ex quo pendet talis occasio.Aliqui affirmant,& solet tribui hęc opinio Gabrieli,tribuitur etiam Henric. *quodlib.*8. *q.*28. qui solùm hoc significat in eo casu, in quo suspicio solùm timetur apud aliquem, respectu alicuius,qui iã nouerat peccatũ pœnitẽtis.

Gabriel. Henric.

Mutatio officij , vel loci cum suspicione morali reuelationis confessionis non est licita. Aliquando verò licita.

5 Vera tamen sententia est,cum tali suspicione nunquam licere:quia esset indirecta reuelatio, quæ semper est illicita , etiam respectu vnius , cui sunt notæ res talis pœnitentis : nam ei saltem nota fit confessio : quod semper est prohibitum , etiam in peccatis publicis.

At verò, si Superior id posset facere sine vlla suspicione respectu aliorum , & res sit talis,quæ pendeat ex arbitrio eius,multorum sententia fuit,posse Superiorem talem rem auferre,& mutare, vt occasionem peccandi auferat , non verò aliàs. Sic habet S.Thom. *quodlib.* 5 .*art.*13. *& in* 4.*dist.*21.*q.*3.*artic.*1. qui dicit,posse Superiorem Religionis priuare subditum aliquo munere hac de causa , quando talis mutatio fieri potest, solo arbitrio Superioris : nam si officium habeat certum tempus designatum , & auferri non soleat extra illud , nisi propter aliquam causam : tunc non posse hoc fieri,quia esset reuelatio confessionis:& idem est,quandocunque in particulari timeretur talis suspicio.

S.Thom.

Idem

Idem tenet S.Bonauentura *in* 4.*dist.*21. *in* 2.*part.* *art.*2.*q.*1.*ad vltimum*,dicens : *Superior debet ei persuadere voluntariam cessionem,& quòd ipse petat absolui ab onere officij. Quòd si non vult , non debet eum absoluere: sed debet eum sustinere:nisi sit talis Religio,in qua subditi possint transmutari,vel transferri,sine diffamiæ nota.*

S. Bonau.

Scotus idem confirmat *in* 4.*dist.*21.*q.*2.*ad penult.* his verbis:*Si in Collegio est consuetudo communis, vt sine nota quilibet extra Monasterium curam habens , vel sine cura moram trahens,reuocetur pro libito Præsidentis, vel etiam non passim , pro libito : sed quandoque pro alia causa honesta,vt nunc ipse quiescat in Claustro, nunc laboret cum Martha in exteriori ministerio , & nunc ille, provt vtile visum fuerit Præsidenti* , tunc dico , quòd Monachum confessum de crimine commisso in aliquo loco extra Monasterium , vbi moratur , potest Abbas ad Monasterium reuocare : quia in hoc , in nullo peccatum prodit : licèt aliquis dixerit , quòd Confessor nullo modo potest se habere aliter ad confessum ratione confessionis,quantum ad quemcunque actum extra forum illum , quàm si penitùs nihil audisset. Si autem est consuetudo in Collegio , quòd non transferatur Monachus de loco forinseco ad claustrum,nisi ratione delicti,vel insufficientiæ illius loci : non videtur tunc licitum Abbati confessum ad Monasterium reuocare.

Scotus.

Si dicas : Non apponit remedium oui suæ ad salutem ? Respondeo;consulat sibi in foro pœnitentiæ meliori,quo poterit modo, vt illum locum periculosum dimittat. Si noluerit, NON ATTENTET ESSE DEVS : sed defectus occultos sibi secundùm iustitiam incorrigibiles Dei correctione dimittat. Et eodem modo poterit se gubernare Superior loci cum quolibet Religioso officiali:vtputà

Verba auctoris Scoti.

cum quæstuario, sacrista, vel huiusmodi. Ponam hîc verba Decreti Clem. VIII. *de quo suprà sub n. 5. Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad superioritatis gradum fuerunt promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit.*

ARTICVLVS XIV.

An quælibet peccati occasio, sit necessariò euitanda?

SVMMARIVM.

1 *Occasio venialis peccati non necessariò vitanda.*
2 *Occasio remota peccati mort. non necessariò vitanda.*
3 *Non omnis occasio est necessariò vitanda.*
4 *Occasio vitanda necessariò quæ.*
5 *Limitatur Nauarri doctrina.*
6 *S. Bonauenturæ longus, sed pulcher discursus de occasionibus vitandis à religiosis ad perfectionem tendentibus.*
7 *Spiritualis cautela.*
8 *Charitas palliata.*
9 *Cautelæ deceptorum.*
10 *Tactus mulierum fugiendus.*
11 *Harum deceptio.*
12 *Tales nunquàm purè, & integrè confitentur.*
13 *Tales sæpè mutant confessores.*
14 *Confessarios idiotas quæritant.*
15 *Familiaritas fœminarũ spiritualiũ maximè vitanda.*
16 *Mulier, & mundus fugiendo vincuntur.*

1 Respon

1 REspond. Circa hunc articulum præsuppono, primò, quòd hîc non est sermo de occasione peccati venialis: nam cùm nec occasio talis, nec ipsummet peccatum veniale impediat gratiam, nullus necessitatur ad eam relinquendam: neque alicui in tali occasione existenti, iure potest denegari absolutio. In hac conclusione conueniunt omnes Doctores. *Occasio venialis peccati non necessariò vitanda.*

2 Secundò præsuppono, quòd neque est necesse relinquere occasiones remotas peccati mortalis, cùm non sint peccata, alioquin omne creatum quasi esset, vel posset esse occasio remota ad peccãdum: sic *Sap. 14. Creaturæ Dei factæ sunt in deceptionem animæ hominum, & in odium, & muscipulam pedibus insipientium.* *Occasio remota peccati mort. non est necessariò euitanda.* Sap. 14.

Tertiò præsuppono, quòd ad hoc, vt aliqua occasio sit mortale, vel propinqua ad mortale, non sufficit, vt pœnitens, & Confessarius credant, quòd nisi ab illa discedat, aliquoties peccabit mortaliter: nam, vt rectè dicit Innoc. III. *in cap. omnis, de pœnit. & remiss.* sufficit proponere firmiter, quòd nunquàm peccabit mortaliter, auxilio Dei fretus. Sed neque Confessarij credunt militibus, aut mercatoribus, quòd in suis exercitiis nunquàm peccabunt mortaliter: neque propter hoc debent eis imponere, vt talia exercitia dimittant: sicut neque Ioannes Baptista id militibus præcepit *Luc.* 3. tantummodò eis dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* *Occasio propinqua pecc. mort. quæ necessariò relinqui debet.*

Quartò suppono, quòd vt aliqua occasio dicatur mortalis, aut propinqua ad mortale, ita vt necessariò debeat vitari, non semper est illa, quæ sine magna difficultate non possit exerceri absque peccato: vt dicit Gregor. relatus *in cap. negotium, de pœnit.* S. Gregor.

nit.dist.3. difficile est valde militi, & mercatori in suis exercitiis à peccatis cauere. Summatim omnes Doctores ibidem, non est necesse, vt tales dimittant talia exercitia: licèt bene esse sit ea relinquere, vt non habeant occasionem peccandi. Et præterea praxis docet, quod vni est occasio mortaliter peccandi, non semper est idem pro alio: alioquin vix officium quodlibet reperitur, in quo aliquando Officialis non peccet. Vide Nauarr. *in suo Man.cap.3.*

Non omnis occasio est necessariò euitanda.

3 His suppositis, respondeo cum eod. Nauarr. *ibid.num.13.* quòd non omnis occasio est necessariò euitanda: sed sola illa, quæ vel est peccatum mortale, vel ad illud proxima. Sed præstat audire ipsum Nauarrum, qui sic ait; Vt aliqua occasio faciat peccare: & ideò necessariò vitanda sit: non satis est, vt pœnitens, & Confessor credant, quòd nisi pœnitens se abstineat ab ea, nonnunquam ob eam peccaturus est, etiam mortiferè in suis officiis: neque oportet id credere, vt pœnitens absoluatur, iuxta Innoc. III. *in cap.omnis*, quamquam teneatur proponere, se ampliùs ope diuina nunquàm mortaliter peccaturum.

Occasio qua necessariò euitanda.

4 Vnde sciendum, quòd occasio propinqua huiusmodi, à qua pœnitens necessariò debet abstinere, atque statuere se nunquàm ea vsurum, vt à Confessario absolui possit, est omnis illa, & sola, quæ est peccatum mortale: aut talis occasio peculiaris, qua credit, vel debet credere Confessarius, vel pœnitens, nunquàm, vel rarò se ea vsurum sine peccato mortali, benè perpensis eius circumstantiis. Itaque quatuor debent concurrere: vt quis non cogatur relinquere occasionem peccandi. Prima, vera pœnitudo præteritorum. Secunda, verum propositum non peccandi, cùm se inuenerit in ea. Tertia, credu-

credulitas, quòd Deo iuuante, non peccabit, cùm in ea se inuenerit. Quarta, quòd subsit aliqua rationabilis causa non se separandi ab ea. Et infrà subdit. Rectè faciunt Confessarij absoluendo multos adolescentes, qui versantur inter mulieres emendo, vendendo, laborando, & conuersando absque cohabitatione illarum in eâdem domo: licèt non proponant perpetuò abstinere ab occasione peccandi, quam id illis præbet: quamuis sæpiùs peccent voluntate, verbis, aut tactibus impudicis, & etiam copula: quia occasio, quæ ex hoc præbetur ad peccandum, non est ex se peccatum mortiferum, neque huiusmodi, vt ferè semper faciat mortaliter peccare eos, qui ea vtuntur. Hæc, & alia multa habet Nauarr. *in loco cit.* ex quibus Confessarius Regularium potest eligere ea, quę pro gubernandis suorum pœnitentium Regularium animabus faciunt, pro fugienda occasione peccati.

5 Sed obseruandum censeo in prædicta Nauarri doctrina, in eo scilicet, quod ait; *posse absolui adolescentes, qui versantur inter mulieres emendo, &c.* Hoc, inquam, & quodcumque simile, in quo Nauarr. facit facultatem absoluendi, sic temperandum videtur, vt locum non habeat: quando pœnitens expertus est, se tali occasione data statim, aut quasi statim cadere: nisi accedant nouæ rationes, & circumstantiæ; ob quas rationabiliter sperare possit, se non peccaturum, etiam occasione huiusmodi data.

Limitatur Nauar. doctrina.

Suarez etiam optimè dicit *in 4.tom.disp.32.sect.2. num.4.* quòd in hoc vix potest certa regula tradi: quia tota hęc res maximè pẽdet ex prudentia Confessoris: solùm est aduertendum, quòd vt aliqua sit mortaliso ccasio proxima, necessarium esse, vt vel ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines

Suarez.

Occasio mortalis proxima qua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mines similis conditionis ad tale peccatum, vel verè, & experimento constet, in hoc homine habere talem effectum. Deinde necesse est, vt illa occasio voluntaria sit: quia aliàs, quod ex illa nascitur, vt sic non erit voluntarium, neque ipsa in se poterit esse culpabilis. Vnde fit quando moraliter vitari non potest, illam non censeri voluntariam, neque assumptam, sed illatam: & ideò non esse morale, sed necessitatem quandam potiùs, vel impotentiam, propter quam non sit homo absolutione dignus. Oportet tamen aliis mediis vti ad curandum hominem, & probandum, an eius propositum efficax sit: neque est illi neganda absolutio, etiamsi iterùm, atque iterùm reincidat: maximè si aliquantulum se contineat, & numerum peccatorum paulatim diminuat. Interdum verò differri potest absolutio; & maior aliqua pœnitentia, vel cautio adhiberi: quòd si tandem experimento constet, hæc non sufficere, cogendus erit interdum pœnitens ad tollendam occasionem, etiam cum graui temporali nocumento: semper tamen magna prudentia necessaria est, vt scandalum vitetur.

Occasionẽ peccãdi vt tollat pœnitẽs, quãdo cogẽdus.

6 Verùm quia tractatus iste, & labor noster Religiosis ad perfectionem tendentibus præcipuè desudat, placet hîc describere ea, quæ habet S. Bonauentura *in Opusculo de modo confitendi, & de puritate conscientiæ in cap.* 14. vbi dicit sic; Quoniam multi videntur negligere, vt agnoscant affectiones suas vitiosas, & per consequens non curant confiteri: cùm tamen diligenter sint perscrutandæ, & cum vitiis orientibus ex ipsis exprimendæ; ideò prætermittere non intendo, quia multi afficiuntur nimis ad se ipsos, quidam ad alias personas, quidam ad honores, quidam ad diuitias temporales. Et quia hæc sunt

S. Bonau. aurea verba.

Varia & noxia inclinationes hominum.

sunt sicut murus inter Deum, & animam; ideò nullus hominum habens aliquid de prædictis, potest in via Dei proficere, nec habere puram orationem: & maximè quando est carnalis affectio ad personam, & de hac intendo modò loqui. Nam talis affectio multos spirituales sub specie spiritualis amicitiæ à statu orationis impedit, & impediuit.

Hæc est inquietudo mentis pestifera, orationem mentis, & oris inficiens, & dispergens: & affectus contrarios orationi in mente generat, & exercet: nam sicut oratio pura mentem purificat, sic carnalis affectio, & immunda mentem inficit, & obscurat, contristat, debilitat, & desiccat; & corpus eiusdem maledictionibus implicatur.

7 Et quoniam spiritualibus loquor, propter quos illa scribo, nouerint ipsi, quòd licèt carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa, ipsis tamen magis pernicioſa, maximè quando conuersantur cum persona, quæ spiritualis videtur: nam quamuis harum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas, quantò plus crescit, tanto plus infirmatur principale motiuum, & vtriusque puritas maculatur: non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius ille non statim, à principio mittit sagittas venenatas, sed solùm aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes.

Spiritualis cautela.

Ad tantùm verò deueniunt, vt iam non veluti Angelos, sicut incœperant, se inuicem alloquantur, & videant: sed tanquàm carne vestitos se mutuò intueantur, & saucient mentes quibusdam commendationibus, ac verbis blanditoriis, & adulatoriis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

riis: quæ videntur ex prima deuotione procedere: exinde vnus incipit appetere alterius præsentiam corporalem; quia forma, vel species corporum in vtriusque mente concepta incitat eos ad volendum præsentiam corporalem; quasi insit eis præsentia mentalis: sicque spiritualis deuotio paulatim conuertitur in corporalem & carnalem; & sic ipsorum mentes, quæ solebant in oratione cum Deo absque intermedio loqui: tunc inter se, & Deum, alter alteriùs ponit corporalem effigiem, quam velant, & obtenebrant, ponentes sibi ipsis faciem Dei cùm facie creaturæ.

Charitas paliata.

8 Et non minùs horrendum est, cùm ij proprium errorem percipere, & emendare deberent, potiùs in nutrimentum erroris illud totum iudicant ex maxima charitate procedere: cuius meritò, puto, & sibi inuicem mentientes referunt, quòd in oratione vnus alteri præsentatur, quò oratio reddatur delectabilis; ac si pro se inuicem orare cogantur, gratia, & virtute diuina: ac per hoc consolationem simpliciter sensualem, quam habent in illa præsentatione de se ipsis facta in oratione prædicta, æstimant, ac affirmant, ac asserunt esse spiritualem gratiam, & diuinam.

Quales autem illusiones recipiant à sagittario suprædicto, specialiter mulieres, quæ citiùs fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile, & quasi impossibile declarare. Sentiunt nempe in oratione prædicta, & præsentatione mentali calorem quendam ignitum à sagittario illo iactum, quem credunt, & dicunt ignem charitatis à Spiritu sancto immissum, volẽtem coniungere spiritum vnius spiritui alterius vinculo charitatis: cùm tamen sit ignis libidinosi amoris: pro vt frequenter exempla manifestant:

manifestant: & inde deliberant se tanquàm spiritualiter vnitos, posse securiùs, prolixiùs, & sæpiùs simul loqui: atque in hoc, tempus non perdere, sed lucrari.

Cautela deceptorum.

9 Proinde modos mirabiles, & insolitos, & cautelas adinueniunt, quibus procurant simul colloqui frequenter; allegantes vnus alteri causas vtilitate, & necessitate depictas: cùm tamen in veritate nihil aliud sit causa, nisi onus, cui ratio succumbit.

Sic itaque carnali concupiscentia excæcati; tempus, quod olim in oratione consueuerant expendere, ac spiritualiter occupare: nunc in huiusmodi familiaritatibus, & colloquiis perdunt; & sic (quod dolendum est) allocutiones diuinas pro carnalibus commutant. Amodò igitur (nisi mora serotina cogente, aut alia ineuitabili causa) non possunt ab inuicem discedere: & tunc inuiti, & tristes discedunt. Hæc autem tristitia, est certissimum indicium, quòd carnis vinculo sunt alligati, & per hoc visitationes, & consolationes diuinæ à carnalibus, & diabolicis discernuntur.

Denique quamuis multis se exponant periculis, & multa mala incurrant, dum eorum obtenebratis conscientiis iudicant, quædam sibi tanquàm spiritualibus esse licita, quæ fieri nequeunt absque peccato & periculo, putaui tamen meliùs esse, non multa de hoc, calamo exarare. Hæc tamen non tacere valeo, quin aliqualiter referam, maximè quia non longè à temporibus istis similia contigerunt.

Tactus mulierum fugiendus.

10 Tandem, spirituales prædicti quandóque se deduci permittunt, vt se inuicem familiariter tangant sub specie charitatis, referantes sibi inuicem immensum cordis amorem, quem impudenter, charitatem appellant; sed in hac reseruatione amoris,

ris, est summum periculum: quia ex hoc fabricantur sagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mortaliter, ac venenant.

Nota. *Deceptio harum.*

11 Et quòd supra omnia videtur mihi horrendum, Deo & Angelis, hominibus & dæmonibus, fuerunt iam aliquæ, spirituales nomine, spiritu luxurioso imbutæ, quæ in excusationem suæ libidinis præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo: Quod nihil aliud iudico, nisi quoddam incitamentum, & inductiuum ad similia securiùs iteranda, & peiora perpetranda.

Dic mihi, qui talibus credis, & adhæres, si isti sunt verè spirituales, vt asseris, quid aliud loqui, aut facere deberent, nisi quod à Spiritu sancto procedere potest, vel procedit? Ab illo autem nihil procedit noxium, sed solùm quod est vtile, & honestum. Quid enim ad Spiritum sanctum de talibus osculis; aut qualem honorem inde consequitur Deus; & quæ vtilitas, aut quæ necessitas tibi ad salutem, vel alteri, vt hos tactus facias, aut patiaris? Quæ conuentio spiritus ad libidinem carnis? Quæ igitur præsumptio tua, vt hanc contumeliam inferas Spiritui sancto: scilicet, attribuendo sibi tuæ impudicitiæ *fœtorem*, quem vix Dæmones patiuntur? Quæ, inquam, temeritas tua mulier hypocrita, à facie Dei proiecta, vt dicas, delectationem carnis libidinosam esse gratiam, & consolationem diuinam? Recede ergo fera pessima de finibus meis, quia dæmones nequeunt tuam præsentiam sustinere.

12 Hæc itaque, fratres charissimi, non incongruè huic operi sunt inserta: vt sciat vnusquisque, quòd hæc venenosa affectio, sub colore spiritus acquisita,

acquisita, in homine impedit puritatem confessionis, & cordis munditiam; vt sic hanc fugiant, tanquàm vitiosam rubiginem, quæ vix potest aboleri de mente, si alicui fuerit applicata: præcipuè quia tales personæ, quandiu sunt hac sagitta percussæ, quasi nunquàm purè, & integrè confitentur: eò quòd ipsum morbum despicabilem in persona spirituali verecundantur toties detegere plenè, & integrè Confessori: quia verentur exprimere aliquas circumstantias tali affectioni annexas, quas vel tacent, vel imperfectè explicant, vtentes verbis operientibus dictum morbum: sicut sunt occupatio mentis, quasi continua circa personam dilectam, & in oratione, & cunctis actibus suis: & imaginationes turpes de ipsa vana complacentia cordis in memoria, & aspectu mentali ipsius, & negligentia in euitando eius præsentiam, & colloquium; & alia, quæ experiuntur ipsi.

Tales nunquam purè, & integrè confitentur.

Quod benè aduertant.

13 Propterea sæpè mutant Confessorem, aut vellent mutare, si possent; sicque tristes sunt, & acedioси frequenter: tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quàm ratione confessionis imperfectæ, de qua ipsimet non contentantur: sed quod peius est, cùm ipsi deberent quærere Medicos spirituales cautos, & peritos, ac expertos, qui scirent illam ægritudinem, & causas eius agnoscere, & congruum remedium adhibere, non solùm non faciunt, sed potiùs, si semel ad aliquem talem peruenerint, ipsum extunc fugiunt, nec reuertuntur ad ipsum.

Tales sæpè mutãt cõfessores.

14 Quærunt ergo Confessores idiotas, & simplices, qui nec morbum intelligunt, nec causas eius agnoscunt: & ideò nesciunt congruam adhibere medicinam.

Confessores idiotas quærunt.

Familiaritas fœminarum spiritualium maximè vitanda.

15 Tantùm de hac materia dixisse sufficiat, vt per hoc confidenter animentur per viam puram & immaculatam incedere, & fugere periculosam pestem, familiaritatem mulierum spiritualium, quæ non meliùs, quàm fugiendo vitatur. Satis enim posset quis hac sagitta percussus se ieiuniis, vigiliis, ac disciplinis affligere, & orare: quòd si non fugiat personam, & omnem occasionem despiciat, nunquàm curabitur illo morbo; sed magis augebitur illud vulnus.

Mulier, & Mũdus fugiẽdo vincuntur.

16 Propter quod sequamur consilium Beati Hieronymi *in Epist. ad Oceanum*, dicentis: *fœminam, quam vides benè conuersantem, mente dilige, non frequentia corporali*: quia initium *libidinis est in visitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non meliùs vincitur, quàm fugiendo; quia cæteris vitiis, & morbis potest quis resistere: huic tamen non potest, nisi per fugam.*

Et alibi: *Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in Paradiso: non est mirum, si eos impediat, qui nondum ad Paradisum peruenerunt.* Et iterum ad Nepotianum *Epist. 2. Solus cum sola non sedeat in secreto absque arbitro, & teste.* Et, *ibidem* paulò post; *Ne sub eodem tecto solus cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas; quia nec tu Samsone fortior, nec Salomone sapientior. Si fortè dicas: Iam corpus emortuum est, dico tibi; quoniam Diabolus viuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit.*

Idem *ibidem* dicit: *Omnes Virgines Christi, & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora.* Item D. Augustinus dicit; *Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus est habendus: nec tamen quia sanctiores fuerint, quia eò magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis, immiscẽt se vitiis impijssimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus siem, in Christo loquor, non mentior. Cedros Libani: id est,*

id est, contemplationis altissimæ homines, & gregum arietes; id est, magnos Prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi: de quorum casu non magis præsumebam, quàm Hieronymi, & Ambrosij. Sic ait Bernardus, *sermon. 65. in cant. Quotidie conuersari vis cum muliere, & continens putari? esto quòd sis, maculam tamen suspicionis portas. Scandalum mihi es: tolle materiam, & causam scandali: quia væ homini illi, per quem scandalum venit.*

Hæc omnia ex sancto Bonauentura transcripsimus: quia magnopere deseruiunt ad cognoscenda pericula, quæ sunt in variis, & diuersis occasionibus. Vnum hîc addam ex Diuo Bernardo: *Quid tibi cùm fœminis, qui in Altari cum Domino familiaris es? Quare eisdem labijs osculatis in Altari filium Virginis, quibus in lupanari osculatis filiam meretricis?*

ARTICVLVS XV.

Quid faciendum, quando ex vsu confessionis nulla sequitur reuelatio?

SVMMARIVM.

1 *Confessionis vsus quando ex eo reuelatio non sequitur, non est per se malus.*
2 *Confessarius potest aliquando secundam personam in confessione interrogare.*
3 *Confessarius potest diligentiùs rem propriã custodire.*
4 *Vsus talis prohibitus est.*

Cõfessionis vsus quãdo ex eo reuelatio nõ sequitur, non est per se malus.

1 REspond. quòd quando ex tali vsu neque indirectè, neque morale periculum eius sequitur, non est per se malus talis vsus: imò poterit sæpè esse honestus, & licitus, nisi specialiter prohibeatur.

beatur. Ita docent omnes Doctores citati, *suprà in art.* 13. quia illa actio non est contra sigillum, quandoquidem nullo modo est contra secretum.

Confessarius potest aliquando secundam personã interrogare.

2 Vnde potest ex confessione vnius in confessione alterius aliquam interrogationem facere necessariam, vel vtilem pœnitenti, tali modo, vt alius non intelligat, vnde Confessarius moueatur ad interrogandum, vt notarunt Sylvest. verbo, *confessor.* 3. *quæst.* 26. & Nauar. *in Man. cap.* 8. *n.* 17.

Confessarius potest custodire diligentiùs rem propriam.

3 Et potest ipse Confessarius diligentiùs custodire rem propriam, vel aliquid simile: quia in his omnibus, nec pœnitenti, nec sacramento fit iniuria ex dicta hypothesi, quòd nulla timeatur indirecta reuelatio.

Vsus talis prohibitus.

4 Dixi (*nisi specialiter prohibeatur*) quia si prohibitio legislatoris accedat, nullo pacto potest fieri; & hinc est, quòd quia Clemens VIII. in suo Decreto prohibet talem vsum, saltem pro Regularibus, & eorum gubernatione, vt videre est in ipso Decreto in principio huius tractatus posito sub *n.* 5. quòd nullo pacto Superiores Regularium debent ea vti; & ita obseruandum est, tum quia verba textus sic sonant, tum quia vel maximè, res de se mala est: aliter enim Confessio paulatim redderetur onerosa, plusquàm est.

ARTICVLVS XVI.

An possit Superior, siue elector propter solam scientiam in confessione habitam alicuius grauis culpæ, negare suffragium ei, qui exteriùs reputatur dignus: ipse autem per confessionẽ scit esse indignum?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Propter scientiam in confessione acquisitam alicui posse negari suffragium quidam docent.*

2 *Eligens indignum in confessione sic cognitum, pœnam incurrit, si quæ est posita.* Nauarr.

3 *Limitatur Nauarri doctrina.*

4 *Non incurrere aliquam pœnam eligens talem, verior sententia.*

1 REspond. quòd circa hos graues Doctores affirmant simpliciter, non solùm posse: sed etiam debere, quando nullum est periculum reuelationis: ita D. Thom. D. Bonauent. Scot. Sylvest. & Sotus relati *supra, in art.* 13. & Nauarr. *in cap. Sacerdos, num.* 150. *de pœnit.* ait; *Secundùm omnes iustè quis potest electori dissuadere alicuius in Prælatum electionem ob solam malitiam de eo scitam per confessionem: dummodò ita rem gerat, vt nullo modo peccatum ipsius illi prodat.* Et ibidem *num.* 146. ait; *Si sint latæ aliquæ pœnæ, vel censuræ ipso iure contra eligentem indignum: eas incurrere electorem, qui eligit indignum in sola confessione cognitum:* & ibi citat cap. *cùm in cunctis, de elect. & c. perpetuò. eod. tit. in* 6. Sed ibi nihil speciale habetur pertinens ad sigillum: sed solùm generalis prohibitio, ne eligatur indignus.

D. Thom. D. Bonau. Scotus. Sylvest. Sotus. Nauatrus.

Propter scientiã in confessione habitam posse alicui negari suffragiũ quidã sentiũt.

2 Ratio verò huius sententiæ est, quia eligere indignum est intrinsecè malum: & tunc potest vitari hoc malum sine incommodo sacramenti.

Eligens indignum incurrere in pœnam, si quæ est posita, etiam si sciat ex confessione illum esse indignum. Nauarrus tenet.

3 Hæc sententia limitanda est: Primò, vt scilicet non procedat, quando suffragia publicè feruntur: qua tunc periculum est alicuius manifestationis, vel suspicionis, cùm supponatur persona publicè digna. Secundò limito, vt etiam in occultis electionibus nulla incurratur pœna, vel censura eligendo indi

Limitatur prædicta sententia.

indignum, quicquid sit de culpa: vt meliùs dixit Sotus *in 4. dist. 21. q. 3.* vbi citat Palud. Nam leges imponentes pœnas has semper loquuntur secundùm scientiam communem, & cognitionem humanam.

Non incurrere aliquâ pœnam eligẽs talem, verior est sententia.

4 Denique addo, probabilius mihi videri, nullam committi culpam eligendo dignum in publica fama, etiamsi per solam confessionem cognoscatur indignus: quia propter reuerentiam sacramenti potest quis licitè non vti illa scientia, sed ita se gerere, ac si nihil nouisset, quia illa scientia non est per se regula talis actus. Quòd verò non teneatur quis vti illa scientia, affirmare non audeo propter dictorum auctorum auctoritatem, & sententiam: quia intelligenda est, vt sæpè dixi, vbi prohibitio humana non interuenerit. Vide quæ diximus *in fine art. præcedentis.*

Palud. Circa hanc materiam annotat Palud. *vbi supra*, quòd ille, qui eligit indignum, quem sola confessione talem esse nouerat, non incurrit pœnam suspensionis, de qua in cap. *cùm in cunctis, §. fi. de elect.* quod

Adrian. etiã probat Adrian. & quia talis sententia rationabilior est, & magis conformis Decreto Clem. VIII. propterea est amplectenda: quicquid dicat Nauarr.

Rodriq. Vide etiam Rodriquez *in tom. 2. qq. regul. q. 53. art. 4.* qui idem, quod nos tenet.

ARTICVLVS XVII.

An debeat Superior facultatem concedere subdito petenti, vt possit ab aliis absolui à casibus reseruatis? vel: An debeat dare talem facultatem Confessario id petenti?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Prælatus non tenetur concedere facultatem, vt quis ab alijs absoluatur à reseruatis. Sic aliqui.*
2 *Alij tenent partem affirmatiuam.*
3 *Prælati sæpe laqueum damnationis multis injiciunt.*
4 *Confessio laico facta non est sacramentalis.*
5 *Superior facilem se præbens in danda facultate multis malis, & grauibus occurrit.*
6 *Iurisdictio data est Superiori propter bonum pœnitentis.*
7 *Plures casus, in quibus Superior tenetur concedere facultatem pœnitenti.*
8 *Superior si non vult concedere facultatem, quid faciendum.*
9 *Verecundia sola aliquando est sufficiens causa, vt facultas detur.*
10 *Superior non debet cogere subditum, vt causam petitionis propalet.*
11 *Erubescentia quando non censetur sufficiens causa.*
12 *Superior non tenetur assignare Confessarium ad habitum pœnitentis.*
13 *Debet nihilominùs indulgere aliquando pœnitenti in petitione Confessarij.*
14 *Superiore negante suam facultatem, potest Confessarius pro illa vice pœnitentem absoluere.*

REspondeo, quòd circa hoc duæ possunt esse extremæ sententiæ: vna absolutè negans, altera affirmans.

Cóc. Trid. *Prælatus nõ tenetur concedere talẽ facultatem: sic multi docent.*

1 Prima absolutè negat, teneri vnquàm Prælatum ad hanc facultatem concedendam, quæ fundari potest in verbis Concil. Trident. *in sess. 14. c. 7.* dicentis: *Extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere*

suadere nitantur: vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

In quibus verbis pondero primò illam particulam, *id vnum*; nam certè si subditus habet ius exigendi à Superiore prædictam facultatem, & ipse eam concedere tenetur, vix poterit Confessarius suadere pœnitenti, vt ad Superiorem accedat: sed potiùs ipse pœnitens potest persuadere illi, vt suo nomine, quamuis in particulari tacito, facultatem exigat, quam Superior tenetur ei concedere.

Deinde pondero illam particulam, *legitimos iudices*: quia legitimus iudex alicuius causæ nulli facit iniuriam si per se velit eam iudicare, neque tenetur eam alteri committere, si ipse sit idoneus iudex, vt supponimus. Sed Superior in hac causa se habet, vt legitimus iudex, prout dicit Concil. ergo, &c.

Victoria. Atque hæc opinio potest tribui Victoriæ *in summ. cap. 4. num. 147. de confess.* quatenùs ait: *Quando non interuenit specialis causa rationabilis extrinseca, & quasi per accidens: sed solùm intrinseca difficultas, quam secum affert confessio, nimirum erubescentia confitendi cum Superiore, aut timor amittendi apud illum bonam opinionem, non teneri Superiorem ad dandam hanc facultatem, quia aliàs homo nunquàm tenetur confiteri suo Parocho.* Et in eadem sententia potest citari Nauarr. *in Man. cap. 7. num. 8. & in cap. placuit, de pœnit. dist. 6. nu. 149. & 150.* qui idem dicit. Nulla enim est lex, neque ratio, quæ conuincat excusari tunc pœnitentem ab obligatione confitendi suo Superiori, vel Parocho: vnde dicimus nullam esse rationem, neque legem, quæ conuincat, teneri Superiorem, aut parochum ad dandam hanc facultatem.

Præsertim, quia aliàs reseruatio esset nullius momenti si Superior teneretur hanc facultatem concedere,

cedere, quia hoc ferè nullum onus est pœnitentis, præsertim si per alium facultatem petat: & ita reseruatio nihil confert ad coërcenda, vel curanda peccata, qui est finis reseruationis: vt dictum est *in fine primi art. huius sectionis*. Et confirmatur per illud Prou. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* vbi gl. Pastori Ecclesiæ dicitur diligenter adhibe curã eis, quibus te præesse contigerit, agnosce eorum actus, & vitia, quæ in eis inuenies, citiùs castigare memento. Et hæc pro prima opinione. Prou. 27.

2 Secunda sententia est, per se loquendo, & seclusis intrinsecis incommodis, teneri Superiorem ad hanc facultatem concedendam. Sic S. Thom. *in Opusc. 19. contra impugnantes Religionem, & in 4. distinct. 7. q. 3. art. 3.* ait, *peccare Superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate.* Et subdit rationem; *Quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine confessione morientur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteãtur.* *Prælatus tenetur cõcedere talẽ facultatẽ, vertor sententia.* S. Thom. *Sæpè Superiores laqueũ damnationis multis inijciunt.*

3 *Vnde illi*, inquit, *qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis inijciunt, & per consequens sibi ipsis.* Idem S. Thom. *in solut. ad 6. & in solut. ad 5.* ait, *quòd tunc magis debet eligere confiteri laico.* *Mira verba S. Thom.*

4 Quæ verba ponderare debent Superiores: nam sanctus Doctor optimè sciebat, confessionem laico factam, non esse sacramentum: prorupit nihilominùs in talia verba, vt sic ostenderet Prælatis, & Superioribus, ne sint difficiles in concedenda hac facultate. *Confessio peccatorũ laico facta non est sacramẽtalis.* *Superior facilem se præbens in dãda facultate multis malis, & grauibus occurrit.*

5 Addit quoque Angelicus Doctor; *Nec fit iniuria Sacerdoti, quia priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate.* Quam sententiam omnes sequuntur, & meritò, *nam*, vt ibidem ait idem Doctor, *quamuis ex tali licentia nonnulla mali occasio nascatur:*

Sotus. Ledesma. Victoria. Sylvester. Angelica. Armilla. Nauarrus.

Iurisdictio data est Superiori propter bonum pœnitentis.

Plures casus, in quibus Superior tenatur concedere facultatem pœnitenti.

Toletus.

Sylvester. Adrian. Palud. Riccard. Nauarr.

scatur: per eam tamen multis maioribus malis occurritur. Sic Sot. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Ledesm. 2. *part.* 4. *q.* 7. *art.* 5. Victoria, *vbi suprà num.* 146. Sylvest. verbo, *Confessor.* 1. Ang. *confess.* 3. *nu.* 31. Armilla *confess. n.* 35. Nauarr. *in cap. placuit. num.* 119. & 151.

6 Ratio autem fundamentalis huius sententiæ esse videtur, quia hæc iurisdictio non est data Superiori propter auctoritatem, aut vtilitatem eius: sed propter bonum ipsius pœnitentis; ergo quoties pœnitens omnino non vult confiteri Prælato (hoc enim supponendum est) quamuis ad hoc nullam habeat causam, sed solam voluntatem ortam ex intrinseca difficultate confessionis, & solùm ob eam rem facultatẽ petat, tenetur Superior illã cõcedere.

7 Hæc sententia, quia omnino est amplectenda, magis roboranda est. Sciendum ergo, quòd plures sunt casus, in quibus Superior ex iustitia tenetur hanc facultatem concedere pœnitenti, ita vt faciat illi iniuriam, negando illam simpliciter.

Huiusmodi sunt primò: si pœnitens timet aliquod graue damnum extrinsecum sibi inferendum ab ipsomet Superiore: vtputà, quia eum persequetur, vel inimicitiam grauem secum contrahet, vel suffragium in electione ei negabit, vel eum amouebit à loco & ab officio cum infamiæ nota, & huiusmodi. Secundò, si Superior est reuelaturus confessionem, vel de hoc diffamatus sit. Tertiò, si sit eum sollicitaturus ad malum, & huiusmodi similia. Tunc enim, ait Toletus *lib.* 3. *summæ, cap.* 13. pœnitens debet petere licentiam ab eo alteri confitendi, vel à Superiore: qua non obtenta, potest cuiuis idoneo confiteri: iuxta Sylvest. *confess.* 1. §. 6. Adrian. *de confess. quæst.* 4. *dub.* 3. Palud. & Riccard. *in* 4. Nauarr. *in cap. placuit, num.* 144. & 146.

8 Rodri

8 Rodriquez ad hoc se conformans ait: *Notetur, quòd si Superior neget licentiam ad hoc, vt subditus absoluatur de aliquo casu reseruato, debet iudicari, ac si obtineretur à Superiore illius Superioris: quia si hic Superior neget illam iniustè: cùm sit præsens, debet iudicari de illo, ac si esset absens: aut debet iudicari, quòd Superior maior, qui est absens, concedit eam.* Quod debet intelligi, nisi casus habeat annexam excommunicationem, quia tunc maiori considerationi procedi debet, vt notat Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 15. *num.* 6.

Rodriq. *Si Superior negat suã facultatẽ, quid faciẽdum?* Henriq.

Hæc sententia, scilicet, quòd tunc debet iudicare pœnitens, ac si non haberet copiam Sacerdotis, quam tenet Rodriquez, fuit etiam Soti *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *art.* 2. quam etiam anteà docuerat D. Thom. *in addit. ad* 3. *p.* Nihilominùs seuerior est altera sententia, scilicet, quòd tunc poterit alteri confiteri: hoc vno addito cum Toleto *vbi suprà*, vt non confiteatur cuiuis Sacerdoti, sed habenti facultatem aliquam confitendi. De qua re vide etiam D. Bonauent. *in* 4. *distinct.* 21. *in* 2. *p. in fine*, 7. *dubij literalis.*

Sotus. D. Thom. Toletus. D. Bonau.

9 Adde ad hoc, id quod dicit Nauarr. *in cap. placuit, num.* 14. scilicet, solam verecundiam nimiam pœnitentis aliquando esse sufficientem causam, vt hæc facultas danda sit. Quod intellige, quando illa erubescentia tanta est, vt pœnitens vereatur, ne se in periculo tacendi aliquod peccatum, vel aliquam eius circumstantiam necessariò confitendam constituat: nam tunc iusta causa est, scilicet non confiteri proprio Sacerdoti, seu non se repræsentandi: sed petere debet licentiam pro mutatione Confessarij, & facultatem absoluendi à reseruato.

Verecũdia sola aliquando est sufficiens causa, vt facultas detur.

Idem confirmat Suarez, *vbi suprà*, dicens: *Tertium exemplum est, si ex parte pœnitentis sit inge[illegible] verecundia,* Suarez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dia, quæ interdum tantam inducit difficultatem, vt moralis impossibilitas existimetur: nam tunc iniustè negatur facultas. Non est autem cogendus pœnitens, aut rem moraliter impossibilem facere, aut hoc sacramento priuari.

D. Thom. Et infrà ait; *Imò significat D. Thom.* in Opuscul. 19. *Satis esse, vt pœnitens dicat se habere rationabilem causam petendi illam facultatem, vt pastor debeat illam concedere, ne illum exponat periculo maioris mali.*

Superior nõ debet cogere subditũ, vt causam propalet, quare petit suã facultatem.

10 Nec etiam debet eum cogere, vt causam illam explicet in particulari, quia vel potest ad ipsum pastorem pertinere: vel potest esse ita coniuncta cum peccato, vt necesse sit illud explicare, ad quod non est cogendus pœnitens.

Non tamen tenetur regulariter Superior hanc facultatem absolutam dare: sed potest aliquam, vel aliquas personas designare, prout prudenter expedire iudicauerit.

Graffius. Graffius quoque *in lib. de casib. reseru. cap. 10. n. 29.* ait, quòd non solùm ob verecundiam, sed quia suspicatur deinceps non recto, sed toruo oculo à Superiore inspiciendum, vel dubitat de mutatione (loci scilicet, aut officij) ob hanc causam: vnde tunc Cõfessario deputato, qui Superiori innotuit, reseruationem debet committere, & potestatem ad id facere, scilicet, vt eum absoluat.

Rodriquez denique *in summa, tom. 1. cap. 184. nu. 16.* ait; *Et quidem ego fateor infirmitatem meam, & paucam meam humilitatem: quia peccata venialia, quæ communiter confiteor, pudore corripior confiteri semper eidem Confessario, vnde aliquando muto eum.*

Politius. *Erubescẽtia quando non censetur causa sufficiẽs, & quãdo sic.*

11 Scio id, quod circa hoc habet Politius noster super *cap. 7. Regulæ, sub num. 62.* vbi ait sic; *Nec item erubescentia causa sufficiens censetur ad excusandum eos: imò quò plus verecundiæ patiuntur, eò magis satisfaciunt;*

tisfaciunt; vt habetur *in capite, quòd pœnitet. de pœnit. distinct. 2.* & annotauit Sylvest. Confessor. §. 6. & post ipsum Nauarr. *in Man. cap. 7. in fine, & in cap. placuit, de pœnit. dist. 6. num. 145.* *Quare vbi vitæ, vel famæ, vel animæ sibi fratres periculum probabiliter non timent à prædicto recursu ad suos Ministros; minimè ob timorem prædictum, vel pudorem, seu erubescentiam excusantur.* Sic ille. Quæ doctrina vera est; communiter loquendo, & de communibus Religiosis, & pariter de pudore non tam graui: nihilominùs quando erubescentia est tam magna, vt quis se exponeret periculo tacendi peccatum, vel aliquam circumstantiam necessariam; tunc excusat, prout dictum est.

Sylvest. Nauarr.

12 Dubitatur hîc; An quando subditus petit confiteri ab alio, Superior teneatur ei dare illum Confessarium, quem petit? Ad hoc respondeo cum Suarez, *tom. 4. disp. 30. sect. 4. num. 11.* quòd non tenetur Superior dare generalem facultatem eligendi quemcumque Confessarium idoneum, vt à casibus sibi reseruatis absoluat; neque etiam tenetur ad committendam causam ei Sacerdoti, quem vult pœnitens: sed potest illam committere alteri, vel inter aliquos designatos electionem subdito dare: prout iudicauerit expedire ad bonum pœnitentis. Et Angel. aduertit, posse, & debere Prælatum in particulari inquirere & scire, cui velit subditus confiteri; & si est, inquit, æquè bonus, concedat: si verò non est æquè bonus, non debet dare facultatem.

Dubium. Resp. *Non tenetur Superior assignare subdito Cõfessarium illum, quem ipse petit: sed sufficit, vt alium idoneũ assignet.*

Et ratio quidem in generali est; nam reseruatio ad hoc fit, iuxta Concil. Trident. vt grauiora delicta grauiùs corripi, & meliùs emendari possint: ad quod necesse est, vt grauioris etiam personæ, &

& doctioris, ac melioris iudicio subdantur; ergo quamuis Superior cedat iuri suo, committendo causam alteri, semper tamen habet ius non committendi illam, nisi personæ proportionatæ tali causæ, & fini reseruationis; hoc autem regulariter non fiet, si generalis facultas concedatur. Sæpè etiam accidere potest, vt vna persona, quam designat pœnitens, seu quæ loco illius facultatem petit, talis non sit Superioris iudicio; ergo non est cogendus Superior, vt eum concedat. Nec potest subditus iustè conqueri, aut eandem difficultatem respectu omnium aliorum allegare, præsertim si ei facultas ad eligendum inter plures concedatur.

Debèt nihilominùs indulgere aliquando pœnitenti in petitione alicuius Cõfessarij.

13 Non debent tamen in hoc Superiores esse difficiles, quando vel subditi prudentes sunt, & timorati; vel Sacerdos, per quem subditus facultatem petit, re vera est sufficiens, vt ei causa committi possit: tunc enim regulariter loquendo, nisi causa aliqua grauis occurrat, consultiùs est acquiescere pœnitenti, & interdum posse etiam esse necessarium. *Sic Suarez.*

Quãdo Superior negat suã facultatem, potest Confessarius absoluere pœnitẽtem pro illa vice.

14 Quando verò Confessarij petunt à Superioribus facultatem pro casu aliquo, & Superiores renuunt: tunc pro illa vice possunt tales Confessarij absoluere suos pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate. *Sic in Decretis Generalibus ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, & institutionem spectantibus, aliàs factis, & publicatis, & sanctissimi D.N. Pauli diuina prouidentia Papæ Quinti iussu nuper editis.*

ARTI

ARTICVLVS XVIII.

An si in Conuentu sit Generalis, & Prouincialis, sufficiat se præsentare Prouinciali?

SVMMARIVM.

1 *Liber est pœnitens, vt se præsentet vel Generali, vel Prouinciali; quando vterque in Conuentu residet.*
2 *Ante decretum talem optionem non habebat.*

Liber est pœnitẽs, vt se præsentet, vel Generali, vel Prouinciali quando vterque residet in conuentu.

1 RESpond. quòd tunc pœnitens electionem habet: potest enim recurrere ad quem maluerit, siue ad Generalem, siue ad Prouincialem: vnusquisque enim eorum habet facultatem absoluendi, cùm vnusquisque eorum habeat facultatem ligandi; vt visum est suprà *in art.* 2.

2 Benè verum est, quòd ante Decretum subditi, ad id optionem non habebant: quia cùm diuersi essent casus illorum (Generalis enim quosdam, Prouincialis verò alios sibi reseruabat) necesse erat, vt pœnitentes ad illum Superiorem recurrerent, ad quem casus reseruatus spectabat. Modò verò, quia ex præscripto Decreti, Clem. VIII. iidem casus sunt pro omnibus, Regularibus assignati, possunt pœnitentes ad quem magis voluerint ipsorum Superiorum recurrere siue ad Generalem, siue ad Prouincialem, eò maximè; quia ad præsentiam Generalis, ille qui est Prouincialis suam auctoritatem non amittit, maximè in foro conscientiæ, nisi specialiter ei inhibeatur.

ARTI

ARTICVLVS XIX.

An Superior dando facultatem absoluendi à reseruatis, possit taxare pœnitentiam à Confessario imponendam pœnitenti?

SVMMARIVM.

1 *Superior dans suam facultatem, potest taxare pœnitentiam imponendam.*

2 *Prudentia est Superiori necessaria in vsu huius potestatis.*

3 *Pœna fori pœnitentiæ medicinalis est magis, quàm iudicatiua.*

Superior dans suam facultatem, potest taxare pœnitentiam imponendam.

1 RESP. quòd quando Confessarius deputatus petit à Superiore, vt sibi potestatem faciat ad absoluendum aliquem casum reseruatum, Superior potest, vel liberè talem facultatem concedere, remittendo se conscientiæ ipsius Confessarij: vel potest eam concedere cum limitatione, seu cum onere imponendi talem, vel talem pœnitentiam pro tali, vel tali delicto: ad hoc enim Superior ius habet, quia iudex ordinarius est in illa causa: vnde sicut potest eam non committere, ita si eam committit, præscribere potest modum, taxando pœnam ferendam. Patet hoc, nam anteà in Ecclesia erant Canones pœnitentiales in vsu, in quibus pro grauioribus delictis imponendæ taxabantur pœnitentiæ, quorum nonnulla vestigia

Gratian. sunt apud Gratianum in fine Decreti *in cap. latorem. 33. q. 2. cum similibus.* Non ergo repugnat, pœnam in hoc foro imponendam, esse taxatam per eum,

eum, qui in Ecclesia habet potestatem. Nec est cur negari debeat talis facultas Superiori, qui sicut potuit casus reseruare; sic potest etiam facultatem ad illorum absolutionem committere, taxando pœnitentiam.

Clemen. VIII. Accedit, quòd Clemens VIII. in Decreto suo quamuis prohibeat Regularium Superioribus, ne subditos adstringant ad sibi confitendum, subdit nihilominùs ibidem in §. 5. *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint.* Ex quibus constat, à fortiori hoc licere in casibus reseruatis: vt probant illa verba, (*etiam non reseruatis*:) & per se est euidens ex paritate rationis: sicut ergo ex vi Decreti possunt Superiores Religionum secundùm species peccatorum reseruatorum taxare modum pœnæ imponendæ ab his, quibus facultas absoluendi ab eis committitur: ita pariter possunt id facere in particulari commissione, eam tali, vel tali modo limitando.

Prudentia est Superiori necessaria in vsu huius potestatis.

2 In vsu verò huius potestatis necessaria est prudentia, & moderatio; regulariter enim non videtur necessaria, nisi quando Superior non multùm confideret de prudentia Confessarij, cui talem causam committit. Et quod dictum est de pœnitentia iniungenda, intelligendum est etiam de qualibet satisfactione condigna, aut alia conuenienti medicina; si iuxta exigentiam causæ moraliter necessaria, aut valdè conueniens iudicetur: & propter hunc finem potest Superior interrogare speciem culpæ, aut consuetudinem, vel alias circumstantias; quantùm sine manifestatione, vel suspicione personæ declarari possint: cum hoc enim periculo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec ipse interrogare debet, neque alter respondere tenetur. Aliquando etiam poterit Superior aliquam cautionem, seu limitationem adhibere, sine speciali notitia delicti, sub conditione, videlicet; si huiusmodi fuerit delictum, imponatur hæc satisfactio, &c. Quod quidem per modum Consilij frequenter fit; & potest fieri per modum legis, seu præcepti; vt dixi. Non tamen in vsu, vt fiat: & ideò sine magna, & extraordinaria causa faciendum non est. Et multò minùs non est committenda iurisdictio cum tanta dependentia ab hac conditione, vt nisi impleatur: v.g. nisi imponatur talis pœnitentia, & acceptetur absolutio, aliàs data sit nulla: nam hoc, & nimis rigorosum est, & periculis expositum: & in rigore potest esse etiam iniustum, quia nunquam pœna huius fori tanta necessitate præscribitur, quin committatur aliquod arbitrium Iudici: vt si iuxta dispositionem, vel alias conditiones pœnitentis viderit, aut non esse debitorem tantæ pœnæ, aut illi non expedire, possit eam moderari.

Pœna fori pœnitentiæ medicinalis est magis, quàm iudicatiua.

3 Quia pœna huius fori medicinalis est magis, quàm iudicatiua; vt dixi *in primo articulo*. Ergo velle omninò priuare Iudicem hoc arbitrio, iniustum esset: relinquere autem illum cum periculo faciendi sacramentum irritum, seu conferendi absolutionem nullam ob defectum potestatis, etiam esset imprudentissimum: & ideò nunquàm est ponenda hæc conditio tali modo: sed ad summum, per modum cuiusdam directionis, seu ordinationis.

ARTI

ARTICVLVS XX.

An incidant in aliquam pœnam, qui absque facultate absoluunt?

SVMMARIVM.

1 *Pœna absoluentium absque facultate, quæ.*
2 *Absolutio sic data, nulla est.*
3 *Confessio est ad instar actus iudicialis.*
4 *In excommunicationem incidit, qui absque facultate ab excommunicatione absoluit.*
5 *Absoluens absque auctoritate à peccatis simplicibus, mortaliter peccat.*

Pœna absoluentium absque facultate, quænam sit.

1 REspond. quòd Alexander VI. in priuilegio dato in fauorem Prælatorum, vt possint sibi reseruare casus, ait; quòd absoluentes à talibus casibus reseruatis post eorum reseruationem, nullam faciunt absolutionem: & incidunt in pœnam absoluentium à non concessis casibus, quæ pœna est, quòd tales sunt ipso facto excommunicati; vt videre est in *Clement. religiosi: de priuileg. & excess. priuileg. in 6.* Religiosus itaque, qui non habens auctoritatem, absoluit à casibus reseruatis habentibus annexam excommunicationem, incidit in pœnam, & excommunicationem.

Nulla est talis absolutio data.

2 Primò, absolutio data est nulla, & nullius roboris; quod non solùm habetur ex Concil. Trident. *in sess. 14. cap. 7.* sed etiam ext. *de pœnit. & remiss. in capit. omnis, ver. sexus.* & etiam in Concil. Flor. sub Eugenio IV. *ibid. de ministro Pœnitentiæ.* Et apud D.Th. *in 4. dist. 22. q. 1. artic. 3. ad primum, & dist. 24. q. 3. art. 2.* & communiter apud Theologos in 4.

Cõc. Trid.
Cõc. Flor.
D. Thom.

Cõfessio est ad instar actus iudicialis.

3 Et ratio eorum est, quia confessio non solùm est medicina, sed etiam est ad instar actus iudicialis: sententia autem (cuiusmodi est absolutio à peccatis) à iudice non suo lata, nulla est: & idcircò etiam absolutio data super peccatis, aut aliàs super reseruatis, à non habentibus iurisdictionem, est nulla. Cuius ratio est; quia quoties alicui actui sua substantialia desunt, actus ille non valet. *cap. detrahe. 1. quæst. 1. & cap. cùm dilecta. de rescriptis.* Nec sufficit ratificatio facta à proprio ordinario Confessario, quamuis pœnitens hac fiducia fretus confiteretur, quòd id gratum, & ratum ille habiturus esset. Quoniam, vt benè inquit Nauarrus *in Man. cap. 9. num. 6. Nulla ratificatio efficere potest, vt sit sacramentum, quod ab initio non fuit tale,* secundùm Paludan. *in 4. sent. dist. 17. q. 3.*

Nulla ratificatio efficere potest, vt sit sacramentum, quod ab initio nõ fuit tale.

4 Deinde, præter nullitatem absolutionis, absoluens ab excommunicatione (præterquàm in casibus à iure expressis, vel ex priuilegio concessis) incurrit in pœnam excommunicationis ipso facto, quæ absolutio reseruatur Papæ; vide Clement. *primam, de priuileg. & excess. priuileg.* & solùm excipitur hîc articulus mortis, *iuxta Gloss. ibid.*

In excommunicationem incidit, qui absque facultate ab excommunicatione absoluit.

5 Si verò pœnitens non habet nisi peccata non habentia excommunicationem inclusam, absoluens absque auctoritate peccat mortaliter, & absolutio est nulla propter dicta, sed non incurrit in excommunicationem. Videatur pro hoc Conc. Tridentinum *in sess. 14. cap. 7.* vbi statim in ipso principio capituli declarat nullius momenti esse eam absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quam ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Verba Concilij hæc sunt. *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit; vt sententia in subditos*

Absoluens absque auctoritate, peccat mortaliter.

ditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Sic Concil.

ARTICVLVS XXI.

An Superiores Religionum possint sibi eligere Confessarium, quem maluerint?

SVMMARIVM.

1 *Partem negatiuam aliqui docent.*
2 *Superiores regularium possunt sibi eligere Confessarium ad libitum.*
3 *Litera cap.* ne pro dilatione. *id habet.*
4 *An quemcumque maluerint possint eligere, etiam aliàs non approbatum.*
5 *Idoneitas Confessarij quomodo intelligenda.*
6 *Tempore Iubilæi etiam Prælati maiores tenentur approbatum eligere.*
7 *Subditi quando ad id potestatẽ habent, quid faciant.*
8 *Praxis in nostra Religione.*

1 REspond. quòd circa hoc aliqui voluerunt dicere quòd non: sic Angel. *confess. 3. §. 5.* post Panormit. & Hostiens. restringit talem facultatem ad illos, qui non habent Superiorem, nisi Papam: vnde Abbates, qui habent Superiorem in Religione; & similiter Priores, seu Guardiani, qui habent Prouincialem, & Generalem superiorem; de iure communi non habent auctoritatem eligendi sibi

Angel. Panorm. Hostiens.

Confessarium, nec possunt vti priuilegio concesso illis Superioribus, qui sunt exempti in cap. *Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.*

Superiores Religionũ possunt sibi eligere Cõfessariũ ad libitum.

2 Nihilominùs oppositum tenet D. Anton. 3.p. *summæ, tit.* 17. *cap.* 2. §. 3. & in 1. *p. sui defecerunt, cap.* 2. dicit, quòd inter Prælatos inferiores Episcopis, quibus etiam ibi datur facultas eligendi Confessarium, computatur Prior, vel alius talis, qui in eo conuentu non habet Superiorem: & idem tenet Sylvest. *confess.* 1. §. 8. post Palud. *in* 4. vbi etiam Sylu. exemplificat de Priore subiecto Abbati.

D. Anton. Sylvester. Palud.

Margarita. Confessor. Rosella. *Supplemẽtum.*

Idem tenet Margarita *cõfess. fol.* 8. vbi ponit etiam Priores Prædicatorum, & Guardianos Fratrum Minorum; dicens eos habere hoc priuilegium *d. cap.* & summa Rosella *confes.* 3. §. 37. Et Supplementum *eod. tit.* §. 14. idem videtur sentire, ex quo indistinctè, & generaliter dicunt, quòd omnes minores Prælati exempti gaudent priuilegio d. cap. *Ne pro dilatione.*

3 Prætereà, litera ipsius textus sic habet: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculũ immineat animarum Episcopis, & alijs Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis: vt etiam præter sui Superioris licentiam prouidum, & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Quæ verba, scilicet *(præter sui Superioris licentiã)* cùm post omnia ponantur, & nihil distinguant, comprehendunt omnes minores Prælatos exemptos, etiam non immediatè subiectos Papæ. Facit ad hoc, quod Panormit. ibidem dicit; nempe quòd Prælatus ibi sumitur in lata significatione: vnde concludit, quòd etiam Rectores Ecclesiarum ibi comprehenduntur. Itaque quantùm ad hoc particulare, omnes Prælati nostri Ordinis habent facultatem eligendi sibi Confessarium, non solùm dum sunt in proprio Cõuentu: vt Guardianus in sua Guardiania; & Prouincialis

Panorm.

uincialis in sua Prouincia: verùm & quando extra illas reperiũtur: sic Religiosi Prælati omnes de iure.

Dubium.

4 Dubium verò se offert: An quia Prælati omnes habent talem facultatem, possint ad libitum eligere, quem maluerint Sacerdotem: deputatum scilicet, vel non deputatum? Ad quod dico, quòd possunt eligere quem magis voluerint ad libitum suum. Hæc est communis opinio. Vide D. Anton. *vbi supr.* Gabr. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *dub.* 2. Adrian. *de confess. q.* 3. *dub.* 1. Palud. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 2. Sylvest. *confess.* 1. §. 5. Sot. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 3. & alios. Et ratio est: quia ad absolutionem requiritur solùm potestas Ordinis, & iurisdictionis: potestatem autem Ordinis quilibet Sacerdos habet: iurisdictionem verò ille, qui priuilegium contulit per electionem pœnitentis, qui ei confert, & ex verbis Diplomatis id patet: nam dicunt, vt possint sibi eligere Confessarium: hoc autem non est eligere eum, qui est Confessarius, sed per electionem facere Confessarium: sicut cùm eligitur Episcopus, non eligitur ille, qui erat Episcopus: sed ille, qui non erat, eligitur in Episcopum. Prætereà, si prædicti Prælati solùm possent eligere vnum de deputatis, nulla esset differentia inter ipsos, & subditos: nam etiam subditi habent potestatem de iure, vt possint sibi eligere quem maluerint, dummodò ille talis, sit Confessarius approbatus ab Ordinario: ergo facultas Prælatorum, & priuilegium eis concessum est, vt etiam ab Ordinario non approbatum possint sibi eligere in Confessarium.

Solutio.

D. Anton. Gabriel. Adrian. Paludan. Sylvester. Sotus.

Vide comp. priuil. tit. absolutiones, materia absolutionũ quo ad fratres, & seculares Capuc. annot. ibid. Quoad 1. er. in mon. p. 48.

5 Et quamuis in Diplomate addatur *idoneum*: adiectio illa duo sonat: primum, quòd non sit excommunicatus nominatim, aut suspensus per censuram: secundum, admonetur pœnitens iuxta tenorem *cap.*

Idoneitas Confessarij sic electi, quanã sit.

quem pœnitet, vt eligat Confessarium scientem ligare, & soluere: nihilominus optio sibi relinquitur, quia priuilegia non sunt coarctanda magis, quàm sonant.

Et proculdubio, si intentio Summi Pontificis esset, vt non eligerentur, nisi deputati, nunquàm illud silentio præteriisset: cùm ergo id non expresserit, gratis fingitur illa restrictio: nam de potestate Papæ, qui id potuit facere, & concedere, nemini licet dubitare: & in cap. 16. *ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.* dum Gregorius facultatem dedit eligendi Confessarium, nullam facit restrictionem: sed ait, *quòd præter sui Superioris licentiam possit sibi eligere prouidum Confessorem.* Eodem ergo modo intelligitur concessio priuilegij, nisi quando specialiter dicit, *quòd Confessarij ab Ordinario sint deputati.*

At contra dicta videtur facere declaratio quædam DD. Card. super Conc. Trid. à Barbosa relata, *super c. 15. sess. 23.* quę sic habet: *S. D. N. audita relatione Congregationis, declarauit Episcopos vigore priuilegij, de quo in cap.* fin. de pœnit. & remiss. *non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit ad hoc iuxta formam huius Decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.*

Declarationes Cardinalių super Concil. vt obligęt, quas conditiones habere debent.

Verùm circa hanc, & alias Cardinalium huiusmodi declarationes sciendum; quòd, vt vim habeāt obligandi in conscientia, multę conditiones requiruntur, ita vt vna deficiente non obligent. Prima, sit certa, & indubitata, vt constet sufficienti auctoritate esse eas declarationes sacræ Congregationis: sufficienter autem constabit, si ea subscribatur, vel rubrica aliqua signetur per secretarium sacræ Congregationis, vel per aliquem Cardinalem eiusdem Congregationis, & cum sigillo authentico; de cuius

ius fidelitate, & veritate non possit dubitari: & hoc est necessarium declarationibus, quæ transferuntur ex declarationibus originalibus. Secunda conditio est, vt in ipsa declaratione referatur, eam fuisse pronuntiatam consulto Pontifice, quia Sixtus V. quando huic Congregationi concessit facultatem interpretandi Concilium, dixit, requirens conditionem necessariam, *nobis tamen consultis.* Tertia conditio est, vt solùm Cardinales declarent, & interpretentur: non verò dispensent, restringant aliquid, aut amplient vltra vim verborum, & regulas iuris. Hanc enim formam Congregationi prescripserunt in suis Bullis & Gregor. XIII. & Sixt. V. quòd si aliquid vltra limites prædictos præstet Congregatio, necessum est in ea explicari, id ortum habuisse ex peculiari commissione, aut voluntate Pontificis. Quarta conditio, vt declarationes prædictæ obligent in foro exteriori, & interiori, est, vt constent notitia publica, qualis est illa, quam Episcopus potest præbere in suo Episcopatu, declarando illas forma iuridica, & quæ oriri potest ex fama publica, & certa, deriuata ex principio authentico.

Ex quibus sequitur, declarationes Cardinalium, quæ communiter circumferuntur, non habere vim obligandi. Ita sentiunt Suarez *in responsione quadam data.* Salas *in suo tract. de legib. disput. 2. sect. 9. in fine.* Garsias, *tract. 2. de beneficijs, p. 7. cap. 4. nu. 62.* vbi vnam declarationem Cardin. alteri præfert. Idem sentit Petrus de Ochagauia. *tract. 2. de confess. sacram. q. 40.*

Prælati maiores quando teneantur eligere Confessariū approbatum.

6 Solùm in tempore Iubilæi requiritur necessariò, vt Confessarius approbatus eligatur: Prælati enim, & Superiores præfati tenentur eligere vnum de approbatis, ad hoc vt Iubilæum consequantur: esto, quòd iure communi possint ad libitum eligere,

re,cùm forma Iubilæi seruanda sit, *cap.cùm dilecta de rescript.* Nauarr. *in lib.5. consil.de pœnitent. & remiss. consil.12.*

7 De subditis verò quid dicendum? Aliquando enim etiam ipsi, aut aliquis ipsorum habet facultatem eligendi sibi Confessarium, num ad libitum possint id facere; an verò teneantur eligere vnum de deputatis? Respondetur, quòd ordinariè loquendo, vnum de deputatis eligere debent, nisi specialiter eis detur, vt aliter facere possint.

8 In Religione verò nostra praxis sic habet, quòd Generalis in toto Ordine: & Prouincialis in tota sua Pròuincia, eligit sibi quemcumque Sacerdotem in Confessarium. Idem etiam faciunt Commissarij, tum Generales, tum Prouinciales. Guardiani verò, licèt etiam ipsi possint ad libitum sibi Confessarium eligere, vt dictum est: nihilominùs tam ipsi, quàm cæteri subditi communiter eligunt vnum de deputatis: immò & pro hoc faciendo à loci Superiore licentiam, & benedictionem petunt: quod quidem laudabiliter simul, & meritoriè seruant.

ARTICVLVS XXII.

An Guardiani possint absolui etiam à reseruatis, à Confessariis ab ipsis electis.

SVMMARIVM.

1 *Guardiani ex priuilegio absolui possunt à reseruatis à Confessarijs electis.*
2 *Pœnitentiarij minores in Curia qui, & quid facere possint.*
3 *An per Bullam Cruciatæ id possint regulares.*
4 *Guardiani possunt alijs talem facultatem concedere.*
5 *Episcopi à reseruatis occultis Sedi Apostolicæ absoluunt.*
6 *Prælati regulares id etiam possunt.*
7 *An Guardianus possit audire confessionem sui subditi extra suam iurisdictionem.*
8 *An Vicarij locorum id etiam possint.*

Guardiani ex priuilegio possunt absolui à reseruatis, à Confessarijs electis.

1 RESpond. quòd Guardiani licèt possint sibi eligere Confessarium ad libitum: vt iam determinatum est in *præced. art.* non tamen de iure habent; vt à reseruatis per tales Confessarios sic electos absolui possint: possunt tamen ex priuilegio. Nam Eugen.4. *vt habetur in compend.priuileg.tit.absolutio ordinaria quoad fratres,§.37.* concessit Generali, & Prouincialibus, ac Prioribus Ordinis Carmelitarum: vt in confessionibus audiendis, & absolutionibus impendendis, & pœnitentiis iniungendis, aliísque salutem animarum dumtaxat concernentibus exequendis; omnium, & singulorum dicti Ordinis Fratrum, eandem, & talem potestatem, & facultatem habeant, qualem in præmissis minores Pœnitentiarij Sedis Apostolicæ, seu Curiæ Romanæ ex officio habent, & exercent.

Pœnitentiarij minores in Curia qui, & quid facere possint.

2 De hoc autē S.Anton.3.*p.tit.*14. sic dicit: *Nota, quòd Pœnitētiarij minores in Curia possunt absoluere vndecumque venientes ab omnibus casibus peccatorū, & sententijs Episcopis reseruatis. Habēt enim auctoritatē quasi Episcopalem in foro pœnitētiæ, & maiorē, quoad quosdam casus, excommunicationum, & dispensationum.* Hæc ille. Et Romæ praxis habet, quòd Pœnitentiarij S.Petri, S.Ioannis, & S.Mariæ maiores absoluunt quoscunque, etiam Regulares, ab omnibus etiam reseruatis.

3 An

uatis. Cùm ergo per communicationem Priuilegiorum Guardiani etiam tali facultate pro suis subditis gaudeant: poterunt vtique, & pro se ipsis ea vti, secundùm Regulam, quam tradit Caiet. 2.2.q. 96.art.5. & quam probat Rodriquez *tom.1.qq.regular.quæst.21.art.8.* Scilicet quòd qui habet potestatem ad dispensandũ cum suis subditis, habet etiam eandem ad dispensandum secum. Quod intellige verum, quando facultas data Guardiano, non est restricta, & limitata ad subditos tantum, quia tunc non posset vti pro se tali facultate: si verò facultas data est libera, tunc vtique poterit etiam pro se ea vti. Idem dico de Abbatibus, & de Rectoribus, seu Prioribus locorum, seu Monasteriorum.

Caietan. Rodriq.

An per Bullã cruciatæ id habeant.

3 Sunt qui dicunt, quòd si tales Confessarij per prædictos Prælatos electi, sint electi vigore Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, quòd possunt eos absoluere à reseruatis: sed ad hoc dico, quòd de Iubilæo, nulla est difficultas: sed de Bulla Cruciatæ extant Decreta summorum Pontificum prohibentia, ne Regulares talibus bullis Cruciatæ vtantur ad hoc particulare, vt virtute earum possint sibi eligere Confessarium, & à reseruatis absolui. Vide fusè hoc infrà *in 3.sect.art.13.*

Guard. possunt talem facultatẽ alijs communicare.

4 Addo ad hoc, quòd talem facultatem Guardiani possunt committere etiam aliis nostræ Congregationis Confessariis, per auctoritatem concessam ab eodem Eugen. 4. Prioribus S. Hieronymi Hispaniæ: vt refert D. Alexander Peregrinus *in suo Compend.priuileg.tit.Præpositus,§.2.* Idem etiam concessit Iulius III. Societati Iesu: vt habet priuilegiũ, quod incipit: *Sacræ Religionis sub nu.70.* concessum die 2. Octobris 1552. Pontificatus sui anno 3. Possuntque sibi eligere Confessarium, & mutare, qui eis

eis beneficium absolutionis, & dispensationis impendat in omnibus casibus, quibus ipsi auctoritate Apostolica cæteros fratres nostræ Congregationis absoluere possunt. Eugen. IV. Prioribus S. Hieron. Hispaniæ, vt habetur in eorum Compendio Priuilegiorum. *tit.Priores.§.1.& tit.eligere.§.2.*

Episcopi à reseruatis sedi Apostolicæ occultis absoluunt.

5 Et quia Episcopi ex Conc. Tridentin. *sess.24. cap.6.* facultatem habent absoluendi à casibus sedi Apostolicæ reseruatis, si occulti sint, & eandem pro se ipsis habent in talibus casibus: vt declarauit Congregatio Cardinalium à Suarez relata in *tom. 4.disput.30. sect.2. sub num.15.* Dubitatur an Superiores Regularium, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, id etiam tam pro se, quàm pro aliis possint? Congregatio Cardinalium ab eodem Suarez relata, *vbi suprà sub num.6.* negat.

Prælati regulares idẽ possunt.

6 Nihilominùs ex concessione Pij V. in Breui quodam, dato ad petitionem cuiusdam Prouincialis, possunt. Sic enim habet præfata concessio: *Quia sacrum Oecumenicum Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess.24. cap.6. habetur; ne Prior Prouincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tàm in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut sæculares existant, eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos idem omnino possent in fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditas, quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm aliàs quascumque facultates eisdem auctoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus: atque etiam declaramus præsentes litteras perpetuò durare, & valere.* Per quæ verba patet, quòd liceat non solùm Prouincialibus:

cialibus ; verùm , & Guardianis pro ſuis illa facere , quæ Epiſcopi in ſuos ſubditos ex Tridentino poſſunt.

Superior poteſt audire cõfeſſionem ſui ſubditi etiam in aliena Guardiania abſque alia licẽtia Superioris loci.

7 *Dubium.* An Guardianus , ſeu Vicarius loci poſſit audire Confeſſionem ſui ſubditi extra ſuum locum : dum ſcilicet reperitur cum eo in alieno Monaſterio, abſque licentia Guardiani , ſeu Superioris loci ? Reſpondeo , quòd ſic ; quia iuriſdictio terminatur ad perſonas,non ad loca : vnde Epiſcopus poteſt abſoluere ſubditum ſuum , ſi cum illo ſimul verſetur extra Diœceſim ſuam : vel poteſt illi dare facultatem eligendi quem Confeſſarium voluerit , & ita pariter Superior Regularis , cuius ratio eſt , quia hoc ſacramentum requirit iuriſdictionem in perſonam ; quia illa iudicanda eſt , hæc autem iuriſdictio nec acquiritur , nec amittitur ratione præſentiæ,vel abſentiæ localis.

Prætereà hoc iudicium ſacramentale non requirit publicam , & externam ſolemnitatem in determinatione loci , vel aliarum cæremoniarum : & ideò qui aliàs eſt ordinatus iudex reſpectu perſonæ , poteſt,vbicumque voluerit, ius dicere , in quo differt hoc iudicium ab externo. Vide Sylueſt. *Confeſſor.* 1. *q.* 14. qui hoc limitat ad eos, qui habent iuriſdictionem ordinariam.

Sylueſt.

Nihilominùs ſeruata proportione , etiam in delegatis locum habet ; vt ratio facta probat,& benè notauit Victoria, *in ſumma.num.* 151. Sot. *d.* 18. *q.* 4. *art.* 3. §. *Aliud verò dubium* , & Ledeſma. 2. *p.* 4. *q.* 5. *art.* 7. *dub.* 9. Itaque Sacerdos habens iuriſdictionem Archiepiſcopi Roſſanenſis,v.g. in omnes ſuos ſubditos , poteſt abſoluere aliquem illorum , etiamſi ambo extra Diœceſim inueniantur : quia illa circumſtantia loci nihil refert ad hoc ſacramentũ,nec tollit,

Victoria. Sotus. Ledeſma.

tollit , aut dat iuriſdictionem : niſi fortaſſe vbi ratione alicuius ſpecialis priuilegij aliud explicatum eſſet.

Vicarij locorum id poſſunt ex conſuetudine.

8 Solùm de Vicariis locorũ poteſt eſſe difficultas , quia ipſi non ſunt Prælati , & per conſequens non habent iuriſdictionem ordinariam in ſubditos : verumtamen etiam ipſi hoc facere poſſunt, tùm ex conſuetudine , quæ eſt optima legum interpres ; tùm etiam quia habent iuriſdictionem delegatam, quoad illum fratrem ſocium : nam ſtatuta noſtræ Religionis expreſsè id eis permittunt: dum enim ſtatuunt , quòd fratres itinerantes poſſint ſimul confiteri , non dubium eſt , quin prædictus Vicarius poſſit abſoluere ſuum ſocium, quando extra ſuum Monaſterium ſimul reperiuntur.Benè verum eſt,quòd laudabilis mos noſtræ Religionis eſt,vt non ſolùm ſubditi ; verùm & Prælati ipſi minores , qui aliquando ad Monaſterium aliquod accedunt,non ſolùm pro ſeipſis:verùm & pro aliis, actiuè ſcilicet , & paſſiuè , pro Confeſſionibus faciendis à Superiore loci facultatem petant.

ARTICVLVS XXIII.

An reſpectu Prouincialium ſint caſus reſeruati , adeò , vt ſi ipſi in aliquem inciderint,teneantur ſe præſentare Generali ?

SVMMARIVM.

1. *Prouinciales non ſubiacent reſeruatis, quoad præſentationem : ſed benè quoad culpam.*
2. *Prouinciales gaudent priuilegio Epiſcopi , ſi incidant*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dant in casus Bullæ Cœnæ Domini: Vide etiam num. 3. & 4.

5 *Regulares aliquando absolui possunt ab Episcopis.*

6 *Episcopi, & Prouinciales an absolui possint de hæresi occulta.*

7 *Episcopi, licèt aliquibus videatur quòd possint, aliquibus tamen videtur quòd non: Prouinciales tamen absolutè non possunt.*

Prouinciales nõ subiacent casibus reseruatis, quoad præsentationẽ: sed benè quoad culpam.

1 REspond quòd non, quia ipsi sunt Prælati maiores, & cùm aliis dent facultatem, multò magis eam pro se habent, imò ad hoc nullam habent necessitatem; nam si in aliquod reseruatum inciderint, sufficit quòd de peccato solùm confiteantur: nisi fortasse casus habeat annexam excommunicationem latam à Generali cùm reseruatione absolutionis: tunc enim teneretur ad Generalem recurrere pro absolutione.

Prouincialis gaudet priuilegio Episcopi, si incidat in casus Bullæ cœnæ Domini.

2 *Dubium:* An Prouincialis incidens in casus reseruatos in Bulla Cœnæ Domini, occultè tamen, possit gaudere priuilegio, quo gaudent Episcopi pro se ipsis in simili casu? Respondeo, quòd Episcopi quoad alios subditos suos habent facultatem à Concilio Trident. *sess. 24. cap. 6.* in his verbis; *Liceat Episcopis, &c. in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Quoad se ipsos verò, si ipsi scilicet incidant, quia clarum est, quòd non possunt se ipsos absoluere, an possint sibi eligere Confessarium, qui eos à talibus absoluat? & quantùm ad

ad hoc dico, quòd dubium fuit propositum Romæ in Congregatione Cardinalium super Concilium sub his verbis; *An Episcopo in aliquod horum delictorum, de quibus hoc cap. prolapso, liceat ad se absoluendum, proprium Confessarium deputare, cum eadem auctoritate, quam ipse possit ex eodem capit. in sibi subditos exercere? & responsum fuit, Congregatio censuit id Episcopo licere.* Verumtamen in hac explicatione Concilij non declaratur, vnde Confessor tunc electus habeat talem potestatem. Nihilominùs videtur dicendum, quòd immediatè habet à Papa ex vi iuris communis: nam ex vi huius Decreti reseruatio Papalis ablata est ab his casibus occultis, & ideò respectu Episcopi non reputantur, vt reseruata: sed vt comprehensa sub clausula generali eligendi Confessarium. Nec enim debent Episcopi esse peioris conditionis, & propterea non debent cogi in omnibus criminibus occultis ad Pontificem accedere. Congreg. Cardinalium.

3 Quoad Prælatos verò Regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt sunt Prouinciales, & Generales, extat declaratio Congregationis eiusdem in contrarium, quæ circa particulam illam, *Liceat Episcop.* sic habet. *In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem: sed tantum Episcopi priuatiuè, quoad omnes alios.* Et ratio esse potest; quia facultas hæc censetur data Episcopis iure speciali, & intuitu talis personæ pollentis tanta auctoritate, & dignitate: & ideò non videtur extendenda ad alios non Episcopos, etiamsi aliàs habeant communem iurisdictionem Episcopalem.

4 Nihilominùs etiam ipsi Prælati Regulares tali facultate gaudent, tùm propter eandem rationem

nem ex iurisdictione sumptam, tùm quia hi casus non censentur reseruati Papæ: & ideò sub generali iurisdictione Episcoporum comprehenduntur, maximè quia hoc Decretum Concilij non censetur ius nouum exorbitans ab antiquo, sed potiùs reducens ius ad suam antiquitatem, & quasi naturalem statum, quem habebat, secluſa reseruatione. Et præterea Regulares erunt peioris conditionis subditi his inferioribus Prælatis, qui nulli subduntur Episcopo, & habent proprium territorium, quòd non est veluti pars Diœcesis alicuius Episcopi, sed quasi Diœcesis distincta: illi enim ab Episcopis vicinis absolui non poterunt, quia non sunt subditi illorum, nec de sua Diœcesi, & Decretum etiam dicit; *sibi subditis, & in Diœcesi sua*, nec etiam poterunt absolui à proprio Prælato, seu Abbate, si in hoc Decreto non comprehenduntur: non ergo esset illis sufficienter prouisum, essentque peioris conditionis, quod verisimile non est.

Pij V. concessio fratribus Prædicatorũ, & per cõmunicationẽ etiã cæteris Regularibus.

Propterea Pius V. in quodam suo motu proprio, qui incipit; *Ad perpetuam rei memoriam*, hoc manifestè declarauit, & quatenus opus erat, de nouo concessit in hæc verba: *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ordinis fratrũ Prædicatorum, &c. Et insuper quia sacrum Oecumenicum Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout* sess. 24. cap. 6. *habetur. Ne Prior Prouincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis tam in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut sæculares existant; eisdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per seipsos idem omninò possint in fratres, & Moniales*

niales dicti Ordinis sibi subditas, tàm quo ad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates eisdem auctoritate, tenore etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præsentes litteras perpetuò durare, & valere. Itaque licèt ex vi Concilij, aut declarationis Congregationis Cardinalium non possint Prælati Regulares vti illa facultate, possunt nihilominùs illa vti ex concessione Pij V. & non solùm fratres Prædicatores, verùm & alij Regulares, qui cum ipsis communicant, possunt illa vti.

Regulares quãdo absolui possunt ab Episcopis.

5 Secluso autem tali priuilegio, absolui possunt Regulares ab his casibus occultis ab Episcopis, in quorum Diœcesibus habitant; nam quoad hæc fauorabilia illis subiecti esse censentur. Quòd si Prælati Regulares id pro suis subditis possunt; nihil prohibet, quin & pro seipsis id pariter valeant: vnde poterunt sibi eligere Confessarium ad hoc, & ab eodem absolui à prædictis eodem modo; sicut dictum est de Episcopis.

Dubium. *An possint absolui de hæresi occulta.*

6 Sed est difficultas tàm pro Episcopis, quàm pro Prælatis Regularibus de crimine hæresis occultæ, etiamsi supponatur, non esse reuocata facultas in hoc Episcopis concessa circa alios; an scilicet, si ipsi inciderint in eam, possint à Confessario electo absolui? & ratio dubitandi est, quia in Concilio Tridentino, *vbi suprà* talis facultas solùm data est, vt exercenda per ipsos, & ideò non videtur verisimile, quòd respectu pœnæ Episcopi, vel Prælati Regularis delegetur per Papam cuicumque Confessario ab ipsis electo. Quæ ratio efficax est; vnde videtur concludendum, hunc casum respectu prædictorum Prælatorum esse excipiendum; quia delegabilis non est alicui inferiori ipsi Episcopo,

vel ipsi Prælato Regulari. Nec est mirandum, quòd in hoc sentiant maius grauamen Episcopi, & Prælati Regulares: cùm etiam tale delictum maximam habeat deformitatem in omnibus, præcipuè verò in illis, qui debent esse columnæ debilium, & si attentè consideretur, in eo grauamine seruatur proportio; vt sicut in aliis sub proximo Episcopo Superiori tale peccatum reseruatum manet; ita, & in Episcopis, & Prælatis respectu Papæ, qui est proprius ipsorum Episcopus.

7 Sed nihilominùs Congregatio Illustrissimorum Cardinalium super Concilium in responsione illa, quam suprà retulimus, nullam limitationem posuerunt, & ideò nec ego eam addere volo. Verùm si opinio Nauarri est magni facienda; cùm ipse in Manual. *c.27.num.277.* dicat, quòd facultas absoluendi à crimine hæresis occulto pro aliis, à fortiori videtur dicendum, quòd etiam pro seipsis sit ablata, & quòd dico de Episcopis; dico pariter de Prælatis Regularium, qui iurisdictionem quasi Episcopalem in suos habent. Vide *compend. priuil. leg. ibid. Resolutio materia absolutionum.*

Prælati Regulares nõ possunt absolui ab hæresi occulta.

Prædicta tamen sententia probatur ex stylo curiæ, sacræque Pœnitentiariæ, ex communi vsu, ex responsis sacræ Congregationis summorúmque Pontificum. Vide pro hac sententia Simancam *de cathol. instit. tit. 3. num. 6.* Fratrem Fœlicianum Episcopum Scalensem *in Enchirid. de censuris. cap. 18.* Cateches. Neapolit. *lib. 1. c. 25. lib. 3. cap. 2.* Viuald. in emendata postrema editione, in qua iure optimo reiecta est contraria sententia, quam anteà cùm Bannes, Ioan. à Cepeuilla, & aliis secutus fuerat Hieronym. Sorb. *in Comp. priuileg. tit. absolutio.* Graffius, *lib. 1. cap. 13.* Vgolin. *de censur. par. 3. pag. 479.* Azo. *lib. 8. q. 92.* affirmat Romæ sæpiùs in almo sacrosanctæ Inquisitionis Prætorio, pronunciatum fuisse, non posse Episcopos ab occulta hæresi in foro conscientiæ absoluere.

ARTICVLVS XXIV.

An Vicarij locorum, seu Conuentuum habeant facultatem eligendi sibi Confessarium?

SVMMARIVM.

1 *Vicarij locorum habent facultatem eligendi sibi Confessarium ex consuetudine, non ex iure, cùm non sint Prælati formaliter.*

1 RESpond. quòd sicinam iuxta mentem D. Antonini *3. part. tit. 17. cap. 2. §. 3. & in 1. part. sui defecerunt, cap. 2.* inter Prælatos inferiores Episcopis, quibus etiam datur facultas eligendi Confessarium, computatur Prior, vel aliàs talis, qui in eo Conuentu, non habet Superiorem: & idem tenet Sylvest. verbo, *confess. 1. §. 8.* post Palud. *in 4. d. 18.* Verùm, quia tales simpliciter non sunt Prelati, cùm non fiant per electionem, propterea dicendũ, quòd hoc non habent ex vi illius cap. *ne pro dilatione:* sed ex consuetudine, quæ est optima legum interpres. Consuetudo enim sortitur vim legis, *l. de quibus, ff. de legib. & cap. Ecclesiam, 12. dist.* & omnium interpretum certissimus interpres est in rebus incertis consuetudo, *cap. cùm dicitur. de consuetud. l. minimè, ff. de legib.* cum hac tamen differentia: nam Guardiani, & cæteri qui sunt verè Prælati, vbilibet existen-

Vicarij locorũ ex cõsuetudine eligunt sibi Cõfessariũ in proprio Conuentu.

tes, etiam in alieno Monasterio id facere possunt. At Vicarij Conuentuum, solùm in loco illo, seu Monasterio, in quo curam gerunt, possunt sibi Confessarium eligere: & hoc non simpliciter, sed solùm in absentia suorum Guardianorum: nam quando Guardiani sunt in Conuentu, præfati Vicarij tanquàm cæteri subditi illius loci habentur: & propterea in Confessarium vnum ex deputatis debent sibi eligere, & seruare ea, quæ reliqui subditi circa hoc seruant: nisi consuetudo introducta, & tolerata aliter seruare doceat.

ARTICVLVS XXV.

An simpliciter Sacerdotes subditi habeant hanc eandem facultatem, vt scilicet ad libitum possint sibi eligere Confessarium?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes subditi possunt eligere sibi Confessarium, ex Soto.*

2 *Sacerdotes simplices subditi non gaudent tali priuilegio, verior sententia.*

1 REspond. quòd Sotus, *in 4. dist. 18. q. 4. art. 2.* tenet partem affirmatiuam: ibi enim postquàm de facultate prædicta Prælatorum disseruit, subdit. Quin verò, & vniuersi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, vt sibi promiscuè quemcumque eligant Sacerdotem: quapropter, & cuicumque de Religiosis confiteri potest alter Religiosus: quamquam huiusmodi Religiosus nec sit expositus ab Episcopo,

Episcopo, nec à suo Prælato: potest tamen eum punire suus Prælatus: si confessionem Sacerdotis sæcularis audiat: sacramentum tamen tenebit, ille, qui facultatem habebat eum eligendi.

Quòd si quis nobis obiiciat, inquit Sotus, cap. *si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* vbi habetur, nulla consuetudine induci posse, vt quisque absque sui Superioris licentia Cõfessarium sibi eligat: respondeo nullam consuetudinem contra illud ius præualere posse. At verò cùm præfati Superiores videant subditos promiscuè sibi eligere Confessarios, & sileant, conniuere censentur, eandémque permittere facultatem. Fauet huic sententiæ id, quod habet Nauarr. *in cap. placuit, distinct. 6. nu. 28.* nempe quòd quilibet Sacerdos eligit sibi quemlibet Sacerdotem in Confessarium; si non ex iure, saltem ex consuetudine. Videatur locus Nauarri. Et fauet etiã id, quod habet P. Sorbus *in suis addit. ad Compend. priuileg. tit. absolutio ordinaria quoad fratres.* scilicet, quòd multi summi Pontifices nostræ Religioni concesserunt, vt de materia peccati mortalis possint fratres confiteri cum quouis Ordinis Sacerdote, etiam quòd à suis Prælatis licentiam non petant: quod etiam affirmat Rodriquez *tom. 1. qq. reg. q. 62. art. 4.* De quorum sententia iterum redibit sermo *infrà in nu. 21. sub num. 14. sect. 3.*

2 Sed re vera, cap. *Ne pro dilatione*, loquitur solùm de Prælatis non de simplicibus Sacerdotibus, & nihilominùs magnam vim habet Soti, & Nauarri auctoritas: & eò magis si consuetudo scita, & tolerata accedat. Sed de hoc infrà in loco prôximè citato. Et hæc de prima sectione, & de his, quæ in materia de casibus reseruatis ad Superiores pertinent.

Sacerdotes simplices an gaudeãt priuilegio eligẽdi sibi Cõfessariũ ad libitũ.

CONSVLTVM.

Huic sectioni pro coronide adiungere placuit consultum vnum, quod quidem Lectori non ingratum fore existimo: & est, prout sequitur:

Adsit Deus:

Quidam Superior Regularis præcepit subdito suo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententię, vt dicat ei veritatem de aliqua re: Quæritur, an absolutio talis excommunicationis pertineat ad illum Superiorem, qui eam tulit: an verò subditus possit à quocumque alio Confessario absolui, cùm censeatur non reseruata, *per cap. nuper, de sentent. excommun.*

SVMMARIVM.

1 *Prælatus Regularis in suos habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori.*
2 *Prælatus Regularis in suos habet iurisdictionem quasi Episcopalem.*
3 *Ligare, & soluere, pertinet ad eundem.*
4 *Excommunicatio latæ sententiæ statim ligat.*
5 *Causa incœpta, Prælatus in subditum quasi permanentem iurisdictionem acquirit.*
6 *Subditus sic ligatus quasi debitum cum suo Superiore contraxit.*
7 *Mortuo Superiore excommunicante, à successore, vel de*

de eius licentia est absoluendus excommunicatus.
8 *Idem.*
9 *Episcopi nomine, veniunt etiam alij Superiores iuxta subiectam materiam.*
10 *Prælati Regulares sunt exempti.*
11 *Excommunicatio etiam absque scriptura data, apud Regulares ligat.*
12 *Excommunicatio etiam absque trina monitione apud Regulares ligat.*
13 *Prælati præceptum pro monitione est.*
14 *Excommunicatio à Superiore, etiam sine reseruatione data, quando ab eo solo debeat absolui.*

Prælatus Regularis in suos habet iurisd. Ecclesiasticã in foro exteriori.

1 ANtequàm huic difficultati satisfaciam, præmitto primò, quòd Prælatus Regularis potest sic præcipere: quia in suos subditos habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. Excommunicare enim, & alias censuras ferre, ac ab eis absoluere, ad eius iurisdictionem pertinet: vt docet S. Bonauent. *in 4. dist. 18. in vlt. part. q. 3.* S. Thom. *in addit. 3. part. q. 22. art. 1.* Alens. *part. 4. q. 22. m. 1. art. 4.* Ricc. *in 4. d. 18. art. 4. q. 2. & 3.* Dur. *ibid. q. 4. n. 7.* Martin. Ledesm. *2. 4. q. 29. art. 1.* Sot. *in 4. d. 22. q. 2. art. 1.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 24.* Panorm. *in cap. transmissam, de elect. num. 2.* Couarr. *in cap. Alma mater, §. 11. num. 1. de sent. excomm.* Nauarr. *in Man. c. 27. num. 5.* Vgolin. *de censu. Tabul. 1. cap. 2. §. 11.* & alij communiter.

Præl. Reg. in suos habent iurisd. quasi Episcopalem.

2 Secundò præmitto, quòd tales Superiores in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem: vt latè nos probamus in hoc nostro tractatu de cas. *in 1. sect. art. 2. num. 1.*

3 His præmissis, respondeo ad difficultatē propositam affirmatiuè. Primò; quia ad illum pertinet

Ligare, & soluere ad eundē pertinet.

soluere,ad quem ligare:par enim potestas est ligandi,& soluendi,*argum.cap.verbum, de pœnit.dist.1.* & omnis res,per quascunque causas nascitur, per eadem dissoluitur, *cap.1.de reg.iur.arg.l.nihil tam naturale.ff.de reg.iur.* De qua re videri possunt S. Bonau. *vbi supr.q.6.*S.Thom.*vbi supr.q.24.art.1.* Riccard.*in 4.d.18.art.9.q.5.* Dur. *q.4.num.8.* Palud.*dist.18.q.5. art.2.*Gabr.*q.3.art.3.dub.6.* Mart. Ledesm.*2.4.q.26. art.1.* Sotus, *dist.22.q.2.art.3.conclus 2.* Hostiensis *in summa lib.5.de sent.excomm.num.12.§ Quis possit.* Panorm. *in cap.prudentiam,§.fin.* & ibi Felin.*num.19.de offic.deleg.*Nauarr.*in Man.cap.27.num.40.vers.Quinto.*Couarr.*in cap.Alma mater.p.1.§.12.num.2.de sent. excommun.in 6.*

Excomm. lata sent. statim ligat.

4 Secundò,quia talis excommunicatio est latæ sententiæ, quæ statim ligat absque alia declaratione,*arg.cap.pœnit.de sentent.excomm.* S.Anton.*3.part. tit.24.cap.79* Angelica,verbo,*excom.2.num.4.* Sylu. verbo,*eod.1.nu.15.*Tabiena,verbo,*eod.2.vers.Quartò vtrum.* Nauarr.*in Man.cap.27. num.12.* Vgol. *de censur.tab.1.cap.9.§.6.num.4.5.& 6.*Sayr.*de censuris, lib.1.cap.11.num.5.& 6.& deinceps.*

Causa cœpta Prælatus quasi permanentem iurisd. acquisiuit.

5 Tertiò,quia iam causa cœpta fuit coram tali Prælato, qui proinde quasi permanéntem iurisdictionem acquisiuit in tali causa, & in iis,quæ ad illam spectant; inter quæ sunt censura, & absolutio ab illa.In tantùm quòd licèt sæcularis, & subditus alicuius Episcopi tali censura innodatus, aliò se transferat, nihilominùs iurisdictio sic confirmata non auferatur propter translationem domicilij, vt constat ex cap.*proposuisti, de foro comp.* vbi glos.vlt. refert plura iura. Vnde necesse est,vt talis causa sub vno iudice inchoata,coram illo iudice terminetur, ne detur occasio fraudibus,& tergiuersationibus.

6 Quartò,

6 Quartò, quia subditus tali ligamine adstrictus,veluti debitum quoddam erga Superiorem sic præcipientem contraxit: quod semper viuit,donec eidem Prælato soluatur.

Subditus sic ligatus, quasi debitū cum suo Superiore contraxit.

7 Quæ quidem ratio adeò est vera, vt etiam ipso Prælato mortuo, vel ab officio amoto, subditus adhuc teneatur,& talis pœnæ sit debitor: vnde à successore debet absolui, & non ab alio, nisi de eius licentia:quia licèt Superioris præceptum tamdiu duret, quamdiu Superior viuit, vel ab officio amoueatur(Vide Sayrum *de censur.lib.1.cap.4.nu.22.* vbi plures Doctores congerit.)Nihilominùs quando censura, & excommunicatio adhuc Superiore viuente cœpit habere suam vim,& efficaciam(nempe,quia subditus eam incurrit)semper posteà durat, quousque vel ab ipsomet legislatore,vel à successore,vel ab aliis de ipsorum licentia absoluatur.

Mortuo Superiore excōmunicāte,à successore, vel de eius licētia absoluēdus est excommunicatus.

8 Hinc sequitur,quòd talis sic innodatus, à successore debet absolui, si prior legislator defunctus est:sic colligitur ex *cap.si Episcopus,11.q.3.*ita Palud. *in 4.dist.18.q.5.art.2.* Dur.*q.4.num.8.* Anton.*3.part. tit.24 cap.77.* Sylu.verbo, *absolutio,in princ.* Nauarr. *in Man.cap.27.num.90.*Vgol.*de cens.tab.1.cap.4.§.3. num.1.post Innoc.in cap. quærenti,in fin.de offic.delegati.* Panorm. *in cap.Pastoralis, §.Præterea,num.1.de offic. ordin.*Ratio est, quia successor eadem censetur persona cum eo cui succedit, *arg.cap.1.de solut.* & Palud.*vbi suprà*,testatur.

Quod procedit nō solùm in successore ob mortem alterius, sed etiam vbi ob aliam causam succedit ex Dur.*vbi suprà.*

9 Nec obstat, quòd Prælati Regularium non sint Episcopi:quia habent iurisdictionem quasi Episcopalem,vt dictum est:& etiam quia nomine *Episcopi*

Episcopi nomine veniūt aliquādo alij

Iuxta subiectã materiam.

scopi in hac materia non solùm veniunt illi, qui Episcopalem dignitatem habent: sed etiam illi, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent : vt latè probat Suarez, *tom.5.de censur.disp.7.sect.3.n.10.11.12.13.14.& 15.* quia vox, *Episcopus*, iuxta subiectam materiam intelligenda est : & cùm actus ille absoluendi ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertineat, quando Episcopus ibi nominatur : hoc non tam propter dignitatem Ordinis, quàm propter iurisdictionem nominari meritò intelligimus : ergo rectè comprehendimus sub illa voce omnes, qui similem iurisdictionem habent. Dico, *similem*, non æqualem: quia sufficit, vt habeant iurisdictionem fori contentiosi ad ferendas, & tollendas censuras: quia hæc est, quæ per se spectat ad hunc actum, etiamsi alioqui æqualis non sit.

Prælati regular. sunt exempti.

10 Et confirmatur, quia hi Prælati Regulares sunt ita exempti, vt nullus Episcopus habeat immediatam iurisdictionem in eorum subditos, præter Romanum Pontificem; non debent autem illi subditi carere Episcopo, à quo possint absolui: ergo nomine *Episcopi* comprehenduntur etiam huiusmodi Prælati Regulares.

Excommunicatio absq; scriptura, lata apud regulares tenet.

11 Nec obstat, quòd talis excommunicatio non sit data scripto: quod præcipi videtur *in cap. sacro, de sentent. excomm. in 6.* de qua re specialiter videndus est Nauarr. *in Man.cap.27.nu.8.* vbi dicit, quòd huiusmodi excommunicans solo verbo, & sine scriptura publica, aut priuata, manet suspensus per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis Officiis. Hoc, inquam, non obstat: quia Leo X. concessit, quòd Prelati ordinis Minorum, cùm aliquem fratrem propter Apostasiam, vel aliam causam excommunicant in Capitulo fratrum, vel in communitate

munitate non teneantur proferre sententiam excommunicationis in scriptis: prout sub pœna suspensionis præcipitur in iure. Vide *compend. priuileg. tit. absolutio ordinaria. §.26.*

Excommunicatio absque præuia trina monitione apud requisitores quãdo teneat.

12 Nec obstat, quòd talis excommunicatio non sit data cum præuia trina monitione, prout requirit sententia excommunicationis ab homine data, iuxta ea, quæ tradit Sotus, *in 4.dist.22.quæst.1.art.2.* Couar. *in cap. Alma mater.1.p.§.9.num.7.* Nauarr. *in Man.cap.27.num.8.* Suar. *tom.5.disput.7.sect.13.* Sayrus *lib.1.de censur.cap.13.num.1.* Quia; vt rectè habet Miranda *in suo Manuali.tom.2.quæst.35.art.9.* hoc non habet locum in excommunicatione lata à Prælatis per modum præcepti, vt quando Prælati præcipiunt aliquibus fratribus in particulari, vt certas domos non ingrediantur, & huiusmodi, vel vt aliquid reuelent, iuris ordine seruato : sed intelligitur de illa excommunicatione, quæ per sententiam datur contra aliquem, talis enim sententia iuxta terminos iuris debet dari, & non aliter.

Prælati præceptum est pro monitione.

13 Non sic autem est, quando additur præceptum; quia tunc trinam monitionem, vel vnam pro tribus non postulat, præceptum enim ipsum monitionem continet; siue iubeat, siue vetet, satis enim monet iudex, eo ipso, quòd iustè aliquid præcipit, aut prohibet, Auila, *p.2.de censur.c.5.disp.1.dub.10.§.ex dictis:* & satis est contumax, qui præceptũ, cui annexa est excommunicatio latæ sententiæ, sciens illud infringit, ac proinde excommunicatione ligatur; Suar. *tom.5.de cens.disp.24.sect.3.nu.9.* dicit, excommunicationem nunquàm ferri non præmissa monitione; saltem per legem, aut præceptum latum sub tali censura: *& disp.3.sect.8.n.5.* ait, censuras pro delictis latas; quamuis per præceptum

ceptum latum in ſpecie peculiari alicui homini impoſitum, vt hoc, vel illud agat, ſeu non agat ſub tali cenſura, eo ipſo incurrenda, alia admonitione non egere, & præcepti eiuſmodi violationem, reuera lata illa cenſura affici, quod vſus probat, & notat Couar. *in cap. Alma mater. p. 1. §. 10. nu. 1.* nam ceſſat ratio, & neceſſitas alterius monitionis, cum præceptum ipſum moneat ſatis.

Excommunicatio à Superiore etiam ſine reſeruatione lata quãdo ab eo ſolo debeat abſolui.

14 Nec denique obſtat, quòd talis excommunicatio non cenſeatur reſeruata, & de cenſuris non reſeruatis poteſt quilibet abſoluere, qui peccata mortalia poteſt in confeſſione relaxare, *per cap. nuper de ſent. excom. §. In ſecundo verò caſu.* & ibi gloſ. in verbo, *non retinuit*, & ibi Panormit. *nu. 5.* & Felin. *num. 3. de ſent. excom.* Ledeſ. *2. 4. q. 26. art. 1.* Sot. *in 4. d. 22. q. 2. art. 3. concl. 3.* Hoſtienſis *in ſumma, lib. 5. tit. de ſent. excomm. num. 12. §. quis poſſit*, & alij communiter: Quia hoc intelligitur de excommunicatione à iure vel ab homine generaliter lata, prout præfati Doctores rectè concludunt. At hîc eſt ſermo de excommunicatione latæ ſententiæ facta cum præcepto, quæ taliter ſubditum ligat, vt non poſſit ab alio, quàm à ſuo Superiore, vel eius ſucceſſore, vel ab aliis de eorum licentia abſolui, vt ſuprà latè dictum eſt.

***

PRIMÆ

PRIMÆ PARTIS
SECTIO SECVNDA.

In qua tractatur de pertinentibus ad Confeſſarios, continens articulos 22.

ARTICVLVS I.

An quilibet Sacerdos ſit idoneus ad Confeſſiones audiendas?

SVMMARIVM.

1 *Idoneitas Confeſſariorum quæ.*
2 *Confeſſarij prudentia multiplex eſſe debet.*
3 *In audienda confeſſione.*
4 *In iniungenda pœnitentia.*
5 *Religioſis non ſunt imponendæ peregrinationes, vel eleemoſynæ.*
6 *Circa perditiſſimos pœnitentes quomodo gerere ſe debeat.*
7 *Pœnitentia iuſta eſt imponenda.*
8 *Pœnitẽtiæ quãtitas arbitrio Confeſſarij relinquitur.*
9 *Contritio tam magna poteſt eſſe, vt ſola totam pœnam remittat.*
10 *Conditio, & qualitas pœnitentis inſpicienda eſt.*
11 *Confeſſarius non cauterizet conſcientias.*
12 *Confeſſarij ſigillum confeſſionis conſeruare debent.*
13 *Confeſſarius cognoſcens aliquã, an poſſit ea abſoluere.*

14 *Confeſſarij*

Universidad de Deusto
Biblioteca

14 *Confessarij cum pœnitentibus quatuor officia facere debent: & confessarius est veluti pater.*

15 *Ad peccata vitanda septem remedia. 1. considerare Deum iudicem. 2. fugere occasiones. 3. custodire sensus. 4. principijs obstare. 5. orare. 6. frequentia Sacramentorum. 7. quotidiana conscientiæ examinatio.*

16 *Confessarius pro pœnitente oret.*

17 *Confessarius veluti medicus.*

18 *Confessarius veluti magister.*

19 *Confessarius veluti iudex.*

20 *Bonitas requiritur etiam in Confessario.*

21 *Confessarius in peccato existens, antequàm ad confessiones audiendas accedat, conteratur.*

22 *Confessarius scientia polleat.*

23 *Confessarij insufficientes an excusentur, quando sunt Superiore expositi,*

24 *Idem.*

25 *Excusantur tamen in multis casibus.*

26 *Consolatio pro Confessarijs.*

Idoneitas Cõfessariorum quæ.

1 RESPONDEO, quòd circa idoneitatem Cõfessariorum placet hîc apponere eam normam, quam pro talibus tradit Cõcilium Colonienſe; scilicet, vt sit vir integer, studiosus, peritus, taciturnus: vt sit instructus bonis considerationibus ad instruendum pœnitentem, quem Deus illi obtulerit instruendum, vt sit compositus interiori, exterioríque modestia, & habitu; & egregia prudentia insignitus sit: oportet vt nouerit peccata ordinaria, eorúmque applicare remedia; vt nouerit interrogare pœnitentẽ de his, quæ verisimiliter omittit, confiteri; vel quia ignorat, vel quia pudore corripitur.

Conc. Colon.

2 Ex

Confessarij prudentia multiplex esse debet.

2 Ex quo infertur, quòd ad prudentiam Confessarij spectat, quando pœnitentes, qui ei confitentur, sunt docti, & de inhonesta cogitatione confitentur, non sunt interrogandi, an de coniugata, an de soluta, an verò de Virgine cogitauerint: quia si id opus esset exprimere, illud ipsi non tacuissent: & præsertim hoc intelligitur, quando talis eorum confessio est de peccatis venialibus.

In audienda confessione.

3 Quod cùm semper facere debeant Confessarij, præcipuè verò quando aliquem casum reseruatum initio talis confessionis audierint: nam tunc debent audire totam confessionem, & nullam mentionem de reseruatis facere, nisi in fine. Et posteà more periti medici infundere vinum, & oleum vulneribus sauciati, remittendo pœnitentem, aut seruando seruanda. Hoc autem est contra nonnullos Confessarios, qui adeò à virtute prudentiæ alieni sunt, vt cùm primùm aliquem casum reseruatum in principio, vel in medio confessionis audierint, illicò pœnitentes aut ad Superiores, aut ad Pœnitentiarios transmittunt; ex quo fit, vt eundem bis, aut tertiò, & eò ampliùs sit necesse recurrere. Sæpè enim contingit, pœnitentes aliis reseruatis criminibus, etiam atrocioribus reperiri inuolutos; & ita Confessariorum imprudentiæ dumtaxat causa, sacra Confessio aut redditur odiosa, aut saltem onerosa.

In iniungenda pœnitentia.

4 Ad prudentiam Confessarij spectat in iniungendis pœnitentiis eum modum seruare, qui congruat & qualitatibus peccatorum, & personarum conditionibus: nam peccata carnalia maceratione carnis sunt punienda, ieiuniis nempè, vigiliis, flagellis.

Religiosis non sunt

5 Religiosis non est imponendum, vt pere-

imponenda peregrinationes.

grinationes assumant, cùm non sint sui iuris, nec vt eleemosynas largiantur, cùm nihil habeant de proprio : itaque in iniungenda pœnitentia prudens Confessarius aduertat qualitatem peccati, & etiam qualitatem personæ, & tunc veluti peritus medicus medicinam tribuat.

Circa perditissimos pœnitentes.

6 Prudentia Confessarij exigit, iuxta consilium D. Augustini, vt perditissimi, & magni peccatores in principio mitiùs, & blandiùs tractentur, quousque ad Deum pertrahantur, exhortando illos ad frequentationem confessionis, & recitationem Rosarij, Coronæ, vel huiusmodi : ad considerationem mortis, iudicij, & malitiæ peccati.

Pœnitẽtia iusta est imponenda.

7 Prudentia Confessarij exigit, vt conetur imponere pœnitenti pœnitentiam iustam : nam Conc. Trident. *sess.14.cap.7.* declarat, conuenientes pœnitentias esse à Confessariis iniungendas, & non leues pro grauibus iniungendas, ne participes eorum fiant. Quòd maximoperè perpendere debent, qui confessiones Magnatum audiunt ; ne dum erga tales ipsi volunt nimis esse indulgentes, vt eos, non amittãt, & eorum existimatio non diminuatur, &c. animæ propriæ damnationem acquirant.

Quantitas pœnitentiæ arbitrio Confessarij relinquitur.

8 Hoc tamen est verum, quòd quantitas, & qualitas iustæ pœnitentiæ nunc, & semper relinquitur, & relicta fuit prudentis Confessarij arbitrio, *cap. mensuram, cap. Deus, de pœnit. & remiss. & cap. tempora. 26. q. 7.* In tali enim quantitate, & qualitate in pœnitentiæ iniunctione debet circumspicere magnitudinem, & paruitatem peccati, contritionis, & qualitatem personæ pœnitentis, an sit robustus, an debilis, iuuenis, an senex, assuefactus, an non : An fortasse sit magnam recusaturus ; aut quamuis acceptet eam, non impleturus : an sit pauper, an diues,

diues, &c. Omnes igitur prædictæ circumstantiæ sufficientes sunt ad diminuendam pœnitenti iunctam, seu iniungendam pœnitentiam ; scilicet, impotentia eã implendi, & magnitudo cõtritionis.

Contritiõ magna potest esse vt sola totã pœnam remittat.

9 Nam tanta potest esse contritio, vt ea sola totam pœnam remitteret, iuxta Gloss. solenn. *in cap. mensuram.* in verbo, *doloris, de pœnit. dist. 1. & in capit. si is, qui. 23. q. 4.* Hinc, inquit Gloss. *in extrauag. Io. in cap. vnico. vers. vultus, de conces. præbend.* quòd Episcopus confessionis tempore in confitentes sibi debet inspicere, vt discernat, quanto rubore, seu tremore, vel erubescentia quis peccata confiteatur : vt secundùm hoc pœnitentiam moderetur, *argum. ad hoc. ff. de quæst. l. de minore. §. tormenta.*

Cõditio, & qualitas pœnitentiæ inspicienda est.

10 Debet etiam inspici senectus, debilitas, ægritudo, timor probabilis, quòd iustam non impleb it : tempus Iubilæi, vel aliarum Indulgentiarum, *arg. cap. cùm ex eo. de pœnit. & remiss.* nam tunc si lucratur Iubilæum, aut Indulgentiam plenariam, remittitur ei tota pœna iuncta, & iniungenda ; vt moderniores asseuerant.

Cõfessarius non cauterizet conscientias.

11 Prudentis Confessarij officium est, non cauterizare conscientias pœnitentium infirmas, vel extinguere lignum fumigans, eligendo opiniones rigidiores, & magis austeras : quia satis est, vt dicemus *infrà in art. seq.* vt Confessarius opinionem probabilem Doctoris alicuius sequatur, vt pœnitentem licitè absoluere possit.

Confessarij sigillum cõfessionis cõseruare debent.

12 Ad eius prudentiam attinet summam cautelam adhibere sigillo confessionis ; ne scilicet, aliquo modo illud frangat, caueat ne quicquam mutire audeat, per quod vel pœnitens, vel tertia persona ibi detecta peccans prodatur ; vel aliquid per quod confessio illa fiat odiosa, vel minus amabilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S.Bonau. Cõfessarius cognoscens aliquã, an possit eam absoluere.

13 S.Bonauentura *in 4.dist.19.dub.3.litter.* mouet dubium; An si Sacerdos cognoscat parochianam suam,possit posteà eam absoluere? Et respondet hoc modo. Non video quare non possit absoluere. Esto enim, quòd aliquis det malum consilium; vtpote, de homicidio faciendo, non video quare ille idem non possit pœnitenti dare bonum. Debet tamen illa petere licentiam alteri confitendi: & si Sacerdos nolit eam licentiare,debet Superiorem adire;vel si ille non habeat Superiorem, vel non vult ad eum ire, potest ab illo absolutionem recipere;quia re vera absoluit,si contritio adest.

Confessarij cum pœnitentibus quatuor officia facere debent. Cõfessarius veluti Pater.

Quæ omnia,vt melius præstare possint Confessarij, scire debent quòd quatuor officia cum pœnitentibus facere debent:scilicet officium patris,officium medici,officium magistri,& officium iudicis.

14 Primum officiũ, quod exercere debet Confessarius erga pœnitentem,est officium patris:vnde neque indulgentior sit, neque seuerior, quàm par est: sed sic percutiat reum, vt amplectatur etiam eum tanquàm filium. Hinc tanquàm pater debet eum admonere Confessarius,& adhortari, eúmque disponere ad contritionem, detestationémve peccatorum suorum, eíque prouidere de remediis aduersus relapsum in peccatis.

Ad peccata euitanda 7.remedia.

15 Et contra omnia peccata in genere: præsertim reseruata, septem remedia pœnitenti breuiter proponet.

1. Considerare Deum iudicem.

Primum est, vt quotiescunque de aliquo vitio, vel scelere perpetrando à dæmone impugnatur, Deum iudicem, omnia cernẽtem consideret:exemplo Dauidis,qui de se ipso dicebat: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*,&c.gloss.*in cap.& venit,de pœnit.dist.1.* Nauarr.*prælud.7.num.27.* vbi ait, quòd

quòd licèt sæpè possimus effugere hominis legislatoris pœnam errata nostra ignorantis, nequaquam tamen euitare possumus pœnam Dei omnia cernẽtis,nec conscientiæ nostræ de nobis testificantis.

2. Fugiat occasiones peccandi.

Secundum est,vt proximas peccandi occasiones euitet. Egredi namque debet de finibus Tyri,& Sydonis,id est,delinquẽdi occasiones declinare oportet qui animam suam saluam facere cupit. Graffius *1.part.decis.aur.lit.1.cap.28.n.1.* & sapienter S.Vulstanus in Anglia Episcopus cuidam sæpiùs eadem peccata confitenti,respondit; Opportunitas,vt vides, latrones facit: ideò tibi consulo, vt mundum deseras,& monachus fias. Stapleton.*in Dom.11.post Pentecost.* Huic remedio illud proximè accedit, vt otium fugiat,iuxta illud D.Hieron. relati *in c. nunquam,de pœnit.dist.5.Semper aliquid boni facito,vt diabolus inueniat te occupatum.* Et vt scitè Cato dicere solebat; *Homines nihil agendo,malè agere discunt* Nihil sic corporibus prodest, quàm motus, & agitatio: sic nil magis à putredine peccati præseruat, quàm otij declinatio. Et,vt auis, dum est in motu, vel in volatu haud capitur: sed vbi sistit, sic nisi otiosos diabolus ferit.

3. Custodiat sẽsus.

Tertium remedium est custodia sensuum: mors enim per fenestras, idest per sensus exteriores in animum ingreditur: cùm,vt ait Philosophus,*Nihil sit in intellectu,quin priùs fuerit in sensu.*Et clarum est, quidquid oculi vident, quidquid aures capiunt, & cæteri sensus hauriunt, confestim cordi, tanquàm omniũ principi nuntiare, in quo quidem est omnis nostra reposita salus.*Prou.*4 Iansen. *super Eccles.c.9.*

4. Principijs obstet.

Quartum,principiis obstare, vt admonet D. Iacobus, cap.4. *Resistite diabolo,& fugiet à nobis:* vnde est illud Persianum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuêre moras.

D.Basilius *in constitut.Monast.cap.*5. Cassian.*lib.6. institut.cap.*13. Ad hoc autem maximè proderit, omnibus horis impendentem mortem meditari. Item Dei iudicium, inferni pœnas, Paradisi gloriam, & Crucifixi pœnas.

5. *Oratio.* Quintum remedium est, oratio: Fieri enim non potest, vt homines ex diuinæ legis præscripto viuant, & peccata deuitent sine orationis, ac deprecationis præsidio: quod vates Regius nos docuit, cùm *in Psalm.*50. à Deo postulabat; *Cor mundum crea in me Deus.* D.Anton. *part.1.tit.6.cap.*13.§.6. Carthusianus *in opusc. lib.*1. *de remedijs tentat.cap.*14. *Hoc est remedium*, dicit Isidorus lib.3. de summo bono, *c.7. vt quoties homo quolibet tangitur vitio: toties se ad orationem subdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.* Sic D.Chrysantus, cùm ab impudicis fœminis ad turpia sollicitaretur, ad Dominum clamabat, dicens; *Exurge, Domine, adiuua me: quis enim contra hanc pugnam præualet: nisi tua dextera dimicauerit?* Insurgente vento tentationum ad B. Virginem confugiendum. Sic D. Bernard.*homil.*2. *super Missus est.* Exemplo B.Thomæ Aquinatis, qui impetente eum dæmone, sic orauit; *Ne sinas, quæso, Domine Iesu, & tu sanctissima Christi Mater, & Virgo Maria, vt tam immani me scelere constringam.* Multum etiam proderit Crucifixum intueri, & signo Crucis cor suum munire, quod est dæmonibus formidabile telum. Ioannes Trithem.*homil.*8. *ad Nouitios scribens: Si turpis cogitatio animo tuo per dæmones immissa fuerit, impresso fronti signo Crucis, dicito: Salua me, Iesu Christe mediator Dei, & hominum, & per tuam sanctissimam passionem cunctam à me hostis antiqui repelle nequitiam.*

Gretserus *lib.3.de Cruce Dom.cap.*13.

Sextum est, frequentia deuota sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quibus anima sanatur, illuminatur, & roboratur: vt tentationes, & diaboli insidias agnoscat, eis viriliter resistat, & illas superet. D.Chrysost.*homil.*61.*ad pop.* ait de Eucharistia: *Tanquàm leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* 6. *Frequentia sacramentorum.*

Septimum remedium est, quotidianũ conscientiæ propriæ examen. D.Bonauent. *de purit.conscient. cap.*1. *Studiosè*, inquit, *operam dato, vt melior in dies existas: idq; fiet, si quotidie quæ egeris, dixeris q; excusseris, & examinaueris, cunctaq; acta vita contuleris.* 7. *Quotidiana conscientia examinatio.*

16 Vltimum, & potissimum remedium est, vt ipse Confessarius tanquàm pater spiritualis pro suo filio spirituale aliquid agat, & eum iuuet, fundendo scilicet pro eo, preces, & lachrymas ad Deum, adiungendo etiam ieiunia, & flagella, sicut Ioannem Euangelistam fecisse pro quodam adolescente, qui post Baptismum in multa crimina lapsus fuerat: vt ex Clemente refert Eusebius *lib.*3.*histor.Eccles.c.*17. Hæc, & alia opportuna remedia debet Confessarius tanquàm pater suo filio spirituali. *Cõfessarius pro pœnitẽte oret.*

17 Secundum officium est medici: nam quia peccator saucius est, ac multis plagatus: quin semiuiuus relictus, debet Confessarius sic remedia accommodata adhibere, vt sedulò vitentur ea, quibus morbus augetur potiùs, quàm curatur. Tanquàm medicus ergo debet primò diiudicare de iis, de quibus pœnitens confitetur, num sint mortalia, an venialia: deinde si animus pœnitentis agitatus est scrupulis, debet ipsum tranquillare: postea debet curare plagas appropriatis medicamentis: & vltimò debet dare præseruatiuam medicinam, ne amplius *Cõfessarius veluti medicus.*

pliùs in eadem peccata incurrat. Id, quod habetur in *cap.omnis vtr.sex.de pœnit.& remiss.§.Sacerdos.* vbi sic dicitur: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias,& peccati: quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanitatẽ ægrotorũ.* Et D.Aug.relatus *in c.cõsideret,de pœn.dist.5.* ait: *Consideret qualitatem criminis in loco,in tempore, in perseuerantia: quasi hoc fecerit intentione,& ipsius vitij multiplici exequutione: omnis ista varietas cõsitenda est, & dicenda.*

Cõfessarius veluti magister.

18 Tertium officium est magistri: vt scilicet pœnitentem errantem ad viam Dei reducat, docendo,& instruendo eum de necessariis in fide, in obseruantia mandatorum Dei,in modo confitendi,& sacram Synaxim sumendi: in fuga vitiorum, & occasionum ipsorum, in obseruantia Regulæ, in via spirituali,in frequentatione sacramentorum, &c.

Cõfessarius veluti iudex.

19 Quartum officium est iudicis: vnde in peccatorem, tanquàm in reum, & vinculis alligatum debet proferre sententiam, vt scilicet vitet periculum soluendi ligandum,aut ligandi soluendum.

Bonitas requiritur etiam in Cõfessario.

20 Nec solùm prudentia,verùm & bonitas requiritur in Confessario: vnde ad rectè, & sanctè ministrandum hoc sacramentũ,& quodlibet aliud, necessaria est bonitas gratiæ, scilicet, vt dum ministrat sacramentum, non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo nõn existimet se esse confessum, aut contritum.

Cõfessarius antequàm accedat ad audiendas cõfessiones,

21 Vnde si accidat, quòd in sua conscientia reperiatur macula peccati mortalis, non debet priùs accedere ad ministrandum hoc sacramentum: nisi priùs confiteatur, vel saltem conteratur. Nec laudo id, quod aliqui dicunt, scilicet sufficere contritionẽ habere,antequàm det absolutionem: quia facile potest se exponere periculo nõ habendi illam in tali tempore:& etiam quia in malo statu exercet magnã partem huius sacri ministerij, nisi aliqua necessitate compulsus incipiat in eo statu confessionem audire bona fide,& animo habendi contritionem quamprimùm possit, antequàm absoluat,& in hoc postea moralem diligentiam adhibeat: nam tunc excusaretur à mortali. Vide Nauarr.*in Man.cap.27.num.73.*

cõteratur, si peccato mortali est irretitus.

Nauarrus.

22 Scientia quoque debet pollere Confessarius, vt sciat discernere inter lepram, & lepram. Quanta verò scientia sufficiat, dicam cum Nauarr. *in Man.cap.4.num.2.* scilicet, quòd sufficiens Confessarius scire debet peccata,quæ communiter perpetrant pœnitentes, ac circumstantias necessariò confitendas,& casus habentes annexam excommunicationem, & restitutionem famæ,vel bonorum, & casus reseruatos:& si audit clericum,oportet eum scire irregularitates,vel saltem de his dubitare sciat: vt quando casus occurrerit, peritiores consulere possit.Et hæc sufficientia satis est.

Sciẽtia debet pollere Confessarius.

Nauarrus.

23 Sciendum verò quòd D. Anton. tribuitur sententia quædam talis; nempe,quòd de Confessariis distinguendum est,quando est sermo de eorum sufficientia:nam vel est iussus à suo Prælato,vt audiat confessiones, vel ex se ad id muneris spontaneè se obtulit:nam qui iussus est à Prælato,audiens confessionem, satis est, si prædicto modo sciat dubitare: at si ex se ad id muneris se obtulit, tenetur de omnibus à pœnitente sibi propositis iudicare. Sed meritò refellitur à modernis talis doctrina: nam siue in vno, siue in altero modo quis audiat

D.Anton.

Confessarij insufficientes an excusentur, quãdo sunt à Superiore expositi.

confessiones: sufficit, vt sciat saltem dubitare: sic Nauarr. *vbi suprà*, & eò magis hæc sententia Nauar. habet locum in Religiosis, qui semper iubentur à suis Superioribus, vt tale munus exerceant: & propterea non indiget tanta scientia ille, qui audit confessiones Regularium, & personarum Deo seruientium, qui vt plurimum veniales culpas confitentur: neque qui audiunt confessiones, vbi sunt multi literati, quos consulere possunt.

24 Benè verum est, quòd non excusantur à mortali Confessarij expositi, neque qui eos exponunt, quando id sciunt: si tales Confessarij nesciant casus, à quibus possunt, vel non possunt absoluere, vel si nesciant differentiam excommunicationis maioris, & minoris, vel peccata mortalia communia, vel voluntatem deliberatam ad mortale, esse mortale, vel si quamcumque superbiam, & inuidiam iudicent esse mortalem culpam: quia secundùm Nauar. *vbi suprà, num.* 4. Confessarij, qui hæc ignorant, neque communiter nota à Confessariis nouerunt.

Excusãtur tamen in multis casibus imperiti.

25 Excusantur benè à mortali imperiti Confessarij in multis casibus. Primò, quando audiunt peritos pœnitentes, eos de sua ignorantia admonentes, scilicet, vt Confessarius manifestet pœnitenti perito suam ignorantiam ad hoc, vt pœnitens explicet, quando peccatum est mortale, & quando non. Secundò, quando audiunt regulariter pœnitentes, tantùm peccata venialia habentes. Tertiò, cùm audiunt eos, qui in articulo mortis sunt constituti: neque suppetit alius, qui tunc possit moriturum audire. Quartò, cùm audit Christianos inter Saracenos captiuos, vbi non est copia peritioris Confessarij.

26 Vt autem Regulares, qui confessiones audiunt,

diunt, ab omni scrupulo liberentur circa censuras, ponam in hoc loco concessionem quandam Eugenij I V. relatam *in Compend. priuileg. tit. absol. ordinaria quoad fratres*, §. 28. quæ talis est: Cùm sæpè boni Religiosi, ex charitate, vel Prælatorum obedientia cogantur ad confessiones audiendas: & sint multiplices, & inexplicabiles sententiæ excommunicationis in corpore iuris; quare nonnullæ etiam à peritissimis ignorantur: ex quo dicti Religiosi, propter conscientiæ timorem: quoniam dubitant se incurrisse aliquam censuram absoluendo inaduertenter aliquos aliqua excommunicatione innodatos, cuius excommunicationis absolutio Superiori reseruatur, ne dicti Religiosi cogantur contra charitatem, vel Prælatorum obedientiam facere, vel præfatas metuere scrupulositates: conceditur, quòd dicti Religiosi, si præfata, vel simili causa inaduertenter incurrerint irregularitatem, vel excommunicationem, possint per eorum idoneos Confessores auctoritate Apostolica absolui, & dispensari cùm oportuerit. Vide *Compend. priuileg.*

Consolatio pro Confessarijs.

ARTICVLVS II.

An Confessarius debeat sequi opinionem suam, an pœnitentis?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius quando tenetur sequi suam opinionem, & quando opinionem pœnitentis.*
2 *In plurimis Confessarius sequi debet opinionem pœnitentis probabilem.*
3 *Confessarius suámne, an Superioris opinionem sequi debeat.*

1 Re

Sayrus. Azorius. Corduba. Valentia.

1 REspond.quòd de hac materia videri possunt, quæ fusè habet Sayrus *in sua clavi regia lib.1. c.7.8.9.*Azor.*in 1.tom.lib.2.16.*Corduba *in suo Quæstionario lib.2.quæst.3.dicto* 4.Valent.*in 3.to.disp.5 q.7. puncto* 4. Sed pro quanto facit ad institutum nostrum distinguendum censeo de pœnitente, & Confessario:nam vel pœnitens est ignarus,& Confessarius doctus; vel è contra,pœnitens est doctus, & Cõfessarius indoctus,vel tertiò æquè sunt docti.

Cõfessarius quando tenetur sequi suã opinionẽ, ac quãdo opinionẽ pœnitentis.

Si primo modo, nempe quòd Confessarius est doctus, & pœnitens ignarus, tunc irregulariter tenetur pœnitens sequi opinionem Confessarij;quòd si noluerit, dimittendus est sine absolutione, nisi pœnitens ignarus consuluerit anteà peritiores: & tunc Confessarius poterit sequi opinionem illorum peritorum, quos pœnitens consuluit. Si verò pœnitens est doctus,& Confessarius indoctus:tunc Confessarius potest sequi opinionem pœnitentis.Si verò æquè sunt docti, Confessarius potest & debet absoluere pœnitẽtem secundùm suam opinionem.

Pœnitens ignarus debet sequi opinionem Confessarij.

Cõfessarius ignarus debet sequi opinionem pœnitentis docti.

2 Itaque resolutoriè dicimus, Confessarium quemcumque absoluere posse pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relicta sua opinione probabiliori. Ratio est: quia Confessarius denegare non potest absolutionem, nisi malè dispositus:at pœnitens, eo ipso, quòd sequitur opinionem probabilem,non est malè dispositus:ergo Confessarius absolutionem illi denegans, iure suo illum spoliat. Id,quod tam de ordinario,quàm de extraordinario Confessario procedit, cum hac tamen differentia: quia ordinarius Confessarius,cùm ratione sui officij subditis suis sacramenta ministrare teneatur,nisi in eis aliquod impedimentum inueniat, & in hoc euentu nullum sit impedimentum ex parte pœnitentis:

In plurimis Cõfessarius debet sequi opinionem probabilem pœnitentis.

tentis: vt diximus, non solùm tenetur ipsius confessionem audire; sed etiam post auditam confessionem, ipsum absoluere. Confessarius autem extraordinarius,seu ex commissione,quamuis non teneatur confessionem illius audire, & non audiendo, recusantem sequi suam opinionem, nullam illi iniuriam facit: si tamen acceptauit conditionem audiendi confessionem, ad absoluendum pœnitentem benè dispositum obligatur, & negando ei absolutionem, peccaret;non tamen existimarem,eum semper peccare mortaliter non absoluendo, siquidem nonnunquàm excusatur Confessarius tàm proprius, quàm alienus;si propter opinionem propriam pœnitentes absoluere noluerit, dummodò bona fide,& ex causa iusta id fiat.

Cõfessarius suámne,an Superioris opinionem sequi debeat.

3 An verò Confessarius sequi debeat opinionem suam probabilem, & solido fundamento, vel graui Doctorum innixam: an verò sequi debeat opinionem Superioris aliter sentientis? Hanc difficultatem ponimus,quia aliquando potest occurrere casus, quòd Superiores in danda sua auctoritate pro absolutione reseruatorum difficiles se exhibeant, & nihilominùs Confessarius iudicat expedire sibi dandam esse facultatem, quid tenendum? Respondeo,quòd tunc standum est opinioni Confessarij:non solùm,quia sic probabiliter iudicat,vel aliquem Doctorem pro se habet:verùm etiam quia sic determinat Clem. VIII. *in suo Decreto in n.5.* his verbis;*Et quibus etiam reseruatorum absolutio committatur;quando casu occurrerit,in quo eam sibi debere committi, ipse in primis Confessarius iudicauerit.* Ergo si Confessarius iudicat Superiorem teneri ad dãdam sibi facultatem absoluendi ab aliquo casu reseruato,Prælatus tenetur tunc ei dare facultatem.

ARTI

ARTICVLVS III.

An Confessarij deputati possint absoluere ad libitum à casibus reseruatis omnes suos pœnitentes?

SVMMARIVM.

1 *Confessarij Regulares ab omnibus possunt absoluere, præter casus Bullæ in Cœna Domini.*
2 *Limitatur prædicta facultas in sex casibus.*
3 *Plurimùm prodest cum hac auctoritate absolui.*
4 *Damnati ad triremes possunt absolui.*
5 *Familiares, & famuli Regularium possunt ab ipsis absolui.*
6 *Extra Italiam possunt Regulares etiam à reseruatis Episcopo absoluere.*
7 *Semel approbati Confessarij possunt aliquando & extra territorium absoluere.*
8 *Semel approbatus discedens, & posteà rediens, non debet iterum examinari.*
9 *Mortuo Episcopo approbante, Confessarij possunt prosequi.*
10 *Limitatio.*
11 *Licentia data non potest absque causa reuocari.*
12 *Confessarij in vna Diœcesi admissi, an possint etiam in alia confessiones audire.*
13 *Confessarij in vrbe approbati, non debent extra vrbem examinari.*
14 *Confessarij excommunicatos absoluentes, non tenentur seruare formam.*
15 *Pœnitens à Confessario Regulari absolutus, non tenetur pro illa vice suo Rectori confiteri.*

16 Facultas

16 *Facultas absoluendi à reseruatis non residet de iure apud Confessarios.*
17 *Priuilegia, & indulta pro reseruatis.*
18 *Pœnitentiarij minores Apostolicæ sedis, à quibus absoluere possint.*
19 *Modus varius deputandi Confessarios.*

HÆc difficultas mouetur, tùm propter Cõfessarios, qui ad sæcularium confessiones audiendas deputati sunt; tum etiam propter eos, qui Regularium solummodò confessiones audiunt.

Confessarij Regulares ab omnibus possunt absoluere, præter casus Bullæ in Cœna Domini.

1 Quantùm ad Confessarios, qui sæcularium confessiones audiunt, sciendum, quòd omnes Confessarij nostræ Religionis approbati iuxta formam Conc. Trid. habent facultatem absoluendi quoscumque Christianos fideles vndecũque venientes, à quibuslibet peccatis, etiam Apostolicæ sedi reseruatis, & à quibuscumque censuris, sententiis, & pœnis Ecclesiasticis ex illis resultantibus; præterquàm ab illis, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, *Paulus III. Societati Iesu*, vt habetur in eorum Compendio, *tit. absolutio.* §. 1. & in eorum Priuilegio concesso à D. Paulo III. *sub die 3. Iunij 1545. Pontificatus sui anno vndecimo*, quòd incipit; *Cùm inter cunctas sollicitudines nostras*, &c. Et in terris remotissimis infidelium, hæreticorum, & schismaticorum, à quibus non potest adiri sedes Apostolica, Christianos ibidem commorantes possunt absoluere etiam à peccatis, censuris, & pœnis reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, cum licentia Præpositi Generalis: idem Paulus III. Societati Iesu, vt patet in Priuilegio, quod incipit: *licèt debitum Pastoralis officij*, &c. sub die 15. Kalend. Nouembris 1549. anno 15. sui Pontificatus, & etiam à casibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibus hæresis, in foro tamen conscientiæ Iulius III. Societati Iesu in Priuilegio, quod incipit; *sacræ Religionis*, &c. concessum die 22. Octobris 1552. Pontificatus sui anno 3. Et per Priuilegium concessum Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, à Sixto V. possumus absoluere non solùm à supradictis casibus, & censuris reseruatis: sed etiam in posterum reseruandis sedi Apostolicæ, præterquàm ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. Quod quidem Priuilegium Sixti V. refert de verbo ad verbum Stephanus Quaranta *in sua summa Bullarij, sub tit. Confessor. §. decet Romanum Pontificem*, &c. *sub data nonarum Septembris 1596. Pontificatus sui anno 2.* & Priuilegium Pauli III. præfatum Societati Iesu concessum habetur in collectione Priuilegiorum Io. Baptistæ confecti, *priuilegio tertio sub Paulo III.*

Supradicta facultas limitatur in sex casibus.

2 Supradicta facultas absoluendi est etiam limitata in sex aliis casibus, sed per totam Italiam, extra vrbem, nisi in articulo mortis, nempe primò, violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorij XIV. quæ incipit; *Cùm aliàs nonnulli.* Secundò, violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Tertiò, prouocantium, & pugnantium in duello; iuxta Decretum sacri Conc. Tridentin. & Constitutionem Gregorij XIII. incipientem; *Ad tollendum*, &c. Quartò, iniicientium violentas manus in clericos, iuxta Canonem, *si quis suadente diabolo* 17. *quæst.* 4. ac iuris dispositionem. Quintò, simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Sextò, & vltimò, in omnibus casibus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, & in posterum reseruabunt. *Ita habetur in Decreto Clementis VIII. facto per Congregationem Illustriss.*

Illustriss. DD. Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium publicato die 9. mensis Ianuarij 1601. & declarato die 26. Nouembris 1602.

Plurimùm prodest cũ hac auctoritate absolui.

3 Et quamuis per Concilium Trident. omnis Sacerdos possit absoluere à quibuscumque peccatis reseruatis, & censuris in articulo mortis: tamen multùm confert absolui virtute præfatorum priuilegiorum, quia post absolutionem, si non moreretur, non teneretur se præsentare Superiori, quemadmodum si esset absolutus absque potestate huius priuilegij.

Dãnati ad triremes possunt absolui.

4 Qui mittuntur ad triremes possunt absolui per nostros Confessarios à quibuscumque casibus: sicut in articulo mortis. Pius IV. viuæ vocis oraculo Societati Iesu, vt habetur in eorum Compendio verbo, *Absolutio.* §. 3. hæc facultas ab omnibus Superioribus concedi potest. Et qui reperiuntur in triremibus condemnati, possunt eadem facultate absolui, cùm eadem sit ratio.

Familiares, & famuli possũt à regularibus absolui.

5 Confessarij nostræ Religionis possunt absoluere familiares, seu famulos laïcos intra septa Monasterij commorantes, à casibus locorum Ordinariis reseruatis, & pro tempore reseruandis; non obstante Decreto à Clement. VIII. publicato *die 9. mensis Ianuarij*, de casuum reseruatione, *anno 1601.* Concessit hoc Priuilegium idem Clemens VIII. Carthusiensibus *die 26. mensis Martij 1602.* vt refertur in Compendio Priuilegiorum Congregationis S. Mariæ Iulienſis *in tit. Casuum reseruatio.* §. 1.

Extra Italiam Confess. Regul. possunt etiã ab Episcopo reseruatis absoluere.

6 Extra Italiam possunt nostri Confessarij absoluere à casibus locorum ordinariis reseruatis, & pro tempore reseruandis. Gregorius XIII. Clericorum Regularium Congregationi per viuæ vocis oraculum factum R. P. D. Innoc. Parascandalo tunc

Præpoſito S. Sylueſtri montis Quirinalis. Quod Priuilegium erat in vſu apud eos etiam per totam Italiam, ante prohibitionem factam per Decretum Clementis VIII.

Semel approbati Cõfeſſarij poſſunt aliquãdo etiã extra territoriũ abſoluere.

7 Confeſſarij noſtræ Religionis ſemel approbati iuxta formam Concilij Trident. quando non poſſunt commodè ſe præſentare Epiſcopis, quia ſunt in itinere, vel alibi, poſſunt Chriſti fidelium confeſſiones audire in illis locis, aut oppidis, vbi Ordinarij non exiſtunt: & prædicatores verbi Dei prædicare, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, Eugenius IV. Confeſſoribus Ordinis Minorum; *vt habetur in eorum Compendio, tit. Abſolutio, quoad ſæculares primò.* §. 3. & Gregorius XIII. Societati Ieſu, *vt in eorum Compendio, tit. Confeſſarius.* §. 2. Quod Priuilegium incipit; *Decet Romanum Pontificem. num.* 193. *ſub die* 3. *menſis Maij* 1575. *Pontificatus ſui anno* 3. cum clauſula derogatoria Concilij Trident. videlicet; *Non obſtantibus Apoſtolicis, necnon in Generalibus Concilijs Prouincialibus, & Synodalibus editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, &c. & alijs clauſulis annullatiuis, reuocatiuis, exceptiuis, &c.* Cautè tamen vtendum eſt hoc Priuilegio, ne Ordinarij conquerantur.

Semel approbatus diſcedens, & poſteà rediens, non debet iterùm examinari.

8 Confeſſarij noſtræ Religionis ſemel approbati ab aliquo Ordinario pro confeſſionibus audiendis, poſt vnam præſentationem, & approbationem; licèt aliò ſe transferant, vt ibi ad tempus habitent, ſi poſteà reuertantur ad eandem Diœceſim, non eſt neceſſarium iterum ſe præſentare. Eugenius IV. Ordini Minorum: *vt in eorum Compendio tit. Abſolutio quoad ſæculares primò.* §. 4. & Clem. VII. *ibid.* §. 16.

9 Confeſſarij noſtræ Religionis approbati in aliqua

aliqua Diœceſi ad confeſſiones audiendas, mortuo Epiſcopo poſſunt vti eadem licentia, ſede vacante, donec prouiſum fuerit de Paſtore, Clemens IV. Ordini Prædicatorum: *vt habetur in collectione Priuilegiorum mendicantium Io. Baptiſtæ confecti ſub Clemente IV. Priuilegio* 7. Et ſemel præuio examine approbati iterùm ab eodem Epiſcopo non ſunt examinandi, ex Decreto ſacræ Congregationis; *vt habetur in collectione Priuilegiorum Io. Baptiſtæ confecti in fine Priuilegiorum ſub Sixto V.*

Mortuo Epiſcopo approbante, Confeſſarij poſſunt proſequi.

10 Requiritur tamen, vt in illa prima præſentatione, ſit indiſtinctè, & vndequaque admiſſus, & approbatus ſine aliqua limitatione temporis, cerorúmque locorum, aut generis perſonarum, vt ſolet fieri illis, qui non adeò idonei reperti fuerint: ſi verò eſſet admiſſus ad beneplacitum abſque aliqua limitatione; tunc intelligitur ſimpliciter, & vndequaque admiſſus, & approbatus. Quia beneplacitum durat vſque ad mortem concedentis, niſi reuocetur; *cap. ſi gratioſè. de reſcriptis, in* 6. & Religioſus ſemel, ſimpliciter, & præuio examine ab Ordinario approbatus, non poteſt cogi ab eodem Ordinario vt iterùm examinetur, ex ſupradictis in præcedenti §.

Limitatio.

Licẽtia data, non poteſt abſque cauſa reuocari.

11 Nec poteſt dicta licentia reuocari ab Ordinario abſque noua, & legitima cauſa, quia facultas audiendi confeſſiones conceditur Regularibus à ſummo Pontifice, *per Clem. dudum, de ſepulturis.* §. *ſtatuimus:* & Ordinarij non habent, niſi nudum miniſterium videndi, an ſint idonei; vnde, quando idonei ſunt reperti, non poteſt ab Ordinariis eis denegari dicta licentia, & ſemel conceſſa, vt dixi, non poteſt ad beneplacitum reuocari.

Aduertendum eſt etiam, quòd intelligendum eſt

hoc priuilegium, dummodò sit idem Episcopus qui eum approbauit.

Confessarij in vna Diœcesi admissi, an possint etiã in alia cõfessiones audire.

12 Dubitatur hîc; An Confessarij nostræ Religionis in aliqua Diœcesi admissi ad confessiones audiendas, à locorum Ordinariis, possint extra Diœcesim subditos illorum audire.

Resp. Distinguunt aliqui de Confessoribus, & de ordinariis quidem partem affirmatiuam tuentur, de delegatis verò id negant. Sic videtur clarè tenere Hostiens. *in summa, tit. de pœnit. & remiss. §. cui consitendum nu. 14. vers. & nunquid extra territorium.* Angelica *Confess. 3. n. 16.* Sylvest. *Confessor, 1. q. 14. §. 12.* Nau. *in summa, c. 27. n. 266.*

Cæterùm multò verius est, iurisdictionem delegatam voluntariam posse extra territorium exerceri: sic concessit Sixtus IV. ordini Minorum, vt habetur in eorum Compendio, *tit. Absolutio quò ad seculares. §. 11.* Et in propriis terminis eam sententiam docent alij, asserentes non solùm Ordinarios, sed & Confessores delegatos posse audire confessiones subditorum Diœcesis, in qua expositi sunt extra illam Diœcesim. Sic Antoninus, *3. par. tit. 17. cap. 10. in fine.* Sylvest. *vbi suprà*, dum dicunt; Religiosos, non virtute Clem. *dudum*, facultatem restringentis, sed ex delegatione Episcopi excipientis confessiones posse extra Diœcesim audire. Eiusdem sententiæ sunt Victoria, *summa de Confess. num. 151.* Sotus *in 4. d. 18. q. 4. art. 3. vers. aliud vero.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 7. n. 1.* Ledesma *2. p. 4. quæst. 7. art. 5. dub. 5.* Angles floribus, *1. p. quæst. 3. de Confess. art. 8. dub. 4. conclus. 2.* Philiarcus, *de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. lib. 2. p. 24. §. nullus alius.* Bartholomæus à Ledesma, *de pœnit. dub. 23. casu 4.* asserentes, optimè Religiosos expositos virtute Clem. *dudum*, posse audire

audire cõfessiones extra Diœcesim, cùm tamen delegati sint. Nec obstat ibi dici, posse audire intra Diœcesim: quia sensus est, vt nõ possint extra Diœcesim audire illos, qui non sunt illius Diœcesis, in qua sunt præsentati, ne putarent se vbi semel præsentati sunt, esse totius orbis Confessores.

Et ratio est: quia iurisdictio voluntaria delegata potest etiam extra territorium exerceri, vt latè probat Sanchez, *de matrim. part. 1. lib. 3. disp. 34. nu. 2.* Cùm nulla irrogetur iniuria Iudici alieni territorij, & absque strepitu, & figura iudicij exerceatur: quæ ratio æquè militat in Iudice ordinario, ac delegato: cautè tamen vtendum est hac facultate, ne ordinarij conquerantur.

Confessarij in vrbe approbati, nõ debent extra vrbem examinari.

13 Confessarij Congregationis Oratorij præuio examine approbati ad confessiones audiendas in vrbe à Vicario dictæ vrbis Romæ, non debent examinari extra vrbem à locorum Ordinariis, si confessiones fidelium voluerint audire, sed sufficit præsentare eorum licentias Romæ habitas, & licentiam petere ab ipsis Ordinariis. Sixtus V. Congregationi Oratorij S. Mariæ in Vallicella de vrbe, *anno Domini 1586. Nonis Septembris, Pontificatus sui anno 2.* vt refert Stephanus Quaranta in summa Bullarij, *tit. Confessor.* vbi refert priuilegium de verbo ad verbum, & simul declarationem Illustrissimorum DD. Cardinalium super Concil. Trid. pro illius obseruantia. Hac facultate possunt vti, qui communicant eorum priuilegiis.

Confessarij excõmunicatos absoluentes, non tenentur seruare formã obseruatã in publicis absolutionibus.

14 Confessarij nostræ Religionis absoluendo excommunicatos in foro conscientiæ, non tenentur seruare formam, quæ obseruatur in publicis absolutionibus: scilicet flagellationem cum Psalmo *Miserere mei Deus*, &c. Leo X. Ordini Minorum.

rum: *vt in eorum Compendio tit. Absolutio quoad sæculares*, 1. §. 13.

Pœnitēs à Confes. reg. absolutus, nō tenetur pro illa vice suo Rectori confiteri.

15 Quicunque ex vtriusque sexus Christi fidelibus tempore à iure statuto Confessariis nostræ Religionis eorum peccata confessi fuerint, eadem Parochialis Ecclesiæ Rectori iterùm confiteri minimè tenentur. Et aliter sentientes, tanquàm de hæresi suspecti damnantur. Et Inquisitoribus hæreticæ prauitatis contra pertinaciter id asserentes procedendi tribuitur facultas. Sixtus IV. Religioni Prædicatorum: *vt habetur in Bulla maris magni, quæ est in collectione priuilegiorum Ioan. Baptistæ confecti, priuilegio primo, sub Sixto IV. & in summario dictæ Bullæ* §. 50. Et hæc pro sæcularibus.

Facultas absoluēdi à reseruatis non residet de iure apud Confessarios.

16 Quantum verò ad Confessarios, qui Regularium tantùm confessiones audiunt, sciendum, quòd circa hoc non defuerunt, qui dicerent facultatem absoluendi à reseruatis modò residere penes ipsos Confessarios deputatos, adeò, vt ad Prouincialem recurrere ampliùs non sit necesse. Quod conantur asserere ex verbis Decreti Clem. VIII. vbi *in num.* 5. ait; *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, iyq; sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam committatur absolutio reseruatorum, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.* Ergo, inquiunt opinantes, cùm talibus Confessariis committatur facultas, ad ministros non est ampliùs recurrendum.

Sed profectò hallucinantur: nam Decretum non dicit, vt simpliciter facultas talis ipsis deputatis committatur: sed quando casus occurrerit, in quo ipse Confessarius in primis iudicauerit, non esse expe

expediens: vt pœnitens ad Superiorem personaliter recurrat, tunc committatur: ergo si tunc debet committi facultas, & vtique à Prouinciali, patet quòd ex verbis Decreti non potest rectè elici, vt Confessarij deputati talem facultatem simpliciter habeant. Confirmatur, quia in principio Decreti Papa disertis verbis manifestat, ad Superiores maiores esse recurrendum pro reseruatis: vnde dicit *in num.* 3. *Non liceat Superioribus Regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint.* Patet ergo, quòd verba textus eis non suffragantur, imò apertè contra eos concludunt.

Audiant isti Nauarrum *in c. placuit, n.* 6. *Si quæ ergo*, inquit, *habuerit peccata Superioris arbitrio reseruata, non poterit ab eis absolui: sed oportet eum ad illum, cui sunt reseruata, Superiorem confugere.*

Audiant etiam verba Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *in fin. Extra quem articulum* (mortis scilicet) *Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur: vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Ponderent obsecro Confessarij hæc verba, & auctoritatem à reseruatis absoluendi, quam neque ex Decreto, neque ex Tridentino habent, sibi nō vsurpēt.

Ponderent etiam ea, quæ in eodem capite statim in principio dicuntur, scilicet: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Et vltimò concluditur intentum ex determinatione facta à S. D. N. Paulo Papa V. & de qua suprà fecimus mentionem in fine *art.* 17. *primæ sectionis*, ponderentur quæ ibi à sua sanctitate dicuntur:

& sic opinantes taliter opinari desistant.

Priuilegia, & indulta pro reseruatis.

17 Placet nihilominùs hîc ea priuilegia, & indulta referre, quæ circa talem materiam summi Pontifices nostris Fratribus concesserunt. Refert Rodriquez *in 1 tom.qq.regul.q.62.art.6.ex Compend. priuileg.* quòd omnes Fratres, & eorum priuilegiis gaudentes possunt absolui semel in vita,& in mortis articulo, & quater in anno, diebus quibus maluerint, ab omnibus prorsus peccatis, & censuris. Et Confessor,ac si esset actu Pontifex,impertiri indulgentiam plenariam per Sixtum IV. Hæc indulgentia licèt semper sortiatur effectum in credito articulo mortis data, tamen semper reseruatur pro vltimo articulo ex Eugen. IV. neque ad hoc obest defectus linguæ, aut morbus, læthargia dictus:sic declarante Nicolao V.& valet talis absolutio,etiam à Sacerdote sæculari impensa.

Eugenius IV. concessit Generali, & Prouincialibus, ac Prioribus Ordinis Carmelitarum:vt in confessionibus audiendis, & absolutionibus impendendis,& pœnitentiis iniungendis, aliisque salutem animarum dumtaxat concernentibus exequendis,omnium,& singulorum dicti Ordinis Fratrum,eandem, & talem potestatem, & facultatem habeant;qualem in præmissis minores Pœnitentiarij Sedis Apostolicæ,seu Curiæ Romanæ,ex officio habent,& exercent. Vide *Comp.priuil.tit. Absolutio ordinaria quoad Fratres* §.37.D.Ant.3.*p.tit.*14.sic dicit.

Pœnitentiarij minores à quibus absoluere possunt.

18 *Nota, quòd Pœnitentiarij minores in Curia possunt absoluere vndecunque venientes ab omnibus casibus peccatorum, & sententijs Episcopis reseruatis. Habent enim auctoritatem Episcopalem in foro Pœnitentiæ, & maiorem, quoad quosdam casus excommunicationum,& dispensationum.*

19 Et

Modus varius deputandi Confessarios.

19 Et quia de Confessariis deputatis facta est mentio hîc,& alibi multoties,quæritur ad quemnã spectet talis deputatio Confessariorum? Pro quo sciendum, quòd talis deputatio multipliciter fit iuxta diuersos modos, & ritus Religionum: nam apud aliquos deputantur non solùm Confessarij pro communibus peccatis: verùm & aliqui particulares, quibus absolutè datur facultas, vt à reseruatis absoluant quoscunque ad ipsos accedentes: qui summoperè cauere debent,vt cum magna cautela id faciant: ne pœnitentes ad ipsos recurrentes aliqua infamia de graui peccato, & reseruato notentur: si enim pro reseruatis solùm ad tales fit recursus,statim circumstantes suspicantur ipsum pœnitentem, graui peccato innodatum, & tali ministro indigere.

Aliqui verò etiam id faciunt, scilicet, quòd deputati absoluunt à non reseruatis,& pro reseruatis recurrunt ad Superiorem: quod vtique facere possunt,quando Prælatus qui dedit eis potestatem,domi est.Pro quo facit id, quod diximus *in art.7. primæ sectionis*,nempe,quòd si reseruare casus ante Decretum pertinebat ad Abbates, vel Priores,seu Rectores domus:quòd apud ipsos modò residet facultas absoluendi.Ergo si Superior domus habet hanc facultatem, ad illum debet recurrere Confessarius deputatus,antequàm absoluat, nisi aliter constitutum sit in sua Religione. Apud nos Capuccinos, etiam est varia deputatio Confessariorum,iuxta diuersitatem Prouinciarum:nam in aliqua Prouincia deputantur à Capitulo:in alia,ipse Prouincialis solus id facit:alibi verò, ipsi Guardiano loci datur facultas,vt possit deputare: vnde seruandus est mos, & ritus cuiuscunque Religionis, aut Prouinciæ.

An verò incidant in aliquam pœnam Confessarij, qui sine facultate absoluunt à reseruatis, dictum est suprà *in art.20.primæ sectionis*, vbi determinauimus, quòd absolutio talis est nulla, quòd Confessarius peccat mortaliter, & quòd multoties incidit in excommunicationem. Vide ibi.

ARTICVLVS IV.

An Confessarius habens potestatem absoluendi à reseruatis, possit absoluere in foro conscientiæ pœnitentem, qui commisit delictum publicum, antequam à iudice sit expeditus?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius non potest absoluere pœnitentem à reseruatis, quando delictum est publicum.*
2 *Religiosi se percutientes quid facere debeant.*
3 *Carcerarius potest cum carcerato excommunicato conuersari ex necessitate.*

Cõfessarius non potest absoluere pœnitẽtem à reseruato, quando delictũ est publicum.

1 RESpond. quòd talis Confessarius potest pœnitentem absoluere à reseruatis, quando illa sunt secreta: sed quando delictum est publicum, & notorium, nullo modo potest, antequàm à Superiore absoluatur.

Ratio est, quia cùm peccatum sit publicum, iam amisit famam: quinimò scandalizarentur adstantes, si antequàm à Prouinciali iuridicè absolueretur, viderent illum, vel fungi sacerdotio, vel aliter communicare. Facit pro hoc doctrina Philippi Franchi *in cap. solet, de sentent. excommun.* dicentis, quòd *cap. ex parte,*

parte, de verb. signif. vbi dicitur, quòd pro manifesta iniuria nullus est absoluendus, nisi satisfactione læsæ partis præmissa, debet intelligi quando quantitas satisfactionis est liquida: quòd si liquidanda est, tunc reus poterit absolui, datis fideiussoribus, vel pignoribus.

Secundò, debet intelligi, quando satisfactio est possibilis: nam quando non est talis, tunc absolutio potest dari. *Sic Franchus.* Præterea in d. cap. *ex parte,* dicitur, quòd nullus est absoluendus ab excommunicatione pro iniuria manifesta, nisi reali satisfactione præmissa. Per quem textum dixerunt Innoc. & Ioan. Andr. *in cap. solet, de sent. excomm.* quòd si petenti absolutionem opponatur de manifesta offensa, non absoluatur. Franchus. Innocent. Ioan. And.

2 Vltimò dico, quòd quando duo Religiosi publicè se percutiunt, fiscus tunc super eo ius acquisiuit: vnde necesse est, vt priùs recurrant, & satisfaciant fisco, antequàm sacramentaliter absoluantur. Benè verum est, quod non est necesse, vt personaliter eant: nam sufficit, vt per Epistolam id Superiori insinuent, qui poterit committere absolutionem, cui magis ei libuerit. *Religiosi se percutientes, quid facere debeant.*

3 Carcerarius verò poterit cum talibus excommunicatis conuersari ex necessitate, non autem alij: cùm iam sint excommunicati, *per cap. si quis suadente, 17. quæst. 4.* *Carcerarius potest cum carcerato excõmunicato conuersari ex necessitate.*

ARTICVLVS V.

An Confessarij deputati, quando habent facultatem absoluendi reseruata, possint illam aliis committere?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Simplex ministerium absoluendi aliqui negant posse delegari.*
2 *Alij affirmant.*
3 *Moderatur pars affirmatiua.*
4 *Differẽtia inter Superiorem, & subditum delegatum.*
5 *Apud nos Capuccinos Confessarius deputatus non potest alium delegare.*

1 REspond. quòd circa hanc difficultatem aliqui dicunt, quòd non, *per cap. fin. §. cæterùm, de offic. & potestate iudicis deleg.* vbi habetur, pœnitentias iniungendi potestatem, etiam à Papa concessam, subdelegari non posse. Prætereà delegatus ab Ordinario, non subdelegat, *l. à iudice, C. de iud. c. cùm causam, de appell.* Tertiò, quòd Sylu. verb. *excomm. 7. cas. 14. dub. 11.* tenet contrarium in eo, quod dixit de Vicario ad modicum tempus à Rectore constituto. Quartò, quòd Riccard. *in quodlib.* ait, Sacerdotem habentem auctoritatem ordinariam, posse eam alteri delegare: posse quoque si habeat commissam à Papa iurisdictionem, non autem si nudũ officium, aut ministerium habeat, velut audiendi confessiones. Posse item, si habet commissionem ab inferiore: putà Episcopo, vel huiusmodi ad vniuersitatem causarum, vt officialis, vel vniuersalis Pœnitentiarius potest pariter causam committere, nisi fuerit ei specialiter interdictum: si verò non habet particularem commissionem, non potest: ex quibus infert, Sacerdotem, qui conductus Ecclesiæ parochiali deseruit, cùm non sit Ordinarius illius Ecclesiæ Parochus, non posse delegare: & ita dicit *cap. fin. de offic. deleg. §. cæterùm.*

2 Alij verò partem affirmatiuã tuentur, scilicet, quòd

quòd possunt, sic Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 45. ex c. fin. de offic. ordin.* scilicet, quòd simplex ministerium absoluendi potest delegari, etiam à delegato Ordinarij, & à subdelegato delegati Papæ; quamuis non possint delegare suas iurisdictiones, quarum ratione id eis competit. Intellige autem, quòd possit delegari simplex ministerium, non cuicumque Sacerdoti; sed illi tantum, qui approbatus est ad audiendas confessiones. Vide Graffium *in 1. part. decis. lib. 1. cap. 20. num. 15.* & addit Nauar. quòd hæc delegatio quotidiana est.

Simplex ministeriũ absoluẽdi potest delegari.

Graffius.
Nauarr.

Vt respondeam huic difficultati, quæ reuera magna est, distinguere oportet de Confessario: nam vel est Superior, vel inferior, deputatus tamen. Si Superior est, aliqui dicunt, quòd hoc non potest fieri: sed Superior debet aut integram confessionem audire, aut sacramentaliter non absoluere, sic Adrian. *quæst. 5. de Conf.* Sylvest. *Confess. 1. q. 19.* Victoria, *in summa. num. 149. & 162.* Cano. *relect. de Confess. p. 5. circa finem.* Alij simpliciter asserunt, id posse fieri & licitè, & validè, absque alia causa, sic Caietan. *Confess. cond. 10.* dicítque esse consuetudinem Romanam. D. Anton. *3. p. tit. 14. cap. 19. §. 6.* Palud. *dist. 17. quæst. 5.* Ricchar. *art. 2. quæst 8. ad 2.* Soto *dist. 18. quæst. 2. art. 5.* addit tamen, ex rationabili causa, absolutè Petrus Soto. *lect. 10. de Confess.* Nauarr. *in cap. consideret. §. cautus. n. 12.*

Adrian.
Sylvest.
Victoria.
Cano.
Caiet.
D. Anton.
Palud.
Ricchard.
Sotus.
Petr. Soto.
Nauarr.

3 Hæc sententia, quia communior est, omninò est tenenda; sed cum moderamine scilicet, si ex parte pœnitentis instet vera necessitas moralis non differendi ampliùs suam confessionem sacramentalem, & ex parte Superioris sit etiam hæc, & nunc verum impedimentum, vt non possit totam confessionem audire: rursúsque talis sit culpa reseruata;

Moderatur assertio.

uata, vt secundùm prudentem existimationem non possit moraliter, vel non expediat alteri causam delegare. Quibus concurrentibus, & subdito sacramentalem confessionem postulante, poterit Superior auditis solis peccatis reseruatis, absolutionem dare: quia iam ex illis omnibus consurgit sufficiens ratio, ob quam illa dimidiatio confessionis, non formalis, sed materialis tantùm esse censeatur, sic Suarez, & benè, *in 4. to. disp. 31. sect. 1. num. 8.* Si verò Confessarius est subditus, & similis necessitas occurrat, dicit Suarez, *vbi suprà*, quod ei licet.

Suarez.

Differentia inter Superiorem & subditũ delegatum.

4 Est benè magna differentia inter talem Superiorem, & talem subditum: nam Superior, occurrente prædicta necessitate, potest vel absoluere sacramentaliter à culpa peccatum illud reseruatũ: & tunc peccatum illud poterit posteà iterum, atque iterum absolui, non solùm ab inferiori Sacerdote proprio, verùm & à quolibet alieno: quia peccatum illud non solùm non est ampliùs casus reseruatus, sed neque est materia confessionis necessaria, cùm semel sit absolutum. Vel potest Superior non absoluere sacramentaliter, sed audiendo tantùm, & imponendo satisfactionem debitam remittendo reliqua inferiori Sacerdoti, & tunc tale peccatum iam non manet reseruatum, non tamen potest à quolibet Sacerdote remitti; sed à proprio, vel de eius licentia, quia adhuc manet, sicut cætera peccata mortalia nondum confessa, & est materia necessaria confessionis.

Subditus verò, seu delegatus debet aut absoluere, aut rem integram relinquere, vnde non potest reseruationem tollere, nisi sacramentaliter absoluat. Ratio est, quia ipse non potest delegare iurisdictionem ad absoluendum, sicut Superior, illa autem

autem ablatio reseruationis illo modo non fit, nisi committendo alteri iurisdictionẽ ad absoluendum.

Ad obiecta prioris sententiæ respondetur. Ad primum, dico, §. *cæterum*, agere de subdeleganda potestate in iniungendis pœnitentiis, non verò de danda subdito licentia cum iurisdictione, vt cui voluerit, confiteatur. In illo casu aliqua subdelegatur potestas, in hoc verò nulla: nam facultas illa eligendi Confessarium, non est potestas, qua resideat in ipso, qui eam facit, & quæ transferatur de illo in Confessarium: sed quædam declaratio, qua declarat se nolle vti iure, quod ad se pertinebat. Secundò dico, §. illum procedere, quando tacitè negatur subdelegandi potestas: propterea quòd personæ industria videtur eligi, in casu autem nostro agimus de illo, qui ea mente alij suas vices plenè committit, vt circa sacramentorum administrationem omnia gerat, quæ ipse potest. Ad secundum concedo, tam delegatum ab inferiore, quàm à Principe subdelegare non posse: sed non sequitur ex hoc, Vicarium licentiam hanc dare non posse; etiam si concederetur, Vicarium illum esse delegatum, quia dare hanc, de qua loquimur, licentiam, & delegare, vel subdelegare separata sunt: & ideò ab altero non infertur efficaciter, *l. Papinianus. ff. de min. & c. 2. de transl. Prælatorum.* Ad Sylvest. respondeo, opponendo ei Adrianum virum doctissimum, & alios citatos pro nostra sententia. Et deinde dico, quòd sua sententia potest locum habere; quando quis ad modicum tempus Vicarium posuit, & non erat ei in mente, vt concederet suas vices, etiam cùm oporteret, ad delegandum, & vocandum alios coadiutores: non autem quando de huiusmodi mente, vel per coniecturas, vel suam in hoc,

hoc, vel aliorũ priſtinã conſuetudinẽ ſatis apparet.

Ad Ricchardum reſpondere poteſt, primò; omnia illa, de ſubdelegatione procedere, noſtra verò de conceſſione licentiæ, rei longè ab illa diuerſæ. Poteſt ſecundò reſponderi, ſicut ſecundo modo fuit reſponſum ad primum. Ex quo infero, quòd ſi Rector accerſat aliquem Sacerdotem; vt ſe iuuet in audiendis confeſſionibus, is non poterit eiuſmodi licentiam ei tribuere; quia de prædicta mente non apparet, & per regulam iuris, tacitè videtur agi contrarium, per illum §. *cæterùm.*

Apud nos Capuccinos Confeſſarius deputatus non poteſt aliũ delegare.

5 In noſtra verò Religione ordinariè loquendo, Confeſſarius deputatus ad audiendas confeſſiones, non poteſt alium delegare, & pro ſe ſubſtituere ad audiendam alicuius confeſſionem: niſi ſpecialem ad hoc habeat licentiam à Prouinciali. Ratio eſt, quia per noſtra ſtatuta prohibetur, vt nemo mutet Confeſſarium electum abſque licentia Superioris, & multò minùs poterit hoc facere cum licentia deputati Confeſſarij, qui quantum ad hoc, & vt ſic, nullam habet facultatem; imò per ſtatuta prohibetur, ſaltem indirectè.

ARTICVLVS VI.

Quando Superior cõcedit facultatem pro reſeruatis, ſed tali loco, & tẽpore, quod facilè poſſet venire in cognitionem peccatoris, quid faciet Confeſſarius?

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarij cautela contra verſutiam Superioris.*
2 *Ad communionem abſque præuia confeſſione aliquando accedendum.*
3 *Abſolutio ab excõmunicatione poteſt dari abſenti, & ignoranti, & inuito, non tamẽ abſolutio à peccatis.*
4 *Peccatum mortale aliàs confeſſum, poteſt quis denuò ſubijcere confeſſioni.*

1 CAſus occurrere poteſt, qui proponitur, & reſoluitur à Rodriquez *in primo to. ſuæ ſummæ, cap. 35. num. 15.* Quidam Confeſſarius cuiuſdam Conuentus, qui audit confeſſiones Choriſtarum, ſeu Clericorum, petiit à Prælato facultatem ad abſoluendum quemdam ſuum Pœnitentem, & Prælatus pro tunc negauit: deinde, vt veniret in cognitionem perſonæ, tempore, & hora, qua omnes Choriſtæ conuenerant ad communionem, dixit Confeſſario prædicto; Concedo tibi facultatem, quam hodie mihi petiſti. Quod fecit in illa occaſione, quia præ breuitate temporis, putauit Confeſſarium vocaturum illum Religioſum, ad abſoluendum illum, & ſic ipſe veniret in cognitionem ipſius. Cõfeſſarius verò ſagax, & prudens nõ debet in hoc caſu vocare iuuenẽ pœnitentem; ſed ſufficit, quòd quando dicitur, confeſſio illa ante cõmunionem, ſc. *Confiteor Deo omnipotenti*, &c. vt tũc abſoluat illum ab omnibus peccatis, quæ audiuit, licèt pœnitens neſciat hanc abſolutionem. Sic Rodriq.

Confeſſarij cautela cõtra verſutiam Superioris.

Ad cõmunionẽ abſque confeſſione aliquando accedendum.

2 Sed ego conſulerem, vt pro tunc nihil faceret; nam Clericus, aut iuuenis ille poteſt cum aliis ire ad communionem, ne ſe prodat, & deinde, capta opportunitate temporis, ſeriò eum abſoluat.

Abſolutio ab excommunicatione poteſt dari abſẽti, & ignorãti, & inuito, non tamen abſolutio à peccatis.

3 Nam licèt ab excommunicatione poſſit dari abſolutio, non ſolùm abſenti, verum & ignoranti; imò, & inuito, non tamen hoc fieri poteſt in abſolutione à peccatis. Idcircò puto, quòd in ſimilibus caſibus meliùs eſſet ire ad communionem ad euitandum ſcandalum, & notam, habita priùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

contritione, ac si pro tunc non haberet copiam Confessarij: & posteà, cum opportunitate temporis facere ea, ad quæ tenetur.

Et eò magis hoc dico, quia in illa confessione generali, quæ fit ante sumptionem sacramenti Eucharistiæ, non datur, neque dicitur propria forma absolutionis, scilicet; *Ego te absoluo*, sed ibi tantùm fit deprecatio, *Misereatur tui*, & *Indulgentiam*, &c. & nihil aliud; ergo ille talis pœnitens non potest dici absolutus neque à peccato, neque à præsentatione: Nisi dicatur, quòd anteà iam absoluerat eum à peccato, & promisit Confessarius se petiturum licentiam à Superiore pro præsentatione. Et in hoc est etiam difficultas: nam licèt tunc haberet Confessarius licentiam prædictam, nihilominùs opus esset, vt pœnitentem iterum vocaret ad iudicium cõfessionis, & tunc eum absolueret cõpletè; non solũ à culpa illius peccati, verùm & à præsentatione.

4 Si dicas, quòd culpa iam erat anteà confessa, & absoluta, nihil refert: nam *peccatum* mortale pluries potest subiici pro materia sacramenti pœnitentiæ, etiam quòd fuerit absolutum, vt suprà alibi diximus. Melius est ergo, & cautiùs, vt post actionem illam, seriò confiteatur, vt paulò antè dictum est.

Peccatum mortale aliàs confessum, potest iterũ subijci Confessario.

ARTICVLVS VII.

An facultas eligendi Confessarium finiatur per vnum actum, ideſt, per electionem vnius Confessarij vna vice?

SVMMARIVM.

1 *Facultas eligendi Confessarium quando datur determinatè, finitur per vnum actum.*
2 *Non finitur, quando datur sine limitatione.*
3 *Scriptura non est necessaria ad valorem gratiæ.*

1 RESpond. quòd hunc casum tractant Paludan. *in 4. dist. 17. quæst. 3.* Sylvest. *Confess. 1. q. 7.* Nau. *in cap. placuit, num. 167.* & sic omnes diffiniunt absolutè, non finiri. Nihilominùs aduertendum est, hanc facultatem interdum expressè dari solùm ad semel faciendam confessionem de peccatis cuicumque Sacerdoti pœnitens voluerit, & tunc clarum est, facultatem finiri per vnum actum: oportet tamen illum esse completum, quia nec priuilegium extenditur vltra id, quod in ipso exprimitur; neque etiam finitur ante completum vsum eius. Vnde si quis virtute Iubilæi eligit Confessarium, cui confiteri cœpit, vel etiam integrè confessus est, non tamen est absolutionem consecutus, vel casu aliquo, vel quia Confessarius ei absolutionem denegauit: nihilominùs potest alium Confessarium eligere, quia prior actus non fuit consummatus, & quia illa facultas ad hoc præcipuè conceditur, vt absolutio obtineatur; ideò prior electio, quæ ad absolutionem non peruenit, tanquàm nulla reputatur, ac proinde potest alius Confessarius eligi: dummodò id fiat intra tempus in priuilegio præscriptum, si fortasse in illo limitatur. Atque eadem proportione iudicandum est de hac facultate; quando expressè ad certum tempus, seu numerum confessionum, aut personarum conceditur.

Paludan. Sylvest. Nauarr.

Facultas eligẽdi Cõfessariũ finitur per vnũ actum completum, quando facultas datur determinatè.

Nota.

2 Quando verò datur indefinitè, & sine aliqua limitatione, clarum est non finiri vnico actu, neque electionem factam de vno Confessario esse immurabilem; sed posse fieri nunc vni, posteà alteri, pro arbitrio

Nõ finitur verò, quãdo datur sine limitatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauarr. arbitrio eius, cui facultas data est. Facit ad hoc id quod habet Nauarrus, *lib.5. consil.de priuileg. cons.1. num 2.* scilicet quòd gratia non expirat per mortem Papæ,quia licèt mandatum de gratia facienda expiret regulariter morte illius, *cap.relatum, de offic. deleg.* gratia tamen iam facta non expirat morte illius,*cap.gratum,eod.tit.*& textus apertissimus *in c.super gratia,eod.tit.lib.6.*

Scriptura non est necessaria, ad valorē gratia. 3 Etiam quòd talis gratia non fuerit concessa in scriptis,quia scriptura non est necessaria ad substantiam, & valorem gratiæ, *per Clem. dudum.§.fin. adiunct.gl.de sepult.* vt tradit Archidiaconus,*l.duo sunt Titij filij ff.de testam. tut. & cap. si Sacerdos, iuncta gloss. de offic.ordin.*communiter receptus *ibi*,& in rubrica *de constitutionibus :* etiam per Felinum, & Decium, post alios ab eis citatos.

Archidiaconus.

Decius.

ARTICVLVS VIII.

An si moriatur, vel amoueatur ab Officio Prælatus,teneat facultas data?

SVMMARIVM.

1 *Mortuo Episcopo,facultas data quando expiret.*
2 *Mortuo Episcopo, Regulares ab eo expositi ad confessiones possunt prosequi.*
3 *Commissariatus officium an duret post mortem mittentis.*
4 *Commissariatus officium sine limitatione datum durat.*
5 *Mortuo delegante, si causa cœpta est, durat officium delegati vsque ad finem causæ, si verò causa non est cœpta, non debet eam incipere.*
6 *Indulgentia an duret post mortem concedentis.*
7 *Idem sentiendum de Iubilæo.*

1 RESpond.quòd,*vt dictum est supr.in præced.articulo,* Prælatus vel dedit facultatem indefinitè,vel cum limitatione:si indefinitè, simpliciter expirat confessio, & facultas à tali Superiore data: si verò cum limitatione,non expirat simpliciter:sed si eam dedit pro vna vice, & antequàm mortuus sit, ille iam incœpit confiteri: maximè in confessione generali, quæ temporis diuturnitatem ordinariè loquendo,requirit:tunc potest prosequi,& absolui pro illa vice: si verò non est incœpta,debet recurrere ad successorem. *Mortuo Episcopo facultas data quando expiret.*

2 Pro Regularibus verò ad sæcularium confessiones audiendas expositis, & ab Episcopo admissis,quæritur,an ipso Episcopo mortuo, vel amoto, possint adhuc confessiones audire,an verò teneantur se iterùm præsentare. Sotus *in 4.distinct.18.q.4. art.3.* inquit, satis esse, si habeant semel vnius Episcopi facultatem, vel licentiam, vt non tenentur ampliùs eidem Episcopo,vel alteri præsentari.Facit extrauag. *inter cunctas, de priuileg.* quæ in hac parte non est reuocata. Præterea facit text.*in cap.si cui, de præbend.in 6.& cap.si super gratia, de offic.deleg.eod.lib.* vbi gratia non expirat per mortem concedentis, modò simpliciter fuerit facta: secus autem, si ad certum tempus facta sit. Vide quæ de hoc dicta sunt *in art.preced.3.num.3.* *Mortuo Episcopo, Regulares ab eo expositi possunt prosequi.*

3 Simile est dubium,quod oriri, & euenire potest de delegatione, seu commissariatu; an scilicet, officium Commissarij Generalis in aliqua Prouincia expiret per mortem delegantis? Et ratio dubitandi est:quia, ordinariè loquendo, iurisdictio delegata Dubium. *Commissariatus officium an duret post mortē mittentis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

legata amittitur per mortem concedentis, & hoc rationabiliter: nam delegatus censetur habere vnã, & eandem iurisdictionem cum delegante, cuius vices gerit: & ideò si in delegante cessat, consequenter cessare videtur in delegato.

Nihilominùs oportet distinguere de modo, & forma commissionis, & de causa incœpta, & non incœpta. Nam quoad modum, & formam commissionis, si ad certum, & præfinitum tempus, durat pro illo tempore solùm, nisi reuocetur: illo autem finito, cessat ipso facto, nisi aliud exprimatur in commissione. Ratio est: quia gratia, vel facultas non excedit voluntatem concedentis, nec voluntas operatur ampliùs, quàm per verba explicatur.

Commissariatus officium sine limitatione datum durat.

4 Si verò concessio, seu commissio datur vsque ad tale tempus, eo elapso extinguitur, quia pro toto sequenti tempore data non est. Si ergo delegatio, seu commissio datur absque limitatione temporis, durat quamdiu expressè non reuocatur. Itaque facienda est vis in forma, & modo concedendi iuxta tenorem commissionis, quæ potest esse minus, & magis ampla, quoad vim, & quoad durationem, iuxta beneplacitum delegantis.

Mortuo delegante, si causa cœpta est, durat officiũ delegati vsque ad finẽ causæ: si verò causa non est cœpta, debet eam nõ incipere.

5 Si autem delegans moritur, antequàm expiret commissio, seu delegatio illa: adhuc distinguendum est: nam causa vel est incœpta, vel non. Si causa est incœpta, debet prosequi: si verò non est incœpta, delegatus debet eam non incipere. Vide cap. *licet.* cap. *relatum.* & cap. *gratum, de offic. deleg. cum gloss. & Doctoribus.*

Indulgẽtia an duret post mortẽ concedẽtis.

6 Simile quoque est dubium; an indulgentia duret post mortem concedentium? Ad quod respondetur affirmatiuè: gloss. *in cap. extremum, de offic. leg.* scribit; legatorum indulgentias esse perpetuas: sic

sic etiam tenet Innoc. *in cap. quod translationem, eod. tit.* & Hostiensis *in cap. nemini.* Quid, inquit, de indulgentiis: Respondeo, perpetuæ sunt, sicut statuta, & priuilegia, *arg. cap. seruatis, 25. q. 2.* Panorm. *in cap. nemini, de off. leg.* opinionem glossæ fatetur esse communem: quia priuilegia, inquit, siue statuta debent esse perpetua, *cap. 1. 25. q. 2.* Hanc eandem sententiam tuetur Angelus, verbo, *indulgentia, §. 6.* Rosella, *eod. verb. num. 8.* Sylvest. *eod. verb. num. 16.* Nauarr. *in tract. de Iubilæo, not. 31. nu. 25.* illud etiam addens: Nihil, quod per beneficium concessum est à Romano Pontifice, eius interitu extingui. Benè verum est, quòd si diruitur locus, cui concessa est indulgentia, quòd tum reuocantur, & tolluntur indulgentiæ. Nauarr. *vbi suprà, not. 31. num. 38.* secutus Paludanum.

Idem dicẽdum de Iubilæo.

7 Et idem sentiendum est de Iubilæis illis, quæ Christianis largiuntur à Romanis Pontificibus interdum, vt ipsis rectè, sanctéque gerendi Pontificatus à Deo consilium, & mentem impetrent: & nihilominùs antequàm fideles tales indulgentias lucrentur; aliquando ipsi Pontifices summi è vita intercidunt, vt euenit in Pontificatu Innocentij IX. Respondetur enim, quòd, non obstante morte concedentis, adhuc illa indulgentia durat: alioquin si alicuius Iubilæi, quale fuit Innoc. IX. fit irrita gratia Pontificis interitu: ergo Indis, & longiquarum prouinciarum exteris nationibus nunquàm poterit esse exploratum, num Iubilæi beneficium ratum iis sit: quandoquidem de vita Rom. Pont. certum nihil scire possunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS IX.

An Confessarij deputati, qui aliquando habent facultatem pro reseruatis, habeant quoque illam pro omnibus censuris?

SVMMARIVM.

1 *Superior dans facultatem pro reseruatis, non dat pro censuris.*
2 *Ab excommunicatione occulta absoluere potest Episcopus.*
3 *Occultum quando dicatur.*
4 *Ab excommunicatione generaliter lata an Confessarius possit absoluere.*
5 *Superior concedens suam facultatem pro reseruatis, non concedit absolutionem, aut dispensationem votorum, aut irregularitatum.*
6 *Concedens etiam omnem suam facultatem ad confessiones audiendas.*
7 *Praxis in Religione Minorum est in contrarium.*
8 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

Superior dãs facultatem pro reseruatis, non dat pro censuris.

1 REspond. quòd circa hunc articulum dico plura. Primò, quòd Prouincialis concedendo casus suos, siue sibi reseruatos, non videtur concedere absolutionem à censuris sibi reseruatis: quia censura non est casus, sed pœna eius, quoniam à diuersis non fit illatio: vt dicitur *in l. Papinianus ff. de minor. & cap. ad audientiam, de decim.* Aliud enim est reseruare sibi culpam, aliud censuram. Nisi hanc facultatem haberet à summo Pontifice, cui, ordinariè loquendo, nullus est casus reseruatus; quin habeat censu-

censuram annexam, cuius appellatione continetur suspensio, interdictũ, & excommunicatio, *cap. quærenti, de verb. signific.* Inde fit, vt Bulla, quæ facultatem absoluendi concessit à casibus Papalibus, videatur etiam concedere facultatem à censuris Papæ reseruatis. Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 254.*

Ab excommunicatione occulta absoluere potest Episcopus.

2 Hinc notandum est, quòd cùm per Concil. Trident. *sess. 29. cap. 6.* detur facultas Episcopis absoluendi à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, per consequens absoluere possunt ab excommunicatione lata à Canon. *si quis suadente, 17. quæst. 4.* Etiam si læsio esset enormis, modò sit occulta.

Occultum quando dicitur.

3 Occultum est illud quod opponitur probabili, cuius non sunt legitimi testes, etiamsi ab aliquibus scitur. Facit gloss. *in cap. manifesta, 2. q. 1.* Non autem, vt opponitur publico, vel opponitur notorio. Nam id, quod opponitur publico, est, quod ab Ecclesia toleratur. Quod autem aliqua tergiuersatione tolerari potest, licèt liberet ab infamia, dicitur occultum, quod opponitur notorio. Sotus *de rat. teg. membr. 2.* Si tamen læsio enormis esset occulta tali pacto, quia effectus esset publicus: sed nescitur percutiens, etiam delictum dicitur occultum. Sylu. in verb. *correctio, quæst. 8.* & Episcopi absoluere possunt.

Ab excommunicatione generaliter lata, an Confessarius possit absoluere.

4 Dubitatur hîc, an Confessarius Regularis, ad confessiones sæcularium audiendas expositus, habens potestatem absoluendi à quibuscunque casibus, & censuris ex priuilegio, possit absoluere ab excommunicatione lata ab Episcopo per modum sententiæ generalis, videlicet; Quicunque furtum fecerit, sit excommunicatus.

Respond. Imol. *in cap. graue, de præbend.* quòd sic:

vbi inquit, excommunicationem latam per viam sententiæ generalis non censeri reseruatam. Ratio est, quia dicta sententia cùm generalis sit, in pluribus æquipollet Canono: & videtur lata per Canonem, à qua nullum dubium est, in eo casu Confessarium posse absoluere. Nauar. *in cap. in quorundam, in gloss. fin. num. 31. de Iudæis.*

Nec concedit absolutionem, aut dispẽsationẽ votorũ, aut irregularitatum. Etiã quòd concedat omnẽ suam facultatẽ ad audiendas confessiones.

5 Secundò, nec concedendo absolutionem à suis casibus, & censuris, videtur concedere absolutionem, aut dispensationem votorum, aut irregularitatum, à quibus ipse potest: quia nec sunt casus, nec censuræ ipsi reseruatæ.

Nauarrus. *Praxis in nostra Religione est in contrarium.*

6 Tertiò, Prouincialis concedendo alicui omnem suam facultatem ad audiendas confessiones, & absoluendum aliquem, non videtur concedere casus sibi reseruatos. Sic Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 261.* licèt subiungat, quanquàm oppositum credo, quando concedit omnes suos casus.

7 Nihilominus apud quosdam Regulares praxis est in contrarium: nam quando Prouincialis dat vel Pœnitenti, vel Confessario omnem suam facultatem, & auctoritatem: tunc intelligitur data potestas absoluendi, vel absolui ab omnibus reseruatis: sic communiter obseruatur.

Exceptio firmat regulam in contrariũ.

8 Quartò, si verò Prouincialis dicat, concedo tibi omnem meam facultatem, excepto tali casu: hanc potestatem facit pro omnibus aliis reseruatis: quia exceptio circa vnum posita, firmat regulam in contrarium. De quo Panormitan. *in cap. 4. de coniug. lepro.*

ARTI

ARTICVLVS X.

An sufficiat ratihabitio, vt absolutio sit valida?

SVMMARIVM.

1 *Ratihabitio de futuro non dat valorem confessioni.*
2 *Minister habens iurisdictionem est de substantia sacramenti pœnitentiæ.*
3 *Ratihabitio de præsenti valet.*
4 *Impugnat Suarez hoc dictum.*
5 *Probat idem ipse, & alij communiter.*
6 *Pro eodem sumitur præsumptio, ac ratihabitio.*

Ratihabitio est duplex.

1 REspond. ad hoc cum distinctione: nam ratihabitio potest esse duplex, vel de futuro, vel de præsenti. Si ratihabitio est de futuro, vt si Sacerdos absque iurisdictione, absoluat alienum Parochianum, credens, quòd Plebanus, vel Episcopus eius, cùm sciuerit, ratum habebit: tunc manifestum est nullum esse sacramentum, quoniam, cùm sacramentum, tunc conferat gratiam, quando applicatur absolutio, nequit vllo pacto ex futuro pendere: sed tunc debent concurrere omnia, quæ de essentia sunt sacramenti, atque adeò iurisdictio Sacerdotis: quare si tunc illam non habet, nec ratihabitio futura confert.

Ratihabitio de futuro nõ dat valorẽ absolutioni.

Minister iurisdictionem habẽs est de substantia huius sacramenti pœnitentiæ.

2 Nam cùm de substantia sacramenti huius sit minister, qui est Sacerdos, iurisdictionem habens actualem, iuxta Concilium Florentinum, & Eugenij Decretum in eo constitutum *in §. quartum est*, id quod magis declarat Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 5. & 7.* Sequitur, absolutionem sacramentalem à ministro, qui iurisdictionem in actu non haber,

Universidad de Deusto
Biblioteca

habet, esse nullam, nec per consuetudinem, nec per Papam ratificari posse, tam longè abest, vt ab alio simplici Parocho, illum habere valeat.

Nec obstat, quòd ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur: quia illud verum est, quando solum mandatum sufficeret, vt teneret factum, seu, vt res fieret. Veritas autem sacramentalis absolutionis non ex solo mandato alicuius pendet: sed materiam, & formam, & ministrum, & intentionem debitam ex Dei institutione requirit: quæ si non concurrunt, nec mandatum hominis, nec ratihabitio in contractibus, in gestis ad forum publicum pertinentibus, & in delictis perpetratis, quæ rati habenti solent imputari, & in multis aliis, quæ ex humana dispositione pendent. Vide gloss. 19. q. 2. *in princ.* Medin. *C. de confess. q.* 31.

Ratihabitio de præsenti valet.

3 Si verò confessio fieret extraneo, accedente probabiliter ratihabitione de præsenti: v.g. quòd id proprio Sacerdoti est gratum de præsenti, illa videtur sufficere: sic Hostiens. *in summa de pœnit. & remiss. §. cui confitendum, num.* 14. Sylvest. *confess.* 1. §. 6. Nauarr. *in cap. placuit, num.* 105. vbi ponit exemplum de duobus Parochis, seu Curatis, qui adeò sunt familiares, & amici, quòd vterque illorum tam vult, vt quis alteri confiteatur, ac sibi: nam eo casu confessio, & absolutio impensa parochianis vnius, qui alteri Parocho confitetur absque licentia alia, valida reputantur: non quidem vi ratificationis futuræ, sed cuiusdam præsentis ratificationis, & licentiæ tacitæ.

Sotus. Et Sotus *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 3. ait, quòd tunc non censetur solùm ratihabitio, sed consensus interpretatiuus. Et Emmanuel Sa *in suis Aphorismis. tit. Absolutio, n.* 6. ait; Absoluere potest Confessor alienum;

Emma. Sa.

si rationabiliter credit eius Superiori placere. Et hæc sententia est vera, & tenenda.

4 Scio Suarez *in* 4. *tom. disp.* 25. *sect.* 1. *sub nu.* 13. non probare ratihabitionem, nec de præsenti, tamen idem *infrà disput.* 27. *sect.* 4. *in* 4. *dubitatione, sub n.* 16. probat facultatem interpretatiuam, seu præsumptam, quæ eadem est cum ratihabitione de præsenti, sed audiamus ipsum. Impugnat Suarez.

5 *Nihilominùs dicendum censeo*, inquit, *primò, nunquam sufficere facultatem hanc esse præsumptam, nisi præsumptio fundetur in aliquibus signis*, quæ sufficienter, ac moraliter indicent præsentem voluntatem Superioris concedendi hanc facultatem. Hæc sententia sumitur ex Paludan. Gabriel. Antonin. & Adrian. *locis citatis*, nempè Paludan. *dist.* 17. *quæst.* 3. Gabr. *ibi quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Antonin. 3. *par. tit.* 17. *cap.* 4. Adrian. *quæst.* 5. *de Confessione, dub.* 3. & Henric. *quodlib.* 1. *quæst.* 30. 31. & 32. Capr. *in* 4. *dist.* 19. *ad argum. contra* 3. *concluſ.* Victor, Soto, & aliis suprà citatis, negantibus ratihabitionem sufficere ad hanc iurisdictionem, nisi de præsenti: Est enim eadem ratio de iurisdictione, & de hac facultate, quia hæc facultas inuoluit delegationem iurisdictionis. Probat ipsemet. Palud. Gabriel. Antonin. Adrian. Henric. Capr. Victor. Sotus.

6 Et perinde etiam est, vti nomine præsumptionis, ac ratihabitionis; nam præsumptio nihil aliud est, quàm existimatio quædam de voluntate Superioris sufficiente ad concedendam hanc facultatem. Aut ergo existimatio illa est de beneplacito Superioris futuro, quod nimirum approbabit factum, &c. aut est de præsenti voluntate, per quam concedit facultatem. Priori modo non potest sufficere præsumpta facultas, quia non sufficit ad dandam iurisdictionem de præsenti, sine qua, præsens absolutio, & confessio nulla est; nec potest

Præsumptio, & ratihabitio pro eodem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

test rata fieri propter beneplacitum posteà subsecutum; quæ omnia satis constãt ex supradictis, &c. & infrà. At verò secus erit, si præsumptio sit de actu præsenti: tunc enim necesse est, vt talis præsumptio fundetur in aliquibus signis moraliter sufficientibus ad ostendendam talem voluntatem, & ita illa facultas non est tantùm præsumpta; sed data. Sic ille: concordat Medina *Cod. de pœnit.* & Richard. *dist.* 18. *art.* 2. *q.* 3.

ARTICVLVS XI.

An Confessario sufficiat dicere Prouinciali pro habenda facultate circa reseruatos; *Pater, indigeo vestra auctoritate*, &, an etiam idem dicendum sit de pœnitente?

SVMMARIVM.

1 *Sufficit dicere*; Pater indigeo vestra auctoritate.
2 *Superior non debet cogere Confessarium, vt causam explicet in particulari.*
3 *Superior potest cum Confessario discurrere de qualitate peccati pœnitentis, & de pœnitentia ei imponenda.*

1 RESpond. quòd sufficit: ratio est, quia tunc Confessarius iudicat, quòd Prælatus debet ei dare hanc facultatem iuxta Decretum Clem. VIII. Imò D. Thom. *in opusc.* 19. *& in* 4. *vbi supra*, ait satis esse, vt pœnitens dicat, se habere rationalem causam petendi illam facultatem; vt Pastor debeat illam concedere, ne illum exponat periculo maioris mali.

Clemens. VIII. D. Thom.

2 Nec

2 Nec etiam debet eum cogere, vt causam in particulari explicet, quia vel potest ad ipsummet Pastorem pertinere, vel potest esse ita coniuncta cum peccato; vt necesse sit illum explicare, ad quod non est cogendus pœnitens.

Superior nõ debet cogere Confessarium, vt explicet causam in particulari.

3 Potest benè Prælatus discurrere cum Confessario circa qualitatem peccati, & assignare pœnitentiam, integro semper manente sigillo: nam hoc est satis conforme Decreto Clem. VIII. vt dictum est, *in art.* 19. *sect. primæ*. Denique circa modum petendi hanc facultatem, seruandus est mos cuiusque Religionis, vnaquæque enim suum particularem modum habet.

Superior potest discurrere cum Confessario de qualitate peccati pœnitentis.

ARTICVLVS XII.

An necesse sit, vt Confessarius disertis verbis explicet pœnitenti onus de se præsentando?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius an semper explicare debeat onus de se præsentando.*
2 *Non absolutus, an cum aliis communicandus.*
3 *An priuatim petens, sit communicandus.*
4 *Peccator occultus publicè petens Eucharistiam debet communicari.*
5 *Suspectis an danda sit Eucharistia.*
6 *Suspicio triplex, probabilis, temeraria, & violenta.*

1 RESpond. ad hoc, quòd vt plurimùm debet; maximè, si pœnitens fuerit simplex, & ignarus, & si tale onus nõ fuerit ei à Confessario expressum;

Cõfessarius debet explicare onus de se

præsentãdo, quãdo pœnitẽs ignarus est.

sum, modò ipse pœnitens absolutioni consenserit, tenetur adhuc se præsentare: cùm enim ipse cognoscit Confessarium non habere auctoritatem à reseruatis absoluendi, nisi ligando pœnitentem ad se præsentandum Superiori, dum absolui petit, seu absolutioni consentit, tacitè ad reconsitendum Superiori voluntariè se obligat, erítque obligatus, sicut qui expresè hoc promisit; sufficit enim tacitus consensus ad obligandum pœnitentem, vt annotauit Nauarr. *in cap. placuit. num.* 118. Vide *supra in art.* 8. *primæ sect.* Dixi (maximè si pœnitens fuerit ignarus, aut simplex;) nam, vt rectè docet Nauarr. *in Man. cap.* 26. *num.* 1. Pœnitenti docto, diligenti, & sæpè confitenti, & celebranti, aut nihil dicat, aut solùm, vt faciat, quæ nouit facienda: & cùm sit lux, & sal aliorum, caueat, ne sit eis offendiculum, sic Nauarr. Sed ordinariè loquendo debet manifestare onus, & si pœnitens promittit se præsentare, absoluat eum; sin verò, minimè.

Non absolutus, an communicãdus cum alijs.

2 Sed quid, si ita dimissus, & non absolutus pœnitens, nihilominùs accedere audet ad sumendam Eucharistiam, an ei debeat denegari? Respondet S. Bonauent. *in* 4. *distinct. q. par.* 2. *art.* 2. *q. vlt.* & Richard. *art.* 2. *quæst.* 3. quòd tenetur Sacerdos negare Eucharistiam peccatori occulto, si occultè petat. Et est communis opinio omnium Theologorum, quod iam determinatum fuit in Conc. Vasen. *cap.* 8. & refertur 6. *quæst.* 2. *c. si tamen*; vbi dicitur debere Episcopum, qui nouit aliquem esse peccatorem, si solus ipse hoc nouit, secretè eum monere, corrigere & communione priuare: & ratio est, quia ille peccator re vera non habet ius petendi, nec etiã in externo foro, seu apparentia; vnde fit, vt sine vllo incommodo (quia occultè petit) possit illi denegari,

gari, quia nec sequitur infamia, nec scandalum: cùm totum negotium occultè transigatur, ergo illi debet denegari.

An cõmunicandus priuatim, si petat.

3 Sed dubium est; An Sacerdos, qui per solam confessionem cognouit peccatum, possit negare hoc sacramentum, quando pœnitens ab eo petit tam occultè, vt nullus alius adsit: nam si alius aliquis adsit, certum est non posse negare propter scandalum, quia respectu illius esset confessionis reuelatio, quæ tamen nulla esse videtur, quando à solo Sacerdote sacramentum petit. De hac re est duplex opinio. Prima est Gab. *in* 4. *d. quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. & Palud. *quæst.* 2. *concl.* 3. qui dicunt Sacerdotem non posse vti scientia confessionis ad negandum Eucharistiam peccatori, etiamsi occultissimè petat, quam sententiam sequuti sunt D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 14. *c.* 12. §. 2. Adrian. *quodlib.* 3. *quæst.* 3. Syluest. verbo, *Euchar.* 3. *quæst.* 5. & Nauarr. *c.* 21. *num.* 55. Secunda opinio est, Sacerdotem non solùm posse, sed etiam negare debere Eucharistiam peccatori in prædicto casu. Ita docent D. Bonauent. *d.* 9. *quæst.* 4. *art.* 2. D. Thom. *in* 4. *d.* 9. *art.* 3. *quæst.* 1. Ricch. *art.* 3. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 6. & Ang. verbo, *Euch.* 3. §. 20. Et ratio est, quia negare Eucharistiam in illo casu, est actus consentaneus potestati clauium, & aliàs, nullo modo est contra sigillum; ergo est actus licitus, atque adeò etiam debitus. Maior patet, quia potestas clauium inter alios effectus, ad hoc data est, vt qui illam habet, dignos admittat, & indignos à communione repellat; ergo Sacerdos negans sacramentum, vtitur potestate clauium, & iure sibi concesso. Minor declaratur exemplo. Nam si Sacerdos per confessionem sciret pœnitentem habere propositum occidendi ipsummet Confes-

sorem,& ipsius ensem,aut gladium haberet apud se depositum, quamuis illum posteà pœnitens peteret,posset denegare.

Peccator occultus petens publicè Eucharistiam debet cõmunicari.

4 Sed quid agendum est, si peccator occultus publicè Eucharistiam petat? D.Bonauent. & Richard.*locis citatis*, dicunt,quòd non est illi Eucharistia deneganda.Sotus Durandus tenet occulto peccatori petenti, à suo Curato, extra tempus Paschatis, aut citra mortis articulum publicè Eucharistiam, non solùm negandam esse, verùm etiam ad hoc Curatos teneri, dummodò sine scandalo possint illum expellere. Quòd si à non suo Curato petit, debet tunc illam publicè negare; dicens, non sum tuus Curatus, & non tenetur illam dare. Dico tamen quando crimen est occultum, quia non est notorium, si se aliis communicantibus iniiciat, non erit publicè, siue à proprio, siue ab alieno Sacerdote repellendus.Ratio est,quia tunc infamaretur à Sacerdote, atque ita Sacerdos mortaliter peccaret; Hoc est definitum *in c.Christus.1.q.1.& cap. non probibet,de conse.d.2.*

Suspectis an danda sit Eucharistia.

5 Sed quæres, an hominibus de aliquo crimine suspectis,dandum sit Eucharistiæ sacramentum? Hæc difficultas duplicem potest habere sensum. Primò, intelligi potest,an liceat dare Eucharistiam suspecto de crimine ad purgationem,seu probationem delicti. Secundò, ad vsum sacramenti,& effectum eius. Quoad primum respondet Alexan. de Ales.*4.p.q.*11.*m.2.art.2.§.2.q.5.* quem sequuti sunt omnes Theologi, & Summistæ; quòd non liceat dare alicui Eucharistiam ad probationem, & purgationem suspecti criminis: & ratio est, quia hoc fine dare, vel sumere Eucharistiam, esset tentare Deum. Nam est petere ab eo, vt aliquo extraordinario

nario signo manifestet hominis delictum, quod est superstitiosum, & ideò huius probationis modus reprobatus est in iure, *c.ex tuarum.de purgat.can. & de purgat.vulg. & cap.consuluisti, & cap.minas.2. quæst.5.* Nec obstat cap.*si Episcopo.& cap.sæpè contingit.2.quæst.5.* vbi approbatur hic modus probationis: Quoniam huiusmodi canones abrogati sunt à Stephano Papa *in cap.consuluisti. citato*; vt docet D. Thom.*3.p.q.80.art.6.ad 3.*

Suspicio est triplex,probabilis, temeraria,& violenta.

6 Quoad secundum sensum, distinguendum est triplicem esse suspicionem; scilicet temerariam, probabilem,& violentam:de prima,certum est non sufficere ad negandum sacramentum, quia illa suspicio nullo modo probabili fundamento nititur, atque adeò non est rationabilis, sed iniusta. De secunda etiam est dicendum, non sufficere ad negandum sacramentum. Tunc enim dicitur suspicio probabilis, quando intercedit sufficiens ratio ad generandum dubium: sed non ad iudicandum simpliciter de peccato alterius. In casu autem dubij melior est conditio possidentis, & quando aliquis non sufficienter probatur malus, præsumendus est bonus: ergo homo, cùm habeat ius ad sacramentum, non debet per solam suspicionem illo priuari. Tertia suspicio, quæ est violenta, & probabili ratione deponi non potest,sufficit ad negandum sacramentum, iuxta communem Theologorum doctrinam. Ita sentit D. Thom.*in 4.d.9.q.1. art.5.quæst.2.* Ricchard.*art.3.quæst.7.*Gab.*q.2.art.3. dub.2.* & Ant.*3.par.tit.14.cap.12.§.2.* Et ratio est, quia violenta suspicio nititur talibus signis, & indiciis: quæ licèt non faciant euidentiam rei in se, faciunt tamen moralem probabilitatem, & sufficiunt ad probabile iudicium ferendum, quando in

Universidad de Deusto
Biblioteca

contrarium nihil est quod excuset, aut suspicionem eleuet; ergo sufficit etiam ad negandum sacramentum. Hæc tamen doctrina intelligenda est iuxta principia suprà posita. Nam si suspicio sit publica, sufficit ad negandum sacramentum publicè: si verò sit priuata, & occulta, ad negandum sacramentum occultè, non publicè. Limitanda est etiam hæc doctrina in articulo mortis. Nam si in illo, homo, de quo suspicio habetur, negat delictum, & alioqui præbeat signa bonæ dispositionis, non videtur illi negandum sacramentum, tum propter periculum, tum quia illæ circumstantiæ videntur maximi ponderis ad suspicionem delendam: nam in eo casu signa concurrunt, quæ suspicionem eneruant.

ARTICVLVS XIII.

An absolutio data à Confessario cum tali onere de se repræsentando, censeatur data cum conditione?

SVMMARIVM.

1 *Triplex conditio potest considerari in absolutione.*
2 *Nulla conditio est ponenda in absolutione.*
3 *Si qua conditio ponenda est, non ponatur in forma.*
4 *Confessarius ostendens pœnitenti onus de se repræsentando, nullam apponit conditionem in absolutione.*
5 *Confessarius det absolutionem post acceptatam impositam pœnitentiam.*
6 *Aliquando etiam ante potest eam dare.*

Triplex conditio potest considerari in absolutione.

1 REspond. quòd non, & vt clariùs id pateat; sciendum, quòd triplex conditio potest poni in absolutione. Vna est de præterito: v.g. *Si ita fuit, Ego te absoluo.* Altera est de præsenti: v.g. *Si ita est, ego te absoluo.* Tertia de futuro: v.g. *Ego te absoluo si hoc feceris.* Cùm verò dependens est absolutio à tertia persona, scilicet; *Ego te absoluo si Episcopus posteà consenserit*: sic dicitur absolutio cum ratihabitione.

Nulla conditio est ponenda in absolutione.

2 Ad quæsitum ergo respondeo, quòd nulla conditio est ponenda in absolutione. Nauarr. *in Man. c.26.n.12.* nisi ratione alicuius dubij: vt cùm dubitat, an dederit absolutionem, necne, poterit dicere ratione dubij; *Si non es absolutus, ego te absoluo.* Aliæ tamen conditiones apponendæ non sunt, differenter tamen: nam si duæ priores apponantur, valet absolutio, stante conditione posita, sed malè facit Confessarius: tamen si tertia ponatur, nihil valet: nam effectus deberet expectare impletionem conditionis, quod esse non potest: non enim Sacerdos potest differre effectum positæ absolutionis. Concluditur ergo, quòd Confessarius non debet apponere talem conditionem, intendendo sic conditionaliter absoluere.

Si qua conditio ponenda est, non fiat in forma.

3 Cùm tamen aliqua conditio est ponenda, non debet esse in forma ipsa, sed debet pœnitenti iniungi, quam si accepter, absolutè est absoluendus. Imò si Prælatus superior dat facultatem absoluendi aliquem alicui Confessario, ea conditione, vt eum posteà mittat ad ipsum: tunc Confessarius non debet apponere conditionem in forma, sed obligare pœnitentem, vt eat ad Superiorem: quòd si acceptauerit, absolutè est absoluendus: vt dicit Toletus *in sua Summa lib.3.cap.12.* Si verò talem modum, seu obligationem se repræsentandi ad Superiorem non acceptauerit, non debet eum audire, si ante confessionem id sciuerit, nec à reseruatis absoluere si post

Toletus.

confessionem scivit. Sic Nauarr. *vbi suprà.*

Cõfessarius ostendens pœnitenti onus de se præsentando, nullam apponit cõditionẽ in absolutione.

4 Ad rem ergo dico, quòd dum Confessarius absoluit pœnitentem habentem casus reseruatos, & ei ostendit onus, seu obligationem, quam habet de se repræsentando, & pœnitens acceptat talem obligationem, tunc nullam imponit conditionem in confessione, sed tantum ostendit debitum quod contraxit pœnitens: quod si acceptat, absoluit simpliciter.

Cõfessarius det absolutionem post impositam, & acceptatam pœnitentiam.

5 Admonendus est tamen hîc Confessarius, vt imponat pœnitentiam pœnitenti, antequàm det ei absolutionem: sic enim poterit iudicare meliùs, an sit absoluendus, an non: si enim acceptat id, quod ei imponitur, absoluendus est: si verò non acceptat, nõ est absoluendus. Sic cõmuniter omnes Sũmistæ.

Aliquando etiam ante potest dare.

6 Nihilominùs cùm probabiliter scit Confessarius pœnitentem acceptaturum, non est inconueniens vt præcedat absolutio: semper tamen melius est, quòd pœnitentiæ impositio præcedat, nisi Confessarij obliuio intercedat.

ARTICVLVS XIV.

An si Cõfessarius det primò absolutionem, & posteà manifestet pœnitenti onus de se præsentando, si pœnitens non acceptat tale onus, absolutio data valeat?

SVMMARIVM.

1 2 3 *Absolutio data ante acceptatum onus de se præsentando non est valida ei, qui non acceptat.*

4 *Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis.*

5 *Excommunicatio non reseruata non tollit iurisdictionem ad absoluendum à culpa.*

6 *Excommunicatio reseruata tollit.*

7 *Recta intentio in confessione quæ.*

8 *Absolutionis forma.*

9 *Absolutio quæ pro quotidianis confessionibus.*

10 *In quotidianis confessionibus sufficit absolutio à peccatis tantùm.*

11 *Absolutionis diuersæ formæ.*

12 *Absolutionis forma pro habentibus indulg. plen.*

13 *Absolutionis forma ab omni casu, etiam Papali, in articulo mortis.*

1 RESpond. quòd Suarez *in tom. 4. disp. 30. sect. 5. num. 15.* refert duas opiniones. Vna est, illum subditum, seu pœnitentem non manere posteà obligatum ad comparendum coram Superiore, etiamsi posteà illi declaretur conditio, seu obligatio: quia potest non acceptare illam, & sine suo consensu non obligatur, & nihilominùs manet absolutus, quia prior sententia valida fuit, nec reuocari potest. Suarez.

2 Altera sententia est aliorum, qui dicunt in tali casu, scilicet, si non vult acceptare onus ad quod tenetur, illam absolutionem non fuisse validam: ideóque eadem obligatione, teneri subditum confiteri Superiori, qua antè tenebatur. Ratio est, quia illi Confessori non est data iurisdictio, nisi sub ea conditione: ergo illa non expleta, illi non datur iurisdictio, quoad talem actum.

Absolutio data ante acceptatũ onus de se præsẽtãdo, non est valida ei qui non acceptat.

3 Hæc secunda sententia vera est, & omninò amplectenda, cùm fundamenta ipsius sint solidiora, & validiora fundamentis prioris sententiæ, quam etiam sequitur Suarez.

Quæ, vt magis confirmetur, dico, quòd pœnitens

tens vel accessit ad confessionem sciens suam obligationem, vel non: si sciebat, vtique nihil refert, an ante, vel post absolutionem, ei manifestata sit, cùm ad eam teneatur: & si cum tali scientia accessit, & firmum habuit animũ non acceptandi eam, vtique absolutio ei data nihil valet ex indispositione cum qua accessit: & nihilominùs semper tenetur ad impletionem illius, quia, vt dicemus *in art.* 11. *sect.* 3. talis obligatio est veluti debitum contractũ, quod est necesse soluere, & quousque non soluitur, semper clamat: si verò ignoranter accessit, nihilominùs in re ipsa manet obligatus ad comparendum, cùm ei notificata fuerit obligatio, quam habet: quia talis obligatio propriè non oritur ex pacto, sed ex ipsa natura rei, posita tali iurisdictione, seu materiæ applicatione: nam aliter non est concessa facultas absoluendi, nisi cum hoc onere de se præsentando: ergo qui vult absolui, consentit huic pacto ex natura rei: vnde non pendet ex actuali consensu subditi, neque per eius ignorantiam impeditur.

Nauarrus. *Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis.*

4 Ad hæc addo ex Nauarr. *in cap. consideret, §. cautus, de pœnit. dist. 5. num.* 33. nempe Confessarium, qui absoluit pœnitentem, debere priùs absoluere ipsum à censuris, quatenus opus esset, & ipse posset: quod ferè ab omnibus passim fit Confessariis. Nam vel pœnitens est innodatus aliqua censura, vel non: si non, nullum detrimentum ei adfert talis absolutio ab excommunicatione: eò magis, quia datur conditionaliter: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, à quo ego te possum absoluere.* Si verò est innodatus aliqua censura, necesse est, vt talis absolutio præmittatur, & detur ante absolutionem à peccatis: nam licèt contingat aliquem sic excommunicatum bona fide absolui priùs à peccatis absque absolutione

tione censuræ: nihilominùs non est valida absolutio, etiam à culpa tali: nam tenetur illam posteà sacramentaliter confiteri.

Excõmunicatio non reseruata nõ tollit iurisdictionẽ ad absoluẽdũ à culpa.

5 Et hæc est magna differentia inter excommunicationem non reseruatam, & reseruatam: quòd illa non tollit iurisdictionem ad absoluendum à culpa; quamuis prohibeat priùs ab illa absoluere, quàm à censura: & ideò si casu, vel etiam ex malitia Confessoris, inuertatur hic ordo sine culpa pœnitentis, qui bona fide absoluitur à culpa, non præmissa absolutione à censura, sacramentalis absolutio valida est: quia nihil deest, quod sit de substantia eius.

Excommunicatio verò reseruata tollit.

6 At verò quando censura est reseruata, absolutio à culpa data ante absolutionem à censura nulla est, non obstante bona fide pœnitentis: quia per talem reseruationem ablata est iurisdictio in ipsam culpam.

Vt ergo omnia vitentur, melius est præmittere absolutionem à censura. Quod quidem intelligitur de absolutione expressa, vel saltem tacita: vt docet Gerson relatus à Nauarro, *vbi suprà*, quia Confessarius, qui recta intentione, super pœnitentem dixit: *Absoluo te, in nomine Patris*, &c. non solùm à peccatis, verùm etiam à censuris absoluit.

Gerson. *Cõfessarius recta intẽtione dicẽs, Absoluo te, &c. etiã ab excommunicatione absoluit.*

7 Rectam verò intentionem Nauarrus illam arbitratur esse, quia Confessarius absoluere proponit à necessariis, qualem putat, vel expressam, vel virtualem omnes Confessarios habere: quam sententiam repetit, & probat idem Nauarr. *in cap. qui vult, de pœnit. distinct. 6. sub num.* 27. & in eodem loco, *sub num.* 21. idem Nauarr. ait; quod præmittere absolutionem à censuris, quibus pœnitens est innodatus, non est substantiale absolutioni peccatorum: est tamen

Nauarrus. *Recta intentio in confessione qua.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

men necessarium necessitate præcepti, si Confessarius videt illum esse tali excommunicatione innodatum. Quando verò nescit Confessarius, an pœnitens illis censuris sit implicitus: tunc non præceptum, sed consilium arbitratur esse, absoluere scilicet eum ad cautelam priùs à censuris: & non solùm prudens consilium fuerit absoluere ab excommunicatione maiori, vel minori: sed etiam ab omni censura, ad quam sua potestas se extendit.

Absolutionis forma.

8 Potest igitur vti hac forma: *Parcat tibi Deus. Misereatur tui, &c. Indulgentiam, & absolutionem, &c. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, ac beatorum Apostolorũ Petri, & Pauli absoluo te à sententia excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & indiges.* Deinde: *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare.*

Suffragia S. Matris Ecclesiæ.

Nota hic pro cõfessionibus quotidianis.

9 Prædicta tamen absolutio, prout iacet, regulariter danda est omnibus pœnitentibus: si tamen Confessarius audit Confessionem alicuius personę spiritualis, qui toto conatu ad Deum tendit, & qui, vt plurimùm, non nisi venialia habet, & qui sæpè in hebdomada confitetur: tunc non est necesse, vt in omni confessione absoluat eum priùs ab excommunicatione, quam probabiliter pœnitens non incurrit.

In quotidianis confessionibus sufficit absolutio à peccatis tantùm.

10 Sed sufficit, vt in talibus quotidianis confessionibus eum absoluat à peccatis: & hoc etiam breuiter faciat: imò, aliquando expedit solùm dicere: *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* ne absolutio prolixior fiat, quàm confessio tota fuerit: sæpè enim accidit, quòd Confessio fit breuissimè, & pro vno defectuculo veniali, nempe pro verbo otioso, pro aliqua distractione involuntaria circa officium diuinum, & huiusmodi: & tunc, vt quid dicere: *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, &c. Absoluo te à sententia excommunicationis maioris, minoris, suspensionis, & interdicti; in quantum possum, & indiges.* Deinde; *Ego te absoluo*, &c. *Passio Domini, &c.* Hæc, inquam, absolutio bona est, & optima: sed quæ nihilominùs in talibus casibus potest, & debet dimitti, & solùm dicere: *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Absolutionis diuersa forma pro diuersitate temporum.

11 Et quia de forma absolutionis danda pœnitentibus est sermo, ponam hîc etiam illas formas, quæ seruantur & tempore indulgentiæ plenariæ, & tempore mortis.

FORMA ABSOLVTIONIS PRO habentibus indulgentiam plenariam.

Forma pro habentibus indulgẽtiã plenariam.

12 Primò dicat infirmus: *Confiteor*, &c. si potest: si verò non potest, dicat alius eius nomine. Posteà Cõfessor, cui fuerit generaliter, vel specialiter confessus, dicat: *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, & absolutionem*, &c. Deinde consequenter subiungat, & dicat sequentia:

Auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibi concessa, mihiq; in hac parte commissa: Ego te absoluo ab omni sententia excommunicationis maioris, vel minoris si quam incurristi: &

& restituo te vnitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Item eadem auctoritate, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, & à transgressione Regulæ, & statutorum. Item auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & etiam Domini nostri Papæ nostri summi Pontificis mihi in hac parte commissa, in quantum claues sanctæ Ecclesiæ se extendunt, si ista vice morieris, absoluo te ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis, propter culpas, & offensas, quas contra Deum, animam tuam, & proximum tuum commisisti: & quantum mihi permittitur, restituo te illi innocentiæ, in qua eras, quando baptizatus fuisti. Si verò, ista vice, non morieris, reseruo tibi plenariam indulgentiam concessam à Domino Papa, pro vltimo articulo mortis tuæ, vt in ea commissione præfatæ indulgentiæ Domini nostri Papæ continetur; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

FORMA ABSOLVTIONIS ab omni casu, etiã pertinente ad Papam: quæ datur fratribus in agone existentibus, auctoritate Priuilegiorum Ordinis.

Forma pro absolutione ab omni casu, etiam Papali: & quæ datur fratribus agonizantibus.

13 *Dominus noster Iesus Christus per merita sua sacratissimæ Passionis, te absoluo, & gratiam suam tibi infundat: & ego auctoritate ipsius, ac beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, summorum Pontificum, mihi in hac parte commissa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, vel sententia suspensionis, & interdicti: & dispenso te cum omni irregularitate, si quam contraxisti: & restituo te vnioni, & participationi fidelium, necnon sanctis Sacramentis Ecclesiæ: eadem auctoritate absoluo te ab omni transgressione votorum tui Ordinis, & statutorum Papalium, generalium, prouincialium,*

lium, custodialium, localium, & synodalium quorumcumque.

Eadem auctoritate absoluo te, ab omni officio malè persoluto, horis indebitè transpositis, vel dimissis. Item eadem auctoritate ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti; concedens tibi remissionem, & Indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum confessorum, & cunctorum, de quibus etiam non recordaris, aut oblitus fuisti; in quantum claues Ecclesiæ se extendunt. Item eadem auctoritate ego absoluo te à pœnis Purgatorij, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ, in qua eras; quando baptizatus fuisti, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Quòd, si hac vice non decesseris, reseruo tibi hanc gratiam vsque ad extremum mortis tuæ articulum.

Prædictæ duæ formæ absolutionis depromptæ sunt ex Compendio Priuilegiorum, & hîc positæ ad consolationem Religiosorum.

ARTICVLVS XV.

An Confessario liceat loqui de rebus in confessione auditis de licentia pœnitentis?

SVMMARIVM.

1. 2. *Confessarius de licentia pœnitentis potest loqui extra confessionem de auditis in confessione.*
3. *Secreti natura pendet ex voluntate committentis.*
4. *Ille cui licentia pœnitentis reuelatur peccatum, debet eum tenere sub sigillo.*

5 *Persona*

5 *Persona,cui reuelatur tale peccatum, an teneatur ad sigillum.*

1 RESpond.quòd circa hoc sunt duæ opiniones. Prima negat, licere ex facultate pœnitentis loqui, sic Scot. *in* 4.12.*q*.2.Durand.*q*.4. Maior.*q*.3. Gabr.*ar*.3.*dub*.4.Alensis,4.*p*.*q*.19.*membr*.2.*ar*.2.§.1. & Angel. *Confessio*.8. *num*. 5. Ratio est, quia Confessarius ea,quæ nouit in Confessione,scit vt Deus: ergo non potest illi pœnitens facere facultatem vt loquatur vt homo: & etiam, quia hoc sigillum est præceptum diuinum; ergo non potest pœnitens illud dispensare: & præterea, quia licèt pœnitens possit cedere iuri suo, non tamen iuri sacramenti.

Scot.
Durand.
Maior.
Gabr.
Alensis.
Angelica.

De licentia pœnitẽtis potest Cõfessarius loqui in cõfessione de auditis.

2 Nihilominùs contraria sententia,& communis,& verior est:scilicet,quod pœnitens potest dare licentiam, cum qua Confessarius potest loqui de rebus in confessione auditis. Hanc sententiam tenent D.Bonau. *in* 4.*distin*. 21.*in* 2.*par*.*art*.2. *quæst*.2. D.Thom.*q*.3.*art*.2.Riccar.*art*.4 *q*.1. Palud. *quæst*.3. *nu*.42.Adrian. *q*.3.*de Confess*.Henric.*quodlib*.7.*q*.26. Sylvest. *Confessor*.3.*q*.3.& 5. Soto *q*.4.*art*.6. Petr.de Soro *in relect*.*de pœnit*.*lect*.11.Medin.*q de licentia pœnitentis ad reuelan*.*confess*.Anton.3.*par*.*titul*. 22.§.1. Nauarr.*in Man*.*cap*.8. *nu*.2.& *c*.18.*num*.12.& *in cap*. *Sacerdos*.*num*.123. Et est communis etiam iuris Canonici peritorum sententia,Archidiac.& Alexand. *in cap*. *ipsi Apost* 2. *qu*. 2. Cardin.*in cap*. *Sacerdos*. *de pœnit*. *distinct*.6.Abb.*in cap*.*significasti de adult*.Felin. *in cap*. *testimonium*. *de testibus*. Ratio est, quia hoc sigillum, quamuis sit sacrum, continetur tamen sub genere secreti, & eius naturam ac rationem participat.

Hic.
Sylvest.
Sotus.
Petrus de Soro.
Medina.
Antonin.
Nauarr.
Archidiac.
Alexand.
Cardin.
Abbas.
Felin.

3 Est

3 Est autem hæc natura secreti, vt eius vsus pendeat ex voluntate committentis; sicut depositum, ex voluntate deponentis, vel sicut promissio, ex voluntate eius, cuius est facere: ergo sicut in aliis secretis, & in exemplis positis licet ex voluntate alterius talis vsus, ita & in præsenti. Et ratio id suadet,quia hoc cedit in fauorem pœnitentis, & consequenter sacramenti. Sæpè enim est pœnitenti necessarium, vt Confessarius loquatur, vel consulat: esset autem maius dispendium, si propterea cogeretur semper extra confessionem dicere.Imò addit Nauarrus *in dicto cap*.*Sacerdos*,*nu*.151. etiam in externo foro posse valere testimonium Confessoris de licentia pœnitentis, ad eius innocentiam comprobandam.

Secreti natura pẽdet ex voluntate committentis.

Fundamenta autem prioris sententiæ facillimè diluuntur.

Ad Primum enim dicimus, Confessarium non ita scire vt Deus, quin verè sciat vt homo, & loqui possit.

Ad Secundum dicimus, hanc non esse dispensationem in præcepto diuino, sed mutationem materiæ eius:nam sensus præcepti est, vt hoc secretum seruetur iuxta voluntatem committentis, & ita nulla interuenit dispensatio.

Ad Tertium respondetur, hoc præceptum sigilli præcipuè esse positum in fauorem pœnitentis,idcóque ipsum posse iuri suo renunciare.

4 Hoc bene est aduertendum,vt ille,cui reuelat Confessarius de licẽtia pœnitẽtis,sub sigillo teneat: atque in hoc sensu intelligunt omnes Doctores citati ita posse dari hanc facultatẽ,vt manente sigillo integro in omnibus aliis,sub eodem extendatur cognitio ad alium: manet ergo ille obligatus sigillo.

Ille,cui reuelatur peccatũ de licẽtia pœnitẽtis, debet id tenere sub sigillo.

5 Dices,

Dubium. *Persona, cui reuelatur tale peccatũ, an teneatur ad sigillum.*

5 Dices, tertia illa persona, cui Confessarius peccata pœnitentis reuelat de licentia eius, non tenetur tantum sigilli obligationem acceptare, cùm reuera in Confessione non audiat.

Resolutio. Respondeo, per se quidem non teneri acceptare, vt in confessione reuelatam, sicut posset etiam Confessarius non audire confessionem, & tunc cogitur pœnitens aut omninò non communicare cum illa tertia persona peccatum suum, aut alium modum manifestationis permittere.

Nihilominùs si tertia illa persona acceptat, seu consentit audire illam rem ex notitia confessionis, facultati à pœnitenti data; velit, nolit, obligabitur sigillo: quia hæc obligatio non oritur ex nouo peccato, sed ex ipsa confessione: nec licentia pœnitentis tollit iniuriam, seu offensionem ex parte Sacerdotis reuelantis, & ad minus tenetur ad sigillum secreti naturalis. Sed de hoc, & de tota materia sigilli confessionis vide infr. *in tertia sect. in explic.* 11. *conditionis confessionis.*

ARTICVLVS XVI.

An in articulo mortis quilibet Sacerdos possit absoluere à casibus reseruatis, absque eo, quod imponat onus, seu obligationem repræsentationis?

SVMMARIVM.

1 *In articulo mortis nulla est reseruatio à peccatis.*
2 *Articulus mortis, & periculum mortis distinguuntur.*
3 *Periculum mortis sufficit.*
4 *Necessitas hæc consideratur etiam ex parte Sacerdotis.*
5 *Reseruationem esse nullam in articulo mortis, aliqui intelligunt, in absentia proprij Sacerdotis.*
6 *Exemplum notabile.*
7 *Reseruationem esse nullam in articulo mortis etiam præsente proprio Sacerdote verior sententia.*
8 *In articulo mortis quilibet Sacerdos potest à moribundo eligi pro sua confessione.*
9 *Nauarri dictum corrigitur.*
10 *In articulo mortis quilibet Sacerdos, etiã excommunicatus, interdictus, & suspensus potest absoluere.*
11 *Moribundus an à laico possit absolui ab excommunicatione.*
12 *Aliqui negant.*
13 *In aliquo casu possunt.*
14 *Mortuus iam potest absolui ab excommunicatione à Sacerdote qui eum excommunicauit.*
15 *Hæreticus mortuus cum signis contritionis anteà ostensis, potest post mortem absolui.*
16 *Ecclesiæ perpetua traditio est signum iuris diuini.*
17 *Sacerdos priuilegiatus an debeat non priuilegiato proferri.*

1 RESpond. quòd si non est ibi copia Sacerdotis proprij, quilibet Sacerdos tunc potest absoluere non solùm à peccatis, verùm & à reseruatis casibus, & ab excommunicatione: & si ægrotus recuperat sanitatem, non tenetur ampliùs pro illis casibus reseruatis tunc confessis se præsentare; quia *vt dictum est suprà in art. 9. primæ sect.* in tali articulo nulla est reseruatio: tenetur bene se præsentare, si habuerit aliquam excommunicationem. Sic communiter Doctores, & determinatum est in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* in his verbis; *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio*

In articulo mortis nulla est reseruatio à peccatis.

Concil. Trident.

seruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt. Sic Concilium. Quod etiam ante decreuerunt iura, *cap. non dubium, de sent. excom. & Extrauag. Sixti IV. & si Dominici de pœnit. & remiss.*

Et meritò quidem sic determinatur, quia dum agitur res perpetuæ saluationis, seu damnationis ab hac luce exeuntis, non vult pia mater Ecclesia, vt tam salubri absolutionis remedio quicunque pœnitens carere possit. Et ideò in mortis articulo nulla extat culpa reseruata, quæ absolui non possit omnísque Sacerdos erit legitimus Confessarius, vbi proprius haberi non possit.

Articulus mortis, & periculum mortis distinguuntur.

2 Circa hunc articulum tria explicanda sunt. Primùm, quæ esse debeat necessitas pœnitentis, & præsertim quæri solet, an sufficiat periculum mortis. Aliqui enim auctores distinguunt inter periculum, & articulum mortis, quòd articulus sit, quando mors proximè instat, & moraliter est certa, & ferè ineuitabilis. Periculum verò sit, quando est probabile dubium, & frequenter solet in tali casu mors accidere; vt est actuale bellum, longa nauigatio, partus mulierum, & similia. Dicunt ergo hi auctores necessarium esse articulum, nec sufficere periculum mortis: ita Soto *dist. 18. quæst. 4. art. 4.* Canon. *relect. de pœnit. par. 5.* & Couarru. *in cap. alma mater part. 1. §. 11. num. 8.*

Soto. Can. Couar.

Periculum morale mortis sufficit. Gloss. Nauar. Medin. Palud. Adrian.

3 Nihilominùs dicendum est, sufficere periculum morale mortis; ita sentit Gloss. *in cap. pastoralis. § præterea de offic. ordin. & cap. quod in versic. pœnitentia. de pœnit. & remiss.* & tenet Nauarrus *in Man. cap. 26. num. 31. & cap. 27. nu. 271.* Medin. *Cod. de pœnit. quæst. 16.* & idem sentiunt Paludanus *distinct. 17. quæst. 5. art. 2. & dist. 20. qu. 1. art. 2.* Adrian. *qu. 3. de Confess.*

Confess. Sylueſt. *Confessor. 1. q. 6. & cap. interdictum. 5. quæst. 7.* & probatur optimè ex capite, *si quis suadente 17. q. 4.* vbi posita reseruatione, excipitur periculum mortis. Vnde intelligimus hæc duo pro eodem reputari. Sylueſt.

Ratio autem moralis est optima, quia morale periculum perinde existimari debet, & in malis ità caueri, sicut euentus ipse: nam propterea dictum est: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Ergo necessitas periculi mortis existimatur moraliter, tanquàm extrema.

Necessitas hæc cosideratur etiã ex parte Sacerdotis.

4 Secundò explicandum est; an hæc necessitas consideranda sit etiam ex parte Sacerdotis? Ad quod ab aliquibus respondetur affirmatiuè: nam necessitas Sacerdotis est; vt non sit alius, ad quem ex officio, vel delegatione tale munus pertineat, quapropter si adsit Parochus: v.g. vel alius, qui habet iurisdictionem, non potest simplex Sacerdos absoluere, quia iam non est articulus necessitatis comparatione illius, vt per se patet, & sumitur à simili ex cap. *præsbyter. 26. quæst. 6.* in illo verbo, *Nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat*, & eadem ratione censeo nunc, Sacerdotem nó expositum, non posse in eo casu absoluere, si adsit approbatus, qui possit, & velit id facere: etiamsi alioquin iurisdictionem non habeat, vt si esset: v.g. Parochus alienus: simili etiam ratione existimo; si adsit Sacerdos excommunicatus, vitandus, seu suspensus, aut præcisus, non potest absoluere, quando adest simplex Sacerdos toleratus, etiamsi iurisdictionem anteà non habebat. Si verò absit omnis alius Sacerdos, tunc omnes isti Sacerdotes non tolerati, etiam degradati, non hæretici possunt in articulo mortis absoluere.

5 Circa quam sententiam, quicquid sit modò de excommunicatis, suspensis, aut præcisis quantum ad reliquos Sacerdotes, scio sic tenere Suarez *vbi supra disp. 30. sect. 3. sub nu. 1.* vbi ait: quamuis Concilium Tridentinum dixerit: *In articulo mortis nullam esse reseruationem*: id tamen intelligendum est, in absentia reseruantis: quia aliàs nulla est vera necessitas, ob quam alij censeantur iurisdictionem accipere, quia illis, per se loquendo, sublata fuerat. Neque oportuit Concilium hoc declarare, quia hoc tanquam notum præsupponit. Toletus etiam *in primo libro suæ summæ, cap. 15. §. 5.* ait: Præsente eo, cui casus illi, seu excommunicatio reseruata sunt, seu absente; ad eum tamen potest sine periculo fieri recursus, non debet absoluere pœnitentem Sacerdos simplex, qui extra articulum mortis absoluere non poterat: ita habet Innoc. *in cap. nuper. de sent. excom.* & probari potest ex cap. *eos. de sent. excom.* Si enim tenetur pœnitens conualescens, cùm primum poterit, adire Superiorem, aliàs incidit in excommunicationem: igitur multò magis tenebitur adire eum antè absolutionem, quando sine periculo id fieri poterit. *Sic Toletus.*

Opinio Suarez. Concil. Trident. *Reseruationem esse nullã in articulo mortis, intelligitur in absentia proprij Sacerdotis.* Sic aliqui docent. Toletus. Innocent.

Et verò, si in tali tempore haberi poterit copia, non solum proprij Confessarij, verùm & Prælati, conduceret maximè ad Prælatum recurrere, & ab eo absolutionem peccatorum accipere.

6 Referam hîc quæ narrat Petrus Damianus *in ep. ad desiderium.* Hugo, inquit, Cluniacensis Abbas, cùm ad suũ me monasterium perduxisset frater quidam senex in Infirmorum domo, ingraescente totius corporis tremore, lãguebat. Hic porrò, cũ Abbatis comperisset adesse præsentiam, lætus effectus, diuinam cœpit implorare clementiam; *Domine*, inquit, *quem nullum latet occultum, quæso, si quid reatus in me est, quod non sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoriam reuoca: quatenus Abbati meo, dum præsens est, purè confitear, atque ab eo, qui ius hoc in me præ cæteris habet, iudicatus absoluar.* Hoc dicto, huiusmodi vox auribus eius insonuit: *Certè est, certè est aliquid in te, quòd confessus adhuc non es.* Cúmque ille vocem solam audiret, orando subiunxit: *Exprime, Domine manifestè, quid hoc sit, vt confessus corrigam, quod peccaui.* Porrò vox eadem peccatum quoddam, sicut quærebat, signanter expressit, quod ille à se commissum, illicò recognouit, & Abbati festinanter accito, facta confessione purgauit: paucísque pòst diebus in sancta pace defunctus est. Ex quo exemplo vnusquisque videre potest, quanti referat confiteri suo Prælato. Hoc tamen dicimus de bene esse, non de necessitate: nam idem potest euenire, si confiteatur cuilibet alij.

Petrus Damianus. Exemplũ.

7 Nihilominùs, re altius inspecta, videtur aliter dicendũ; nempe quòd in articulo mortis, seu in periculo moralis mortis, non solùm in absentia proprij Sacerdotis, seu Superioris, verùm quando adest, potest quiuis Sacerdos talem infirmum absoluere. Sic Emmanuel Sa *in suis Aphorismis, tit. Absolutio.* & Nauarr. *in consil. 15. de pœnit. & remiss. n. 3.* ait.

Reseruationem esse nullã in articulo mortis etiam præsẽte proprio Sacerdote: verior sententia. Emma. Sa. Nauarrus.

8 Nunc verò altiùs re inspecta, videntur contra istam limitationẽ facere verba præfati Conc. Trid. scilicet. *In articulo mortis nullam esse reseruationem.* Et paulò inferiùs; *Atqui ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Per quæ verba patet, quòd omnes Sacerdotes habent talem facultatem in periculo, seu in articulo mortis, & sequitur Nauarrus.

In articulo mortis quilibet Sacerdos potest eligi ab infirmo ad suam confessionem audiendã.

Mouetur etiam, quia nullus Classicus Doctor posuit

fuit hanc limitationem vsque ad Syluestrum, qui obscurè loquitur. Innocentius verò non loquitur de articulo mortis, sed de aliis impedimentis non tam priuilegiatis: & verba Concilij non solùm sunt generalia, sed etiam vniuersalia, ibi: *Omnes Sacerdotes.* Et ibi, *quoscunque pœnitentes.* Et ibi, *quibuscuis peccatis.* Et ita generaliter, & vniuersaliter sunt intelligenda.

Propter quæ puto conclusionem prædictam tenendam esse sine præfata limitatione post Concilium Tridentinum, quod determinat, vt in articulo mortis nulla sit reseruatio; quæ conclusio fauorabilis est animarum saluti: quamuis crederem, consultè facturum, qui præsente suo Parocho, vel Superiore, faciat se potiùs ab eo absolui, quàm ab aliis. *Sic Nauarrus.*

Itaque concludimus hanc dubitationem, & dicimus, quòd in mortis articulo, seu periculo vnusquisque potest absolui à quolibet Sacerdote à quouis casu, & censura: & si conualuerit, de casibus non tenetur se ampliùs præsentare, etiam quòd confiteatur propriò Parocho: de censura verò tenetur, vt dictum est aliàs: ita vt si posteà pœnitens sit in mora culpabili in similem excommunicationem incidat: vt habetur *in cap. eos, qui, de sentent. excomm. in 6.* & bene tractant Caiet. *in summa*, verbo, *excommunicatio, num. 69.* & Nauarr. *cap. 26. num. 26.*

Nauarri dictũ corrigitur.

9 Corrigendum tamen censeo, quod ibi addit Nauarrus: si pœnitens sufficienter satisfaciat quantum debet, coram Deo excusari ab illo onere comparendi: quia iam impleuit, quidquid Superior iustè præcipere poterat. Hoc enim non probo: tum quia licèt finis præcepti cesset, non ideò cessat præceptum: tum quia, non est ille finis adæquatus: nam ipsum

ipsummet onus comparendi, est quasi pars pœnæ ab Ecclesia impositæ pro tali delicto, & ordinatur ad specialem modum satisfactionis, & obedientiæ Ecclesiæ exhibendum. Denique, quia aliàs adhibenda fuisset conditio in illo præcepto: scilicet, si parti læsæ sufficiens satisfactio non exhiberetur, quod tamen non fit. Ideò sine mora, postquàm infirmus conualuerit, ad Superiorem recurrere debet pro censura, quam incurrit. Non sic autem de casibus reseruatis absque censura, qui cùm in mortis articulo absoluti sint, non est opus vt pœnitens iterùm ea confiteatur, neque vt pro illis Superiori se præsentet. Facit ad hoc, quod ex Concilio Tridentino, *vbi supr.* omnis cessat reseruatio casuum in mortis articulo: sed cur non item cesset reseruator? vtique Concilium libertati conscientiarum, salutíque confitentium in mortis articulo consulere voluit: cui libertati non mediocriter videtur officere casuum reseruatio: ideò videtur voluisse eo tempore necessitatem hanc remouere suo, & proprio Sacerdoti confitendi. Denique extat priuilegium Eugen. IV. *in compend. priuileg. tit. absolutio extraordinaria quoad fratres, §. 2.*

In articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam excom. interdum & suspensus poterit absoluere.

10 Quantum verò ad Confessarios pro tali casu periculi, aut articuli mortis, licèt opinio prædicta Nauarri possit sequi ob eius auctoritatem: scilicet, quòd omnis Sacerdos Catholicus, etiamsi sit excommunicatus, interdictus, vel suspensus, etiam denunciatus, potest absoluere ab omni peccato, & censura: & pro se citat Sotum *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.* & ampliùs dicit, quòd hoc dicẽdum est post Concilium Tridentinum, nihilominùs placet magis id, quod habet idem: scilicet, quòd in prædicto casu quilibet Sacerdos Catholicus non præcisus ab Ecclesia

Sotus.

Nota.

clesia absoluere potest quemlibet in articulo mortis à quolibet peccato, etiam reseruato, & à qualibet censura, si copia Superioris desit: hæreticus verò, schismaticus, & excommunicatus excommunicatione maiori, & interdictus, suspensus, notorius, aut denunciatus non potest, quamuis alius non reperiatur. Vide Nauarr. *in Man. cap. 26. num. 26.* Et licèt ipse Nauarr. dicat, quòd hæc vltima sententia docebatur ante Concilium, sed post dictum Concilium probabilior videatur ei prima; nobis tamen videtur, quòd hæc vltima positio sit probabilior, & sequenda: & si non adsit alius Sacerdos, tunc sufficit habere contritionem.

Nauarr.

Dubium. *Moribundus an à laico possit absolui.*

11 Et quia *in art. 6. 1. sect.* dictum est, quòd non solùm Sacerdotes, verùm & laici, dummodò habeant priuilegium, possunt excommunicare, meritò dubitatur; an moribundus, excommunicatus à laico, possit in illo casu ab eodem absolui? Ad quod respondetur negatiuè, prout tenet etiam Toletus *in sua summa lib. 1. cap. 15.* vbi citat Panorm. *in cap. à nobis, de sent. excomm.* Adde, & tu Nauarr. *in Man. vbi suprà, & cap. 1. de pœnitent. dist. 6. num. 83.* Sot. *dist. 18. q. 3. art. 4.* Couarr. *in cap. alma mater, §. 11. num. 9. p. 1.* Sayr. *lib. 2. cap. 21. num. 3.* Neque enim hæc iura laico concessere vnquàm, cùm tamen concedere possit summus Pontifex.

Resp. Toletus. Panorm. Nauarr. Sotus. Couarr. Sayrus.

Oldrad. D. Anton. Sylvester. *In mortis articulo laicus non potest absoluere ab excommunicatione.*

12 Scio Oldradum *consil. 49.* D. Antonin. *3. par. tit. 17. cap. 14. §. 7.* & Sylvest. verb. *absolutio 1. num. 8.* tenere, quòd laicus in mortis articulo possit absoluere: sed falsò, nam non conceditur huiusmodi facultas absoluendi à censura, seu excommunicatione, nisi vt pœnitens possit absolui à peccatis. Cùm igitur laicus nequeat absoluere à peccatis, vt dicit gloss. *in cap. pastoralis, de offic. ordin. §. præterea,* consequitur, vt nequeat ab excõmunicatione absoluere.

Quãdo verò laicus excommunicauit, potest: nõ tamen potest absoluere à peccatis.

13 Posset tamen habere locum prædicta contraria opinio Oldradi, Antonini & Sylvest. quando laicus ille excommunicauit talem, vel quia habebat iurisdictionem spiritualem, vel ex priuilegio: nam tunc si adsit, quando excommunicatus à se reperitur in periculo mortis, nihil prohibet, quin ab excommunicatione à se lata possit eum absoluere, relinquendo posteà, vt à peccatis à Sacerdote absoluatur.

Dubium. Respons. *Mortuus potest absolui ab excõmunicatione à Sacerdote, qui excommunicauit.*

14 Dubitatur etiam hîc, quid faciendum sit; quando in articulo mortis constitutus quis, non habuit, à quo absolueretur ab excommunicatione, in qua reperiebatur: ostendit tamen signa contritionis, & declarauit se paratum esse ad omnia? Respond. quòd talis potest absolui post mortem, non quidem à peccatis, sed ab excommunicatione: non tamen à quolibet Sacerdote, vt poterat ante mortem, sed ab eo, ad quem reseruata erat absolutio ab excommunicatione, vel ab alio, de eius licentia. Ita habetur *in cap. à nobis, 2. de sentent. excomm* vbi Innoc. & Panorm. reddunt causam: nimirum quia cessat iam periculum, quod prius erat in mora, ne scilicet, discederet è vita inabsolutus à peccatis.

Panorm.

Signa verò talis pœnitentiæ, quæ fuerunt ante mortem, probari possunt per vnum testem fide dignum. Non tamen debet sepeliri huiusmodi, qui mortuus absoluitur, antequàm ab excommunicatione absoluatur: etiamsi cum signis contritionis decesserit è vita, vt definitur *in cap. à nobis, de sentent. excommun.*

Hæreticus mortuus cũ signis contritionis ostensis anteà potest absolui post mortem.

15 Etiam hæreticum mortuum cum signis contritionis posse absolui post mortem, sicut & alios pœnitentes, affirmat Innoc. *eod. cap.* & ratio eadem militat,

militat in omnibus. Itaque nulla est necessitas ex parte Sacerdotis, nam quilibet potest in tali casu absoluere.

Dubium. Respons. Durand. Paludan. Canus. Riccard. Armill.

Tertiò explicandum est, vnde tunc habeat Sacerdos iurisdictionem? Respondeo, aliqui dicunt, eos tunc habere de iure diuino: sic Durand. *in 4. dist.* 19. *q.* 2. *ad* 4. Palud. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. Canon. *in rel. ect. de pœnit.* Riccard. *art.* 3. Armill. verb. *absolutio.*

Ecclesiæ perpetua traditio est signũ iuris diuini.

16 Fundamentum esse potest, quia perpetua Ecclesiæ traditio, cuius initium ignoratur, est signum iuris diuini, iuxta D. Aug. *lib.* 4. *de Baptis. c.* 24. Contrariam sententiam existimo veram; nempe hanc esse traditionem ortam ab ipsa Ecclesia, & ad summum esse Apostolicam: ita tenet D. Thomas *in 4. dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. D. Bonauent. *ibid. art.* 3. *q.* 1. Maior. *q.* 1. Soto *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Ledesma, 2. *par.* 4. *q.* 21. *art.* 6. Medin. *C. de pœnit. quæst. de confess. alieno sine licentia.* Petr. de Soto, *sect.* 5. *de confess.* Victoria, *in summa num.* 156 Couarru. *in cap. alma mater,* §. 6. *num.* 8. *part.* 1. & insinuatur à Concilio Tridentino, *vbi supra*, dicente: *Ne aliquis periret, custodium semper in Ecclesia fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Nam si nulla est reseruatio: ergo manent illa peccata pro illo articulo, sub eodem foro, vt sic dicam, sub quo sunt cætera, & in articulo mortis omnes Sacerdotes habent iurisdictionem delegatam ad absoluendum directè à peccatis mortalibus: ergo iurisdictio cadit etiam in hæc peccata, quæ extra illum articulum sunt reseruata.

D. Thom. D. Bonau. Maior. Sotus. Ledesma. Medin. Pet. de Sot. Victoria. Couarr. Cõc. Trid.

Dubium. *Sacerdos priuilegiatus an debeat tunc præferri.*

17 Interrogabit verò aliquis, si in eo articulo, seu periculo mortis adsit Sacerdos, qui ex priuilegio habet iurisdictionem ad absoluendum à casibus reseruatis, an debeat ille præferri aliis habentibus tantùm communem iurisdictionem? Si enim in articulo

ticulo mortis, vt diximus, peccata non sunt reseruata, non videtur hoc necessarium.

Respondeo, quòd simpliciter hoc non est necessarium, scilicet, vt qui habet talem facultatem, præferatur non habenti: nam reseruatio in illo articulo non obligat, vel potiùs non comprehendit illum: est tamen ad bene esse.

ARTICVLVS XVII.

An extra articulum mortis, occurrentibus aliis necessariis casibus, in quibus necesse est, aut implere præceptum annuæ confessionis: vel, (vt in Religionibus bene ordinatis pluries in mense, vel in hebdomada, saltem occurrente aliquo magno festo) communicare, aut facere Sacrum: ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia: & pro tunc non patet aditus ad Superiorem.

An scilicet possit quis celebrare, vel Eucharistiam sumere, absque confessione, cum sola contritione: cùm animo tamen faciendi quod tenetur, tempore suo? vel debeat confiteri deputato, & ab eo absolui cum obligatione?

SVMMARIVM.

1 2 3 4 *Ad euitandum scandalum licet excommunicato occulto ad altare accedere, vel Eucharistiam sumere.*

5 *Excom*

5 *Excommunicatio occulta non obstat, quominùs quis à peccatis absolui possit ad euitandum scandalum.*

6 *Duæ conditiones excusant, vt quis sine confessione ad altare accedere possit.*

7 *Confessio ante communionem potest dimitti, si tunc timetur, Confessarium reuelaturum esse confessionem.*

8 *Qui non potest absolui à reseruato, potest ad altare accedere.*

9 *Soti dictum corrigitur.*

10 *Grauis debet esse necessitas, vt quempiam excusset, vt non confessus ad altare accedat.*

11 *Necessitates, quæ excusant, sunt: periculum proprium mortis, periculum mortis proximi, inchoatum sacrificium, & infamia.*

12 *Missam qui inchoauit, & recordatur alicuius mortiferi peccati, quid faciet.*

13 *Infamia excusat.*

1. Opinio. Riccard. Adrian. Durand.

1 RESpond. quòd circa hoc sunt tres opiniones. Prima, simpliciter negat posse hominem in eo casu absolui ab inferiori: sic Riccard. *dist.17. art.2.q.8.* Adrian. *q.4. de confess.* Durand. *dist.17 q.15.* Dicunt tamen isti auctores in eo casu posse hominem accedere ad communionem, vel ad faciendum Sacrum cum sola contritione, tanquàm qui non haberet copiam Confessarij.

2. Opinio. Alens. Palud. Gerson. Syluester. Angel. Medin. Nauarr.

2 Secunda opinio simpliciter affirmat, posse tunc absolui: sic Alens. *4.p.q.17. memb.5. art.2. ad 4. tim.* Palud. *vbi suprà, q.5.* Gerson *alphab.33. litt.E.* Syluest. *confess.1. q.19.* Angelica *confess.5. num.9.* Medina *C. de pœnit. q.13. de integr. confess.* & Nauarr. *in cap. considerat, §. cautus, num.10.* qui tamen indifferenter loquuntur. Solus Angelic. explicuit hoc fieri posse, etiamsi peccatum habeat annexam excommunicationem.

3. Opinio. Canus. Sotus. Ledesma.

3 Tertia opinio distinguit sic; Si peccatum reseruatum est sine censura, poterit absolui pœnitens: non tamen, si excommunicatio adiuncta sit, quia hæc non potest tolli in eo casu: & quandiu non aufertur, homo est incapax absolutionis sacramentalis, ita Can. *relect. de pœnit. par.5.* Soto *dist.18. q.2 art.5.* Ledesma *2.par. 4.q. 8.art. 3.dub.3.* qui nihilominùs admittunt, posse hominem in huiusmodi casu, etiamsi occultè excommunicatus sit, accedere ad communionem ad euitandum scandalum.

Auctoris sententia. *Ad euitãdum scandalũ licet excommunicato accedere ad altare, vel Eucharistiam sumere absque præuia confessione.*

4 Mihi videtur sic esse respondendum clariùs; quando nulla est copia Sacerdotis Confessarij, & imminet scandalum, si quis non celebret, vel non accedat ad communionem, potest tunc quis licitè celebrare, & Eucharistiam sumere, etiam quòd sit innodatus excommunicatione occulta tamen: si verò non imminet tale scandalum, non debet.

Excommunicatio non obstat, quominùs quis à peccatis absolui possit ad euitandũ scandalum.

5 Si adsit Sacerdos quis Confessarius debet talis confiteri, etiamsi habuerit aliquam excommunicationẽ: excõmunicatio enim non obstat, quominùs à Sacerdote absolui possit à peccatis, quia si peccata illa reseruata non haberent annexã excommunicationem, non impedirent absolutionem cum onere tamen se præsentandi, & faciendi quod debet.

Et confirmatur, quia si ad euitandum scandalum, vel infamiam licet excommunicato se ingerere communioni diuinorum; & aliquando potest contingere, vt ad euitandam grauem infamiam, vel scandalum necessarium sit confiteri, ergo tunc ex parte pœnitentis erit licita confessio; & ex parte absol

absoluentis non deest potestas: quia excommunicatio pœnitentis non priuat Sacerdotem iurisdictione in omnia peccata: ergo poterit illum absoluere, & validè, & licitè. Quod intellige à peccatis tantum & cum obligatione recurrendi ad Superiorem, quoad primùm fieri poterit.

Duæ conditiones excusant, vt quis sine cõfessione ad communionem accedat.

6 Addo ad hæc, & clariùs, quòd ex Concil. Trident. *sess. 13. c. 7. & can. 11.* duæ conditiones debent concurrere ad hoc, vt non præmissa confessione liceat communicare, quas Concil. his verbis comprehendit; scilicet, *necessitate vrgente, & modò desit copia Confessoris.* Vnde videndum est, quando dicitur aliquis non habere copiam Confessoris, & quæ necessitas sufficiat tunc ad communicandum sine Confessione.

Quoad primum dico primò, quòd ad celebrandum sine confessione solus defectus Confessoris non sufficit, cùm & defectus huiusmodi, atque necessaria, & vrgens celebrandi causa desiderentur: vt patet ex verbis Concilij. Hinc colligitur cautè

Riccardus interpretatur.

legendum esse Ricc. *in 4. dist. 17. art. 3. q. 6.* quem sequuti sunt Sylvest. verb. *Euch. 3. q. 14. Arm. Communio. in fine,* & Ros. dicentem non teneri, qui celebraturus est ad confessionem statim faciendam; si fortè de propinquo expectat alium, cui deuotiùs, & securiùs confiteatur.

Nam hæc doctrina nec secura, nec practica probabilis mihi videtur; præcipuè post Concil. Trident. Nam non potest verè dici in eo casu deesse copiam Confessoris, cum præstò sit alius sufficiens absque alio morali incommodo, cui potest confiteri.

Dico secundò, quòd si proprius Sacerdos sit absens, & necesse sit alieno confiteri, cui non potest, nisi

nisi ex priuilegio, non sufficit, vt communicaturus non obligetur confessionem præmittere ante communionem: quia tunc absolutè, & sine incommodo potest præceptum diuinum implere; cur ergo non est seruandum? aut quid refert, si Confessor, qui adest, sit ordinarius, vel extraordinarius, si reuera iurisdictionem habet? diuinum enim ius non requirit hunc, vel illum ministrum, sed solum illum, cui homo ritè, & rectè confiteri possit.

Confessio ante communionem potest dimitti, si tunc timetur, quòd Cõfessarius reuelaturus sit confessionem.

7 Dico tertiò, quando peccator timet eum Sacerdotem, qui solus adest, qui possit confessionem audire, non obseruaturum sigillum, aut grauem sibi iniuriam allaturum audita confessione, ista erit causa sufficiens ad excusandum à confessione: ita Sylvest. verb. *Confessio. 1. §. 2.* & alij communiter. Hoc autem dupliciter accidere potest: primò, vt homo habeat tantum illud peccatum mortale, ex cuius confessione timet illud graue detrimentum: & tunc sine dubio potest confessionem omittere: quia non habet moraliter loquendo copiam Confessoris. Secundò, fieri potest vt homo habeat alia peccata mortalia, ex quorum confessione nullum timet detrimentum, simul cum alio, in quo solum est periculum, & tunc priusquàm communicet, tenetur confessionem facere omnium peccatorum mortalium, illud solum tacendo, quod sine incommodo graui confiteri non potest, ita sentit Maior *in 4. d. 17. q. 5.* Nau. *cap. 7. n. 6.* & Suarez *disp. 67. sect. 4.*

Qui nõ potest absolui à reseruato, potest ad altare accedere.

8 Dico quartò, quòd quando homo habet peccatum reseruatum Superiori, & non potest illum adire, & facultatem petere, potest tunc necessitate vrgente communicare sine confessione. Ita tenet Summa Armilla verbo, *Communio. §. 18.* citãs Adrianum,

num,& Paludanum,& significat Sotus *dist.* 12.*q.*1. *art.* 4. Verùm in omnibus supradictis casibus obseruandum est primò eos habere locum, quando sæcularis est in articulo mortis constitutus,in quo Eucharistiæ susceptio est in præcepto diuino, quoniam cùm habeat tunc præceptum diuinum Eucharistiam suscipiendi,sola contritione præuia poterit communicare, & idem iudicium facio de Sacerdote,qui ex officio celebrare tenetur,vt Curatus qui si non habeat copiam Confessoris: quia solus in oppido existit, is semel possit celebrare, dummodò commodè non possit ad vicinum Curatum ante Missam se conferre: nam si posset, à peccato non excusaretur.

Soti dictum corrigitur.

9 Ex hoc infero illam Soti propositionem falsam esse qua dicit, quòd si in die Paschatis non habetur Confessoris copia, adest tamen, qui Eucharistiam ministrat, causa adimplendi præceptum Ecclesiæ de Communione, poterit tũc Christianus, non præmissa confessione, communicare: quia præceptum de præmittenda confessione ante Eucharistiæ sumptionem est diuinum: præceptum verò communionis in die Paschatis est duntaxat Ecclesiasticum: quare primum potiùs, quàm secundum est obseruandum. Infero secundò, falsam etiam esse alteram Soti propositionem, qua docet,quòd necessitas audiendi Missam, vel illam celebrandi, vt si Sacerdos iter faciens non celebret, non poterit Missam audire, erit satis, vt sola contritione præuia possit celebrare: quia hoc præceptum est Ecclesiasticum, & illud de præmittenda confessione diuinum si tamen graue non intercederet scandalum, si communionem omitteret.

10 Quoad secundum, quanta esse debeat necessitas communicandi sine confessione. In generali est certum debere esse grauem, quia res satis grauis est prætermittere exequutionem cuiusdam præcepti diuini, & in materia tam graui; vnde licere non potest sine graui causa. In particulari verò difficile est iudicare, quando necessitas sit grauis: pendet enim multum ex circunstantiis,& ideò pendet ex prudenti arbitrio. Vt tamen quis possit in his faciliùs ferre iudicium, aliquas causas propono.

Grauis debet esse necessitas, vt excusetquẽ piam non cõsumat ad altare accedat.

Necessitates quæ excusant.

11 Prima, indubitata necessitas est periculum mortis eius, qui communicaturus est, vt si ipse sit Sacerdos,vel certè si sit laicus, & hostia sit consecrata, & non adsit Sacerdos, sed solus Diaconus, qui ministrat. Ratio est clara, quia hæc est necessitas & magna, & maximè propria.

Periculum mortis proprium.

Secunda non dissimilis, est necessitas alterius in periculo mortis existentis: vt si oporteat facere Sacrum ad consecrandum, & communicandum illum, quòd meritò est ab omnibus receptum, quia necessitas alterius grauis est, & spiritualis: & propter vnionem, & obligationem charitatis,vt propria reputanda est.

Periculum mortis proximi excusat.

Tertia causa est,& quidem grauis,necessitas absoluendi inchoatum sacrificium: vt si quis incœpta Missa recordetur se commisisse peccatum mortale, & non esse confessum, vel fortè, si in ipso actu Sacrificij(quod humanum est) illud committat vel interiori odio, vel prauo consensu, aut dubitatione circa fidem, & quidem si hæc memoria, vel necessitas post consecrationem superueniant, sine controuersia, & limitatione dicendum est progrediendum esse ad communionem sine confessione cum sola interiori pœnitentia, propter integrita-

Inchoatum sacrificium excusat.

tem, & perfectionem sacrificij, quæ res grauissima est, & maximè necessaria, imò licèt facilè & sine scandalo vllo posset Sacerdotem ad altare vocare, & confiteri, non tenetur, nec debet id facere, quia non decet Sacrificium, iam substantialiter inchoatum, interrumpere, nisi fortè tanta esset necessitas; vt non speraret posse se ad contritionem sine Confessione peruenire, tunc enim ex duobus incommodis minus esset eligendum.

Missam qui inchoauit, quid faciet si peccati alicuius mortiferi recordabitur.

12 Sed difficultas est, si hæc memoria, vel necessitas post inchoatam quidem Missam, ante consecrationem tamen, veniat. Nam in hoc auctores varij sunt. Breuiter tamen dicendum est in primis; si Sacerdos recordetur in altari, antequàm Missam inchoet, debere Confessionem præmittere, etiam si oportet exui vestibus sacris; vt Sacerdotem adeat; ita videtur hîc sentire Scot. respondendo ad secundum principale. Et ratio est: quia cùm sacra actio non sit inchoata, nulla est rationabilis causa communicandi sine confessione ex vi huius causæ, seu capitis, nam si aliundè futurum sit scandalum, vel infamia, iam erit alia necessitas rationabilis. At verò, si memoria peccati, vel necessitas occurrat, iam inchoata Missa, & facilè, & sine incommodo possit ad altare vocari Confessor, faciendum est, & præmittenda confessio. Ita D. Bonau. *in 4. dist. 13. in expositione literæ, circa principium.* Si autem non potest ad altare vocari Confessor, non tenetur Sacerdos inde discedere, & Missam inchoatam relinquere; tunc in tali casu, cum voluntate, & intentione confitendi tempore opportuno, poterit celebrare; vt scandalum euitetur, ita docet Scotus, & D. Bonau. *vbi suprà.*

13 Quarta causa est, si non possit quis communionem

munionem omittere sine graui infamia, quæ moraliter graue damnum existimatur, & non est verisimile, præceptum positiuum cum tanto rigore, & detrimento obligare. Simile dicendum est, si scandalum sequatur; Missam, vel communionem omittendo, quia scandalum ex obligatione charitatis vitandum est; affert enim magnum, & spirituale nocumentum. v.g. si illi, qui sunt communicaturi coram plebe, & Sacerdote in altari, ibi recordantur alicuius peccati mortalis, si absque aliqua nota vsque ad aliam Missam differre non possunt communionem, poterunt etiam cum intentione, & proposito confitendi quam citiùs possibile fuerit contriti communicare, vel celebrare, quod tamen licitè non posset, qui sine prædicta necessitate vellet pro sua deuotione, die festo, contritus, absque confessione, celebrare, seu communicare, cùm sine scandalo possit abstinere, vt etiam docet Scotus *vbi suprà.* Alij casus adiungi solent à summistis, quos videre licet in Angelo, Syluestro, Armilla, Rosella, Tabiena, &c. Sed hi sufficiant, quibus regulari, & practicari cæteri possunt.

Infamia excusat.

ARTICVLVS XVIII.

Casus talis occurrere potest.

SVMMARIVM.

1 *Tempore Iubilæi non habens auctoritatem, non potest confessiones audire.*
2 *Indulgentia tantùm valet, quantùm sonat.*
3 *An elapso Iubilæo ab alio confessario possit absolui.*

QVidam Religiosus fuit deputatus à Prouinciali seu à Guardiano ad audiendas confes-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siones: deinde iusta de causa motus Superior prohibuit ei, ne amplius audiret confessiones, sub pœna arbitraria. Cùm autem fuisset publicatum Iubilæum à Sanctissimo Domino, in quo dabatur facultas eligendi confessarium, talis Religiosus audiuit confessiones multorum, putans se per talem facultatem Iubilæi potuisse eligi à pœnitente: dubitatur ergo, An absolutio data teneat, cùm pœnitentes putauerint illum habuisse facultatem? Et prætereà dato, quòd absolutio data non valuerit, & per consequens nec absolutio à reseruatis, & à censuris: quæritur, An elapso tempore Iubilæi, comperto errore, possint ab alio Sacerdote de peccato absolui, etiam à reseruatis, & à censuris; cùm à prædictis absoluti fuerint tempore Iubilæi ab illo, qui putabat se habere facultatem, & non habebat? Respondeo, quòd in hoc casu, duo casus includuntur, ad quos sigillatim respondere oportet.

Primus casus.

PRIMVS CASVS EST.

An tempore Iubilæi, qui non habet auctoritatem ab Ordinario, ad audiendas confessiones, possit illas audire?

Resp.

1 CVi respondetur negatiuè, & ratio est, quia
2 indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant: & in Iubilæo expressè dicitur, quòd possint eligere vnum ex Confessariis ab Ordinario approbatis, & iste electus Confessarius non est talis: ergo non potest audire confessiones, etiam tempore Iubilæi. Secundò, quòd ad audiendas confessiones requiritur, quòd Confessarius habeat iurisdictionem, sed qui est prohibitus ab Ordinario, nullam habet

Tempore Iubilæi non habens auctoritatem non potest confessiones audire.

Indulgētiæ tantū valent quantū sonant.

habet iurisdictionem: ergo non potest audire confessiones, & per consequens, omnes confessiones illi factæ, post prohibitionem, nullæ sunt, & inualidæ, & propterea reiterandæ, si constet pœnitentibus se fuisse confessos Sacerdoti prohibito, etiamsi bona fide fuerint tali confessi: quia quamuis huiusmodi bona fides in hoc casu excuset à peccato, non tamen excusat ab obligatione reiterandi confessiones: & in hoc primo casu, nullam puto controuersiam inter Theologos: solùm teneret absolutio, quando pœnitens haberet facultatem liberam eligendi sibi Confessarium quemcunque sine specificatione, quòd sit, vel non, approbatus ab Ordinario: sed si adsit specificatio, confessio ipso iure est nulla. Et hæc de primo casu.

SECVNDVS CASVS EST.

Secundus casus.

An possint isti pœnitentes absolui à casibus reseruatis, & à censuris ab aliquo alio Sacerdote deputato, & auctoritatem habente ab Ordinario post elapsum tempus Iubilæi?

Respons.

3 CVi respondetur etiam negatiuè. Primò, quia licentia, & facultas absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, est concessa à summo Pontifice infra tempus Iubilæi: ergo elapso illo tempore, nullus habet auctoritatem absoluendi à casibus reseruatis, ex Romano Rutilio Episcopo Recanatensi, *de Iubilæo, lib. 5.* Secundò, quia illi casus reseruati non sunt absoluti per primum Confessarium: nam confessio illa facta, fuit nulla, & secundus Confessarius nullam auctoritatem habet ad casus, & censuras; ergo non potuit absolui per secundum Confessarium,

fessarium, cùm iam sit elapsum tempus Iubilæi. Tertiò, quia facultas absoluendi à casibus reseruatis,& à censuris,non est concessa Sacerdotibus,nisi in confessione: vt constat ex ipsa forma Iubilæi, in qua dicitur;quòd pœnitens possit sibi eligere Confessarium, qui eum absoluat ab omnibus censuris, & casibus reseruatis:ergo nullo modo manet absolutus,nisi confiteatur Confessario auctoritatem habenti, & intra tempus datum in Iubilæo. Quartò, quia fictio,fraus,& dolus nemini debet patrocinari, ita nec deceptio Confessarij: sed iste pœnitens fuit deceptus,putans se potuisse absolui à censuris, & à casibus reseruatis in prima, vel in secũda confessione: at in prima certum est, quòd non potuit absolui,cùm nulla fuerit,neque in secunda,quia secunda confessio non plus habet auctoritatis, quàm prima. Ergo,&c.

ARTICVLVS XIX.

An Confessarius malè absoluens pœnitentem, teneatur ad aliquid?

SVMMARIVM.

1 *Absolutio inualida multipliciter potest euenire.*
2 *Absolutio ab excommunicatione potest dari absenti, non autem à culpa.*
3 *Verior sententia.*
4 *Auctoris sententia.*
5 Dubium. *Quid faciet Confessarius quando dedit absolutionem nullam.*
6 *Quid, quando intercedit damnum tertij.*

Absolutio inualida multipliciter potest euenire.

1 REspondetur, quòd casus iste multipliciter potest euenire:vt si absoluat sine iurisdictione sufficiente, aut sine intentione absoluendi, aut quia absoluit pœnitentem culpabiliter non satis dispositum, vel non integrè confessum: quia propter verecundiam, aut timorem non est ausus illi negare absolutionem. Vel potest defectus Confessarij esse contra bonos mores pœnitentis; vt si absoluit illum, non obligando eum ad restituendum id, quod verè tenebatur, vel se præsentare, vel tollere occasionem moralem peccandi,vel quid simile.

Primus modus.

Circa priorem modum variè loquuntur Doctores.Quidam dicunt in tali casu posse Confessarium supplere defectum per se ipsum,nihil dicendo pœnitenti, sed tantùm supplendo id, quod defuerat: verbi gratia, intentionem, vel iurisdictionem,petendo illam à Superiore:at cum his requisitis repetendo absolutionem, dirigendo illam ad pœnitentem,vbicunque ille fuerit:nam etiam illo inscio,habebit in eo effectum, si sit dispositus, quod ex circumstantiis,vel aliis indiciis coniecturare priùs debet Confessarius. Ita Antonin. *in 3.p.tit.17.cap.12.* D. Anton. refértque hunc modum absoluendi, & supplendi defectum,placuisse multis Patribus in Concil.Basilien si,& placet etiam Nauarro *in Man.cap.26.n.14.* Cõc. Basil. Nauarrus. Putant enim hi auctores, absolutionem sacramentalem posse fieri in absentem: *de qua re in sequenti artic.* cúmque præcesserit materia, nihil putant ibi esse, quod impediat talem absolutionem. Cùm ergo Confessarius malè absoluendo læserit pœnitentem,& possit hoc modo damnum resarcire sine vllius incommodo,ad id faciendum tenebitur. Refellitur.

Absolutio ab excom. potest dari absenti, nõ autem à culpa.

2 Verùm,supradicta doctrina potest habere locum, quando pœnitens habet excommunicationem annexam: eius namque absolutio potest dari absenti,

absenti,vel ignoranti : imò,& inuito,& in peccato mortali existenti.

At quoad culpam falsum est, absolutionem sacramentalem posse fieri in absentem,seu in præsentem, ignorantem omninò quid circa illam agatur, & nec formaliter, nec virtute consentientem in præsenti absolutione : quia valor sacramenti non tantùm pendet ex intentione dantis, sed etiam ex voluntate recipientis.

In prædicto autem casu voluntas hæc non intercedit:nam licèt pœnitens petierit,& voluerit priorem absolutionem,non tamen petit hanc posteriorem, cùm de ea nihil cogitauerit:imò cùm putet,se sufficienter absolutum ab illis peccatis, nullam intentionem habet alterius absolutionis : & fortasse in illo puncto,in quo Confessarius dat talem absolutionem in absentem, ipse pœnitens reperietur in peccato mortali:& sic ex diametro erit incapax talis absolutionis.

Secunda sententia.

3 Est igitur secunda sententia,quę docet in casu tali nihil aliud esse necessarium Confessario,nisi sui peccati pœnitentiam agere,& relinquere pœnitentem,vt per contritionem,vel alias confessiones validas iustificetur, quia per hoc non fit graue nocumentum pœnitenti : nam omnia peccata, quæ per priorem absolutionem inualidam remissa non fuerunt,per subsequentem tollentur, saltem indirectè, quod satis est ad salutem pœnitentis. Hanc opinionem indicat Nauarr.*vbi supr.* & Sylvest.*vbi supr.* saltem quando primum illud remedium, quod nos improbauimus, applicari non potest:&si pœnitens admoneatur, sequetur scandalum, vel infamia. Et Medina *in quæst. de alieno sine licentia proprij absoluente*, refert hanc opinionem placuisse nonnullis Patribus

bus in Concilio Basilienſi,licèt ipsi non placeat:affirmat enim in eo casu teneri Confessarium ad admonendum posteà pœnitentem:quod etiam tenuit Soto *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 6. Corduba *in summa q.* 7. Nauarr.*in c.* 1. *de pœnit. dist.* 6. Sylvest.*Confessor.* 3. *in princ.*

4 Resoluendo igitur prædicta, dicimus; quòd hæc vltima opinio vera est, per se loquendo,idest, quando sine graui nocumento ipsius confessionis, & sine scandalo id fieri potest. Et quidem si defectus fuit tantùm ex parte Confessoris, non displicet medium illud quod insinuat Sylvest. scilicet,vt procuret Confessarius pœnitentem sibi iterũ confiteri de peccatis post priorem confessionem commissis:& in ea confessione, generaliter eum interroget;an de omnibus præcedentibus doleat, eáque si necesse sit, quantum potest,confiteatur:nam hoc satis est,vt noua absolutio cadat in totam illam superiorem materiam, quæ in illo verbo sufficienter nunc explicatur huic personæ, suppositа distincta confessione illi facta : quamuis inualida, iuxta doctrinam datam.

Quòd si hoc non sufficit, vt maximè contingit, quando defectus fuit etiam commissus ex parte pœnitentis,vel quando non potest induci,vt eidem Sacerdoti iterum confiteatur : tunc clariùs admonendus est de priori errore,vt emendetur. Hoc autem intelligendum est, quando sine scandalo, & graui incommodo fieri potest : quomodo etiam id fatetur Sylvest.& Nauarr. Interueniente enim morali scandalo,aut graui nocumento, excusandus est Sacerdos ab hoc onere. Sic præfati auctores.

Dicerem ego, quòd vel pœnitens est absens : & tunc sufficit Confessario habere contritionem, & dolorem,& confiteri de peccato commisso : pœnitens

tens autem per contritionem, quam habuit, & per confessionem factam, licèt nullam ex tali defectu Sacerdotis, satisfecit obligationi suæ coram Ecclesia, & coram Deo gratus est per contritionem illam, & Deus miserebitur eius: si verò pœnitens est præsens, tunc debet procurare auctoritatem, & inducere eum ad iterùm confitendum sibi, & facere ea, quæ dicunt præfati Doctores: si verò noluerit, debet ei manifestare errorem, quando sine scandalo, & graui nocumento id fieri potest: si verò imminet scandalum, & nocumentum prædictum, conteratur Sacerdos, & oret pro illo.

Dubium. Respõdeo. 5 Sed quid tenetur facere Sacerdos, quando confessio non fuit nulla, licèt iniquè data? Ad hoc breuiter respondeo, si inde non pendet damnum tertiæ personæ, regulariter ad nihil tenetur, nisi ad pœnitentiam agendam, quia pœnitens non tenetur pœnitentiam illam iterare: vnde per attritionem potest supplere defectum, si aliquis fuerit ex parte eius.

Dico autem, *regulariter*: quia si Confessarius decipit pœnitentem in re aliqua pertinente ad salutem animæ eius, ex qua pendet, vt maneat in occasione peccandi, tenebitur illum monere, vel illuminare iuxta regulam charitatis, & prudentię, vitando scandalum quoad fieri potest.

Dubium. 6 Difficultas verò est, quando intercedit damnum tertij: quia v. g. Confessarius est in causa, vt

Responsio Syluestri. pœnitens non restituat alienum, in qua re Sylvest. verb. *Confessor. 3. quæst. 11.* distinguit inter Confessarium proprium ex officio, & delegatum, qui voluntariè id facit, & de priori asserit, teneri ad restituendum damnum illud proximo, si ex graui, vel lata culpa id commisit: de posteriori verò ait, teneri etiam

etiam ex leuissima culpa, quia ipse se immiscuit. Sed est distinctio sine fundamento. Refellitur.

Alij Doctores absolutè obligant Confessarium ad hoc damnum restituendum, si vel malitia, vel grauis negligentia eius interfuit: ita Gabr. *dist. 15. quæst. 2. art. 7. dub. 5.* Nauarr. *in Man. cap. 17. num. 22.* Angel. *restitutio vlt. num. 5.* Responsio aliorum probatur.

Ego verò censeo hanc limitandam esse sententiam. Primò, vt ex parte Confessarij intercedat grauissima culpa, aliàs non tenebitur, nec ratione rei acceptæ, nec iniustæ acceptionis. Deinde limito tantùm teneri, quando Confessarius positiuè consuluit, vel induxit ad non restituendum: quia re vera tunc committit iniustitiam contra alterum, siue id faciat ex malitia, quod est euidens, siue ex graui negligentia: quia ex iustitia tenetur, non ita temerè vti suo ministerio, cum detrimento alterius.

At verò, si Confessarius sit tantùm negligens omittendo: quia videlicet non monuit pœnitentem, tunc respectu tertij non existimo teneri ex iustitia: quia illud peccatum non fuit contra iustitiam respectu illius, sed contra Religionem, sacrum ministerium negligenter exercendo: ergo non tenetur restituere, quia nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptæ tenetur.

Adde etiam in priori casu non teneri simpliciter ad restituendum: sed ad monendum pœnitentem, & tollendam deceptionem, dummodò hoc fiat opportuno tempore: ita vt propter illius moram non sit pœnitens factus impotens ad restituendum: tunc enim ei imputabitur. At verò, si opportuno tempore moneat, iam tollit causam nocumenti, quam posuerat: & ideò defectus illi non

impu

imputatur. Quę omnia faciẽda ſemper ſunt cũ cautela ſigilli confeſſionis, quod omninò ſeruari debet.

ARTICVLVS XX.

An abſolutio poſſit dari abſenti?

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio per literas, & internuncium, licèt anteà opinatiuè poterat defendi: nunc verò poſt Clem. VIII. Decretum, amplius non licet.*
2 *Probatur Decreto ipſius ſummi Pontificis.*
3 *Probatur ex cap.* omnis vtriuſque ſexus.
4 *Probatur ex Doctoribus poſitiuis.*
5 *Probatur ex Scholaſticis.*
6 *Probatur ex Summiſtis.*
7 *Probatur ex validiſſimis rationibus.*
8 *Dubium proponitur, & ſoluitur de eo, qui non poteſt confiteri per epiſtolam, neque per internuncium.*
9 *Dubium proponitur, & ſoluitur, an abſolutio ab excommunicatione poſſit dari abſenti.*

1 REſpond. quòd circa hoc fuit hucuſque dubia, & opinabilis quæſtio ex vtraque parte. Nam aliqui dicebant, in caſu aliquo neceſſitatis poſſe confeſſionem fieri abſenti Sacerdoti, & ab eodem abſente poſſẽ abſolutionem dari. Sic Palud. *in 4. diſtinct. 17. qu. 2. art. 1.* Antonin. *3. part. titul. 14. cap. 19. §. 9.* qui refert in Concilio Baſilienſi tractatam eſſe quæſtionem, quid faceret Sacerdos, qui ſine iuriſdictione abſoluit pœnitentem: multóſque dixiſſe poſſe poſteà petere iuriſdictionem, & abſoluere illum vbicumque ſit, de qua re *in art. præcedenti* loquuti ſumus. Eandem opinionem tenet Sylueſt. verb. *Confeſſor q. 13. & confeſſio 3. in princ.* Armilla *confeſſio num. 23.* Tabiena *confeſſio. 2. numer. 4.* Petr. de Soto *ſect. 11. de confeſſ.* hanc ſententiam dicit poſſe ſecurè teneri, quam tenent, inquit, plures noſtrum. Nau. *in Man. c. 21. num. 36. & in cap. quem pœnitet. num. 4.* licèt eam poſteà retractauerit in *cap. fratres de pœnit. diſt. 5. num. 94.* Adrian. *de confeſſ. q. 1.* & alij. Oppoſitum verò tenebant, & tenent alij infrà citandi; nempe hoc ſacramentum nullo pacto poſſe conſummari inter abſentes, etiamſi extrema neceſſitas interueniat, & conſequenter nec Sacerdotẽ poſſe abſoluere, niſi quem præſentem habet. Quæ ſententia, quia omninò tenenda eſt, nos eam probabimus, & corroborabimus multipliciter primò ex decreto Clem. VIII. Secundò, ex c. *omnis vtriuſque ſexus.* Tertiò, ex Doctoribus poſitiuis. Quartò, ex Scholaſticis. Quintò, ex Summiſtis. Sextò & vltimò, ex rationibus.

Palud. D. Anton.

Sylueſt. Armilla. Tabien. Petrus à Soto.

Abſolutio nullo modo poteſt dari abſenti.

2 Primò igitur probatur noſtra ſentẽtia auctoritate ſummi Pontificis Clem. VIII. qui ſuper hoc, decretum quoddam fecit, quod omnem ambiguitatem tollit. Eſt autem tale; *Die vigeſima menſis Iunij, anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti 1602. in generali congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico, in monte Quirinali coram ſanctiſſimo Domino noſtro D. Clemente, diuina prouidentia Papa 8. propoſita quæſtione, Vtrùm liceat, per literas, ſeu internuncium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ſanctiſſimus D. N. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis D D. Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus, maturè, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem: ſcilicet, licere per literas,*

Clemens VIII. *Decretum de cõfeſſione non facienda per internuncium, aut per epiſtolam.*

teras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absenti, absolutionem obtinere ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitq; ne deinceps ista propositio, publicis priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur: néve vnquàm, tanquàm aliqua casu probabili defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quòd si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputatiuè tractauerit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim directè, seu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit præterquàm in articulo mortis ab alio, quæcúmque etiam dignitate fulgente, etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario; nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui: aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat.

Pœnæ eorũ qui contrariũ docent, vel praedicant.

3 Secundò probatur ex cap. *Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.* ex quo S.Bonau. *in 4. dist. 17. art. 1. q. 3.* colligit, confessionem sacramentalem Sacerdoti soli, & in secreto debere fieri, nisi sit peccatum aliquod enorme, quod totam commouerit vrbem, vel etiam totum orbem, quod quidem quis deberet confiteri in publico, vt in publico pœnitentia publica imponatur, vt ostendat, & recognoscat se reum, vt putà si sit hæreticus manifestus. Quantum verò est secundùm legem communem, debet vnico Sacerdoti fieri in priuato, sicut expressè dicit illa Decretalis. *Sic Seraphicus Doctor.*

D.Bonau.

4 Tertiò probatur ex positiuis, & primò accedat Catechismus Romanus, qui loquens de confessione, & eius conditionibus, sic præcipit; Illud verò tum confitenti, tum Sacerdoti maximè laborandum est, vt eorum sermo in confessione secretò

Catechismus Romanus.

cretò habeatur. Quare fit, vt nemini omninò, neque per nuncium, neque per literas, quoniam ea ratione, nihil iam occultè agi potest, peccata confiteri liceat. Deinde D.Augustinus *in lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 10.* sic ait; *Præcepit Dominus mundandis, vt ostenderent se coram Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata: non per nuncium, non per scriptum manifestanda.* Et paulò post: *Qui per vos peccastis, per vos erubescatis.* Quæ sententia Augustini extat *in cap. quem pœnitet, de pœnit. dist. 1.* Hesychius *in cap. 27. Leuit.* in ea verba; Homo qui domum suam, aut agrum Deo vouerit, prudentissimè, inquit, apparet sine confessione propriæ vocis, peccata non dimitti.

D.August. Hesychius

5 Quartò probatur ex Scholasticis. Magister sent. cum reliquis Theologis *in 4. dist. 17. cap. Sed quod Sacerdotibus confiteri oportet*, sequuti sunt omnes canonem illum D. Augustini, de quo paulò antè D.Thomas *in ead. dist. quæst. 3. art. 4. quæst. 4.* & 3. non vult satis esse confiteri scripto. Alexander de Ales. *in 4. p. q. 18. memb. 4. art. 5. §. 9.* vsurpat auctoritatem Leuitici ab Hesychio expositam de qua suprà: & solùm muto permittit confessionem per scripturam, aliis minimè. Scotus *in eadem dist. 17. q. 1. art. 3. in respons. ad argum.* vbi dicit sic: *Dicendum quod nulli habenti vsum sensuum, & copiam Sacerdotis, sufficit confiteri per scriptum, vel nuncium.* Et ibi solùm excipit mutum, sicut & fecit Alensis: cui exceptioni post decretum Clem. 8. non est ampliùs locus. Riccard. *in ead. distinct.* Maior. Albertus, Sotus, *ibid. quæstio. 2. artic. 6. ad 2.* recitans sententiam D.Thom. & refellens Paludanum, idem confirmat.

Magister. D.Thom. Alensis. Scotus. Riccard. Maior. Albert. Sotus.

6 Quintò probatur ex Summistis. Caietan. *in summa*

Caiet.

Victoria. Toletus. Antonin. Summa Confessorum. Albert. Supple. Rosella. Angelus. Turrecremata. Ledesma. Canus. Valentia. Nauarrus.

summa verbo, *confess. condit.* 11. Victoria *in sua summula sacramentorum. q.* 173. Tolet. *lib.* 3. *de instruct. Sacerdot. cap.* 6. vbi dicit sic; *Per nuntium verò, aut per literas, absente pœnitente confessio non est.* D. Antonin. *in* 3. *par. tit.* 14. *cap.* 19. §. 17. ait; *Debet secretò confiteri & secretò imponi pœnitentia.* Summa Confessorum *lib.* 3. *tit.* 34. *q.* 76. sententiam hanc probat testimonio Diui Thomæ, Alberti, & Innocentij *in caput, Omnis vtriusque sexus.* Supplementum, verb. *confessio.* 1. nitens auctoritate D. Thomæ. Rosella verbo, *confessio titul. primo.* §. 8. *&* 9. confirmant hanc sententiam præclaris argumentis, Angelus verbo, *confessio. tit. primo num.* 32. *&* 33. qui cum Scoto permittit, vt qui scripsit peccata sua idem legat: & admonet Angelus, hanc esse communem sententiam omnium Theologorum. Turrecremata *in cap. quem pœnitet. de pœnit. distinct.* 1. *art.* 1. *concluſ.* 1. Ledesma *in p.* 4. *q.* 9. *art. dub.* 1. Can. *relect. de pœnit. par.* 5. Valentia *in* 3. *tomo disput.* 7. *quæst.* 11. *puncto* 1. *circa finem.* Nauarr. *in Man. cap.* 1. *num.* 36. *& in cap. quem pœnitet, de pœnit. distinct.* 1. vbi super illa verba, *Docuit, corporali præsentia, confitenda esse peccata, non per nuncium, non per scripturam manifestanda*, ait, colligi sacramentalem confessionem debere fieri personaliter, & non posse fieri per procuratorem, neque per nuncium, nec per alium negotiorum gestorem, nec per epistolam, vt aliàs diximus, dummodò id possit facere per se ipsum. Quid autem si non poterit respondere? Dicimus, inquit Nauar. illa duo, quæ tradidimus *in c. fratres. num.* 85. *& in Enchirid. Confessor. cap.* 21. *num.* 36. Alterum est, quòd non tenetur ad confitendum nec per scripturam, nec per interpretem. Alterum verò, quòd si id faceret, valeret confessio & absolutio, quæ scriptæ mitterentur, secun

secundùm Paludanum *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1. & clariùs Adrian. *de confess. q.* 1. *colum.* 6. ita Nauar. Quod quidem vltimum, licèt antea poterat defendi, nunc autem standum est determinationi Clem. VIII. suprapositæ, nempe quòd nullo pacto licet. Paludan. Adrian.

7 Sextò, & vltimò probatur validissimis argumentis. *Rationibus probatur assertio.*

Primum sit, quia eadem forma sacramenti est. Est enim forma talis, *Absoluo te.* Hæc vtique præsupponit, absoluendum esse præsentè, & vt sciatur ipsum esse in rerum natura: id autem ex literis, & nunciis certò sciri non potest: dum enim nuncius perficit iter, potest pœnitens è vita excedere: & sic in cassum daretur talis absolutio. Quin, quòd omnia sacramenta personæ propriæ, actionem exigunt; cùm suscipiuntur, excepto matrimonio, quod per procuratorem contrahi potest. *1. Ex forma.*

Præterea sacramentum pœnitentiæ habet formam iudicij: in iudicio autem sententia pronuncianda est ex Tribunali: neque vnquam est auditum, vt iudex mutus constitueretur, & per scripturam loquatur. Neque vnquàm aliquis iudex, ob scripturam alterius ad se, non ab auctore delatam, quempiam absoluet, aut condemnabit, nisi qui scripsit suam fateatur esse: ergo cùm absolutio Sacerdotis sit actus iudicialis, vt dictum est, & constat ex Concil. Trident. *sess.* 4. *can.* 5. non potest absoluere; nisi voce confitentis, dantísque literas, compertum sit, missam epistolam suam esse. *2. Quia sacramẽtum hoc est ad instar iudicij.*

Præterea debet Sacerdos confitentem audire, examinare, signa pœnitentiæ in ipso cernere, propositum non peccandi, & pro præteritis satisfaciendi in ipso cognoscere: quæ omnia requirunt præsentiam vtriusque, & vt Sacerdos audire, & *3. Quia Sacerdos debet signa pœnitentis inspicere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

loqui possit. Vide etiam quæ dicemus infrà *in 3. sect. in explicat* 11. *conditionis confessionis*.

4. *Debet etiã actus pœnitentis nosse.*

Prætereà actus pœnitentis, eos esse pœnitentis, notũ debet esse Sacerdoti. At confessio, quæ literis mandatur, potest esse ficta: aliena manu, & mentiente, & alterius manum imitante. Hinc Concil. Florentinum, in actibus pœnitentis, quæ materia est in sacramento pœnitentiæ, numerat oris confessionem: ergo qui ore vti potest, non potest alio modo legitimè confiteri, id est, per nuntium, vel per literas.

5. *Confessio scripta periculis subiacet.*

Prætereà confessio scripta, & ad absentem Sacerdotem missa, est suapte natura plena periculi: potest enim, aut interire, aut ab eo, qui perfert, aperiri, aut intercipi, aut etiam ab aliquo nefario Sacerdote, scripturæ auctor prodi, vt argumentatur Riccard. *in* 4. *dist.* 17. *art.* 9. *qu.* 5. Atqui enuntiata peccata ingens incendium possunt esse malorum, præsertim si cædis, si adulterij, si incestus, si stupri crimina testaretur scriptura: vnde ad auctorem scripturæ infamia, ac dedecus, & capitis periculum, certáque pernicies, atque ad nobilissimas familias probrum, æternáque nominis labes permaneret. Quis autem suspicari possit, concessisse Christum Dominum, vt ab eo instituta confessio, tot incommodorum, vllo tempore causa posset existere? longissimè quidem id abest.

6. *Confessio talis non haberet cõditiones requisitas.*

Prætereà confessio, quæ absolutionem meretur, iis debet esse ornata conditionibus, quæ à sacris Theologis exponuntur, in quibus est, vt sit humilis, verecunda, integra, secreta, lacrymabilis, parere parata, quarum conditionum, non solùm certa indicia ex confessione scripta capere non possumus, sed nonnullas desiderari non dubitamus: neque

que enim est secreta, neque est verecunda: epistola enim non erubescit, neque charta lachrymatur, neque certum quidpiam de integritate pollicetur Sacerdoti, neque interroganti Sacerdoti, atque ea, quæ latere solent pœnitentem exquirenti de numero peccatorum specie, circunstantiis, de tempore & consuetudine peccandi aut respondere, aut suggerere potest. Denique non potest ea præstare epistola, vel scriptura, quæ in primis à pœnitente necessariò requiruntur.

7. *Confessarius nõ posset aquèbenè suo fungi officio.*

Prætereà Sacerdoti, qui pœnitenti peccata condonat, notæ debent esse eo modo, vt ab eo cognosci possunt, partes eæ, quæ in sacramento pœnitentiæ propriæ sunt pœnitentis, vt viuat, vt vigilet, vt sit suæ mentis, vt peccati materiam, & occasiones propinquas amputet: vt scelera, quæ conscíuit, vehementer oderit, vt nolit ea ampliùs admittere, vt pœnitentiam à Sacerdote iniunctam non recuset, vt remedia ad nouam ruinam vitandam, libenti animo amplectatur, quæ omnia fugiunt Sacerdotem, si absentis per epistolam confessionem suscipere velit, eíque absolutionis beneficium impertiri.

8. *Quia oris confessio fit ad salutẽ.*

Prætereà Turrecremata *in capit. quem pœnitet. de pœnit. dist.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. sic ait; Sicut quis tenetur confiteri Deum, ita sua peccata confiteri: sed Deum tenetur quisque ore confiteri, *oris enim confessio*, ait D. Paulus, *fit ad salutem*. Ergo ore quoque tenetur peccata confiteri.

9. *Quia absolutio sic data posset ex parte suscipientis esse inuoluntaria.*

Prætereà vltimò, eandem confessionem per literas, siue per internuncium prohibitam esse iure diuino, hinc constare potest: quoniam accidere facilè potest, vt absolutio, quæ per literas confitenti traditur, inuoluntaria sit, & sacrilega: atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

ob id nulla. Si enim cùm Sacerdos aut scribit, aut pronuntiat formam absolutionis, mortuus sit, qui suorum scelerum confessionem misit: aut animæ flagitium aliquod meditetur, vel etiam rem nefariam committat, quod ferè euenire solet ei, qui diuturna peccandi consuetudine est implicatus: Si tunc, inquam, Sacerdos gnarus esset status pœnitentis, nullo modo in animo haberet eum absoluere: & si absolueret, necesse esset absolutionem esse sacrilegam: significaret enim id, quod nullo modo efficeret, id est absolui eum, qui absolui non potest, quandoquidem, nec mortuo, nec sceleris quodpiam perpetranti, aut à Deo, aut ab eius ministro, venia, absolutióque aliqua tribuitur.

Et hæc sunt argumenta, & rationes, quæ à Seraphico Doctore, à Caietano, Turrecremata, à Soto, & ab aliis deprompta sunt. Vnde quia hæc sententia non solùm rationibus, & auctoritatibus tot Doctorum roborata est: verùm & decreto summi Pontificis confirmata, & dogmatizata: quin & contraria sententia ad minus: vti falsa, temeraria, & scandalosa censurata, & damnata est, propterea nullo pacto debet sequi, neque doceri. Qui secùs fecerit, non solùm graui scelere, & excommunicationis Rom. Pont. reseruatæ se vinculo obstringeret, verùm etiam à sacrosanctæ inquisitionis iudicibus, veluti de doctrina, & decretis Romanæ Cathedræ malè sentiens, meritò plectendus esset. Etenim S. Cyprianus *lib. de vnitate Ecclesiæ*, ait, *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* & D. Ambr. *lib. 3. de sacram. cap. 1.* ait; *In perniciosam hæresim labi solere eum, qui Romano Pontifici in iis parendum esse negat, quæ eius imperio, ac iudicio instituuntur ac denunciantur.*

Qui aliter docuerit, multis pœnis subiacebit.

Quod

Quod confirmat etiam D. Thomas *in tractatu contra impugnantes Religionem cap. 3. non longè à fine*: quo testimonio vsus est D. Antonin. *in 3. part. summæ, titul. 22. cap. 6. §. 5.* ac Turrecremata *in libro de Ecclesia.*

8 Dubitatur hîc, quid faciet peccator, qui ore confiteri non potest, cùm non valeat per epistolam, aut per internuncium confiteri? Respondeo, quòd sufficit ei contritio: habetur enim, ac si non haberet copiam Confessarij. Sic communiter Doctores. Et idem dicendum, si non possit, nisi per interpretem confiteri: nam siquidem fecerit, est quidem sacramentalis confessio, cùm sit actus personalis: interpres enim gerit vicem pœnitentis. Verumtamen post Decretum Clementis VIII. sicut nec per epistolam, ita neque per internuncium licet confiteri, vt iam dictum est: vnde tunc sufficit conteri. Dubium. Respons.

9 Etiam dubitatur, an possit dari absenti absolutio ab excommunicatione? Respondeo, quòd aliqui negant, absolutionem ab excommunicatione maiori posse peti, & dari per procuratorem: sic Innoc. *in cap. cùm desideres, de sentent. excomm.* Panorm. *ibid.* Host. & alij. Sed contraria sententia est communis, quam tenet Syluest. verbo, *absolutio 3. num. 9.* Vgolin. Tab. 1. *cap. 19.* Sayrus *lib. 2. cap. 21. num. 13.* Tolerus *in sua summa, lib. 1. cap. 14.* & alij moderniores. Sed necesse est, vt procurator speciale mandatum habeat ad obtinendam absolutionem ab ea excommunicatione, à qua vult absolui. Sic Sayrus *loco citato, num. 14.* Aliud dubium. Respons. Sylvester. Vgolin. Sayrus. Toletus.

ARTICVLVS XXI.

An inferior possit commutare pœnitentiam à Superiore taxatam in absolutione casus reseruati?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia restitutoria, vel ad exeundum à peccato necessaria, non potest ab inferiori mutari: Pœnitentia verò satisfactoria bene potest.*

2 *In mutatione pœnitentiæ non est necesse, vt peccata præterita denuò confiteantur.*

3 *Peccata ritè confessa nemo iterum confiteri cogitur.*

4 *Pœnitentia iniuncta non solùm in æqualem, verùm & in minorem potest mutari. Expenduntur verba illa, quæ in absolutione dicuntur:* Quidquid boni feceris,& mali sustinueris,sint tibi, *&c.*

1 RESpond. quòd gloss.solennis *in cap. Tempora*, 26.*q.*7. super verb. *indicio*,habet, Episcopum posse, iusta de causa, mutare pœnitentiam à Papa impositam. Quod probat per illud, *quatenus habet*, posse Episcopum mutare pœnitentiam per legem Papæ impositam arbitrando id conuenire pœnitenti. Contra quod facit dictum Card.S.Sixti,*in d. cap. tempora*, *num.*4. quatenus ait, inferiorem non posse minuere pœnitentiam à Superiore, pro peccato sibi reseruato impositam:quia alioqui frustranea esset reseruatio, cùm absolutus post habitam absolutionem posset statim adire aliquem inferiorem,qui minueret pœnitentiam, confitendo ei iterum. Fatetur tamen Cardinalis prædictus,quòd ob necessitatem, vel vtilitatem posset id facere inferior: quia pium est credere, Superiorem tacitè voluisse committere absolutionem inferiori, quando talis necessitas,vel vtilitas occurreret.

Sed distinctione opus est: nam vel loquimur de pœnitentia restitutoria;vel ad exeundum de peccato necessaria, qualis est, alieni restitutio,odij mortalis depositio,dimissio concubinæ,& officij,quod, sine peccato exerceri nequit,& conuersationis,qua se credit in mortale peccatum lapsurum, & huiusmodi: & tunc non potest inferior,neque quis alius eam mutare, vel loquimur de pœnitentia satisfactoria iniuncta:& tunc non solum inferior, verùm & quilibet alius Confessarius potest pœnitentiam pro peccatis ab alio Confessario impositam, iusta causa accedente, mutare: *argum. gloss.receptæ in cap. tempora pœnitudinis*,26.*q.*7.Nauarrus *in Man.cap.*26. *num.*20.21.22.*&* 23.*& consil.*25 *num.* 1. *&* 2.*de pœnit.& remiss.* Sylvest.verbo,*confess.*§.27 Rosella,verbo,*confessio sacram.*§.11.& multi alij Doctores.Tum quia, pœnitens eo ipso quòd Confessario se absoluendum subdit, eidem causam omnem suorum peccatorum iudicandam committit:& ideò statim, ac confitetur se non adimpleuisse pœnitentiam,facit huius rei iudicem Confessorem:quò fit,vt Confessor habeat in tali causa plenariam potestatem: & per consequens possit ligare, & soluere, aliamque pœnitentiam, iudicio suo, salubrem imponere. Tum quia,etsi par in parem non habet potestatem in causa iam iudicata.Et ita secundus Confessor nequeat inualidare absolutionem prioris Confessoris, potest tamen causam denuò exortam iudicare: sed non adimplere pœnitentiam, seu non posse iusta de causa illam implere,est actio,seu causa de nouo exorta. Tum denique,quia prioris Confessoris inten

Pœnitentia restitutoria, vel ad exeundum à peccato necessaria, non potest ab inferiori mutari.

Pœnitentia satisfactoria iniuncta, potest mutari.

intentio semper est piè interpretanda: *arg.cap.latorem,33.q.2.*gloss.*in cap.tempora,26.q.7.* Ergo, succedente causa ob quam videatur secundo Confessori deberi iniunctam à priori pœnitentiam mitigari, seu permutari,credendum est, quòd si eadem causa tunc,quando fuit imposita,constaret,profectò mitigaretur. Ita Tabien.*confessio 2.num.21.*Sylvest.*confess.1.§.27.*Victoria,*de satisfactione,num.294.*Nauar.*in Man.cap.26.num.22.*

In mutatione pœnitentia non est necesse, vt peccata præterita denuò confiteantur.

2 Et quamuis examinanda sit causa, ob quam permutatur:& inquirendum,an ob casum reseruatum fuerit imposita, non tamen requiritur, vt denuò peccata præterita confiteantur:quicquid dicat Sotus *in 4.dist.20.q.2.art.3.* nam satis est cognitio causæ quæ ad pœnitentiam commutandam iusta videatur,nec requiritur probatio, quæ pertinet ad forum conscientiæ, licèt requiratur quoad forum exterius. Nauarr.*vbi suprà.*Tum quia,peccata semel bene confessa, à quibus rectè fuit quis absolutus, nullus tenetur denuò confiteri,cùm Deus id ipsum bis non iudicet. Tum quia,Doctores asserunt tunc teneri confiteri pœnitentem ad peccata rectè confessa reconfitenda, cùm pœnitentiæ non recordatur,sed iste habet in memoriam pœnitentiam:ergo, sat est,quòd illam exprimat cum peccatis,quæ post confessionem perpetrauit. Tum quia,si iste teneretur reconfiteri, eò solùm esset, vt Confessori constare posset quantitas, & qualitas pœnitentiæ imponendæ: sed hanc librare, & perpendere potest iuxta mensuram, & proportionem illius, quæ præterito Confessoris iudicio fuit imposita, quam pœnitens habet in memoria,postulátque vt commutetur. Nec incumbit secundò Confessori aliud,quàm iudicare causam commutationis:vt qui præsumere non

non debeat fuisse pœnitentiam cum notabili errore tunc impositam:sed succedente postea aliqua ratione, redditam esse vel impossibilem, vel difficilem:& ideò dignam permutatione. Igitur non est, quòd pœnitens grauetur de iteranda confessione, omni defectu carente:sed sat erit illi propalare pœnitentiam acceptatam,necdum satisfactam,& causas, ob quas cogitur illam non exequi, & in aliam permutari.

3 Tandem,si qui pœnitentiam non adimpleuit, & eiusdem est oblitus,putat Sotus, *vbi suprà,in Resp.ad 3.*non teneri ad reiterandam confessionem: eò quia D.Thom.*in 4.d.16.q.3.art.3.* asserat in vniuersum, nullum teneri ad confitenda peccata, quæ non habet: atque adeò neque illa, quæ ritè semel confessus est, & à quibus est absolutus. Quánam, quæso, ratione erit astringendus, vt reconfiteatur ille, qui pœnitentiæ acceptæ recordatur, illámque non impleuit,vel ex negligentia,vel ex difficultate? Aliàs meliùs esset non recordari pœnitentiæ,quàm recordari. Etenim, si qui pœnitentiæ obliuiscatur, &si peccatorum, quæ non est confessus, non obliuiscatur, non oportet vt denuò reconfiteatur: sed sat est, nouam pœnitentiam eidem iniungere: aut si recordetur præteritæ pœnitentiæ, non sat erit, quando illam non est exequutus,nec adimplere iusta ratione potest,in nouam aliam, Confessoris auctoritate, conuertere. Sylvest. verb. *confessio 1.§.3.* Gabr.*in 4 dist.17.q.1.art.3.§.Ponuntur etiam.* S.Antonin. *3.p.tit.14.cap.10.§.19.& tit.27.cap.10.§.1. vers.Item secundum.* Io.Paludan.*in 4.distinct.17.* Armilla, & alij.

Peccata ritè confessa nemo iterùm cõfiteri tenetur.

4 Et non solùm potest mutare in æqualem pœnitentiam, verùm & potest minuere iusta ex causa, quæ

Pœnitentia iniuncta nõ solùm in æ-

qualè, verũ & in minorem potest mutari.

quæ erit, vel debilitas, vel ægritudo, vel magna contritio, & aliquando parua deuotio: timor item, ne iustam pœnitens respuat, vel acceptatam parum impleat: & propterea omnes Confessarij hodie in pœnitentiam iniungunt pœnitentibus, (*quicquid boni fecerint, & mali sustinuerint*, &c.) Per quam clausulam, etsi non alligent eos ad bona peragenda: efficiunt tamen, vt quæcunque peregerint, in pœnitentiam eis cedant sacramentalem. Et ideò, totum vitæ tempus quodammodo pœnitentiæ agendæ à quolibet Confessario cuilibet pœnitenti, quatenus opus est, videtur constitutum, & taxatum. Vide quę diximus suprà *in 1. art. huius sect. num. 4.*

Verba illa, Quidquid boni feceris, & mali patieris, &c. in absolutione, quid operentur.

ARTICVLVS XXII.

An Confessarij sollicitantes pœnitentem ad peccatum carnis, sint suspecti de hæresi?

SVMMARIVM.

1 *Confessarij sollicitantes pœnitentes ad peccatum carnis, sunt suspecti de hæresi.*
2 *Breue Pij IV. contra tales Confessarios.*
3 *Ampliatur constitutio etiam contra sollicitantes adolescentes.*
4 *Non fit hîc extensio, sed inclusio.*
5 *Pro salute animarum, & ad euitandum peccata, facienda est extensio de casu ad casum.*
6 *Determinatio S. Inquisitionis cõtra tales Confessarios.*

1 REspond. quòd sic, ratio est, quia malè videntur sentire de sacramento pœnitentiæ. Hinc Doctor

Doctor Franciscus Pegna, qui fuit Decanus Rotæ Romanæ *in suo Commentario super Directorium Inquisitorum part. 2. q. 56.* ait, quòd contra Confessores, qui in sacris confessionibus confitentem ad libidinem prouocauerint, cùm malè de sanctissimo pœnitentiæ sacramento sentire videantur, eo abutentes, vti de hæresi suspectos, iure optimo, hodie procedunt hæreticæ prauitatis Inquisitores: ac ita in Inquisitionis Tribunalibus obseruari attestatur Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz. in pract. crimin. c. 2.* quod, & iustissimè ordinauit, ac decreuit Pius IV. Pont. Maximus, quodam breui directo Archiepiscopo Hispalensi: cuius tenorem fideliter desumptũ ex Archiuis sacræ Inquisitionis Generalis Olisipponæ, copiam libri, in quo continebatur, sibi faciente R. D. Antonio de Noronna Episcopo Eluenti, & Generali Inquisitore sanctæ Inquisitionis Regnorum Portugalliæ, refert Rodriquez *tom. 1. suarum qq. regul. q. 59. art. 4.* & est vt sequitur.

BREVE PII IV. CONTRA Confessarios sollicitantes pœnitentes ad libidinem.

2 VEnerabili Fratri *Archiepiscopo Hispalensi, in regno Hispaniæ hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali, Pius Papa IV. Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus diuersos Sacerdotes in regnis Hispaniarum, atque etiam in ciuitatibus, & diœcesibus curam animarum habẽtes, siue eam pro alijs exercentes, aut aliàs audiendis confessionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi,*

illi, & qui id instituit, Domino Deo & Saluatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes, ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, & prouocando, seu allicere, & prouocare tentando, ac loco earum per sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis grauiorum peccatorum, mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in diuinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem Christi fidelium scandalum non modicum.

Nos animum inducere nequeuntes, quòd, qui de fide Catholica rectè sentiunt sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant: Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum ciuitatum, & diœcesum de præmissis, quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumuis, etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regularium, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi, quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, excessuum suorum qualitatem, prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstant. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, Anno Domini 1561. Pontificatus nostri anno secundo.

3 Quæ constitutio ampliatur etiam contra sollicitantes adolescentes: nam licèt ex contextu dictæ constitutionis, ibi (*mulieres*) illa tantum loquatur de sollicitantibus ad actus impudicos ipsas mulieres, videtur tamen quòd de legislatoris mente fuerit, velle comprehendere etiam Confessarios allicientes adolescentes ad peccatum nefandum: tùm quia, ratio in ipsa confessione expressa conuenit etiam huic casui, imò fortiori, seu maiori ratione in hoc casu procedere debet, cùm multò grauiùs sit hoc crimen: tùm quia hæc constitutio loquitur de his, quæ communiter eueniunt, non excludens propter hoc alia, quæ rarò contingunt, sed sunt eiusdem generis, imò grauiora. *Sic Rodriquez.*

4 Et nos pro ampliori huius rei corroboratione, tacitæ obiectioni respondendo; addimus, quòd non suffragatur illa vulgaris regula, nempè in odiosis, & pœnalibus strictam interpretationem esse faciendam: & negamus ex hoc casu fieri extensionem, sed potiùs inclusionem ex Gloss. notab. in verb. *Italiæ de temp. ordin. in 6.* sufficit enim legislatori apponere casum magis frequentem, in quo etiam includitur alius non adeò frequens, qui forsan tacitus fuit maioris honestatis causa: quia esset valdè molestum auribus piis audire Confessarium committere id, quod omnes Christiani abhorrent.

5 Accedit, quod vbi agitur de salute animarum, ad euitanda maiora peccata, tunc in pœnis faciendis est extensio de casu ad casum, ex communi Doctorum sententia, & consensu, ex allegatis per Iasonem *in Auth. quas actiones, num 25. cap. de sacrosanctis Eccles.* Vide supra *in prima sect. art. 1.* ibi, *tertiò notandum.* Vide etiam quę habet Pegna, prout in principio huius articuli.

6 Quibus adde ea, quæ nouissimè determinata sunt

sunt in congregatione illustrissimorum Cardinalium S. Inquisitionis, prout sequitur. *Feria quinta, die decima Iulij 1614. in generali congregatione S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram sanctissimo D.N. D. Paulo diuina prouidētia Papa Quinto, ac Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Petr.tit. S. Mariæ in via Bellarmino, Ferdinando Taberna tit. S. Eustachij, & Ioanne Garsia. SS. quatuor coronatorum Mellino nuncupatis Presbyteris S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem, in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, à sancta sede Apostolica specialiter deputatis, facta relatione, quòd multi confessarij tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis, de rebus inhonestis, sanctissimè decreuit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in sancto officio.*

Andreas de Pectinis S. Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Not.

Locus sigilli.

PRIMÆ

PRIMÆ PARTIS

SECTIO TERTIA.

In qua agitur de his quæ pertinent ad pœnitentes, complectens articulos 21.

QVONIAM tota res hæc in eo sita est, vt confessio à pœnitentibus rectè fiat, ad hoc, vt remissionem peccatorum à Domino nostro Iesu Christo percipere mereantur: placuit hîc ponere, & fusè explicare illas conditiones confessionis, quas Summistæ omnes ponunt, non tamen sic fusè eas declarant. Sunt autem hæ:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Cõfessionis sexdecim conditiones fusius explicatæ.

Quas declarat D. Thomas *in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. quæst. 4.* in his verbis, dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis: quædam sunt de bene esse ipsius. Eæ autem quæ sunt de necessitate confessionis, vel competunt ei secundùm quòd est virtus, vel secundùm quòd est pars sacramenti. D. Thom.

Si primo, aut ratione virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis, cuius est actus, aut ex ipsa

ratione

ratione actus virtutis. Virtutis autem in genere sunt quatuor conditiones: vt in 2. *Ethic.* habetur.

Prima est, quod quis operetur sciens: & quantum ad hoc confessio dicitur discreta, secundùm quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur. Est autem hæc discretio, vt maiora cum maiori pudore confiteatur. Secunda conditio est, quòd sit eligens: quia actus virtutum debent esse voluntarij, & quantum ad hoc dicitur libens. Tertia conditio est, quòd propter debitum finem operetur, & quantum ad hoc dicit, quòd sit pura, vt scilicet recta sit intentio. Quarta conditio est, quòd immobiliter operetur, & quantum ad hoc dicit, quòd debet esse fortis, vt scilicet propter verecundiam non dimittat.

Est autem confessio actus pœnitentiæ virtutis, quæ quidem principium sumit in horrore turpitudinis peccati; & quantum ad hoc confessio debet esse verecunda, vt se non iactet de peccatis propter aliquam sæculi vanitatem admixtam. Secundò, progreditur ad dolorem de peccato commisso; & quantum ad hoc debet esse lachrymabilis. Tertiò, in abiectione sui terminatur: & quantum ad hoc debet esse humilis: vt se miserum confiteatur & infirmum.

Sed ex propria ratione huiusmodi actus, qui est confessio, habet, quòd sit manifesta, quæ quidem manifestatio per quatuor impeditur. Primò, per falsitatem: & quantum ad hoc dicit fidelis vera. Secundò, propter obscuritatem: & contra hoc dicit, quòd sit nuda, vt non inuoluat obscuritatem verborum. Tertiò, per verborum multiplicationem: & contra hoc dicitur, quòd sit simplex: vt non recitet in confessione nisi quæ ad quantitatem pertinent.

tinent. Quartò, quòd non subtrahatur aliquid de his, quæ manifestanda sunt, & contra hoc dicit, quòd sit integra. Secundùm autem quòd confessio est pars sacramenti, sic concernit iudicium Sacerdotis, qui est minister sacramenti: inde oportet quòd si accusans ex parte confitentis: parere parata per comparationem ad Sacerdotem: secreta, quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiæ agitur: sed de bene esse confessionis est, quòd sit frequens, & quòd sit accelerata, vt statim etiam confiteatur. Hucusque D. Thom. sed fusiùs hæ conditiones explicandæ sunt.

PRIMA CONDITIO EST, vt confessio sit simplex.

SVMMARIVM.

1 *Confessio fiat sine admixtione historiarum, & aliorum impertinentium.*
2 *Peccatum quid sit ex D. Augustino, cuius definitio contra Valentiam propugnatur.*
3 *Peccatum duplex, mortale, & veniale.*
4 *Peccata mortalia, & venialia in quo differant.*
5 *Peccatum mortale, vel veniale potest esse tale duplici ex capite.*
6 *Mortale ex genere potest esse veniale triplici ex capite.*
7 *Actus morales recipiunt rationem boni, & mali tum ex obiecto, tum ex dispositione agentis.*
8 *Peccatum mortale quando sit veniale.*
9 *Peccatum veniale quando sit mortale.*
10 *Peccatum veniale vt sic, nunquàm potest fieri mortale.*

11 *Plura peccata venialia nunquàm efficiunt vnum mortale.*

12 *Dubium, an ex pluribus furtis venialibus fiat aliquando vnum mortale.*

13 *Fugienda sunt peccata venialia propter multa damna, quæ inferunt.*

Simplex sine admixtione historiarum, & impertinẽtiũ, vel absque artificio verborum, vel vt specificè proponãtur peccata.

1 QVæ conditio, secundùm Armillam, significat vt fiat sine admixtione historiarum, & aliorum impertinentium. At secundùm Caietanum, sit simplex, id est, non composita, nempè vt non artificiosè narrentur peccata, ita vt non ponderentur à Confessario; vel ita, vt delectentur suauitate vanæ eloquentiæ. Secundùm Nauarrum, sit simplex, id est, sine plica; ita vt sic specificè proponantur ibi peccata, vt quod mortale, quod veniale sit, possit intelligi à Confessario.

In 2. sent. dist. 30. vsque in finem. D.Thom. Caiet. Medina. Vasquez. Valent. Nauar. Sayr. Sylvest. Angelica. Tabiena.

Si quis verò scire cupit differentiam inter peccatum mortale, & veniale, consulat Doctores, præcipuè D.Thom. *in prima 2. in quæst.* 71. & ibi Caiet. Medinam & Vasquez. Consulat quoque Gregorium de Valentia *in 2.to. in disput.* 6. Nauarr. *in Manuali in Prælud.* 7. Sayrum *in sua claui Regia.* Sylvestrum, Angelicam, Tabienam & omnes.

Peccatum quid.

2 Vt autem nos etiam hîc aliqua dicamus, duo tantùm explicabimus, vnum quid sit peccatum, alterum quotuplex. Quoad primum placet definitio S. Augustini *lib. 22. con. Faustum, cap. 27. Peccatum*, inquit, *est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* quæ definitio non placet omnino Valentiæ *in loco citato*, ex eo, quia non conuenit peccato omissionis, quo aliquid à lege præscriptum negligitur, sed soli peccato commissionis, quo aliquid prauum fit contra legem: sed nihilominùs placet

placet talis definitio D.Thomæ *in 1.2. qu. 7. art. 6.* Gabrieli *in 2. dist. 35. q. vnica. art. 1.* Petro Soto, Tabienæ, Nauar. Medinæ, & aliis, præcipuè Sayro in sua claui regia *lib. 2. cap. 5. n. 4.* vbi pro D. Augustino contra Valentiam ait, quòd D. Augustinus propterea posuit illa tria, dictum, factum, concupitum, vt doceret homines, his tribus præcipuè modis peccare. Etenim non solùm facto, sed etiam dicto, & concupiscentia citra factum homines peccant, vt notum est. Et præterea prædicta definitio totam rationem peccati explicat, siquidem in actu humano, qui peccatum est, duo insunt, vnum, quod est quasi materiale id, quod expressit in illis verbis, *dictum, factum, vel concupitum.* Alterum, quod est formale, id, quod illis verbis exprimitur, *contra legem æternam.* Vnde quia continet vtrumque, ideò omne genus peccati comprehendit, non solùm commissionis, sed etiam omissionis, & negligentiæ: etenim, vt rectè D.Thom. *vbi suprà*, annotauit, affirmatio, & negatio, ad idem genus reducuntur: sicut in diuinis, genitum, & ingenitum ad relationem vt ait S. Augustin. *libro quinto doctrin.* & ideò, pro eodem, est accipiendum, dictum, & non dictum, factum, & non factum, qui enim non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quæ facere tenetur, iuxta ea quæ docet D. Thom. *vbi suprà ad tertium.* Et hæc, quantum ad definitionem peccati.

D.Thom. Gabriel. Petrus à Soto. Tabiena. Nauar. Medina. Sayr. Propugnatur D. August. contra Valentiam.

3 Quantum verò ad multiplicitatem peccati, licèt possem hîc ponere omnes illas diuisiones, quas Theologi, & Summistæ ponunt, nempè quòd peccatũ aliud est originale, aliud actuale: & actuale, aliud mortale, & aliud veniale: & hæc vel sunt omissionis vel commissionis: vel ex malitia, vel ex fragilitate, vel cordis, vel oris, vel operis, vel quæ remit

Peccatum duplex, mortale, & veniale.

remittuntur, in hac vita, vel quæ non, vt sunt peccata in Spiritum sanctum. Nihilominùs breuitati studens, tantùm dico, quòd duplex est peccatum, mortale, & veniale. De quibus dicam, id, quod D. Augustinus *in suo Enchiridio cap.* 78. habet; *Quæ sint leuia*, inquit, *& quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio.* Quibus verbis, non significat D. Augustinus non licere hominibus iudicare vllo modo, quæ sint leuia, & quæ grauia peccata, nisi id manifestè constet ex diuino iudicio, sed non posse quidem id certò, & infallibiliter iudicari ab hominibus: nisi ex diuino iudicio constet: cùm id pendeat ex modo, quo Deus voluit magis, vel minus seuerè obligare ad aliquid, atque adeò prohibere peccata communia, quod sciri certò, nisi ex diuina sententia nequit. Nihilominùs potest etiam iudicio humano probabiliter discerni inter peccata mortalia, & venialia, vbi id non certò constat, ex iudicio diuino, sicut etiam in multis rebus, ex probabili sententia Doctorum, magis, aut minùs certa definire oportet, vtrùm, aliquid omninò sit peccatum, nécne.

D. August.

Peccata mortalia, & venialia in quo differunt.

D. Bonau. D. Thom.

4 Igitur vt discernatur quando peccatum est mortale, & quando veniale, supponendum est in primis, & fatendum quòd omnia peccata, etiam venialia sunt contra legem, & licèt D. Bonauent. *in 2. senten. dist.* 4. 2. & D. Thom. *ibid. q.* 1. *art.* 4. *&* 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *& con. gent. cap.* 39. & aliqui alij dicant, quòd peccatum veniale non est contra legem, sed præter legem. Nihilominùs vera doctrina est, quòd etiam venialia peccata sunt contra legem, aliàs verè peccata non essent, & præfati Doctores tantum volunt ea non ita legi repugnare, vt repugnent fini legis, nempè charitati, & amicitiæ diuinæ; atque adeò

adeò impedimento sint, quominùs quis adipiscatur beatitudinem: vide Caietanum ad hoc, explicantem D. Thom. Ergo dum quis peccat, & Deum offendit, ita vt Deum quasi à se alienet, mortaliter peccare dicitur: quia, scilicet huiusmodi peccatum priuat hominem gratia, & charitate, quæ est spiritualis vita animæ, & principium operandi vtiliter, & efficaciter ad vitam æternam consequendam. Quando autem quis peccat, non tamen ita grauiter, vt Deum à se alienet, sed tamen ita vt communicationem charitatis mutuæ, & expeditum, ac promptum amicitiæ vsum inter Deum, & hominem præpediat, venialiter peccare dicitur.

5 Ampliùs sciendum, quòd tam mortale, quàm veniale potest esse duplex: scilicet, vel ex suo genere, vel ex causa. Peccatum mortale ex suo genere est, quod secundùm se repugnat charitati, per quam homo ordinatur ad vltimum finem: quia vt docet D. Thom. *in* 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. actus humani specificantur ex obiecto. Peccatum igitur illud, cuius obiectum est, vel contra charitatem, & dilectionem Dei: sicut blasphemia, periurium, & huiusmodi: aut contra dilectionem proximi: vt homicidium, adulterium, & similia, est mortale ex genere suo. Veniale autem ex genere suo est, quod licèt in se habeat quandam inordinationem: eius tamen obiectum non est contrarium dilectioni Dei, & proximi: vt verbum otiosum sine cuiusque detrimento: mendacium iocosum, siue officiosum, quod nullum lædit, vt risus superfluus, aut aliæ operationes inutiles cuiuscunque sensus, vt sunt inutiles visiones, auditiones, & alia huiusmodi.

D. Thom.

Mortale ex genere est veniale triplici ex capite.

6 Præterea quicquid est contra aliquod ex decem præceptis, regulariter est mortale; nisi vna ex

tribus causis ipsum excusauerit. Prima est defectus deliberationis, vt contingit in acedia, siue tædio circa spiritualia subit nos surripiente. Secunda est paruitas, siue exiguitas rei in his, quæ sunt contra ipsa præcepta: huiusmodi est paruum, & exiguum furtum, iuxta S.Thom. 1.2.*q.*88.*artic.*5.*&* 6.*&* 2.2. *q.*3.*art.*5.*&* *q.*59.*artic.*4. D.Antonin.2.*p.tit.*4.*cap.*5. §.7.*&* 8.Adrian.*quodlib.*8. & alios.

S.Thom. D.Anton. Adrian.

Tertia est defectus iudicij sufficientis, qui contingit in semidormientibus, vel semisobriis, vel adeò perturbatis, quòd quamuis tale iudicium ad peccatum veniale sufficiat: tamen ad completam rationem mortalis non sufficit, iuxta Maiorem *in* 3. *sent.dist.*37.*q.*14.

Maior.

7 Quia actus morales non solùm recipiunt rationem boni, & mali ex obiecto: sed etiam ex aliqua dispositione agentis: ideò contingere potest, vt id, quod non est nisi veniale ex genere, ratione sui obiecti, sit mortale ex causa, seu ex parte agentis: & è contra ex parte agentis contingere potest, quòd aliquod peccatum, quod ex genere suo sit mortale, fiat veniale: vt docet D.Thom. *vbi suprà art.*2.4.*&* 6.

D. Thom.

Peccatum mortale quando fiat veniale.

8 De mortali autem quando fiat veniale, dictum est paulò antè: scilicet quando non perfectè pertingit ad rationem actus moralis: cùm non sit deliberatus, sed subitaneus, quando non procedit ex sufficienti iudicio: quales sunt illi actus, qui fiunt à semidormientibus, vel ab eis, qui adeò turbati sunt, vt non aduertant, aut sciant quid faciant, aut dicant: vt quando quis subitò ex passione in verba contumelios a prorumpit, non aduertens eorum significationem: secùs si aduerteret, quæ dicit idem etiam est dicendum de paruitate materiæ, quæ in omni genere excusat à mortali. Nauarr. *in Man. prælud.*

Nauarrus.

*prælud.*9. *num.*12. Medina 1.2.*q.*88. *art.*2. Valent. *tom.*2.*d.*6.*quæst.*18. *punct.*2. *&* 3. Toletus *tractat.de pecc.mort.cap.*2.

Medin. Valentia. Toletus.

9 E contra verò peccatum ex genere suo veniale effici potest ex causa mortale multis modis.

Peccatum veniale quando fiat mortale.

Primò, si in eis constituatur vltimus finis, adeò, vt quis paratus sit potiùs peccare mortaliter, si de hoc actu cogitetur, quàm id relinquere. Sic S.Tho. *vbi supr.* D.Anton.*p.*1.*tit.*10.*c.*1.§.2.Nauar.*in Man. vbi supr.num.*18. Cosmus Philiar. *de offic.Sacerd.p.*2. *lib.*3.*c.*1. Exemplum esse potest in illis verbis otiosis, quibus vti solent parasiti, buffones, & hi, qui assiduè ludunt aleis, *&c.* Ratio huius est, quia constituere vltimum finem in aliquo actu, est constituere illum tanquàm Deum: vt si quis dicat, nolo aliam beatitudinem, nisi iocosè mentiri, aut malo hoc mendacium iocosum proferre, quàm Deum videre: quod est summa peruersitas, iuxta sententiam S.August. *lib.*83.*q.*30. id quod rarò contingit.

D. Thom. D.Anton. Philiarc.

S. August.

Secundò euenire potest, quando id, quod est ex se veniale, intenditur, & ordinatur à peccante ad mortale: vt si quis proferret verba iocosa ludens cum muliere, intendens eam prouocare ad fornicationē: quamuis enim verba illa simpliciter dicta, de se essent peccatum veniale, tamen ratione finis sunt mortale: sic S.Thom. *vbi supr.* Et ratio est, quia omnis actus, etiam de se bonus, ob finem mortalem, est peccatum mortale, actus enim à fine iudicatur: vt verbi gratia, dicere vnum *Pater noster*, aut versiculum alicuius Psalmi, aut alias quascunque orationes, est actus Religionis: sed dicere huiusmodi cum aliqua superstitione, esset peccatum mortale.

Hîc verò est notandum cum Philiarco, *vbi suprà*, quòd licèt veniale ex suo genere fieri possit mortale,

le,ratione mortalis intentionis: mortale tamen ex genere non fit veniale ratione venialis intentionis, quia malum per bonam intentionem non efficitur bonum.

Tertiò,si fiat contra conscientiam erroneam dictantem id esse mortale, vel de eo dubitantem: vt verbi gratia, dicere mendacium iocosum sine proximi offensione,est de se veniale:qui autem hoc dicendo,crederet,aut dubitaret esse mortale,peccaret mortaliter propter conscientiam erroneam, quam habet. Sic Nauarrus, *vbi suprà*. Philiarchus, Medina,& alij.

Nauarr. Philiarc. Medin.

Quartò,quando aliquid fit in contemptum consilij diuini,vel Regulæ,& legis,etiam non obligantis ad mortale. Sic Nauarr.Philiarc.Medina, *vbi suprà*. Nam quamuis consilia diuina non obligent ad obseruantiam eorum, nisi quis se ad illa obligauit: ea tamen spernere, & contemnere, peccatum mortale est.

Quintò,ratione scandali.Sic Nauarr.& Philiarc. *vbi supr.* & verbi gratia, si Presbyter faceret turpes fabulas, aut laruas dæmonum ante se permitteret, aut ipsemet duceret choreas,& proximi scandalizarentur:tunc omnia ista, licèt de se peccata venialia essent: ratione tamen personæ, & propter scandalum fierent mortalia.

Peccatum veniale,vt sic nunquã potest fieri mortale.

10 Hoc tamen est summoperè aduertendum, quòd peccatum veniale manens idem numero in genere moris,nunquam potest fieri mortale.

Peccata plura venialia nũquam efficiũt vnum mortale.

11 Neque ex pluribus venialibus vnquàm potest fieri vnum mortale, neque omnia peccata venialia tantum de reatu habere possunt, quantum vnum mortale. Vide D.Thom. *vbi suprà*,& ibi Caiet.& Medin. Antonin. *1.p.tit.10.cap.1.§.3.* Alex. de Ales

D.Thom. Caietan. Medina. Antonin. Alens.

Ales *p.2.quæst.107.membr.4.* Ratio est,quia mortale tollit amicitiam Dei, veniale autem non. Mortali debetur pœna infinita,veniali autem finita:mortale meretur carentiam diuinæ visionis, quæ est pœna omnium grauissima, cui nulla pœna venialis peccati comparari potest, vt ostendit S.Thom. *vbi suprà*,ex Chrysost.*homil.47.ad pop.Antioch.* & *homil.24.in Matth.& epist.5.ad Theodorum.*

D.Thom. D.Chrys.

12 Dubitatur hîc, an ex pluribus actibus venialibus fiat vnum peccatum mortale, vtputà ex pluribus furtis? Respond.quòd gloss.*in cap.res sunt, dist.1.de pœnit.* videtur innuere, posse efficere: sicut multæ, inquit, guttæ aquæ in flumen euadunt, & domum deiiciunt; multa grana aceruum grandem constituunt: sic generatim multæ res paruæ vnam grandem componunt. Item, quia Augustinus(*vt in eo cap refertur*)ait,peccata quamuis parua,aliquando crebrò subrepunt, quæ, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & oppriment,sicut vnum aliquod grande peccatum.

Quid enim interest ad naufragium, vtrùm vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur: aut paulatim subrepens aqua in sentinam,& per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem,& submergatur? Ergo significare videtur August. his verbis, multis marinis fluctibus paruis simul irruentibus,nauem perinde obrui, & submergi,atque si vna graui procella opprimeretur. Et *lib. de decem chordis,cap.11.* ait: *Morsus vnus,vel alter homini exitium non affert: sed si examen apum,vel agmen pulicum pungentium est, lethale erit.* Et ita peccata venialia, quanquàm singula nõ sint mortifera:agmen tamen eorum est lethale. Posteà subiungit:*Modica peccata attendite,quia modica sunt, & cauete,quia plura sunt.*

sunt. Nam humana natura minutissimis etiam bestiis interimi potest, & arenæ minutissimæ sunt: si tamen in nauem multæ mittantur, eam ita possunt mergere, vt pereat. Tandem concludit, peccata quidem quotidiana: cuiusmodi sunt verbum durum, vel otiosum, immoderatus risus, nugæ vanæ, quotidiana sunt, sed tamen peccata, & non leuia, quia plura: & quia quotidiana, & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. *Hæc Augustinus.*

Præterea si famulus suo domino surripiat singulis diebus assem; post, vel sub exitum anni mortifere proculdubiò delinquet ob multitudinem assium, quos per partes furto abstulit: non secùs, ac si quis ex vinea aliena per multos dies vnum racemum furaretur.

His tamen non obstantibus, vera est sententia D. Thomæ, 1.2.*q*.88. *art*.4. Alex. de Ales *p*.4.*q*.15. *membr*.3.*art*.1.§.1. Riccard. *in* 4.*dist*.16.*art*.2.*q*.2.*ad finem*, communi consensu recepta, venialia peccata, quantumcunque aucta, & multiplicata nunquàm in lethalem culpam transire, quia actus repetiti sunt eiusdem speciei, cuius fuit primus: nec propterea quòd collecti simul sint, & aggregati, naturam mutant, & variant. Ad obiecta verò respondeo, & ad primum quidem, glossam non expresè docere venialia peccata, hoc ipso, quòd plura sunt, vnum grande peccatum efficere: sed innuere in peccatis, paruis, & leuibus: sæpè tamen iteratis, subrepere aliquando præcepti, legisque contemptum: saltem imminere contemptus periculum: ob quæ Augustinus etiam meritò docet modica peccata esse fugienda.

Ad illud verò de furtis, respondeo in eis esse lethalem noxam: non ideò, quòd multa furta vnum grande

grande constituant, sed quia re aliena per minimas partes furtim sublata, tamen graue damnum domino infertur. Venialia igitur peccata, formaliter loquēdo, & vt sic, quamuis multiplicentur, nunquam efficiunt mortale: sed solùm aliquando venialium peccatorum materia est talis, & per partes minutas maior effecta, lethalis peccati materia sit, quoniam facta sit grauis: vt si mille asses fureris, millies furto vnius assis repetito: secus est, quando materia per partes non crescit: quia singula peccata per se integram materiam, & obiectum habent, vt mendacia, otiosa verba, leues nugæ, risus immoderatus, sermo inurbanus, & huiusmodi.

Venialia peccata fugienda.

13 Fugienda sunt nihilominùs peccata venialia, quia ad mortale disponunt, vel per quandam consecutionem: quatenùs scilicet, augente, & crescente dispositione, vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum etiam crescere potest libido peccandi, vt facilè in eam etiam malitiam labatur, vt non curet violare, & transgredi etiam præceptum diuinum, aut humanum, & assumere, vt medium, peccatum mortale ad consequendam rem, cuius amor erat solùm culpa venialis.

Vel quia facilè contingere solet, vt qui peccando venialiter transgreditur ordinem rationis in rebus minimis, paulatim hac assuefactione mala decidat in maiora, nolens sequi ordinem rationis in rebus maioris momenti: iuxta illud Ecclesiast. 18. *Qui spernit minima, paulatim decidit.* Qui enim assuefactus est, verba otiosa proferre, facilè incidit in verba pernicioſa. Eccles. 18.

Præterea fugienda sunt peccata venialia, quia impediunt feruorem charitatis. Et denique quia tales sic peccantes, maximè ex affectu, super oram

inferni

inferni perambulant: si paululùm nutauerint, citò prolapsuri: vt dicit Henricus Harphius.

Harphius.

Ex dictis facilè poterit pœnitens proponere sua peccata coram Confessario cum distinctione, vt scilicet peccatum mortale, pro mortali; peccatum veniale, pro tali.

SECVNDA CONDITIO est, vt confessio sit humilis.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sit humilis, recognoscendo se miserum peccatorem.*
2 *Confessio fiat flexis genibus. Fallit tamen aliquando.*
3 *Manus impositio non est necessaria, nisi ex ritu Ecclesiastico.*
4 *In aliquo casu potest esse necessaria.*
5 *Ex S. Bonauen. plura documenta Confessarijs dantur.*
6 *Manus extensio super pœnitentem plura significat.*

Humilis recognoscẽdo se miserum peccatorem.

1 HÆc conditio, secundùm Caietanum, vult vt pœnitens, dum confitetur, se recognoscat miserum peccatorem venia indignum, & quantum ad subiectionem, & accusationem peccatorum coram Sacerdote humiliter faciendam flexis genibus, verbis humilibus, non se iactando: nam secundùm Sotum, qui inter confitendum sic narraret peccatum. Accuso me occidisse (sicut ingenuum decet) meum inimicum: quia non potui, nec debui aliter facere: quia graui iniuria me affecerat, vel quia meum occiderat patrem, non est absoluendus: talis enim confessio magis iactantia est, & peccati defensio, quàm confessio, quæ est humilis accusatio peccati.

peccati. Dixi (*facienda flexis genibus*) quod regulariter semper obseruari debet, sicut & extendere manus super illum, quando ei beneficium absolutionis impendit: nam aliquando & vtrumque potest, & debet dimitti.

Confessio debet fieri flexis genibus.

2 Potest enim euenire casus, vt quis febri laboret, & tunc etiam cubans poterit confiteri.

Aliquando non flexis genibus.

Similiter potest accedere, vt etiam deambulando quis licitè poterit vel confiteri, vel saltem se præsentare pro reseruatis, scilicet quando quis taliter confitetur, vt nihilominùs circunstantes, qui eum obseruant, id animaduertere non possint: nam alioqui suspectus haberetur, nempe quòd cum tali confessus sit peccata grauia, quod maximè locum habet, quando quis confitetur casus reseruatos, de quibus est suspicio apud reliquos, qui si viderint ipsum, flexis genibus, prouolutum, & alicui dicentem sua peccata, facilè confirmarentur in opinione, scilicet quod talis haberet casus reseruatos, maximè illos, de quibus apud ipsos est infamatus.

3 Idem censeo dicendum, de manuum impositione à Sacerdote facienda quando dat absolutionem, quæ cùm non sit de substantia absolutionis, immò neque de necessitate præcepti, debet aliquando dimitti, & Nauarrus *in cap. de pœnit. distinct. 6. num. 29.* tenet, quod aliquando malum est id facere, & consultò debet dimitti, veluti cùm pœnitens est fœmina molli pulchritudine, & molliter ornata. Quod idem dicendum censeo, quando pœnitens est iuuenis imberbis, & valdè formosus.

In cõfessione manuũ impositio super caput non est necessaria.

Aliquando etiam consultò debet omitti.

4 Solùm in vno casu potest esse necessarium, vt Sacerdos manum suam super pœnitentem extendat,

In vno casu potest esse necessaria manuũ impositio.

tendat, vt putà, quando adsunt circunstantes, & Sacerdos rationabili de causa absolutionem pœnitenti denegat: & ex eo, quòd non extenderet manum super illum, adstantes possent suspicari, quòd propter aliquod graue peccatum pœnitens non esset absolutus, tunc enim debet manus extendere, & dicere pœnitenti, quòd propter circunstantes ipse extendit manus ne de illo scandalizentur, sed quòd nihilominùs non dat ei absolutionem, sed dicit aliquam aliam orationem sine absolutione, vt ita confusus non recedat.

Quo remedio, si vsus fuisset quidam Confessarius, non dedisset occasionem magni tumultus in quadam Illustrissima ciuitate, in qua inter cæteros casus, Prælatus reseruauerat sibi adulterium: & cósanguinei cuiusdam nobilis mulieris aliquid huiusmodi de ea suspicantes, vt de hac re certiores fierent ipsam ad Ecclesiam pro confessione facienda, associarunt, & adstantes obseruabant an Confessarius extenderet manus pro absolutione: quod cùm non fecisset Confessarius cognouerunt illam mulierem peccatum adulterij commisisse: si quidem à Confessario inabsoluta recedebat, & tumultuati sunt, tùm contra eam, tùm etiam contra adulterum, de quo suspicionem habebant. Consultiùs ergo fecisset ille Confessarius, si remedio supradicto vsus fuisset.

S. Bon. aurea documenta pro cõfessarijs.

Sed de his audiamus S. Bonauenturam *in suo confessionali*; vbi quamplurima documenta pro confessione audienda ponit.

1. Sacerdos sedeat in loco publico.

5 Primò de loco confessionis sic ait, *Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta.* Ex hoc verbo, Sacerdos, qui Angelus Domini exercituum dicitur, intelligat, vt non

non tenebrarum, sed lucis Angelum se ostendat, sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto, & omni suspicione carente, vbi videri possit ab omnibus, & non audiri. Quærendo enim latibula tenebrarum, malè agere se ostenderet, dicente Christo: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem.* Qui est in intentione mali, & cui placet malum, hæc Glossa, *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Caueto, ait Hieronymus, omnes suspiciones; & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè deuita. Apostolus ab omni specie mala, id est, non solùm ab eo, quòd est malum, sed etiam ab omni, quod speciem mali prætendit, nos admonet abstineri. Et quia secundùm Augustinum *lib. de singularitate clericorum penè post principium*: Peius est, quàm mœchia continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam.

Sacerdos audiens confessionem sedeat, vt dictum est, in loco publico, & honesto, ne quod absit, adulterum se ostendat. Nam dicitur: *Oculus adulteri obseruat caliginem.* Veniens igitur ad manifestationis lucem faciat veritatem, vt dicitur in Ioanne, vbi Glossa, id est bona opera, quæ veritas iubet.

2. Caueat delectationem.

Secundò qualiter Sacerdos cauere debeat ab illicita delectatione, sic ait; Sollicitus etiam sit Sacerdos, ne dùm confitentem foris à sordibus purgat ipse ex his, quæ audit, per voluntariam delectationem, interiùs sordidetur, debet enim esse, vt nobilis manus, quæ aliam lauans lauatur, mundans mundatur, non vt lixiuio vilis, quæ alia mundificans, inquinatur. Caueat ergo, ne per voluntariam delectationem caput aspidis sugat, & occidat eum lingua viperæ Glossa: Aspis est paruus serpens, vipera

Universidad de Deusto
Biblioteca

pera prolixioris est corporis:& sic nascitur, vt violenter exeat. Caput itaque aspidis fugit, & occidit eum lingua viperæ, quia cùm initium suggestionis occultæ libenter suscipit,violentis postmodum se tentationibus deuictum tradit, vel quia venenum aspidis concitè, viperæ tardiùs occidit: per aspidem, violenta & subita, per viperam tentatio tardior significatur. *Hæc Glossa.*

3. Non respiciat vultum pœnitentis.

Tertiò, quòd Confessor non respiciat faciem pœnitentis, sic ait, debet etiam cauere Sacerdos, ne vultum sibi confitentis, maximè mulieris, respiciat, ne confitens confundatur, & ne ipse delectatione illicita capiatur: vnde debet semper mulier sedere à latere Confessoris, quia, vt dicit Abacuc: *faciei eius ventus vrens*: & Glossa Gregorij super illo verbo Genesis:*vidit igitur mulier*, &c. Ne lubrica in cogitatione versemur, non debemus intueri, quod non licet concupiscere. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur à lasciuia voluptatis, reprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Eua lignum contigisset, nisi priùs incautè respexisset. Pensandum ergo quàtum ab illicitis debeamus visum restringere, qui mortaliter viuimus;si & mater viuentium per oculos ad mortem venit. *Hæc Glossa.*

4. Peccata pœnitentis non abhorreat.

Quartò, quòd Confessor peccata pœnitentis non abhorreat, sic ait, Non debet etiam Confessor pœnitentis horrere peccata, quantumcumque enormia,turpia, magna,inaudita, vel inusitata sint, quia, vt dicit Ioannes, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Aut enim Confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit in similibus peccatis,vel maioribus. Vnde præcepit Deus: *Non abominaueris Idumæum*, id est, peccatorem rubore confu

confusionis dignum, *quia frater tuus est*; *vel Ægyptium*, id est, peccatorem, peccatorum angustiis, tribulatum. Idumæus namque visus, vel rubens interpretatur. Ægyptius, angustia,siue tribulatio.

5. Dulciter pœnitẽtẽ ad dicẽdum peccata inducat.

Quintò, qualiter Sacerdos alloqui debeat pœnitentem, sic ait: exinde debet Confessor pio ac suaui alloquio ipsum pœnitentem ad veram pœnitentiam, & compunctionem, & ad nudam, & expressam confessionem inducere, non statim ex abrupto, si tempus sufficit,inferre; *Dic peccata tua*,sed dulciter ei proponere aliqua de confessionis vtilitate, quæ valet ad septem: valet enim ad peccati cognitionem, propter instructionem Sacerdotis. Vnde dicitur in Deuteronomio: *Si difficile & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam,lepram,& non lepram.* & infrà parùm longè. *Et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad Sacerdotes Leuitici generis, quæréque ab eis.* Psalmista; *Dixi confitebor*, &c. Si propositum valet, quantò magis ipsa confessio ad cogniti, & contriti satisfactionem. Vnde dicitur in Ecclesiastico, *est confusio adducens gloriam,& gratiam.* Ad pœnæ diminutionem, vi clauium, de hoc Matth. *Quodcumque solueris super terram*,&c. Ad Dei glorificationem, vnde Iosue; *Da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* Ad intercessorum multiplicationem, dicente Iacobo; *Confitemini alterutrum peccata vestra:& orate pro inuicem,vt saluemini.* Ad conscientiæ assecurationem; Vnde Dauid statim,cùm dixit, *Peccaui*,audiuit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Et hoc est magnum bonum, vt dicit D. Paulus, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Proponat etiam eidem pec-

Confessionis vtilitates.

catorum veniam de Dei misericordia, & suadeat ei, quòd non verecundetur confiteri, sed nudè, & expresè omnia confiteatur, quia non homini confitetur, sed Deo, scienti omnia; qui si nudè confiteatur, pro absoluto habetur, si verò scienter aliquid occultauerit, confessio nihil valebit, quia, *qui in hoc vno offendit, factus est omnium reus*, inquit Iacobus. Si verò non vult confiteri, proponat ei terrores iudicij, pœnas inferni, & quòd multo melius est, erubescere hoc coràm vno homine, quàm in die iudicij coràm Deo, & Angelis & hominibus, & dæmonibus.

6. Non sit Cõfessarius acceptor personarũ in confessionali.

Acceptio personæ qua.

Sextò, quòd Confessor in iudicio pœnitentiæ personam non accipiat, sic ait, studeat etiam Confessor cauere ab acceptione personarum, quæ sic describitur à Magistris; *Acceptio personæ est iniustitia, qua præfertur persona personæ propter causam indebitam.* Attende diligenter, ô Iudex pœnitentialis, quod tibi dicitur; *Non facies, quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non considerespersonam pauperis, nec honores vultum potentis.* Ne videlicet declines à via iustitiæ propter pauperis compassionem, vel propter potentis adulationem. Attende præterea tibi dictum; *Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* Attende nihilominùs diligenter, & considera vniuersaliter omnibus Confessoribus esse dictum, *Audite illos, & quod iustũm est, iudicate, siue ciuis ille, siue peregrinus nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis vt magnum, non accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Audite, inquam, id est diligenter intendite peccata, peccatorum circunstantias examinando: & quod iustum est iudicate, iustos videlicet, siue diuites, siue pauperes absol

absoluendo: & impios, quamuis etiam potentes, & diuites condemnando, nec accipietis personam cuiusquam, pauperes indebitè exasperando, & diuitibus, & potentibus adulando. Non, inquam, accipias personam, ne maledictione prophetica feriaris, qua dicitur, *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Sic S. Bonauent.

Manus extensio super pœnitentẽ quid significet.

6 Sed ordinariè loquendo rectè institutum est, vt quando beneficium absolutionis impenditur, manus Sacerdotis super caput pœnitentis extendatur: nam,

Primò est signum solutionis animæ à peccato; quando enim quis ligatus est, manus admouetur ab aliquo, vt eum soluat.

Secundò, quia datur intelligi, quòd super caput pœnitentis, veluti super potiorem corporis partem effundatur meritum Christi, quod per sacramentum pœnitentiæ ei impertitur. Sacramenta enim sunt vasa gratiæ, vt apud omnes Theologos est in confesso, *in 4. sent.* Hinc Sacerdos, dum dat absolutionem, inter cætera dicit, *Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ Virginis, &c. sint tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum.*

Tertiò, vt per talem actionem externam insinuet, quòd anima illius pœnitentis à sanguine Christi lauatur, & dealbatur, iuxta illud Apocalypsis 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo:* Vnde Sacerdos dum extendit manus signat, quod velut effundat, & aspergat Christi sanguinem super pœnitentem, & propterea facit super eum signum Crucis dicens; *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

TERTIA CONDITIO Confessionis est, vt sit pura.

SVMMARIVM.

1 *Confessio fiat cum bona intentione.*
2 *Confitentes sua peccata semper per eadem verba male faciunt.*
3 *Pœnitens per se explicet sua peccata, si scit, & potest.*
4 *Peccatum mortale est necessaria materia confessionis.*
5 *Confessarius cum pœnitente se gerat, velut obstetrix cum parturiente.*
6 *Pluribus modis confessarius procurare debet, vt pœnitens sua peccata confiteatur.*
7 *Confessarij non sint curiosi in interrogandis non necessariis, & eis applicantur illa Christi Domini verba,* Soluite eum, & sinite abire.

Pura non mixta impertinentibus, vel bona intẽtione facta.
Sot. & Armilla.
Nauar.
Caier.

1 SOtus, & Armilla dicunt, quòd per talem cõditionem innuitur, quòd confessio debet fieri bona intentione ad Deum cum spe veniæ, vt Ecclesiæ pareat pœnitens, vt Deum placare possit, non propter vitandam solam pœnam aut infamiam.

Nota contra eos qui confitentur semper eodẽ modo, & eisdem verbis iuxta formulam memoriæ mãdatam.

2 Hinc malè faciunt, qui rarò confitentur, & non nisi stimulis Superiorum, & peius, qui ad pedes Confessarij nunquàm accedunt, nisi semel in anno, & cum monitoriis Nauarrus, & Caietanus dicunt, quòd confessio debet esse pura, id est, non mixta impertinentibus, & historiis superfluis, & peius, qui semper recitant eandem historiam, & non declinant neque ad dexteram, neque ad sinistram, ita

ita vt si millies in die confiterentur, semper eadem verba recitarent: ex quo euenit, vt quia non confitentur cum debito modo, absque fructu recedunt, nec in eis aliqua emendatio cernitur: quia in confessione non dicunt purè peccata, prout ab ipsis patrata sunt: sed quando semel didicerunt quandam formulam confitendi, vel in libris impressam pro instructione, vel ab ipsismet inuentam, semper eandem recitant sine vlla vera contritione: & non declinant neque ad dexteram, neque ad sinistram.

3 Vel pura debet esse confessio, vt scilicet pœnitens purè, & per seipsum peccata sua explicet, si scit, & potest. Vide Nauarr. *in Man. cap.* 10. ait, Si pœnitens non incipit statim confiteri, Confessarius ipsum moneat, vt omnia peccata sua, quorum memoriam habet, & de quibus ipsum magis remordet conscientia, quæque sibi in extremis constituto, à dæmone obiici coram cælesti iudice maximo timet, statim exponat: & eò magis, si habet aliquod mortale peccatum: nam tunc illud est in principio confitendum, deinde venialia.

Peccatum mortale est necessaria materia cõfessionis.
Cõfessarius in pœnitẽtẽ se gerat, sicut obstetrix cũ fœmina parturiente.

4 Cuius ratio firma est, quia peccatum mortale est necessaria materia confessionis: vtpotè, quod necessariò debet confiteri: veniale verò, minimè; etsi pœnitens per seipsũ peccata sua recenseat, Cõfessarius patiatur ipsum pro sua voluntate exponere, quę meminit, ac confiteri statuit, quantumcunque rudi, crassáque Minerua, & sine ordine ea exponat: quia eo tempore, quasi parturiens laborat, inde agendum est cum illo, sicut cum fœmina parturiente agi solet, cum qua nihil attentatur, quo vel turbetur, vel impediri possit partus.

5 Si verò pœnitens nesciat per seipsum peccata sua explicare, Confessarius debet ipsum adiuuare in

Universidad de Deusto
Biblioteca

memoriam ei reuocando ea peccata, quę iuxta qualitatem sui status potuit committere: vtputà si est Religiosus, discurret per tria vota, & per obseruantiam suæ Regulæ. Si est persona spiritualis, qui confessionem frequentat, discurrat per ea, quæ pertinent ad Deum, ad proximum, & ad seipsum. Si est sæcularis ordinarius, discurrat per decem præcepta, per septem peccata mortalia, *&c.* De quibus omnibus poterit videre Nauarrum *in suo Manuali.*

Et si Confessarius videat suum pœnitentem velle aliquod peccatum occultare, vel probabiliter credit ipsum illorum obliuisci, aut quæ sunt mortalia, existimare non esse: tunc ait Nauarrus, debet prudenter eundē ad peccata sua dicenda pertrahere.

6 Denique, quia diabolus totis viribus procurat, vt peccator in confessione mutus euadat: Confessarius debet sic gerere, interrogationibus, & exhortationibus, quin & orationibus, vt pœnitens os aperiat, & sua peccata propalet. Dixi suprà, *si pœnitens potest*, propter infirmos graues, cum quibus Confessarius se gerere debet, eo modo quo potest.

Nauarr. Caietan. *Confessarij nō sint curiosi in interrogationibus.*

7 Ponderanda sunt etiam ea, quæ habet Nauarrus, & Caietanus *in explicatione huius conditionis*: scilicet, vt confessio sit pura, ideſt, non mixta impertinentibus: quod etiam ipsis Confessariis aliquando videtur dictum: sunt enim aliqui adeò curiosi, vt postquàm peccata audierint, velint etiam omnia, quæ domi fiunt, scire, interrogando de multis, quæ ad confessionem non pertinent magnam partem temporis terendo: & multoties cum talibus interrogationibus, & discursibus pœnitentes illam deuotionem, & compunctionem amittunt, quam in confessione habuerunt, in graue damnum, & præiudicium ipsorum.

Vnde

Vnde id, quod dixit Christus Dominus Apostolis, postquàm Lazarum à mortuis resuscitauit: *Soluite eum, & sinite abire*: dicendum videtur, etiam talibus Confessariis; soluite pœnitentem, impendendo ei beneficium absolutionis, & sinite abire absque eo, quòd de multis impertinentibus interrogetis.

QVARTA CONDITIO confessionis est, vt sit fidelis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens in confessione non mentiatur.*
2 *Dubium, an aliquando in confessione liceat mentiri.*
3 *Mentiens de veniali in confessione, quando peccet mortaliter.*
4 *Magna irreuerentia, quin sacrilegium est facere, vt forma sacramenti in cassum cadat.*
5 *Quid agendum, cùm pœnitens tacere agnoscitur aliquod peccatum.*
6 *Confessarius certò sciens pœnitentem commisisse peccatum aliquod mortale, de quo non confitetur, quid facere debeat.*

Fidelis, aliena à mendacio, & vt verè proferat peccatum. Sotus. Caietan. Nauarrus. Dubium. Respond. *Non licet mentiri in confessione.*

1 POEnitens ad pedes Confessarij prouolutus debet iuxta prædictam conditionem facere confessionem fidelem, ideſt, iuxta Sotum, vt verè proferat peccatum eo modo, quo est in corde: & hoc est de necessitate. At secundùm Caietanum, confessio sit fidelis, ideſt, verax; aliena scilicet à mendacio: sic etiam Nauarrus.

2 Hìc verò dubitatur, an liceat mentiri in confessione? Ad quod respondent omnes negatiuè: sed audiamus Nauarrum, id bene explicantem *in Man.*

Peccat mortaliter quis mētiēdo de peccato mortali in confessione.

cap.21.num.37. Quintò, ait, peccat mortaliter, qui mentitur in confessione affirmando, vel negando aliquod mortale, nisi affirmaret absque animo Sacerdotem decipiendi: putans se non posse nimis sanctè accusare, vt diximus *in cap. fratres, num.37.* Dixi, *mortale:* quia si solùm affirmaret, vel negaret falsò tantùm veniale, non peccaret mortaliter, siue proposuisset illud confiteri, siue non: quicquid dicat Caietanus 2.2.*q.69.art.1.* Sic Nauarrus & rectè quidem: nam mendacium semper est peccatum, *cap.1.22.q.2.cap.super eod.de vsur.* Sed in confessione dictum, grauius est: imò non desunt, qui dicant ipsum semper esse mortale: pro quibus facit, quod D.Thom.ait *in* 2.2.*q.69.art.1.* omne mendacium in iudicio dictum, esse peccatum mortale. Facit, quod Paludanus *in* 4.*dist.21.q.2.art.1.* air, siue causa humilitatis, siue hypocrisis deliberatæ in confessionis iudicio mentiri, irreuerentiam quandam esse sacramenti, & ita videtur mortale. Et Caietanus ait, *vbi suprà*, confitentem quidem abstinere posse à confitendo veniale: at si confiteatur, & mentiatur, mortaliter peccare, quoniam sicut vis iuramenti mendacium, ex se veniale, facit mortale: ita vis, & calor iudicij, de veniali efficit mortale.

Caietan.
Nauarr.
D.Thom.
Palud.

Quando mentiēs de veniali in confessione peccat mortaliter.

3 Sed distinctione opus est: nam si peccatum veniale erat in proposito, vt confiteretur, tunc, quia cum tali proposito pœnitens fecit illud iustam materiam confessionis: & propterea tenetur id, quod dicit super eam, efficere verum: & si mētitur, peccat mortaliter: si verò veniale peccatum non erat in proposito confiteri, vel si proposuit, & illud propositum reuocauit: tunc dicere mendacium de tali peccato veniali non est mortale. Vide Nauarr. *in cap.fratres, num.16.17.* & 18. & infrà, *in num.27.* limitans

Nauarrus.

mitans opinionem Caietani, ait, illam esse veram, quando pœnitens nullum peccatum veniale, vel mortale haberet, quod confiteri oportet; neque confitetur vllum, quod verè peccasset: sed aliquod veniale, quod non peccasset, confitendo mentiretur. Is enim hoc faciendo capitaliter peccaret: non quia mentiretur, sed quia, quod non esset sacramenti materia, pro illa substitueret, & velut propinaret.

Magna irreuerentia, quin sacrilegium est facere, vt forma sacramenti incassum cadat.

4 Magna enim irreuerentia fieri videtur tanto sacramento, facere, vt illius forma in cassum super eam, quæ non sit apta materia, proferatur: & omnem irreuerentiam non solùm sacramentorum, sed omnium sacrorum: quod sacrilegium est, capitalem oportet iudicari per ea, quæ, vt D.Thom.scribit *in* 2.2.*q.99.art.1.2.* & 3. & ibi Caietan.

D.Thom.

Dubium.

5 Sed quid agendum, cùm Confessarius videt pœnitentem tacere aliquod peccatum, quod certò scit ab ipso esse commissum, qui nihilominùs de eo à Confessario interrogatus, negat illud commisisse.

Respond.

Respond.ad hoc cum Suarez *tom.4.disp.32.sect.3.* quòd cùm in foro pœnitentiæ credendum sit pœnitenti, tam pro se, quàm contra se loquenti: (nec enim in eo alius testis admittitur) regulariter standum est ipsius confessioni: ideóque si alterius tantùm relatione Confessarius sciat peccatum pœnitentis, debet in dubio magis huic credere, quàm illi.

Suarez.

Cōfessarius certò sciens pœnitētem commisisse peccatum aliquod mortale de quo nō cōfitetur, quid agere debeat.

6 Si verò Confessarius certus sit, commissum esse à pœnitente peccatum, vt quia suis oculis vidit: si potest probabiliter existimare, quòd ille sit iam de eo confessus, potest dissimulare, credendo, propterea tacere, quòd iam conscientiæ suæ satisfecerit.

Quòd si Confessarius euidenter cognoscat, pœnitentem mentiri, ipsum non absoluat, sed dimittat, tanquàm nolentem integrè confiteri de omnibus

bus mortalibus, & ideò ponentem obicem sacramentali absolutioni: vtpotè ad validitatem requirenti eiusmodi integritatem, quicquid ipse pœnitens dicat: quia committeretur alioqui mortale peccatum sacrilegij contra reuerentiam debitam sacramento à Christo instituto.

QVINTA CONDITIO confessionis est, vt sit frequens.

SVMMARIVM.

1 *Optimum est consilium, vt Confessarius pœnitentem obliget ad pluries confitendum.*
2 *Religiosi laudabiliter frequentant confessionem.*
3 *Consilium laudabile est, pluries confiteri idem peccatũ.*
4 *Dubium, an peccator teneatur confiteri statim post patratum peccatum? & respondetur, quòd in quinque casibus tenetur.*

1 FRequenter peccant homines, & ideò frequenter debent recurrere ad confessionem, sicut qui frequenter ægrotant, frequenter etiam Medicum accersunt: & qui frequenter cadunt, frequenter etiam surgunt. Hinc bene dicit Caietanus, quòd frequens confessio est medicina valde conseruatiua hominis in timore Dei: quare licèt in iure Ecclesiastico non inueniatur præceptum de maiori frequentia, quàm de semel in anno: vt *in cap. omnis vtr. sex. de pœnit. & remiss.* nihilominùs salubre Concilium videtur illud, quod tradit Medina *in sua summa*: & sic videtur esse vsu receptum apud aliquos pios Confessarios; nempe, quòd si Confessarius viderit expedire pœnitenti, si magnus sit peccator, iungat

Optimum consiliũ, vt Cõfessarius aliquando imponat pœnitenti, vt sæpè cõfiteatur.

iungat ei pœnitentiam, vt confiteatur quatuor festis præcipuis D. Nostrę Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, & Assumptionis.

Quòd si quis obiecerit, quî fieri possit, vt ipsum pœnitentię sacramentum iniungatur in satisfactionem? Respondendum est illi, inquit Medina, quòd hîc non indicitur in pœnitentiam tale sacramentum, eò quòd minus, aut magis principale scit: sed quatenùs medicina potissima est conducens valde ad remedium perditissimarum animarum. *Dubium.* *Respons.*

2 Hinc laudabilis est mos Religiosorum, qui hoc frequentant semel in mense: & à fortiori laudabiliores sunt, qui semel in hebdomada hoc faciunt: quia sic non solùm curant infirmitates, & plagas, verùm & medicinam salutarem habent pro conseruatione in sanitate spirituali animarum suarum. *Religiosi laudabiliter frequẽtant confessionem.*

3 Nauarrus *in cap. fratres, de pœnit. dist. 5. num. 29.* dat alterum modum intelligendi hanc frequentiam confessionis, nempe, vt eadem peccata pluries, quàm semel confiteantur: & secundùm hunc intelligendi modum continet consilium, sicut & prior modus positus, iuxta illud D. Augustin. *(Quantò pluribus confitebitur turpitudinem criminis, tanto facilius inueniet gratiam remissionis:)* nam quamuis per primam confessionem, & contritionem peccatorum, peccata illa, quoad culpam condonata sint: pœna tamen, & satisfactio tẽporalis pro illis subeunda, in quam pœna æterna commutata fuit, minuitur, tum propter verecundiã, quam confitens patitur: tum propter absolutionem sacramentalem, per quam non solùm augetur gratia, sed etiam minuitur pœna in purgatorio sustinenda. Nauarr. *Consilium laudabile est pluries cõfiteri idẽ peccatum. Peccatum semel confessum potest iterum confiteri. Hinc Dauid Psalm. 50. Amplius lauame, &c.*

Confirmat prædicta Suarez *in 4. tom. disput. 18. sect.* Suarez.

*sect.4.num.9.*vbi sic loquitur;Hîc verò occurrit morale dubium,an quis possit sæpiùs,ac passim de eisdem peccatis confiteri absque vlla necessitate, solùm propter maius gratiæ augmentum:quod videtur inconueniens. Propter quod vitandum, Soto *dist.18.q 4.art.3.* dicit, iteratam confessionem non debere fieri de eisdem peccatis sine graui causa: quia esset abusus sacramenti: & tantus, inquit,esse potest, vt nullum fieret sacramentum, nec daretur gratia, sed esset Religionis ludibrium. Sed in hoc vitanda sunt extrema. Et imprimis cauendus est error,ne quis putet,per se loquendo,necessarium esse peccata,semel ritè confessa, iterum confiteri: nam licèt hoc liceat,non est necessarium,quando de valore prioris confessionis rationabiliter non dubitatur:deinde cauendus est contemptus, quia ex hac parte, quælibet actio de se bona, potest fieri mala. Vnde oportet,vt talis confessio fiat cum debita dispositione, & reuerentia,& aliis circunstantiis, & conditionibus necessariis.

In iterãda eorundem peccatorũ confessione quæ vitanda.

Si autem hæc seruentur, nunquam sacramentum erit nullũ, nec frustrabitur suo effectu,etiamsi sæpiùs,circa idem peccatum,iteretur:quia vbi concurrunt omnia necessaria, non est vnde sacramentum fiat nullum: & cùm aliàs in hac iteratione nullum committatur peccatum mortale, seruatis iis, quæ diximus: quia contra nullum præceptum fit,neque aliqua grauis iniuria irrogatur sacramento, non est cur illud possit priuari suo effectu: nihilominùs tamen in hac repetitione seruanda est decentia, vt non passim, & sine aliqua occasione rationabili fiat, quod non solùm in iterata confessione eiusdem peccati seruandum est, sed etiam in confessione iterata distinctorum peccatorum venialium,

nialium, quæ frequenter committuntur, hæc autem causa, vel occasio iuxta vniuscuiusque deuotionem prudenter iudicanda est: Vnde Riccard. *dist.18.art.2.q.4.ad vlt.*dicit hanc repetitionem decere posse quotiescumque homo mouetur nouo motu deuotionis erubescentiæ, & doloris. Denique in hoc seruanda est moderatio,prudenter pensatis omnibus circumstantiis.

4 Dubitatur hîc, an quis, postquàm mortiferè peccauit, teneatur statim confiteri: an verò sufficiat, quòd solùm tempore suo semel in anno confiteatur? Dubium.

Respond. quòd in quinque casibus tantum tenetur peccator confiteri statim post patratum peccatum mortale, vt dicunt D. Thom. communiter receptus *in 4.distinct.17.quæst.3.art.1.*Medina *de confess.quæst.13. & 14.* & annotauit Nauar.*in Man.cap. 2.num.9.* Resp. *Confiteri tenetur homo statim post patratum peccatũ in quinque casibus.*

Primus casus est, quando peccator est in periculo mortis probabili, siue rationabili, siue ratione tempestatis, partus periculosissimi, saltem quoad mulierem, quæ nunquàm peperit, vel difficiles partus experta est, vt videri potest per Panormit.*in cap.Pastor.* §.1.*de offic.ordin.* Et ratio est, quia cùm iure diuino, teneantur peccatores confiteri, si veniam peccatorum à Deo consequi volunt, & finaliter saluari; qui igitur,in articulo mortis constitutus, habens Sacerdotis copiam, confiteri non vult, dignus est, quòd in peccatis sine remissione decedat. D Thom. Medin. Nauar. *Quando est in probabili periculo mortis.*

Inde est, quòd in cap. *cùm infirmitas. de pœnit.& remiss.*iubetur Medicis, vt in primis faciant ægrotantem confiteri, & huius gratia conceditur, vt quilibet Sacerdos, etiam simplex, possit absolucre *Medicus cõsulat infirmo vt statim confiteatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

uere eos, qui in huiusmodi periculis sunt constituti.

Cui primo casui addi potest alius, si quis scilicet cibum aliquem, aut medicinam sumere compellitur, vndè verisimiliter, & probabiliter timetur, quòd in perpetuam, seu diuturnam incidat dementiam, vel si quis exponi debet, vt si lapillus de parte anteriori eruendus sit cum incisione, ac probabiliter timet se mori, tunc iurè diuino tenetur se confiteri.

Praxis. Quod consilium dedi cuidam Patri nostræ Religionis, qui in ciuitate Neapoli ex tali lapillo mortis doloribus torquebatur, & ad incisionem subeundam se præparabat, consului, inquam, vt confiteretur priùs, & sacram Synaxim sumeret, ac faceret omnia, quæ ad præparationem mortis erant, acquieuit ille, & omnia perfecit, nec in cassum; nam statim, ac facta fuit incisio, & extractus lapillus mortuus est. Qui ergo in tali, vel in simili periculo reperitur, debet priùs confiteri: alioquin exponit se periculo decedendi sine confessione, cui periculo secundùm Medinam obuiare tenetur.

Quando non potest haberi sic faciliter copia cõfessarij in tempore statuto.

Secundus casus est, quando peccator, ad præsens copiam habet Sacerdotis, & verisimiliter timet, quòd postea, tempore debito, hanc non habebit opportunitatem confitendi, tunc si peccatis mortalibus adstringitur, tenetur ea confiteri, non expectato tempore à iure determinato. Ratio huius est etiam clara: quia qui habita huiusmodi opportunitate, negligit confiteri, exponit se periculo omittendi, quod suo tempore debet facere. Quare qui verisimiliter timet se non habiturum, tempore debito, opportunitatem, quam ad præsens habet, præuenire teneatur, *argum. cap. licet. de feriis.*

Ioannes

Ioannes autem Maior *in 4. distinct. 17. q. 2.* quem sequitur Medina, *vbi suprà*, huic secundo casui alium addit, scilicet, si peccator verisimiliter timeat, quod confessionem vsque ad Quadragesimã differens, alicuius, seu aliquorum mortalium peccatorum non recordabitur. Nam cùm peccator teneatur sollicitè curare, vt integrè confiteatur, si velit integram suorum peccatorum absolutionem à Sacerdote recipere, qui in huiusmodi casu, quando potest, negligit confiteri, exponit se periculo cõfessionem dimidiandi. Quòd quidem dictum licèt sit vtile, non tamen necessarium putamus. Maior.

Tùm quia, nulla lege ad id obligamur, & sine lege non est statuenda obligatio, *capit. consuluisti. 2. quæst. 5.* Tùm quia, ferè omnes in anni decursu toties peccant, vt verisimiliter credere debeant in Quadragesima non posse omnium recordari, & sic esset omnes damnare. Tùm etiam, quia per Concilium Trident. *sess. 14. cap. 5.* obligamur ad confitendum peccata, quorum mediocri adhibita diligentia meminerimus, vt benè annotauit Nauar. *in suo Manuali, cap. 31. nu. 35.* Concil. Trid. Nauarrus.

Quando cõscientia dictat vt statim confiteatur.

Tertius casus est, quando conscientia dictat, peccatorem ad confessionem teneri; *arg. cap. fin. de præscript.* Qui enim habet conscientiam, qua putat, vel dubitat, quòd teneatur hodie confiteri, alioquin ageret contra conscientiam, & ad gehennam ædificaret, quia vt D. Thom. docet, conscientia obligat ad mortale per accidens. Vide Gloss. super illud D. Pauli ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Vel si conscientia erronea est, tenetur eam deponere, *arg. cap. inquisitione de sent. excom.* Rom. 14.

Quãdo suscipiendae est Eucharistia.

Quartus casus est, vbi facta suscipienda est Eucharistia. Communis enim tenet opinio, quicquid aliqui

aliqui alij dicant, quòd semper, qui Eucharistiam sumpturus est, conetur priùs confiteri vbi copiam habet Confessarij, & est conscius mortalis peccati: iuxta glos. *singul. de celebrat. Miss. cap. de homine*: & hodie extat determinatum per sacrum Concilium Tridentinum, *sess. 13. cap. 7.*

Concil. Trident.

Quãdo venit tempus ab Ecclesia statutũ.

Quintus casus est, vbi aduenerit tempus ab Ecclesia statutum, *vt habetur in cap. Omnis vtr. sexus de pœnit. & remiss.* & licèt illi iuri stando solummodò appareat determinatum semel in anno debere confiteri, & nulla pars anni ad confitendum designetur, stando tamen consuetudini, & communi hominum intelligentiæ, & statutis prouincialibus, idem videtur tempus esse institutum ab Ecclesia pro Confessione, & pro Eucharistia: nempè quod in tempore quadragesimali, vbi Eucharistia est sumenda, confessio debeat præcedere; vt dicit Ioan. Medin. *de confess. q. 14. circa finem.* sequutus D. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ad primum.*

Medina. D. Thom.

Vnde vsus habet, vt Curati Prælatos certiores reddant, qui in Quadragesima vniuscuiusque anni fuerint confessi, & qui non. Itaque consuetudo interpretatur statutum, quantum ad tempus. Præter casus prædictos nullo iure adstringuuntur fratres sub culpa lethali ad statim confitendum pro culpis quibuscunque commissis: cùm neque eis ex Regula, neque ex cõstitutionibus obligatoriè ad culpam eis id imponatur: sed de hoc vide infrà *in art. 2. huius tertiæ sectionis*: vbi fusè de hoc agimus.

Nota.

De prædicta materia vide, quæ habet Sylvest. verb. *Confessio*, §. 3. Nauarr. *in Man. cap. 2. num. 9.* Tolet. *in sua summa lib. 6. c. 11.* Sot. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Valent. *tom. 4. disput. 7. q. 9.* D. Thom. *quæst. 6. in addit. ad 3. p.*

SEXTA

SEXTA CONDITIO confessionis est, vt sit nuda.

SVMMARIVM.

1 *Confessio non sit vestita coloribus, & inuolucris verborum, sed nuda.*
2 *Circunstantiæ peccatorum, quæ necessariò sunt confitendæ.*
3 *In actibus interioribus etiam circunstantiæ sunt confitendæ.*
4 *Iuxta Scotum, illæ circunstantiæ in confessione sunt dicendæ, quæ diuersis, specialibúsque præceptis prohibentur.*
5 *Laudabile est confiteri circunstantias quæ peccatum adaugent.*
6 *Circunstantia diei festi an sit necessariò confitenda.*
7 *Circunstantia propriæ personæ an sit necessariò confitenda.*

1 CAietanus declarat hanc conditionem sic, vt scilicet confessio non sit vestita coloribus, aut locis cooperientibus grauitatem peccati; & multò minùs obscurantibus peccatum. ita etiam Nauarr. Itaque fiat sine inuolucris verborum, & explicentur circunstantiæ necessariæ, secundùm omnes.

2 Vt autem sciantur circunstantiæ illæ peccatorum quę necessariò sunt confitendæ, & quæ non, animaduertendum quod,

Circunstãtiæ peccatorũ quæ necessariò sũt confitendæ.

Prima est, quando circunstantia fecit peccatum mortale, actu quod aliàs erat veniale, v.g. Qui dicit mendacium iocosum, vt alter occidatur, vel ob fornica

fornicationem, tenetur confiteri hunc finem: nam propter eum fit peccatum mortale, quod sine illo veniale tantum erat.

Rursus, qui furatur aliquid paruæ quantitatis, vt socium faciat blasphemare, est etiam obligatus eadem ratione confiteri circunstantiam: similiter, qui fecit aliquid, quod ex se non est mortale, putabat tamen cùm fecit, esse peccatum mortale, tenetur illam circunstantiam confiteri, quia vt suprà dictum est ex D.Thom. conscientia obligat ad mortale per accidens. Vide D.Bonau. *in* 4. *dist.* 17. Ioan. Med. *quæst* 8. Sot. *art.* 4. Petr. à Soto *Lectio.* 9. Valent. *disputat.* 7. *quæst.* 11. *puncto* 1. Nauarrum *cap.* 6. Rodriquez 1. *parte summæ cap.* 53.

D. Thom. D.Bonau. Medina. Petrus à Soto. Valentia. Nauarrus. Rodriqu.

Secunda est, cùm circunstantia mutat speciem peccati, ita vt ex vnius speciei mortali, faciat alterius speciei: tunc tenetur confiteri, verbi gratia, qui furatur in Ecclesia, tenetur dicere locum, nam extra Ecclesiam est simplex furtum: in Ecclesia verò est sacrilegium. Similiter qui fornicatur in Ecclesia, vel sanguinem fundit: in his tribus casibus locus est manifestandus.

Similiter, qui fornicatur cum coniugata, tenetur dicere circunstantiam personæ, quia est adulterium: & si cum Religiosa, quia est sacrilegium, & si cum matre, vel sorore, vel propinqua, quia est incestus. Vide Nauarr. *cap.* 6. *n.* 10. Sot. *art.* 4. Valent. *loco citato.* Petr. à Soto, & alios.

Nauarr. Sotus. Valentia.

Tertia est, quando ex circunstantia multiplicatur peccatum, nimirum quando etiam circunstantia est contra præceptum aliquod, vt qui furatur, vt adulteretur, tenetur finem exprimere, quia duo sunt peccata: furtum scilicet, & adulterium. Similiter, qui fornicatur, si Religiosus est, ex voto tenetur

netur manifestare: quia vltra fornicationem agit contra votum.

3 Idem etiam seruandum est in actis interioribus, vnde qui consentit interiùs fornicationi, tenetur dicere, licèt actus non sequatur circunstantias an fuerit cum coniugata an cum virgine, inde qui peccatum mollitiei patiuntur, propriis se polluentes manibus, tenentur exprimere personam quam mente concipiebant, si aliquam tenebant mente mutantem speciem, & tenentur etiam exprimere in vno actu successiuè, si plures intendebant, & Confessarius debet ista exigere.

Quarta, illa circunstantia etiam, quæ secum fert excommunicationem est exprimenda, vt qui percussit Clericum, debet personam manifestare, dicendo se percussisse clericum; vel si in tempore inhibito sub excommunicatione aliquid fecit.

4 Denique secundùm Scotum *in* 4. *q.* 17. illæ circunstantiæ in confessione sunt dicendæ, quæ diuersis specialibúsque præceptis prohibentur. Et adeò vera est prædicta doctrina de circunstantiis, necessariò confitendis, quòd Concilium Trident. *sess.* 4. *cap.* 5. & 7. definierit hæreticum illum, qui dixerit, nos non teneri ad confitendam circunstantiam, quæ mutat speciem peccati.

Concil. Trident.

Quòd intelligendum est, vt rectè declarat Nauarrus *in Manual. cap.* 6. de circunstantia, quæ speciem peccati venialis mutat in mortale, vel speciem vnius mortalis in aliud mortale, vt dictum est suprà, non autem de illa, quæ mutat speciem vnius venialis in aliud veniale, quod non est necessariò confitendum.

Nauar.

Et quamuis Concilium non loquatur expressè, nisi de illa circunstantia, quæ mutat speciem peccati;

Universidad de Deusto
Biblioteca

cati : intelligendum est tamen de illa etiam, quæ opus, alioqui bonum ex se, vel saltem non malum, facit mortiferum : imò etiam de illa, quæ facit, vt opus, quod ob vnum respectum est mortiferum, sit tale ob alterum, quamuis species operis, quantum ad suam essentiam, minimè mutetur, quoniam circunstantia, quæ facit de bono malum, vel de veniali mortale, vel de mortali vno respectu, vt sit tale altero, dici potest mutare speciem. Vide Nauarr. *vbi suprà* & Tolet. *in sua summa lib. 3. cap. 7.*

5 Et quamuis sit laudabile confiteri circunstantias, quæ peccatum ita adaugent, vt ex paruo magnum, vel ex magno maius efficiant, opinio tamen communior, & probabilior habet, hoc non esse necessarium, quando augmentum illud non est in causa, vt veniale mortale fiat, vel alterius peccati mortalis, vel alio respectu. Vide Nauar. *vbi suprà num. 7. contra Marsilium lib. 4. q. 12. art. 1. Corol. 4.* & Sotum *vbi suprà.*

Circunstãtia diei festi non necessariò cõfitenda.
Scor. Nauarr. S. Thom. Caietan. Syluest. Almain.

6 An verò circunstantia diei festi sit necessariò confitenda, nécne; Scotus *vbi suprà*, docet partem affirmatiuam, moderniores verò partem negatiuam, sic præcipuè Nauarrus *vbi suprà num. 9.* vbi dat rationem de hoc, nempè quia non facit esse lethale, quod sine illa non esset tale, neque alterius speciei talis, neque alio respectu, nisi esset opus seruile in festis prohibitum quale non est peccatum, iuxta S. Thom. *2. sent. distinct. 34. art. 1. quæst. 1.* Vide de hoc Caiet. *1. 2. quæst. 7. & 2. 2. quæst. 122. art. 4.* Syluest. verbo, *circunstantia quæst. 3.* & verbo, *Dies Dominica. §. finali.* Almaynum *in 4. dist. 17.*

7 Sed quid dicendum de circunstantia propriæ personæ, quæ peccatum aliquando auget, num est confitenda.

Respond.

Circũstantia personæ quando necessariò cõfitenda, & quando nõ.

Respond. quòd quamuis cæteris paribus plus peccet dignitate aliqua præditus, quàm priuatus, *cap. homo, dist. 40.* & Prælatus plus, quàm subditus, *cap. præcipuè. 11. q. 3.* & sapiens plus, quàm ignorans, *cap. sicut dignum, de homicid.* Religiosus plus, quàm sæcularis : nihilominus talis circunstantia non est necessariò confitenda, licèt quamplurimam afferat vtilitatem : quoniam illa, vt plurimùm, neque ex veniali facit mortale, neque ex mortali vnius speciei, mortale alterius speciei : neque ex mortali, vno respectu, mortale aliud propter alium finem. At verò quando hoc fieret, putà cùm agitur contra votum, vel contra statum voti firmatum ; vt cùm Religiosus fornicatur, circunstantia personæ confitenda est : quoniam tunc, aliquod ex illis tribus fit, quod quidem nõ ita euenit, quando Religiosus blasphemat, vel quoduis aliud crimen committit, quod non est contra sua vota, vel Regulam, quam est professus. Caietan. *1. 2. q. 17. artic. 1.* Nauarr. *cap. consideret, nxm. 50.* Ex dictis bene perpensis poterit pœnitens scire, quomodo se gerere debeat in confessione.

Caietan. Nauarr.

SEPTIMA CONDITIO confessionis, vt sit discreta.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sit discreta ex Soto, vt Confessarius sciat discernere inter peccata.*
2 *Ex Nauarr. vt honestis vocibus peccata explicentur: vel quoad circũstantias, vel quoad modũ narrandi.*
3 *Ex Caiet. sit discreta quantum ad honestatẽ verborũ.*

Discreta. Sotus, vt sciat dis-

1 DOminicus Sotus edisserens de hac conditione ait; si intelligatur, quòd talis confessio sit actus

cernere inter peccata.

actus humanus discernentis: sic talis conditio est de essentia confessionis: etsi intelligatur, quòd sit sciés discernere inter peccata, non est de essentia ex parte pœnitentis, sed bene est de essentia ex parte Confessarij, *vt vidimus in 2. sect. in 1. art.*

Nauarrus. *Discreta, vt honestis vocibus peccata explicentur.* Caietan. D.Thom.

2 Sed audiamus Nauarr. *in cap. fratres, de pœnit. dist. 5. num. 51.* vbi dicit sic; Discreta debet fieri confessio, & prudenter. Primò in verbis, vt scilicet honestis vocibus explicentur peccata, præsertim carnis. Facit, quòd etiam ioca redduntur illicita ex verborum, quibus luditur, turpitudine, *secundùm Ciceronem officiorum primo:* & tradit D.Thom. *2.2.q.168. art.3.* Deinde oportet eam esse discretam quoad circunstantias, vt in peccatis venereis solæ necessariæ explicentur, si pœnitens sciat necessarias ab his, quę non sunt necessariæ, distinguere.

Discreta, quoad circunstãtias.

Tertiò, quoad modum narrandi, ne, quæ peccata simul exprimi possunt, diuisim dicantur: verbi gratia, potuit quis centum periuria vno verbo fateri, dicens; centies peieraui is, si dixerit, semel peieraui sic, & sic: & iterùm, peieraui taliter, & taliter, imprudenter fecerit: frustrà enim fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora secundùm Philosophum.

Caietan. *Discreta, quãtum ad honestatem verborum.*

3 Caietanus etiam dicit similia; nempe, quòd confessio sit discreta, vt quantum ad honestatem verborum, quibus sunt explicanda peccata, sit prudens: & quantum ad solas necessarias circunstantias in peccatis carnis explicandas, & quantum ad modum narrandi. Nam, qui rem habuit cum aliqua, non tenetur confiteri colloquia, oscula, & alios huiusmodi actus antecedentes, & immediatos ad coitum. At verò qui bis coit, etiamsi vnus actus sit immediatus post alterum, tenetur dicere se bis coiuisse. Ratio diuersitatis est, quia vnus coitus istorum non

non est via, neque præambulum ordinatum ad alterum: oscula verò, & amplexus sunt via ad copulam, quam præcedunt, quæ omnia sunt quotidiana.

Interruptio vnius peccati cũ firmo proposito distinguit vnum peccatũ ab alio.

Nec otiosè diximus *(quia sunt via)* quoniam si accederit interruptio; eò quòd proposuerit non consummare peccatum, vel quia mutauerit sententiam pœnitendo, vel propter alium finem; & posteà velit illud consummare, tunc duo erũt peccata distincta.

Diximus etiam *(qui tantummodò sunt via ad vnicum peccatum perpetrandum:)* quoniam si actus illi sunt peccata secundùm se, vel ordinantur ad alia peccata, tot peccata committuntur, quot sunt illi ex natura sua, vel quot sunt fines deprauati, ad quos diriguntur: verbi gratia, si quis pergit ad homicidium perpetrandum, & in via furatur, blasphemat: suum iter, & colloquia non solùm dirigit in homicidium conceptum: verum etiam in adulterium, infamiam, & sacrilegia perpetranda, tot peccata committit, quot sunt actus ibi in se mali, & quot fines mali, ad quos diriguntur. Vide Caietan. *in libello 17. respons. 15.* Caietan.

OCTAVA CONDITIO confessionis est, vt sit libens.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sit libens, ideſt eligens, & prompta ad confitendum: ex Soto.*

2 *Ex Caiet & Nauarr. vt non sit facta metu.*

3 *Confessio inualida iteranda est pluribus ex causis. Ex parte pœnitentis, quando fit sine contritione: & quando cùm sit excommunicatus, non aufert excommunicationem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 *Ignorans, ignorantia inuincibili, excusatur.*
5 *Ex parte Confessarij quando non habet iurisdictionẽ.*
6 *Non sufficit ratihabitio de futuro.*
7 *Limitatur hoc tripliciter.*
8 *Quando Confessarius est excommunicatus, inualidè audit confessionem.*
9 *Quando Confessarius nescit discernere inter lepram, & lepram.*
10 *Ex parte confessionis, quando confessio non fit integrè de per se ex defectu diligentiæ, & examinis.*
11 *Prudentia Confessarij requiritur.*
12 *Ex parte satisfactionis etiam redditur inualida confessio.*
13 *Dubium de eo, qui dum Superiori se præsentat pro reseruato, & non habet contritionem, neque attritionem.*
14 *Confessio sit libens, ideſt, eligens Confessarium idoneum sibi.*

Libens. Sot. eligens, & prompta ad confitendum.

1 HÆc conditio explicatur à Soto dupliciter: & quòd confessio debet esse libens, ideſt, eligens: & sic est de necessitate confessionis, & quòd sit in ea promptitudo ad confitendum, & sic solùm ad ornatum confessionis pertinet.

Caietan. & Nauarr. *Libens, non facta ex metu.*

2 Caietanus verò, & Nauarrus explicant, vt sit libens, ideſt voluntaria, non facta ex metu principali pœnæ, sed ex amore sanitatis animæ: nam qui principaliter metu pœnæ ad confessionem accedit, non videtur habere illam contritionem, & pœnitudinem peccatorum, quæ pro tanto sacramento requiritur: & propterea facit confessionem inualidam, quam reiterare debet.

Confessio quando inualida, & iteranda.

3 Sed vt de hoc plenior cognitio habeatur, subiungam casus illos, in quibus confessio debet reiterari:

rari: & sunt vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confessarij, vel ex parte confessionis.

Quando fit sine contritione.

Ex parte pœnitẽtis sunt duo. Vnus ex parte contritionis, quia scilicet quis accedit sine vllo dolore, & peccati detestatione: & tunc confessio sic facta iteranda est. Vide Victor. *q.* 168. Nauarr. *in cap. fratres, de pœnit. dist. 5. num.* 31. 32. & 33.

Quod intelligitur etiam, quando quis accedit cum dolore præteritorum, sine tamen proposito vitandi futura: quamuis habeat qualequale abstinendi desiderium. Qualis est, qui dolet se furatum, non tamen habet animum restituendi: qualis item, qui dolet se fornicatum, non tamen habet animum deliberatum relinquendi cócubinam. Per talem enim contritionis defectum pœnitentia redditur non vera, *cap. quod quidam, de pœnit. & remiss.* quo casu absolutio negãda est, ibi habetur. Huiusmodi enim pœnitens, si tacet propositum eiusmodi, non confitetur integrè: si autem cum aliis peccatis illud quoque propositum confiteatur, inhabilem se proponit absolutioni: quia peccati venia non datur, nisi correcto, *reg. peccati, de reg. iur. in 6. cap. legatur,* 24. *q.* 2. & ideò si absoluatur, sacrilegium committit confitens suscipiendo, & Confessarius dando absolutionem propter irreuerentiam, quam sacramento faciunt, *argum. cap. illud, distinct.* 100. *cap. per Esaiam,* 1. *quæst.* 1.

Si tamen displicent præterita, & futura proponuntur vitanda: licèt non tam displiceant, nec tam vitanda proponantur, vt ex his confletur contritio, delendis peccatis sufficiens, neque attritio talis, quę per sacramenti adiunctionem fiat contritio, non oportet confessionem iterare: nam alioquin nemo sciret se verè confessum: & præterea ex doctrina

Scoti *in* 4. *dist.*17. Quilibet dolor, licèt imperfectus, coniunctus tamen cum confessione, sufficit: quod intellige, dummodò talis dolor concipiatur ex turpitudine peccati, vel pœnæ temporalis, vel æternæ: ita tamen, vt voluntatem pecati excludat: talis enim ex attrito fit contritus adhibita sacramentali confessione. Vide Concil.Trid.*sess.*14.*c.*4.

Quãdo pœnitens excõmunicatus est, & non aufert priùs excõmunicationem.
S.Thom.
Palud.
Syluester.
Sotus.
Armilla.
Nauarr.
Valentia.
Petr.à Sot.
Caietan.
Medin.
Viuald.
Lopez.
Rodriq.

Alter casus ex parte pœnitentis est, quando licet est excommunicatus, siue maiori, siue minori: tunc enim si ad confessionem accedat, & absolutionem recipiat, non ablata priùs excommunicatione, confessio nulla est: non enim subiectum tale, est capax huius sacramenti, vt tenet S.Thom. *in* 4. *distinct.*8.*q.*2.*art.*5.*q.*1.*ad* 2. Tabiena, verbo, *absolutio*, 5 1.§.10. Paludan. *in* 4.*distinct.*14 *q.*5.*art.*3. Syluest.verbo, *confessio*, 1.§.6. Sotus *dist.*18.*q.*3.*artic.*3. Armilla, verbo, *absolutio*, §.5. Nauarr. *in Man.cap.*9. Valentia, *disput.*7.*part.*3.*q.*11. Petr.à Soto, *lect.*7.& 8.*de confessione.* Caietan.verbo, *confessio iteranda.* Medina, *lib.*1.*instruct.confess.cap.*12.§.1.2.&3. Viuald. *de confessione, num.*66. Lopez, *part.*2.*cap.*30. Rodriquez, *part.*1.*summæ, cap.*58.

Ignorans ignorantia inuincibili excusatur.
Adrian.
Paludan.
Ledesma.

4 Hìc verò notandum, quòd quando quis habet ignorantiam inuincibilem iuris, & facti: quia nescit se excommunicatum, tunc valida est confessio, & verum sacramentum. Ita habet Adrian. *q.*2. *de confess.* Paludan.*dist.*18.*q.*4. Ledesma 2.*p.q.*13.*art.*1. Et ratio est, quia Ecclesia non intendit priuare sacramento excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum: quod patet ex cap. *Apostolicæ, de cler. excomm.* vbi Papa ait, excommunicatum celebrantem cum huiusmodi ignorantia, non incurrere pœnas iuris. Quando verò non est ignorantia, aut est crassa: tunc non valet confessio, sed est iteranda.

Ita

Ita Doctores citati dicunt contra Caietan.

5 Ex parte verò Confessoris inualiditas confessionis multipliciter potest euenire.

Non habẽs iurisdictionem neque ordinariã, neque delegatam, nullam facit confessionẽ.

Primò, quando Confessarius non habet vllam iurisdictionem, neque ordinariam, neque delegatam: nam tunc confessio nulla est, cùm de necessitate huius sacramenti sit, non solùm, vt minister habeat ordinem Sacerdotalem, sicut in cæteris sacramentis, verùm & iurisdictionem, qua possit absoluere, & ligare. Sic Concil. Trident.*sess.*14.*cap.*7. *Persuasum semper*, inquit, *in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in vnum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet iurisdictionem.* Vnde diuersa ratio est in hoc sacramento, quàm in aliis, in quibus administrandis non est necessaria iurisdictio: cùm quilibet Sacerdos possit conficere sacramentum, quamuis sit excommunicatus, & degradatus: peccauit quidem, tamen sacramentum erit verum: & quamuis solenniter administrans Baptismum, aut extremam vnctionem contra iustitiam in aliena parochia, iurisdictionem alienam vsurpet: sacramenta tamen erunt valida. At si quempiam sine iurisdictione absoluat, non solùm peccabit mortaliter, verùm & sacramentum erit nullum. Hinc in Concil.Florent. Minister huius sacramenti declaratur esse Sacerdos, habens vel. ordinariam, vel delegatam potestatem. Sotus *in* 4. *distinct.*18.*quæst.*4.*art.*2.*concluf.*3. & 4. & facit text. *in cap.*2.*de constitut.lib.*6. & *l.fin.ff.de iur.omn.iud.*

6 Nec sufficit ratihabitio de futuro, ideſt, ante iurisdictionem confiteri, cum proposito impetrandi post confessionem facultatem: quia talis ratihabitio de futuro, non habet vim faciendi sacramen-

tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum id,quod nunquàm fuit sacramentum, vt diximus *in art.* 10.*sect.* 2.*huius tractatus.*

Illud autem, quod dicimus de defectu iurisdictionis iterum confiteri debere,limitatur primò in mortis articulo:nam tunc quilibet Sacerdos, etiam Religiosus absque alia licentia sui Superioris potest licitè, & validè absoluere à quibusuis casibus, & censuris,etiam Sedi Apostolicæ reseruatis: quoniam in tali casu ab ipso Papa potestatem, saltem tacitam,habet: cum admonitione tamen, vel cautione,& modo,scilicet,vt si sit excommunicatione innodatus, cùm conualuerit ad suum Ordinarium se præsentet.

Secundò limitatur in pœnitente non habente, nisi venialia peccata: quia ad id Sacerdotes nulla opus habent iurisdictione. Iurisdictio enim nulla est,vbi nulla inuenitur cogendi vis,& ad confessionem venialium nullus cogi potest: neque dum illa tantùm confitetur,cogitur omnia dicere:quare absolutio illa,licèt sacramentalis sit,non tamen iurisdictione indiget, vel si indiget, iam habet, vel ab ipso pœnitente,vel à Papa.

Tertiò,limitatur in mortalibus ritè confessis,& quamuis Sotus *in* 4.*dist.* 18.*q.*4.*art.*2. *concl.* 11. asserat,iurisdictionem requiri:quare absolutionem non censet posse à simplici Sacerdote fieri, tamen Nauarr. *in Man.cap.*4.*num.*1. arbitratur posse fieri absolutionem de mortalibus ritè confessis à quocunque Sacerdote, nisi sit Religiosus,qui absoluit quidem validè,sed non licitè.

Quando Cõfessarius est excommunicatus.

8 Secundò, quando Confessarius est excommunicatus, vel nominatus publicus percussor clerici:& tunc inualida est confessio, quæ tali Confessario fit extra casum necessitatis extremæ, vt dictum

dictum est *suprà.* Vide Io. Medinam *q.* 22. Valent. *vbi supr.* Nau.*in Man.c.*7.Lopez *vbi suprà.* Medina. Valent. Nauarr. Lopez.

9 Tertiò, quando Confessarius ita est ignarus, vt nesciat discernere inter lepram, & lepram: & tunc si quis tali Confessario confessus sit peccata sua, & posteà per colloquia, vel per confessionem animaduertat ignorantiam illius Confessarij, confessio est iteranda,vide Victor. *in summa* 168. 169. Nauar.*c.*7.*n.*12.Caiet.*loco citato.*Et aduerte quòd talis ignorantia considerari debet respectu pœnitentis in particulari: nam potest esse Confessarius aptus, & doctus respectu vnius, qui tamen non erit talis respectu alterius,quia v.g.hic habet casus multùm difficiles, & inextricabiles,qui talis Confessarij capacitatem multum excedunt. Vnde mercatores quærentes Confessarios, qui suas negotiationes non intelligant, ne restitutioni obligentur, tenentur iterùm confiteri, nam quærere debent Confessarios doctos.

Quando Cõfessarius nescit discernere inter lepram, & lepram. Victoria. Nauarr. Caietan.

10 Ex parte verò confessionis sunt duo.

Quãdo cõfessio nõ fit integra de per se. Caietan. Medin. Nauarr. Viuald. Sotus. Sylueſt.

Vnus est, cùm confessio non fit integra extra illos casus, qui ponuntur infra in conditione decima. Nam tunc iteranda est confessio. Caiet. Med. Nauarr. Viuald.Sot.Sylueſt.*loco citato.* Nempè quia confitens scienter occultauit aliquod peccatum mortale,vel quia oblitus fuit confiteri:tamen obliuio processit ex eo quòd non præmisit vllam diligentiam:tũc enim tota iteranda est confessio.Sylu. Viuald.*loc.citato.* Diligentia enim ad recolenda peccata tanta debet esse, quantam prudens, & pius vir adhibendam putat. Nauar. *loco citato numero sexto decimo.*

11 In hoc tamen prudentia Confessarij requiritur, nam non eadem diligentia ab omnibus exigenda

Universidad de Deusto
Biblioteca

genda est in discussione facienda. Differt enim quis crebrò, aut rarò confiteatur, paruis ne, an magnis, paucis, an multis negotiis sit implicatus, literatus sit, an idiota. Vnde si verè coniectat, illum non adhibuisse, quam necessariò tenebatur adhibere, diligentiam in peccatis rememorandis, in hoc casu habenda est ratio temporis: nam si necessitas vrget, nempe morbus, aut naufragium, vel si instet communio, quæ sine scandalo differri nequeat, audiendus est, & absoluendus, & tunc Sacerdos variis interrogationibus eum adiuuare satagat, maximè si ignarus, & idiota sit ille pœnitens.

Quando quis confitetur absq; animo satisfaciẽdi. Nauarr. Valent. Lopez.

12 Alter casus est, ex parte satisfactionis scilicet cùm quis accedit cum animo non faciendi id, quod Confessarius expedire iudicauerit, quantum ad illa, in quibus pœnitens obedire tenetur: tunc enim confessio facta nulla est, licèt Confessarius nihil præcipiat faciendum, Nauarr. *num.* 17. Valent. Lopez. *vbi suprà* Candel. aur. *de satisfact. num.* 29. Acceptatam autem satisfactionem vel adimplere in peccato mortali, vel ex negligentia, aut contemptu omittere, non irritat præteritam confessionem. Caiet. Nauarr. Valent. *loco cit.* Petr. à Soto *lect.* 2. *de satisfact.* Sylvest. *Confessio.* 1. *num.* 1.

Satisfactio facta in peccato mortali non irritat præteritam confessionem. Caiet. Nauar. Valent. Sylvest.

Vnum est tamen hîc animaduertendum, cùm iteranda est confessio, nempè si alteri Confessario fiat, tunc ex integro omnia peccata sunt iterum exprimenda. Si verò eidem fiat, non est opus in particulari repetere, sed in communi tantùm exprimendo aliud, quod supereſt, dummodò Confessarius, aut recordetur peccatorum, aut saltem pœnitentiæ à se impositæ, aut saltem status, & vitæ hominis in communi. Cùm autem nihil horum sciuerit, oportet iterum omnia repetere, ac si de nouo confite

Nota.

confiteretur Confessario. Vide Nauar. *nu.* 19. *loc. cit.* & *consil.* 16. *de pœnit. & remiss. nu.* 4.

13 Dubitatur hîc, an idem dicendum sit de eo, qui pro casu reseruato se præsentauit; & sine vlla contritione, aut saltem attritione illud Prælato manifestauit: an scilicet teneatur reiterare confessionem, seu præsentationem. Respondeo ad hoc, quòd quando pœnitens Religiosus fuit absolutus sacramentaliter à casibus reseruatis per Superiorem, aut per Confessarium deputatum, habentem ad id potestatem, existente nulla absolutione propter defectum contritionis, aut attritionis, non tenetur dictus pœnitens ampliùs eadem priuata reseruata confiteri Prælato, aut habenti eius auctoritatem, sufficit enim, quòd ea confiteatur cuicunque legitimo Confessario, vt docet Caiet. *in summa*, verb. *casus reseruatus*. Et ratio est, quia reseruatio casuum est quid odiosum, & propterea restringi debet. Vnde dicimus sufficere, ipsum peccatum reseruatum esse cognitum, at reuelatum Prælato, aut alij eius potestatem habenti, vt sic cesset ipsa reseruatio. Idem etiam tenet Sylvest. verbo, *Confessio.* 1. *quæst.* 19.

Dubium.

Resp. Confessus de aliquo reseruato cum habẽte auctoritatẽ, nõ tenetur se iterum præsentare, si absque cõtritione cõfessus est. Caietan.

Sylvest.

14 Circa hanc conditionem ponderanda est etiam explicatio Soti, qui vult, vt confessio sit libens, id est eligens, Confessarium scilicet, non debet eligere Confessarium idoneum sibi, non ignarum: sed doctum, pium, vt sit director conscientiæ suæ, ad hoc, vt proficiat in via Domini: etiam quòd pœnitens sit doctus, & spiritualis, exemplo sancti Caroli, qui cùm esset, & doctus, & sanctus nihilominùs directorem voluit semper habere Confessarium conscientiæ suæ; prout in eius vita legitur. Nec facilè debet mutari, quia varietas Medicorum

Sot. libẽs id est, eligens Confessarium idoneum.

dicorum in corporibus, sæpè reducit hominem ad mortem, qui enim de nouo veniunt, vt medeantur nesciunt qualitates complexionis: sic in vita spirituali, varietas Medicorum spiritualium non parùm nocet: & quod peius est, multi in electione Confessarij semper quærunt debiliorem, tàm in moribus, quàm in doctrina, atque vtinam à maioribus, id non discant minores.

Cõfessarius non debet facilè mutari. Nota.

NONA CONDITIO confessionis est, vt sit verecunda.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sit verecunda, id est, non per modum iactantiæ, vel comitata pudore secundùm Sotum.*
2 *Verecunda sit, vt peccator de fœditate peccati erubescat.* Caiet.
3 *Confessarius in aliquibus casibus non debet pœnitentem absoluere.*
4 *Confessarius cum simplicibus non debet multùm discutere, an tales habeant perfectam contritionem.*
5 *Signa veræ contritionis sunt sex.*

Verecunda. Sotus, non per modum iactantiæ. Vel vt sit comitata pudore. Caietan.

1 DVpliciter potest intelligi secundùm Sotum hæc conditio, vno modo, quòd sit verecunda, id est, non per modum iactantiæ, quia sic nulla esset confessio.

Altero modo vt sit verecunda, id est, comitata pudore & tunc ad ornatum pertinet.

Verecunda, vt erubescat de fœditate peccati.

2 Thomas à Vio docet, quòd confessio debet esse verecunda, id est, vt pœnitens erubescat de fœditate peccati, tùm apud se ipsum, tum apud Confessariũ: pudor enim magna pars est pœnitẽtiæ.

3 Quòd

3 Quòd si ex confessione pœnitentis deprehendat Confessarius in eo non esse sufficientem contritionem: vt quia parui facit pœnitentiæ donum, nihil curans illud à Deo petere: vel quia non statuit firmiter peccati statum deserere, aut peccandi occasiones propinquas à se expellere, aut paratus est omnino, mallétque peccare mortaliter, quàm damnum aliquod sustinere. Vel aliud agere, ad quod sub mortali tenetur: non debet ei dare absolutionem.

Cõfessarius in aliquibus casibus non debet pœnitenti dare absolutionem.

4 Notandum verò est hîc cum Soto *in 4. dist. 18. q. 3. art. 3* quòd quando Confessarius audit confessiones simplicium, non debet multùm discutere, an tales pœnitentes perfectam contritionem habeant ex puro Dei amore, an verò imperfectam ex seruili timore: id enim cognitu difficillimum est, nec necessarium ad absolutionem non conferendam temerè, dummodò constiterit eam esse propter Deum quia id sufficit, saltem ad esse imperfectam contritionem, cum qua sacramentaliter absolui possint.

Sotus. Nota.

5 Signa veræ contritionis sunt sequentia:

Signa veræ cõtritionis quæ.

Primum, veram pœnitentiam magnifacere, eam vehementer desiderare, & assiduis precibus à Deo petere, ac dolere si eam non sentias.

Secundum est, summo odio prosequi peccatum, & maiori, quàm vllum aliud malum, atque adeò malle mori, & aliud quoduis malum pati, quàm peccare.

Tertium est effusio lacrymarum, quæ etsi non sit necessaria ad contritionem; quod notat Nauar. *in Man. cap. 1. num. 23.* illam tamen nonnunquam ita sequitur, vt sicut vitis iudicatur viua quando præcisa emittit lachrymas: sic pœnitens iudicatur

vitam ſpiritualem inchoaſſe per contritionem, cùm lacrymas effundit ex dolore de peccatis; pro vt ſunt offenſa Dei, dummodò coniunctum habeat propoſitum non peccandi de cætero.

Quartum eſt amara confeſſio qualem ſignificat verba Iob. *in cap.* 10. *Dimittam aduerſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.* Iob. 10.

Quintum eſt pœnitentiæ impoſitæ alacris ſuſceptio: verus enim interior dolor de peccatis compellit peccatorem omnia libenter ſufferre, *cap. perfecta de pœnit. diſt.* 3. Vbi aduerte, pro non contrito habendum eſſe omninò eum, qui pœnitentiam medicinalem neceſſariam ad ſalutem ei non vult: vt ſi nolit vitare perſonam, quæ illi cauſa eſt ruinæ: aut relinquere beneficium ſimoniacè obtentum, aut reſtituere acceptas vſuras, aut reſarcire iniurias proximis illatas: ſatis enim per talem recuſationem oſtendit ſe non dolere propter Deum non ſuper omnia dilectum: oſtendit etiam ſe firmum emendationis propoſitum non habere.

Sextum, & vltimum ſignum ſunt, quædam opera propria ipſius contritionis, vt quòd pœnitens confiteatur quàm benè poteſt: quòdque ſtudeat vitare peccata, & occaſiones peccatorum, nempe malam ſocietatem, loca ſuſpecta, incautos aſpectus, & ſimilia, quibus ſi poſt factam confeſſionem delectetur, ac ſe implicet: ſicut priùs, non oſtendit ſe ſufficienter contritum: & multò minùs ſi non reſtituit aliena, cùm poteſt, ſi negligit pœnitentias impoſitas implere, ſi concubinam ex toto à ſe non abiicit, & ſimilia.

DECI

DECIMA CONDITIO confeſſionis eſt, vt ſit integra.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio debet eſſe integra quantum ad peccata mortalia.*
2 *Si ex negligentia craſſa veniat mutilatio confeſſionis, inualida eſt.*
3 *Excipiuntur à diligenti examine, qui frequenter confitentur, & qui vt plurimùm non habent niſi venialia.*
4 *Vtens duobus Confeſſariis, an dimidiet confeſſionem.*
5 *Mutatio Confeſſarij, cum vno de leuibus, & cum alio de grauioribus, quando occurrunt, non eſt contra integritatem confeſſionis.*
6 *Confeſſio non integra aliquando valida & numer. 9. 10. & 11.*
7 *In mortis articulo ſufficit ſignum aliquod, quo peccatum manifeſtetur.*
8 *Infirmus, qui cœpit dicere aliqua peccata, & poſtea morbo impeditur, poteſt abſolui.*

Integra, quia dimidiata confeſſio de per ſe, non eſt confeſſio: quãdo autem dimidiatio fit peraccidẽs, tenet. Dimidiatio per ſe. Dimidiatio per accidens.

1 OMnes conueniunt in hoc ſcilicet quòd cõfeſſio facienda ſit integra, & hoc quantum ad peccata mortalia, alioquin dimidiata confeſſio non eſt confeſſio. Hoc autem intelligitur: quando dimidiatio confeſſionis per ſe fit, non autem quãdo fit per accidens *vt dictum eſt in art.* 8. *primæ ſectionis*. Nunc autem breuiter ſic; Dimidiatio confeſſionis per ſe fit, quando pœnitens ſciens, & volens nõ vult confiteri peccatum aliquod mortale: per accidens verò cùm quis habens caſus reſeruatos, ſeu

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum excommunicatione adiunctos, absoluitur à suo Confessario à quibus potest: deinde pro aliis mittitur ad Superiorem. Prima dimidiatio annihilat confessionem: secunda verò minimè.

2 Quòd si mutilatio, vel dimidiatio confessionis eueniat ratione negligentiæ crassæ in examinãdo conscientiam, inualida redditur confessio: vnde bene animaduertit Medina *in sua summa*, quòd si negotiator accedens ad confessionem, ad recordationem peccatorum suorum nihil plus diligentiæ adhibuisset, quàm ex sua domo eundo ad Ecclesiam memorare, & recogitare peccata, non est audiendus à Confessario, sed charitatiuè est admonendus de diligentiori examine conscientiæ faciendo. Et idem dicendum est de quolibet alio, quando diu non est confessus. Cuius rationem assignat, quia aliàs, moraliter loquendo, talis integrè confiteri non potest, quoniam in tam breui morula assumpta ad memoranda peccata, diligentia non sufficiens est, vt omnia ad memoriam reducantur.

Nota ex Medina.

Qui vt plurimùm nõ habent nisi venialia & frequẽtant cõfessionem, non indigent tanto examine.

3 Excipiuntur ab his, qui frequentissimè confitentur, & vt plurimùm non nisi venialia, nam tales non indigent tam diuturno examine, & etiam excipiuntur illi, qui in extremo vitæ periculo sunt: tunc enim adiuuandi sunt eo meliori modo, quo possunt.

Dubium. *Habere duos Confessarios an sit dimidiare cõfessionem.*

4 Dubitatur hîc, an habens vnum ordinarium Confessorem, cui communia leuia peccata confiteatur, quoties verò aliquid graue occurrerit, alteri confitetur; vt ordinario Confessario, id occultet quia pudore corripitur, An hoc sit contra integritatem confessionis?

Respon. Sylvest.

Respond. quòd Sylvest. verbo, *Confessio.* 1. *qu.* 6. dicit,

dicit, quamuis hoc immediatè, & directè non sit contra integritatem: esse tamen peccatum mortale ob hypocrisim, & virtuale mendaciũ: decipit enim ordinarium Confessarium: atque ita fit, vt dum hoc ipsum peccatum tacet, etiam in integritate deficiat: quam opinionem admittit Victoria *in summa, de pœnit. num.* 196. cum hac limitatione; si quis hoc facit animo perseuerandi in tali consuetudine: nam si semel, aut iterum hoc fiat ex quadam imbecillitate humana, credit non esse peccatum.

Victoria.

Mutatiò Cõfessariorũ cũ vno de leuibus, & cũ alio de grauioribus, quãdo occurrũt, non est contra integritatem cõfessionis.

5 Nihilominùs asserendum est cum modernis, quocunque modo fiat, neque esse directè contra integritatem, nec per se loquendo, esse peccatum mortale: quod sentit Nauarr. *in Man. cap.* 21. *nu.* 42. & Suarez *in tom.* 4. *disput.* 23. Et prior pars euidens est, quia huiusmodi pœnitens quando confitetur, semper profert quæ non est confessus: ea verò, quæ semel confessus est, non tenetur iterùm confiteri: neque etiam tenetur huic potiùs, quàm illi confiteri. Supponimus enim omnes esse legitimos Confessarios, & hinc facilè probatur posterior pars: quia in tali actu nulla grauis deformitas inuenitur contra charitatem Dei, aut proximi: neque etiam est aliquod præceptum graue, contra quod fiat: nam quod de mendacio dicebatur, non est ita; ille enim nihil falsum dixit: licèt fortasse permittat alium decipi: præterquàm quòd non omne mendacium in cõfessione est peccatum mortale, vt dictũ est suprà.

Nauarrus. Suarez.

Limitatio.

Dixi autem *(per se loquendo)* nam si ob hanc causam talis persona maneret in aliqua occasione mortali peccandi mortaliter, quam occultaret ordinario Confessario, ex eo capite posset esse mortale, & defectus integritatis, vt per se satis clarum est. *Hoc communiter.*

Confessio nõ integra aliquando valida.

6 Sunt tamen aliqui casus, quibus confessio non integra est valida.

Primus est, cùm quis post sufficientem diligentiam factam non recordatur alicuius, vel aliquorum peccatorum, & ob id non confitetur illa: talis confessio valida est, licèt verè non sit integra. Dico, *(post diligentiam sufficientem:)* quia, qui priùs non conatur peccata in memoriam reuocare, si obliuiscitur aliquorum, non est valida confessio, quoad peccata mortalia: si tamen diligentia est præmissa, valida est confessio, & consequitur remissionem peccatorum, etiam quorum est oblitus. Quòd si memoriæ posteà occurrant, debet ea confiteri vel eidem, vel alteri Sacerdoti, vt libuerit.

Secundus casus est, cùm mors imminet: nam si infirmus non habet tempus confitendi omnia peccata: sed aliqua tantùm, poterit absolui. Idem dicendum est de eo, qui omnia peccata proferre non potest: vt mutus, qui nutu solùm potest aliqua exprimere: non omnia, talis absoluendus est. Ita Victoria *n.*174. Valent. *disp.*7. *q.*1. *punct.*1. Lopez, *par.*1. *c.*18.

Victoria. Valentia. Lopez.

In mortis articulo sufficit signum aliquod, quo peccatum manifestetur.

7 Est autem hîc notandum circa mortis articulum, quòd, vt pœnitens talis absoluatur, sufficit nutus, vel signum aliquod, quo peccatum aliquo modo manifestetur, vel quòd velit petere absolutionem. Non solùm hoc; sed etiam si ante aduentum Confessarij petiit Confessionem: illo autem aduenie nte iam perdidit sensum: tunc si adstantes confirmant illum petiisse confessionem, potest absolui. Ita sentiunt D. Antonin. 3. *part. summæ tit.*10. *cap.*2. Angelus, verbo, *confessio* 4. *num.*8. Io. Medin. *C. de confessione, q.*39. *circa fin.* Cordub. *q.*30. *de indulg. dub.*3. *opin.*2. Toletus *in suâ summa, lib.*2. *cap.*8. *num.*2. Hostiens. *in summa, tit. de pœnit. & remiss. §. confitens, n.*45. D. Thom.

D. Thom. *opuscul.*65. *cap. de sacram. vnctionis, in fine.* Suarez *tom.*4. *in* 3. *par.* D. Thom. *disput.*23. *sect.*1. Gabriel Vasquez *ibid. tom.*4. *q.*91. *art.*2. *dub.*1. Valentia *tom.*4. *disput.*7. *q.*11. *punct.*1. Rodriquez *in summa p.*1. *cap.*75. Sacerdotale Romanum *part.*1. *tract.*3. *de sacrament. pœnit. cap. vlt.* quidquid velit Sot. *in* 4. *distinct.*18. *q.*2. *art.*5. & Nauarr. *in Man. cap.*27. *nu.*268. Et probatur hæc sententia.

Primò, ex Concil. Arausicano I. *cap.*12. & habetur, 26. *q.*6. *cap. qui recedunt.* vbi sic dicitur: *Subitò obmutescens, prout statutum est, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu:* hoc est, si voluntatis præteritę testimonium reddant adstantes fide dignum: aut si ipse nutu explicet presentẽ suam voluntatem. Cõcilium Arausic. I.

Secundò ex Concil. Carthag. IV. *cap.*76. in quo hoc statutum primò fuerat: & refertur ead. causa, & q. *cap. is, qui,* vbi sic dicitur: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit: si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur morituru, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur Eucharistia ori eius.* Cõcilium Carth. IV.

Tertiò probatur ex Concil. Carthag. III. *cap.*34. & refertur *cap. ægrotantes, de consecr. distinct.*4. vbi habetur: *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur: similiter, & de pœnitentibus agendum est.* Cõcilium Carth. III.

Quartò probatur ex epist.89. S. Leonis Papæ, vbi expresè id docet: *Quòd si aliqua,* inquiens, *vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt* S. Leo Papa.

simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.

Rit. Rom. Pauli V. iussu editum.

Denique Rituale Romanum Pauli V. iussu editum,& Romæ impressum 1615.de infirmo in periculo mortis constituto sic habet: *Quòd si inter confitendum,vel etiam antequàm incipiat confiteri,vox, & loquela ægri deficiat:nutibus,& signis conetur* (scilicet Sacerdos) *quoad eius fieri potest, peccata pœnitentis cognoscere:quibus vtcunque vel in genere,vel in specie cognitis: vel etiam si confitendi desiderium,siue per se,siue per alios ostenderit,absoluendus est.* Quid aliud dici potest nostro casui magis consentaneum?

8 Imò si infirmus, qui confessus est aliqua peccata,dixerit Confessario,Pater,ego nunc sum valdè lassus,relinquamus confessionem in posterùm:quia adhuc mihi restant explicanda alia peccata:tunc absoluendus est,& hoc statim fieri,multum refert, ne morte interceptus,sine absolutione moriatur, sicut accidit cuidam infirmo sic dicenti, cui Confessarius,aliàs inexpertus absolutionem distulit. Absoluatur ergo in tali casu, dum præmisit,dicens:Accuso me de his peccatis confessis, & de multis aliis, quæ,quia non suppetit tempus,nec vires adsunt,dicere non valeo, peto à Deo veniam. Imò si tam in vltimo sit infirmus, vt imperceptibiliter inter manus statim animam exhalaturus esse credatur, non retinendus est interrogationibus, sed statim,vt aliqua peccata explicuerit, absoluendus est prædicto modo.

9 Tertius casus est, cùm pœnitens habet casus aliquot reseruatos Superiori, & tunc obseruetur modus positus *sup.in 1.sect.art.8.* Nec est dicendum, quòd tunc dimidiatur confessio, quia dimidiatio facta est per accidens, non per se,vt toties dictũ est.

10 Quar

10 Quartus casus est,quãdo ex peccato aliquo, vel circunstantia manifestata in confessione sequeretur vel pœnitenti,vel Confessario,vel tertiæ personæ damnum graue,vel in vita, vel in fama, vel in pecunia, vel aliquod malum spirituale: tunc enim alius est quærendus Confessarius, vel petenda facultas à Superiore confitendi alteri, vel confiteri potest occultè,non manifestando quis sit. Quando verò nihil horum fieri potest, confiteri debet alia peccata,tali peccato, vel tali circunstantia dissimulata;donec commodè possit confiteri.Ita tenet Nauarr.*cap.7.* Caietan.verbo, *confessio.* Sotus, & communiter omnes. Nauarr. Caietan. Sotus.

Exemplis fit clarum. Si pœnitens cognoscat Confessarium reuelaturum peccatum illud, debet illud tacere. Si quis commisit peccatum carnale, & probabiliter cognoscit, quòd ex illius confessione Confessarius peccabit mortaliter: maximè si pœnitens est fœmina (quia nimirum Confessarius sollicitabit eam) debet dissimulare tale peccatum. Si quis occultè occidit fratrem Confessarij, & timet, si illi confiteatur tale homicidiũ, quòd statim conijciet illud esse fratris sui; & probabiliter timet, illum sumpturum vindictam:non tenetur tale peccatum confiteri,si instat necessitas confitendi.Ita Sylueſt.verb.*confess.*1.§.19. Valent.*tom.4.disput.7.q.11. punct.*1. Cano.*relect.de pœn.p.*6.Medina *q.*10.Suarez *tom.4.disput.*23.*sect.*2. Sylueſter. Valentia. Canus. Medina. Suarez.

11 Quintus casus est, cùm pœnitens habet tantùm peccata venialia,vel mortalia,aliàs ritè confessa:nam quia ista non sunt de necessitate confessionis,potest quis aliquot peccata confiteri, aliis prætermissis, absque eò quòd faciat iniuriam integritati confessionis.

VNDECIMA CONDITIO confessionis est, vt sit secreta.

SVMMARIVM.

1 *Confessio secreta esse debet, nec publicè fieri, ex Trid.*
2 *Confessio secreta esse debet quoad sigillum confessionis, quod nunquam violari potest.*
3 *Quid sit sigillum.*
4 *Quotuplex sit sigillum.*
5 *A quibus seruari debet sigillum confessionis.*
6 *In responsionibus etiam seruari debet sigillum. Et quid si non possit negari responsum? Et quid si ex non responsione quis in suspicionem venerit?*
7 *Sigilli confessionis obligatio quanta.*
8 *Quid faciet Confessarius mulieris in desertum ductus, & à viro illius per minas interrogatus, an vxor sua adulterium ei confessa sit?*
9 *Sigillum obligat, vt neque pœnitens ipse à Confessario possit extra confessionem interrogari.*
10 *Sigilli obligatio ligat etiam Superiorem, quando ab eo petitur facultas absoluendi.*
11 *Dubium de Confessore non habente iurisdictionem, si confessiones audiat, an teneatur ad sigillum.*
12 *Sigillum quanto tempore duret.*
13 *Sigillum violatur multipliciter. & num. 14. & 15.*
16 *Venialia etiam sunt sub sigillo, circunstantiæ pariter peccatorum, & defectus.*
17 *Sigillum quando non frangitur, ex Nauarro.*
18 *Dubium de eo, qui à Confessario audiuit alicuius peccata, an ad sigillum teneatur. Sigilli vinculum tunc est, quando interuenit confessio sacramentalis.*
19 *Pœnitens non tenetur ad sigillum de suis peccatis: caueat*

caueat tamen ne se, aut Confessorem infamet.
20 *Confessarius frangens sigillum, qua pœna puniendus.*
21 *Interpres, & qui casu audit confessionem, tenetur ad sigillum.*
22 *Viro probo dicenti, se habuisse facultatem reuelandi aliquod peccatum, fides adhibenda est.*

1 REctè Concilium Tridentinum *in sess. 14. c. 5.* de hac conditione loquẽs, ait; *Cæterum, quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorũ exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Vnde Caietanus explicans hanc conditionem, dicit, quòd hoc intelligitur per exclusionem internuncij, epistolæ, testis: quia his nemo tenetur confiteri de necessitate. Et licèt ista conditio secundùm Sotum, non sit de essentia confessionis: est tamen de essentia ad sustentandam confessionem in Ecclesia Catholica, & ne peccata secreta, quæ de se sunt scandalosa, publicè confessa scandalum possint generare.

Secreta. Cõc. Trid.

Caietan. *Ad exclusionẽ internuncij, & epistolæ, & testis.*

Sotus. *Hæc conditio est de essentia ad sustẽtandã confessionẽ in Ecclesia Dei.*

Et quantum ad internuncium, seu per epistolam, an licitè fiat, nunc, vide suprà *in art. 10. sect. 2.* vbi ponitur Decretum Clem. VIII. qui id prohibet fieri, & meritò quidem: nam *in cap. quem pœnitet, de pœnit. dist. 6.* dicitur, corporali præsentia sunt confitenda peccata: non per nuncium, non per scripturam manifestanda.

Pro hoc etiam facit absolutionis forma, quæ habet; *Absoluat*e, quæ præsupponit absoluendum esse præsen

præsentem,& prætereà omnia sacramenta personæ propriæ actionem exigunt,cùm suscipiuntur,excepto matrimonio, quod per procuratorem contrahi posse non est dubium,*cap.fin.de procurat.lib.6*.Itaque hæc conditio hoc vult,vt confessio sit secreta,idest, vt non fiat publicè,neque per internuncium,neque per epistolam.

Secreta etiam ex parte Confessary, vt scilicet seruetur sigillum confessionis.

2 Posset,& alium sensum habere prædicta conditio,nempe ex parte Confessarij:scilicet,vt semper teneat eam clausam, & secretam sub sigillo,ne vnquam eam reuelet.De quo sigillo plura subiungam, nempe quid sit, quotuplex, à quibus, & quanto tempore obseruari debeat, quotupliciter violetur, qua pœna puniatur Confessarius detegens hoc sigillum.

De sigillo cõfessionis.

Quid sit sigillum.

3 Quoad primum, sciendum cum Nauarr.*in Man.cap.8.in princ.& in cap.Sacerdos,de pœnit.dist.6. num.35*.& cum Theologis *in 4.sentent.*scilicet quòd sigillum est obligatio occultandi ea,quæ in confessione cognita sunt. Appellatur autem talis obligatio sigillum per metaphoram: nam sicut sigillum rem celatam tenet, quo non aperiatur, nec palam fiat, quod sigillo clauditur:ita debitum,vel obligatio tenendi aliquid secretum, efficit, ne res aperiatur,& obligatio, quam habet Sacerdos celandi ea, quæ in confessione audiuit,sigillum dicitur.

Quotuplex sit sigillum.

4 Quoad secundum verò sciendum, quòd duplex est sigillum:nam vel est sigillum naturæ,quod est obligatio quædam ab ipso iure naturali inducta ad occultandum aliquid:vel est sigillum confessionis,quod nihil aliud est,quàm, vt suprà dictum est, obligatio occultandi ea,quæ in confessione cognita sunt. Quæ quidem obligatio, vt rectè Scot. *in 4. dist.21.quæst.2.*triplici iure constabilitur:nempe naturali,

turali,diuino, & humano. Idem dicit Sot.*in 4. distinct.18.quæst.4.*

A quibus seruari debet sigillũ.

5 Quoad tertium verò, à quibus scilicet obseruari debeat; Ad hoc respondeo cum Nauarr. *vbi suprà*,quòd hoc sigillo,& obligatione secretæ confessionis, non solùm ipse Confessarius remanet obligatus, verùm etiam omnes illi, qui confessionem sacramentalem audierunt,vel intellexerunt licitè, vel illicitè: mediatè,vel immediatè, siue sint clerici, siue laici; viri, siue fœminæ. D. Thom. D. Bonau. Scot.Palud.& omnes *in 4. dist. 21.* Notandum est tamen hîc cùm Tolet. *lib.3.cap.16. num.9.* quòd quamuis omnes istæ personæ sigillo teneantur, vt absque mortali peccato non possint reuelare peccatum, tamen sigillo sacramenti confessionis propriè tenentur solùm hi, qui ex sacramentali confessione formata vel informi peccata cognouerunt. Alij autem, qui ex confessione non sacramentali (qualis est ea, quæ facta est laico licitè audiente, vel illicitè, quia finxit se Sacerdotem) tenentur quidem celare: verùm non propriè ratione sigilli sacramentalis, sed ratione sigilli naturæ, veluti tenet Soto *dist.18.q.4.art.6.*

D.Thom. D.Bonau. Scotus. Paludan. Toletus.

Sigillum etiã in respõsionibus seruãdum.

6 Sigillum prætereà seruandum est adhuc in responsionibus, etiamsi cogatur quis vt distinctè dicat,an per confessionem nouerit,&adhuc etiam, si Superior sit, qui interrogat: nam tunc debet negare responsum, licèt iurauerit se responsurum,& dicturum quæ sciuerit, vt notarunt Henric. *quodlib.1.q.33.*& Gabr.*d.21. art.3.dub.1.casu 3.* quia iuramentum semper intelligitur de scientia, ex qua homo loqui possit, seu quæ licita subiecta esse potest humanæ interrogationi: non est autem huiusmodi res cognita in confessione.

Vrge

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid si nõ possit negari responsũ.

Vrgebis: quid si non possit negari responsum. Nam sæpè contingit, vt ipsa negatio responsi sit indirecta reuelatio, quia generat in alio vehementem suspicionem. Gabriel *vbi suprà*, negat, tunc debere respondere, sed ad summum dicere in his, in quibus non possum perhibere testimonium, nihil scio. Quòd si in alio sequatur suspicio, esse per accidens ex malitia eius, quia non respondere, de se indifferens est. At quia ex tali responsione confirmatur interrogantis suspicio, & graue præiudiciũ fit sigillo confessionis, propterea potest tunc, & debet respondere, & simpliciter negare se scire quicquam de illa re. Ita D. Bonau. *in 4. dist. 21. 2. p. art. 2. q. 1. ad pr.* D. Thom. *ibid. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3.* Riccard. *art. 4. q. 2.* Palud. Durand. & Maior. *q. 3. & 8.* Sotus *dist. 18. q. 4. art. 5. ad 4. & de tegen. secr. m. 3. q. 3.* Adrian. *q. vlt. de confess. & quodlib. 9. ad 2.* Scot. *dist. 15. quæst. 4.* & omnes Summistæ & moderni siue subintelligat, se nescire ad dicendum: siue nescire, ita vt euidenter id viderit.

Si ex non responsione quis in suspicionẽ venerit, quid faciendũ.

Quòd si adhuc directè quis interroget; an audierit in confessione. Palud. & Sotus fatentur, non posse negare: inde cum neque affirmare possit, dicunt non debere tunc quidquam respondere, sed obiurgare alium. Quòd si in suspicionem venerit, ipse solus est in culpa, quia Confessor nihil aliud habet, quod faciat. Vera tamen sententia est, simpliciter posse, & debere negare quicquam audiuisse, etiam in confessione. Ita docuit Adr. *q. vlt. de Confessione.* Syluest. verbo. *Confessio. 3. nu. 10.* Nauarr. *cap. 8. in Manuali. num. 3. & vlt. & cap. 12. in fin.* Victor. *in summa. num. 184.* Medina Cod. *de Confess. q. de confessione celanda.* Ledesm. *q. 10. art. 1. dub. 6.* Ratio est: quia hæc responsio habet duplicem sensum verum. Vnus

Vnus est, subintelligendo illud additum. *Ad dicendum*, vel *Ita vt possim dicere.* Alius & melior est, vt responsio accommodetur intentioni debitæ interrogantis, quæ esse debet, an alius taliter sciat, vt respondere teneatur, quo sensu verè negat audiuisse.

Sigilli confessionis obligatio quanta.

7 Hæc autem obligatio sigilli confessionis tanta est, vt nulla prorsus de causa, neque etiam propter saluandam vitam propriam, nec propter salutem totius Reipublicæ possit Confessarius peccatum pœnitentis reuelare, imò neque in alia confessione; Adeò quòd, si Sacerdos non possit aliquod peccatum suum confiteri, nisi manifestando peccatum alterius, quod in confessione cognouit, ita vt Confessarius ille veniat in cognitionem personæ determinatæ, tunc debet silere tale peccatum donec possit confiteri alicui, qui personam ignoret, vt tenet Syluest. verbo. *Confessio.* 3. §. 8. & communis opinio. Vnus est solus casus, in quo Confessarius potest alteri manifestare peccatum in cõfessione cognitum, cùm nimirum, id fit ex licentia; & concessione pœnitentis, & tunc illi tantùm poterit manifestare, scilicet cui pœnitens dederit facultatem. Qui autem alio casu reuelat, grauissimè peccat mortaliter, atque pœnam exteriorem incurrit impositam in *cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.* Sed de hoc *infrà* ibi, Quoad sextum.

Sylvest.

Exceptio.

Nota.

8 Sed quid faciet Confessarius alicuius mulieris ductus in aliquem desertum à marito eius nobili, vel tyranno, interrogante, an sua vxor confessa ei fuerit se esse adulteram, minitando ei mortem, si veritatem non dixerit? Respond. quòd potest absolutè dicere, &, si opus est, iurare etiam sibi non esse confessam vllum adulterium, concipiendo

mente

Universidad de Deusto
Biblioteca

mente sola illa verba(eo modo,quo dicere possum.) Vide Nauarr. *in Man.c.*8. *& in c. humanæ aures.* 22. q.5. Et idem seruandum est, si aliquando acciderit, Confessarium ab iniquo Iudice compelli, vt reuelet sub iuramento : nam potest tunc dicere Confessarius, se nescire talè peccatum, quamuis enim illud sciat in confessione, nescit tamen, vt reuelet. Quòd si accidat, Confessarium per aliam viam scire illud peccatum, potest tunc respondere, & propalare illud tale peccatum, licèt meliùs faceret, si nunquam illud manifestaret. Hoc bene verum est, quod nunquàm potest dicere se illud audiuisse in confessione: si verò reuelando tale peccatum quamuis auditum in confessione, nihilominùs, per aliam viam scitum, sequatur scandalum apud illos qui cognouerunt fuisse illo tempore confessum, & per talem viam solùm illud peccatum sciuisse Confessarium, ac putabunt ipsum reuelare confessionem, tenetur illud nunquam reuelare. Vide Tolet. *vbi suprà.*

Sigillum obligat vt neque pœnitens ipse à Confessario interrogari possit extra confessionẽ de aliquo peccato, in confessione cognito.

9 Hæc sigilli obligatio adeò obligat Confessariũ vt non possit neque ipsum pœnitentem extra confessionem alloqui de peccatis, quæ in confessione audiuit. Vnde si accidat, Sacerdotem absoluisse aliquem malè vt suprà visum est, nempè quia verè nõ potuit propter casus reseruatos, vel quia restitutioni erat obnoxius, & Confessarius pœnitentem non obligauit, vel quid simile, non potest id pœnitenti extra confessionem dicere, sed debet ipsum pœnitentem adire, & rogare, vt iterum sibi confiteatur: quia oblitus fuit ei dicere aliquid necessarium, & tunc tenetur pœnitens obedire, & ipse potest tunc supplere quæ defuerunt. Quòd si scandalum sequatur, non debet Confessarius adire ipsum pœnitentem,

nitentem : idem quoque dicendum venit, si pœnitens nolit repetere confessionem. Tolet. *vbi suprà.*

Sigilli obligatio ligat etiã Superiorẽ, quãdo ab eo petitur facultas absoluendi.

10 Hæc etiam sigilli obligatio ligat ipsum Superiorem, quando ab eo petitur licentia absoluendi aliquem à reseruatis, quia tunc defertur ad illum causa, tanquam ad Superiorem iudicem, petendo delegationem ipsius, & ideò fertur sub eodem sigillo : nam ille etiam est quidam vsus clauium in hoc foro, aliàs fieret odiosa confessio, ipsique Superiores haberent viam cognoscendi delicta extra confessionem occasione ipsius confessionis, quod illi valdè nociuum esset.

Superior audiẽs peccatum solitũ ad satisfactionem imponendam, tenetur ad sigillum.

Idem quoque dicendum, quando Superior non audit casum reseruatum ad absoluendum sacramentaliter ab illo, sed solùm ad satisfactionem imponendam, & remittendam absolutionem inferiori : tunc enim sigillum seruare debet, quidquid Caietanus dicat, & sine causa : nam vt rectè Suarez ait *in tom. 4. disput. 31. sect. 1. sub num.* 8. ad sigillum sufficit, quòd quacunque ratione res dicatur in ordine ad inchoandam, vel consummandam confessionem alicui, vt iudici habenti potestatem clauium in hoc foro.

Dubium de Confessore non habẽte iurisdictionẽ, an ad sigillũ teneatur.

11 Dubium esse potest de Sacerdote non habente iurisdictionem, & cõfessionem nihilominùs audiente : nam videtur ex tali confessione, non magis sequi obligationem sigilli, quàm ex confessione facta laico, quia illa nullo modo videtur esse confessio sacramentalis : cùm non fiat coram legitimo iudice, & ministro huius sacramenti. Ad hanc difficultatem dico breuiter. Variis modis potest hæc confessio contingere. Primò, bona fide pœnitentis, & Confessoris, quia vterque putat non deesse iurisdictionem, & sic non est dubium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin contrahatur obligatio ſigilli, etiamſi poſteà conſtet defuiſſe iuriſdictionem. Secundò, poteſt accidere bona fide pœnitentis, & ex malitia Sacerdotis: & credo idem eſſe dicendum, ſicut de laico, cui ſcienter fit confeſſio proportione ſeruata. Tertiò, poteſt hoc accidere ex certa ſcientia vtriuſque partis, & quidem, ſi hoc faciant in ordine ad ſacramentum cum ſpe obtinendæ iuriſdictionis, etiá exiſtimo, oriri obligationem ſigilli, quia iam eſt illa quædam inchoatio confeſſionis ſacramentalis: vt ſi quis confiteatur inferiori Sacerdoti peccatum reſeruatum eo animo, vt facultatem petat, & iuriſdictionem obtineat, non eſt dubium quin oriatur obligatio ſigilli, vt ex praxi Eccleſiæ conſtat. Si autem illa reuelatio nullo modo ordinetur ad ſacramentum perficiendum, neque ad petendum iuriſdictionem, exiſtimo ſolùm habere rationem cuiuſdam conſultationis, atque ita non oriri aliam obligationem ſecreti, præter eam, quæ ex tali conſultatione naſci ſolet, quæ maxima omnium eſt poſt obligationem ſigilli: & ratio eſt quia illa nullo modo eſt confeſſio ſacramentalis.

Sigillum quanto tẽpore duret. Nauar.

12 Quoad quartum verò, quanto tempore duret talis obligatio? Reſpond. ad hoc cum Nauarr. *vbi ſupr.* quòd durat etiam poſt mortem, quoniam naſcitur ex præcepto negatiuo, cuius vis obligat quoad ſemper, & pro ſemper. Vide D. Thom. 2.2. *q.*31. *art.*2. Panor. & alios *in cap. nouit. de iudiciis.* Archidi. *in cap. conſideret. de pœnit. diſtinct.* 5. *& in cap. ſi peccauerit.* 2. *quæſtio.* 1. *& cap. præterea de conſecrat. diſtinction.* 1.

D. Thom. Panorm.

Sigillum violatur multipliciter.

13 Quoad quintum ſciendum, quod hoc ſigillum violatur multipliciter.

Primò, ſi quis Confeſſarius dicat ſuo pœnitenti publi

publicè conquerenti, quòd ſibi ſacramentum Euchariſtiæ denegauerit, & ipſe publicè reſponderit, ego denego tibi ſacramentum Euchariſtiæ, quia habes caſum reſeruatum, à quo ego non poſſum te abſoluere: nam perinde eſt, ac ſi dicat, quòd confeſſus eſt ei aliquod mortale, ſi quidem venialia reſeruari non ſolent, *vt dictum eſt in prima ſectione.* Itidem ille Confeſſarius, qui ſuo pœnitenti, vel aliis dicit: Ego dimiſi eum à confeſſione ſine abſolutione, quia cùm his verbis oſtendit, quòd ſuus pœnitens vel habet aliquod graue peccatum, à quo ipſe Confeſſarius non poteſt eum abſoluere: vel quòd abſque vera contritione acceſſerit ad tale ſacramentum.

14 Secundò, ille Confeſſarius detegit hoc ſigillum qui dicit de ſuo pœnitente, Ille mihi confeſſus eſt multa, & grauia peccata. Palud. *vbi ſupr.* & Nau. *in cap. Sacerdos.* & ille, qui duarum, aut trium perſonarum confeſſionibus auditis, de vna illarum ſic loquitur, Hic nullum peccatum mortale habuit: quoniam indirectè videtur ſignificare, alios duos mortalia fuiſſe confeſſos. Et ille, qui audita pœnitentis confeſſione, ſtatim conſulit virum doctum præſentem, à quo quid agendum ſit in aliquo caſu confeſſionis quærit, & accepto conſilio illicò redit, vt eum abſoluat.

Paludan. Nauarr.

15 Tertiò, violatur hoc ſigillum ab illis Confeſſariis, de quibus Hoſtienſis *in ſumma, de pœnit. & remiſſ. §. in quo tenetur.* narrat, ſe vidiſſe videntes, & iocantes, qui ſibi inuicem confeſſiones auditas referebant, dicentes in hunc modum; Quidam miles, & quædam mulier hodie ad me venerunt; & illud, & illud mihi confeſſi ſunt: qui quidem quamuis illorum nomina non exprimerent; per coniecturas

Hoſtiẽſis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota ex Tolet.

cturas tamen facilè fuerat deprehendere.

16 Hìc animaduertendum cum Tolet. *vbi suprà*, quòd Confessarij sub sigillo cõfessionis debent cõlare nõ solùm peccata mortalia, verùm & venialia, & eorũ circunstãtias: mortalia enim nec in genere, nec in specie, nec in particulari sunt manifestanda: venialia autem in specie non possunt manifestari, in genere autem reuelare non est contra sigillum: nam qui confitetur, manifestè ostendit se habere saltem venialia, aliter non esset confessio. Item defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo sunt. Vt si quis in confessione diceret se illegitimum, vel ignobilibus parentibus natum, & similia: omnia hæc sub sigillo cadunt: reliqua verò, quæ ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, non cadunt sub sigillo, quamuis Confessarius semper cauere debet, ne quod in confessione tantùm audiuit, dicat manifestando personam, cùm circunstantes intelligunt illum ex confessione habuisse. Quòd si interrogetur Confessarius, quomodo se gesserit cum tali pœnitente, et tenetur respondere, quia Iudex, quia Superior debet tantum dicere, Ego functus sum officio meo.

Venialia etiam sunt sub sigillo circunstantiæ quoque peccatorũ.

Defectus etiam.

Nota.

Nota ex Nauarro quando nõ frangitur sigillum.

17 Animaduertit Nauarr. *vbi suprà* vnum, nempè quòd non frangit sigillum confessionis Confessarius, qui ex Petri confessione intelligens Ioãnem fuisse illius complicem in delicto, posteà Ioãnem de illo crimine interrogat in Confessione, dummodò non exprimat, quòd rem à Petro acceperit. Nec frangit sigillum Confessarius ille, qui reuelat secretum reuelatum sibi sub sigillo confessionis, vt vulgò fit, sine sacramentali suorum peccatorum confessione, secundùm Innoc. Panorm. & alios *in cap. omnis vtriusque sexus.* etiamsi flexis genibus

genibus id dicat, sed est tantùm reuelatio secreti naturæ.

Dubium de eo, qui à Confessario audiuit alicuius peccata, an ad sigillum teneatur.

18 Petes, Quidam Confessarius cum praua intentione dixit Francisco: Titius hæc, & hæc mihi dixit in confessione: tibi autem ea reuelo, vt publices: An ille, qui sic scit, teneatur ad sigillum? Nauarr. *in cap. Sacerdos, de pœnit. dist. 6. num. 45.* partem affirmatiuam tenet: quia ad quem licitè, vel illicitè confessio peruenit, cum illo onere secreti quocunque vadat, pergit. Sic Nauarr. quem sequitur Toletus *in sua summa.*

Sigilli vinculum tũc est, quando interuenit cõfessio sacramentalis.

Verùm, quia vt rectè dicit Sotus *in 4. distinct. 18. q. 4. art. 5. in 5. conclus.* nunquam occurrit vinculum sacri sigilli confessionis, nisi vbi confessio est sacramentalis: quæ scilicet fit intentione faciendi accusationem coram Deo: propterea probabiliùs, & veriùs videtur dicendum, talem ad alium non teneri, nisi ad sigillum naturæ. Et quantum ad Nauarrum, & Toletum dico, quòd sententia ipsorum maiorem probabilitatem non habet, nisi quatenùs ipsorum auctorum auctoritas lectores mouet: in reliquo autem ratio non conuincit, quia licèt res transeat ad quemcunque cum onere suo: vt vult Nauarr. in casu posito non transit confessio formalis, sed confessionis reuelatio, quæ diuersa res est: Confessarius enim tunc Francisco non confitetur sua peccata, sed tantùm alterius reuelat delicta, quamuis in confessione audita. Ad summum ergo solùm ad sigillum naturæ tenetur, sicut qui inuenit chartam, in qua scripta sunt alicuius peccata pro confessione facienda: talis enim ad secretum naturæ solummodò tenetur, non autem ad confessionis sigillum, quia reuera illa peccata in confessione non sciuit. Et licèt Nauarr. *in cap. Sacerdos, cit. nu. 8. & 9.* teneat,

talem sic inuenientem cartham, ad sigillum confessionis teneri: aliorum tamen sententia est verior, quæ oppositum docet, & patet: nam sæpè tales chartulæ inueniuntur à non Sacerdotibus, qui cùm confessiones minimè audiant, ad confessionis sigillum adstringi nequaquam possunt, pro qua præcipuè requiritur, vt quis formaliter confiteatur, suáque peccata reuelet. Et confirmatur hoc, quia *in cap. omnis vtriusque sexus.* solùm Confessario imponitur pœna pro confessionis reuelatione: non autem aliis, alioquin daretur processus in infinitum: Franciscus enim, qui sic audiuit, potest alteri dicere, & iste ad alium, & sic in infinitum. Quæ omnia confirmantur per ea, quæ dicta sunt *suprà*, ibi, quoad tertium.

Pœnitēs nō tenetur ad sigillum de suis peccatis.

19 Sciendum tamen, quòd licèt Confessarius teneatur ad tantam obligationem secreti, ipse pœnitens nihilominùs non tenetur ad tale sigillum, sed potest sua peccata confessa aliis manifestare: similiter etiam pœnitentiam sibi impositam, dummodò non se infamet absque causa: similiter etiam ne infamet Confessarium apud alios, dum arduam aliquam pœnitentiam dicit, & tacet causam pœnitentiæ: in tali enim casu non licebit manifestare, sed hoc non est propter sigillum, sed alia de causa: scilicet, quia nullus se, vel alium sine causa infamare potest.

Pœnitens caueat ne se, aut Cōfessariū infamet.

Cōfessarius frangens sigillum, qua pœna dignus.

Nauarr.
Lopez.
Salzedo.
Couarr.

20 Quoad sextum, de pœna qua puniendus est Confessarius, qui peccata pœnitentis in confessione tantùm cognita, manifestat, dico cum Nauarr. *in cap. Sacerdos, num.* 120. Lopez *lib.* 3 5. *tit.* 4. *part.* 1. verbo, *encarcelado.* Salzedo *in cap.* 109. verbo, *detrudatur.* Couarr. *in* 4. *p.* 2. *cap.* 8. §. 12. *nu.* 10. quòd pœna constituta in *cap. omnis vtriusque sexus:* est, vt omni munere,

nere, ac dignitate spoliatus in arctum cœnobium ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudatur.

Interpret, & qui casu audit pœnam, tenetur ad sigillum.

21 Quibus etiam pœnis punitur, qui reuelat confessionem, cuius est tantùm interpres; & is, qui casu tantùm audiuit: & is, qui latenter abditus peccata auscultauit, & ea manifestauit: & is, qui dimidiam delictorum confessionem, cùm audisset, absolutionis beneficium minimè contulit: vt tenet Syluest. verbo, *confessio.* D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *cap.* 22. §. 1. & 11. *Sot. de rat. teg. membr.* 3. Extraordinariis autem pœnis afficiuntur illi, qui dicunt; talis habet peccata, à quibus eum absoluere non potui, vel audiui eius peccata, & non absolui: vel, ego te non absolui, quia non accessisti ad confessionem cum debita contritione. Tales enim, & huiusmodi, pœna extraordinaria puniendi sunt.

Pœna autem dictæ Decretalis comprehendit eos, qui singula peccata manifestant: non autem illos, qui vniuersam confessionem in generali, nullo in speciali reuelato peccato, adaperiunt. Itaque nullo pacto licet Confessario referare sigillum confessionis, nisi aliquando de licentia pœnitentis, vt dictum est.

Nota.

22 Addam huic materiæ vnum notatu dignum, quod aduertit Diaz *in sua pract. cap.* 109. *nu.* 4. nempe quòd Sacerdoti bonæ famæ, & honestæ vitæ, dicenti se habuisse veniam à pœnitente ad manifestandam confessionem, credi debet: cùm actus veniæ secretò fieri soleat, & nullo interueniente teste, ad hoc saltem, vt transferat onus probandi in asserentem sine venia se manifestasse.

DVODECIMA CONDITIO confessionis, vt sit lacrymabilis.

SVMMARIVM.

1 *Confessio debet esse lacrymabilis, idest, cum displicentia omnium peccatorum.*

2 *Caietanus addit, & cùm proposito ea euitandi: quæ si est perfecta, contritio est: si verò imperfecta, attritio.*

3 *Attritio duplex ex Caietano.*

4 *Contritionem de singulis mortalibus habere, non est necesse.*

5 *Conteri de peccato non tenetur quis statim post patratum peccatum.*

6 *Dolor quantus esse debet, vt sit vera contritio.*

7 *Per contritionem absolutus quis coram Deo, quid recipit, quando ei Confessarius dicit:* Absoluo te.

8 *Variæ interpretationes illorum verborum* Ego te absoluo.

Lacrymabilis. 1 NAuarrus explicans hanc conditionem *in cap. fratres, num.* 96. ait, quòd confessio debet fieri necessariò cum displicentia omnium peccatorum mortalium præteritorum, & proposito, neque illa iterum, neque alia committendi, *cap. pœnitentia, distinct.* 3. Et sic considerata hæc conditio est de necessitate, secundùm Sotum. Si verò per lacrymabilem intelligatur, quòd sit comitata lacrymis sensibiliter, sic non est de necessitate, sed de bene esse, & ornatu.

Nauarrus. *Cõtrita, & cum detestatione.*

Caietan. 2 Caietanus verò ait, quòd confessio debet esse lacrymabilis, idest contrita, cum displicentia omnium peccatorum mortalium, & cum proposito ea euitandi. Talis autem displicentia quando est perfecta

fecta, & pertingit ad gradum talem, quòd sit contritio, in qua includitur confessio in voto, sufficit simpliciter, non solùm cum confessione adiuncta, verùm, & extra confessionem. Quando verò talis displicentia est imperfecta: tunc est attritio, quæ aliquando cum confessione sufficit, aliquando verò minimè. Vide Bellarm. *lib. 2. de pœn.* Rodriquez *in summa 1. par. cap. 48.* Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.* Sot. *dist. 17.* Petr. à Soto *lect. 14. de pœn.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 1.* Io. Medin. *tract. 1. de pœnit.* Anton. 3. *part. tit. 14. cap. 18.* Nauarr. *in Man.*

Bellarm. Rodriq. Cõc. Trid. Petr. à Sot. Valentia. Medin. D. Anton. Nauarr.

3 Sed vt de attritione prædicta habeatur cognitio, ponam hîc, quæ habet Nauarr. *vbi suprà c. 1. num. 36.* Est autem illa (inquit) secundùm Caietanum duplex. Altera eorum, quos pœnitet peccasse, velléntque non peccare: sed non omninò statuunt à peccatis abstinere. Altera eorum, quos pœnitet peccasse, & statuunt ampliùs non peccare, non concipiendo peccatum, vt rem supra alia omnia detestabilia detestandam; neque reputando ipsum vitandum, supra omne vitabile. Quinimò etiam pœnitudo illa, quæ à nobis fuit suprà definita. Contritio est pœnitudo voluntaria, cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccati proprij iam commissi: quatenùs est offensa Dei super omnia dilecti, cum spe veniæ, & proposito non peccandi ampliùs: saltem mortaliter, & confitendi, & satisfaciendi, vt minimum virtuali, & quam habent illi, qui detestantur peccatum supra omne detestabile, ipsumque vitare proponunt supra omne aliud meritò vitandum, est attritio, vt ipse Caiet. arbitratur, quousque Dominus Deus propter misericordiam suam, gratiam suam impertierit: sed est alteriùs speciei secundùm eundem, appellaturque contritio informis.

Attritio quid ex Nauarr. & Caiet.

mis. At secundùm opinionem communem, cuicumque habenti eiusmodi pœnitentiam Deus pro sua misericordia statim elargitur gratiam,& subinde non inuenitur sine gratia. Prima species prædictarum attritionum non sufficit, vt per eam solam remittatur peccatum:imò neque per eam, & absolutionem sacramentalem simul. Quinimò peccat, qui cum ea petit,& accipit absolutionem. Idem est dicendum de illa pœnitudine, quam aliquis concipit ob id solùm, aut saltem principaliter propter detrimentum honoris,quietis,aut vtilitatis temporalis, aut propter metum infamiæ, laborum,pœnæ temporalis, aut æternæ: quamuis talis pœnitentia non sit peccatum, neque malum opus, vti quidam dixerunt,imò potiùs est laudanda. Quæ omnia intelligenda sunt iuxta mentem Concil. Trident. *in sess.*14.*cap.*4. Vide supr.*in explic.*8.*condit.*

Secunda etiam species attritionis non sufficit, secundùm eundem, vt propter illam remittantur peccata, etiam adiuncta absolutione sacramentali, licèt sufficiat ad ipsam absolutionem expetendam, recipiendámque absque vlla culpa.

Nauarrus discedit à Caietani doctrina.

Ab hac opinione Caiet. propter eius auctoritatem, & quia ei,à nemine contradicitur, hucusque nunquàm fui ausus discedere: sed nunc sub debita censura,videtur, eum, qui verè, & ex animo pœnitet peccasse mortaliter,& in posterum statuit nunquàm peccare ob id principaliter, maximè quòd peccatum est offensa,& iniuria Dei,& credens sine crassa ignorantia suum dolorem esse in id sufficientem,confitetur Sacerdoti, recipítque sacramentalem absolutionem, non solùm satisfacere confessionis præcepto,sicut ille dicit:sed etiam gratiam,& misericordiam à patre gratiarum, & misericordiarum

rum consequi. Hæc est sententia Nauarri de verbo ad verbum, quam ipse postea multis probat. Vide locum.

De contritione.

Circa hanc materiam de contritione occurrunt aliqua dubia.

Cõtritionẽ habere de singulis mortalibus,non est necesse.

4 Primum est; An singulorum mortalium commissorum sit necessaria particularis contritio? Resp. ad hoc, quòd non, sed satis est vna generalis omnium: per hoc tamen non tollitur eorum peccatorum in particulari discussio, quæ necessaria est ad confessionem:& quamuis non esset confessio,(sicut non erat ante legem gratiæ) esset tamen necessaria ista discussio:licèt non tam minuta,sed saltẽ quantum ad species peccatorum ad vitę emendationem: quamuis ad gratiæ consequutionem saltem sufficeret prædicta generalis contritio, quæ post cadit in particulari supra quodlibet, cùm confessio fit, vel cùm homo in particulari se examinare tenetur. Vide Petrum à Soto, Nauarr.Caiet.Valent.*loco cit.*

Conteri de peccato nõ tenetur quis statim post patratũ peccatũ.

5 Secundum dubium; An homo statim post peccatum commissum teneatur de ipso conteri? Respond.quòd Caiet.& alij tenent, quòd quoties peccatum practicè subit in memoriam, idest, cùm recordatur eius, tanquàm alicuius, quod operandum proponitur: tunc peccator tenetur conteri. Toletus tamen probabilius tenet,quòd non teneatur statim,etiamsi recordetur sæpiùs commissi peccati:solùm enim tenetur tunc non in ipso complacere: tamen non tenetur pœnitere,sed potest mentem aliò diuertere. Est enim generaliter verum, vt quoties quis non tenetur confiteri, aut aliquid extra statutum præcepti facere, non tenetur conteri: cùm tamen tempus est periculi, tunc confiteri tenetur, vt in infirmitate acuta, vel cùm est periculum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum naufragij, aut belli, aut similis: non existente copia Confessarij, conteri tenetur: similiter in casu, quòd administrare debet sacramentũ, vel recipere, tunc conteri tenetur, maximè in administratione: aliàs non statim tenetur nisi à peccato desistere. Sic Tolet. *vbi suprà*. D. Bonauent. D. Thom. *in 4. dist. 7.* Petr. à Soto, & Nauarr. *loco cit.* Dominicus Soto *dist. 18. art. 6. q. 1.* Valent. *q. 8. par. 4.*

D. Bonau. D. Thom. Petr. à Sot. Nauarr. Sotus. Valentia.

Dolor quãtus, vt vera sit contritio.

6 Tertium dubium est, Quantus debeat esse dolor de peccato commisso, vt remittatur, seu vt vera sit contritio?

Respondeo, quòd solùm est necessaria peccati detestatio supra omne detestabile, vt diximus paulò ante, quæ si sit, peccatum delet: quamuis non sit tam intensa, quàm potest esse detestatio alicuius mali temporalis: non enim est determinata intentio actu necessaria, imò contritio vna, licèt remissa, potest delere quodcunque peccatum, quamuis grauissimum. Ratio est, quare quælibet contritio quodlibet peccatum aufert: quia cùm contritio est, gratia ipsa est: minimus autem gradus gratiæ sufficit, omnia peccata à recipiente expellere, ipsumque Dei amicum facere, & ius ad gloriam æternam habere. Sic Tolet. & rectè. Vide etiam Petr. à Soto, Valent. Dom. à Soto, *vbi suprà*.

Per contritionẽ absolutus quis corã Deo, quid recipit quando ei dicit Cõfessarius, Absoluo te.

7 Quartum dubium est, si per contritionẽ formatam, quis recipit remissionem peccatorũ à Deo, antequàm accedat ad sacramentum, quid recipit, quando in confessione dicit ei Sacerdos, *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis?* & eò magis augetur dubium: quia forma est indicatiui modi, & significat præsentaneum effectum, & pœnitens, vt supponitur, iam est in gratia Dei per contritiõnem, quam habuit.

Prætereà,

Prætereà quando quis accedit ad sacramentum confessionis, aut accedit in peccato, & sic absolui non potest, quia non est dispositus: aut accedit in gratia, & sic absolui non potest, quia iam est absolutus. Quid ergo consequitur pœnitens per formam illam; *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine, &c.*

Respondeo, quòd sacramentum non suscipitur frustra ab eo, qui per veram contritionem iustificatus est.

Primùm, quia sacramentum auget gratiam, & pœnam temporalem remittit, vel totam, vt in Baptismo: vel ex parte, vt in absolutione; contritio enim cum solo sacramenti voto, culpam quidem purgat, sed reatum totius pœnę temporalis rarò admodum tollit.

Secundò, quia nemo scire potest, se veram contritionem habuisse, & attritio cum solo sacramento in voto non iustificat. Itaque, vt quis de adepta indulgentia securior sit, debet omnia illa remedia adhibere, quæ Deus ad purganda peccata instituit.

Tertiò, quia pactum implere debet, quod cum Deo, quodam modo pepigit, qui per votum sacramenti suo tempore suscipiendi gratiam reconciliationis accepit.

Sensus illorum verborũ, Ego te absoluo. Magister. Gabriel. Maior. Alensis. Medina.

8 Neque forma sacramenti redditur falsa, nam multis modis intelligitur & declaratur à Doctoribus Magister sent. *in 4. distinct. 18.* quem sequuntur Gabriel *q. 1. art. 2.* Maior *quæst. 1. dist. 14. quæst. 2.* Alensis *4. p. q. 21.* Medina *tract. 2. q. de effectu absolutionis*; docet sensum illorum verborum, non esse hunc; *Ego te absoluo à culpa*; sed, *Ego te absolutum ostẽdo, & declaro*: Sicut à simili dixit Christus Magdalenæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lenæ, *Luc. cap. 7. Remittuntur tibi peccata tua*, quæ tamen erant remissa: ergo Christus solutam eam declarauit. Sed profectò falsa est talis sententia, & hoc tempore erronea, sicut eam censurant Riccardus de S. Victore. *lib. de potestate ligandi & soluendi. cap.* 21. D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 3. *q.* 1. Durandus, *q.* 2. Scotus *q. vnica.* Riccard. *art.* 2. *qu.* 1. Petrus à Soto *lect.* 4. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 28. *q.* 5. Et vltimò damnata est opinio prædicta in Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *& can.* 9.

Riccar. de S. Victore. D.Thom. Durand. Scotus. Riccard. Petr. à Soto. Caiet. Concil. Trident.

Quod verò adducitur de Magdalena, dicendum quòd Christus Dominus, cor, & dispositionem eius intuebatur, & ideò affirmare poterat internum effectum in ea factum, etiam si illis verbis non faceret: & præterea totum illud opus erat præsens, & in fieri quasi, & ideò poterat per præsens declarari. Alij dicunt, sensum illorum verborum, *Ego te absoluo*, esse absolutionem non à culpis, sed ab obligatione, eas subiiciendi clauibus Ecclesiæ: & ratio est, quia qui contritionem habet, habet etiam confessionem in voto, alioquin non esset vera contritio: Ergo quando Sacerdos dicit, *Ego te absoluo*, & pœnitens per contritionem iam est absolutus, à culpa, nihil ei remanet, nisi vt se subiiciat clauibus Ecclesiæ, quod dum ille facit, rectè ei dicit Sacerdos, *Ego te absoluo*, ab hac scilicet obligatione. Hæc opinio refertur à D. Bonau. & ab Alense, *vbi supr.* & eam sequitur Gabriel *vbi supr.* & Supplemétum *distinct.* 23. *q.* 2. *art.* 2. Alij dicunt significari per illam formam remissionem pœnæ vel æternæ, vel temporalis iuxta indigentiam pœnitentis: quam opinionem tenet Hugo & Riccardus de S. Victore. Scotus dicit, quòd quando culpa, & pœna æterna sunt iam remissæ per contritionem, quòd per formam

D.Bonau. Alensis. Gabriel. Supplemétum. Hugo. Scotus.

mam illam, *Ego te absolno*, significatur absolutio pœnæ temporalis. Et Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 5. *q.* 4. *ad* 2. dicit quid simile, scilicet quòd quamuis tota pœna temporalis remissa sit, semper tamen manent reliquiæ peccatorum à quibus potest homo magis, & magis liberari, & ideò hoc saltem significatur per formam, *Ego te absoluo.* Caietan.

Alij dicunt, quod adæquatus sensus illorum verborum, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, semper est vnus & idem, scilicet, tacitè subintelligendo, quantum indiges, quod non fuit necesse exprimere; quia veluti ex natura rei subintelligitur, sed verior expositio est illa, quam tradit D. Thom. *in dicto art.* 3. *ad* 5. dicens, sensum esse, *Ego te absoluo*, id est absolutionis sacramentum tibi impendo: qui sensus verus est in quocumque casu, in quo verum sit sacramentum, siue homo ponat obicem effectui, siue non, & etiamsi peccata sint iam plenè remissa. *Verior explicatio.* D.Thom.

TERTIA-DECIMA
Conditio confessionis est, vt sit accelerata.

SVMMARIVM.

1 *Post peccatum patratum, confessio non differatur.*
2 *Confessio frequens vtilitates nouem affert.*
3 *An sit benè, confiteri sæpè generaliter.*

1 DOcet Caietanus ex prædicta conditione, vt statim post commissum peccatum lethale, non differatur confessio, si commoditas Confessarij adsit: & sic intellecta hæc conditio, quantum ad exequutionem confessionis, consilij est: non præcepti, *Accelerata* Caietan. *Post patratum peccatum non dilata.*

cepti: sufficit enim de necessitate, vt proponat tempore determinato ab Ecclesia confiteri. Nihilominùs iuuat non parum, vt quis acceleret confessionem, & eam frequentet. Quod vt fiat, dicam cum Toleto eas vtilitates, quas affert frequens confessio, *lib. 6. c. 11. Instruct. Sacerd.*

Confessio frequens vtilissima.

2 Prima est, gratiæ augmentatio, quoties enim homo confitetur, si debito modo accedat, si in peccato est, consequitur gratiam, & peccati remissionem: si autem est in gratia, consequitur augmentum gratiæ, vnde si quater in mense confitetur: quater etiam augetur gratia, & si pluries confitetur, pluries augetur gratia. Quanti autem valoris sit gratia, vix potest cognosci: hoc tamen est certum eligibiliorem esse minimum gradum gratiæ, quàm possidere perpetuò vniuersum orbem, & in altero mundo datur maior gloria essentialis, duratura in æternùm ei, qui in hoc mundo maiorem habuit gratiam.

Secunda vtilitas est, remissio pœnæ temporalis quoties enim homo confitetur, ei remittitur pars pœnæ peccati soluēdi in Purgatorio. Si autem quis consideret, quàm acerba sit pœna Purgatorij, suam profectò damnabit negligentiam, & ad hoc sacramentum pluries accedet. Hoc enim certum est, nullam in hoc mundo à quocunque crudelissimo tyranno posse pœnam corporalē infligi quæ adæquet minimam, quam anima patitur in Purgatorio.

Tertia vtilitas est, quòd inimicus debilitatur dæmon enim multum insurgit contra hominem, dum peccata secum recondita habet, nec Medico spirituali aperit, iuxta illud Psal. 34. *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* At cùm homo ad confessionem confugit, timet dæmon, nec audet accedere ei, qui

Psal. 34.

qui omnes eius suggestiones Cōfessario aperit. Caro etiam multùm succumbit spiritui propter augmentum gratiæ, quod habet anima ex frequenti confessione.

Quarta vtilitas est, quòd peccatum non ita fortiter radicatur in anima. Hoc dico propter aliquos, qui frequenter solent in mortale aliquod prolabi, & quamuis modò confiteantur, nihilominùs solent in idem peccatum redire ex aliqua fragilitate. Istis profectò frequens confessio hoc præstat, quòd illud peccatum semel commissum: nisi pœnitentia, & confessione deleretur, alio sequenti fortiùs animæ inhæreret, aliisque supervenientibus in habitum quendam difficillimum postea ad expellendum, transiret. At confessio frequens istam impedit radicationem, & emendationem faciliùs, & citiùs consequitur. Vnde legimus de illo, qui duas ollas luto plenas habuit, vnam singulis diebus mundabat, & iterum luto implebat, alteram multò tempore plenam reliquit. Posteà cùm ab hac lutum extrahere vellet, vix potuit, nisi ollam rumperet.

Quinta vtilitas est, nam cùm ex frequenti confessione pluries sit in gratia: plura bona opera facit in gratia, & licèt posteà peccet, tamen cùm iterum redit ad gratiam, illi restituuntur omnia illa bona opera, quæ per peccatum mortificata erant. At opera in peccato facta nunquàm sunt meritoria vitæ æternæ, licèt homo ad gratiam redeat. Quòd si est in gratia semper, cùm illi augeatur gratia per confessionem, eadem opera bona fiunt magis meritoria, quàm non essent, si in tanta gratia homo non esset.

Sexta vtilitas est, quòd minus est expositus periculo, qui sæpè confitetur: nam si sæpè peccat, sæ-

pè est in gratia : faciliùs est autem mori in gratia ei qui sæpè eam habet, quàm ei qui rarò.

Septima est, quòd homo suam meliùs scrutatur conscientiam: isti enim, qui semel in anno confitentur, vix tertiam partem peccatorum confitentur.

Octaua est, quòd liberatur homo à graui fastidio, & timore, quem homines rarò confitentes patiuntur. Nam cùm tempus confitendi aduenit, dolores parturientis sibi pati videntur, & magna angustia, & timore semper procrastinant, vsque in diem vltimum Quadragesimæ: Et quod peius est, aliquando negligunt præceptum Ecclesiæ: & quod adhuc pessimum, in mortis articulo adeò magna hac angustia premuntur, vt aliquando desperent.

Nona & vltima est, quòd qui est in gratia, conseruatur multum in ea per frequentes confessiones sacramentales: homo enim est magis illuminatus, vt se cognoscat, & ea, quæ nocent animæ, intelligat. Multa alia bona frequens confessio homini affert, sed ista enarrasse sufficiat. *Sic Toletus.*

Dubium. *An sit bene confiteri sæpè generaliter.*

3 Dubium vnum hîc subiungam, an scilicet sit benè, confiteri sæpè generaliter? Respond. ad hoc, quòd facere confessionem generalem totius anteactæ vitæ aliquando est necesse, aliquando vtile, aliquando damnosum. Expedit enim, imò necesse est, vt fiat confessio generalis in anno probationis, siue in principio, siue in medio, siue in fine anni, ad tollendum omnem scrupulum præteritarum confessionum, & ad pacandas, & quietandas conscientias.

Vtile verò est, multoties id facere post emissam professionem de peccatis in Religione commissis: maximè in quibusdam solennitatibus præcipuis, vel Iubilæis, & huiusmodi: prosunt enim valdè tales confessiones ad renouandum propositum in seruitio Dei: & eo magis id debet facere, qui per talem confessionem expertus est se in via Dei proficere.

At damnosum est, talem confessionem generalem facere, quando timetur vel præteritorum delectorum complacentia, vel quòd conscientia euadat scrupulosa, vel quid aliud, vt rectè Medina admonet *in sua instructione Confessariorum lib. 1. cap. 12.* Ponam hîc quæ habet Caietanus relatus à Nauarro *in c. fratres. de pœnitentia dist. 5. num. 30.* Medina. Caietanus.

Ex scrupulo, inquit Caietanus, *& inquieta phantasia cadere in conscientiam iterandi, & reiterandi plures confessiones, vituperabile est.* Quoniam recuperanda est pax animæ & conscientiæ, quæ cum huiusmodi iterationibus non stat. Et quando hoc accidit, in veritate deberet talis, postquàm semel ita confessus est, & absolutus, vt tam ipse, quàm Confessarius doctus sufficientem iudicet confessionem, quiescere. Et si posteà scrupulus aliquis occurrit de aliquo tanquàm non confesso, si sibi videtur, quòd fuerit confessus, quiescat, & non ampliùs confiteatur.

Nec propterea exponit se periculo talis, quia non est certus se confessum: quoniam hoc putandum est huic viro infirmo, vt certum, quod apud alium esset opinio: etenim passio hæc, infirmitas corporis, tollens seu impediens in illo tempore firmitatem iudicij, & timor, & motus phantasiæ in tantum operantur, vt nisi quiescat, consurgent tot ambigua, vt nunquàm videatur confessus. Sic Caietanus.

Cui consonat Nauarrus, qui in eodem loco, & de eadem re tractans, ait: Hoc autem sanctum, ac vtile esse, scilicet confiteri sæpè de vna, & eadem re Nauarrus.

intellige quando quis confitetur ex deuotione pluries eadem peccata cum quieta conscientia, sine molestia Confessariorum, non conterendo in hoc tempus aliis magis piis, aut vtilibus operibus impendendum & breuiter seruatis prudentiæ conditionibus, aliàs autem vituperabile est.

DECIMAQVARTA CONDITIO confessionis est, vt sit fortis.

SVMMARIVM.

1 *Confessio debet esse fortis, id est superans timorem.*
2 *Confessarij cautela in interrogando pœnitentem.*
3 *Tria seruanda in interrogationibus.*

Fortis. Nauarr. Superans timorem.

1 TAntâ constantiâ facienda est confessio, inquit Nauarrus *in c. fratres.* vt nulla verecundia, nullus timor dehortetur pœnitentem à confitendo: & sic intellecta hæc conditio, de essentia est secundùm Sotum, si verò per *fortem* intelligatur strenua & virili animo facta, de ornatu confessionis est. Cognoscitur autem fortitudo, si pœnitens, antequàm interrogetur à Confessario per se dicit peccata sua; vt à Cõfessario posteà adiuuetur in eo, quod deficit, quia conducit ad humiliationem confitentis, quòd priùs ipse enarret iniustitias suas, ne sit veluti Nabuchodonosor, qui Satrapis dicebat, *Indicate somnium meum.*

Confessarij cautela in interrogando pœnitẽtem.

2 Hic verò notandum, quòd licèt Confessarius debet adiuuare pœnitentem & de multis interrogare; hoc tamen cum magna cautela & prudentia debet facere: nam solùm debet eum interrogare id, quod expedit, non ampliùs, iuxta illud Augusti

Augustini relatum à Gratiano *in cap. 1. de pœn. dist. 6. §. diligens.* & à Magistro sent. *in 4. dist. 19. in fine.* Diligens Confessarius sapiẽter interroget peccatorem, quod fortasse ignorat, vel præ verecundia velit occultare. Quibus verbis D. Thom. *in addit. ad 3. p.* dicit, Confessarium teneri scrutari conscientiam peccatoris: sicut solet medicus ægritudinem ægroti, & iudex causam litigantis. Vnde rectè dicit Angelica, verbo, *interrogationes, in princ.* nempe Confessarium teneri sub pœna peccati mortalis, ad interrogãdum omnia, quæ ipse videt necessaria ad hoc, vt sit integra, & fructuosa confessio. Ad duo autem præcipuè debet attendere: nempe ad numerum peccatorum, vt pœnitens explicet ipsum numerum, quando recordatur: quando verò minimè, dicatur plus minus: & ad speciem particularem eius, quod generaliter confitetur: nam sunt multi pœnitentes, qui semper confitentur, & dicunt peccata in genere: nunquam verò descendunt ad particulare, & hoc Confessarij debent perpendere. S. August. D. Thom.

Tria seruanda in interrogationibus.

Sunt autem tria obseruanda in talibus interrogationibus.

3 Primum est, vt non interroget omnia, quæ pœnitens poterat commisisse: sed tantùm illa, quæ homines eiusdem qualitatis efficere solent.

Secundum est, vt solùm interroget consueta peccata, quæ ferè omnes nouerunt, & quæ committi solent à talibus pœnitentibus: non autem interroget peccata occultiora, quæ perditissimi homines inuenerunt, ne doceant ipsos pœnitentes, quæ ipsi nunquàm cogitarunt.

Tertium est, vt in peccatis carnalibus non nimiùm descendat ad particulares circunstantias, singulas quasque minutatim interrogans, ne seipsum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut pœnitentem ad aliquam delectationem alliciat. Quocirca cùm de pollutione voluntaria, vel de fornicatione interrogat, nihil de modo perpetrandi inquirat: satis est dicere quoties id commiserit, modò id explicet, quod necessarium est ad ipsius peccati naturam & speciem cognoscendam: & consequenter summatim tantùm debet interrogare de osculis, amplexibus, aliisque tactibus impudicis, eos, qui non sunt matrimonio obstricti: illos verò, qui obstricti sunt, magis perfunctoriè, vel nihil penitus, nisi solùm ad intelligendum, an aliqua extraordinaria pollutio fuerit subsequuta, vel an illi tactus fuerint cum probabili pollutionis periculo: quoniam alia, aut non sunt peccata, aut non sunt nisi venialia. Caietan. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 1. Nauarr. *in Man. cap.* 5. Sot. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Petr. à Soto *lect.* 9.

Caietan. Nauarr. Petr. à Sot.

Quartum, si Confessarius viderit pœnitentem velle occultare aliquod graue peccatum vel ob pusillanimitatem, vel ob verecundiam, eo casu debet pœnitentem monere, vt eum pœniteat illius pusillanimitatis, qua deterrebatur à confitendis necessariis: & ita suadeat ei, vt illud quoque peccatum, quod commisit, volendo aliqua occultare, cum aliis confiteatur.

DECIMAQVINTA CONDITIO confessionis est, vt sit accusans.

SVMMARIVM.

1 *Confessio debet esse accusans, idest sibi imputãs peccata.*
2 *Vel accusans, idest, non excusans: quia circunstantias aggrauantes debet pœnitens confiteri, non autem minuentes. & num.* 3.

1 VNum de præcipuis in confessione seruandis à quolibet pœnitente, est, vt ipse accuset sua peccata, ea sibi imputando: non diabolo, non mundo, non carni: vnde in cap. *non est.* 15. *q.* 1. dicitur: *Non est, quod cuiquam nostrum adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati.* Et paulò pòst: *Voluntarium sibi militem eligit Christus: voluntarium sibi seruum diabolus auctionatur: neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi sese illi priùs peccatorum ære vendiderit.*

Accusans, idest, sibi imputans peccata.

2 Vel accusans debet esse confessio, idest, non excusans: quia circunstantias aggrauantes, vel mutantes speciem, debet pœnitens explicare: excusantes verò debet tacere. Scio Sotum aliter sentire; nempe quòd circunstantię attenuantes, & excusantes peccatum in confessione declarandæ sunt, vt sic peccans honori suo consulat: nihilominùs Paludanus ait, meliùs esse, eas in confessione silere, quia earum declaratio in fauorem pœnitentis est: & sic eas tacere potest cedendo iuri suo, vt peccata sua maiori pudore, & confusione in confessione exprimantur. Sic ille.

Accusans, idest, non excusans.

Sotus.

Circunstãtia minuẽtes an sint declarãda.

Paludan.

3 Verùm de circunstantiis minuentibus, cum distinctione loquendum est: nam vel minuunt variando speciem, vel intra eandem: de prioribus, certa res est, esse declarandas, vt docet S. Bonauent. *in* 4. *dist.* 17. *art.* 5. *q. vlt.* Gabr. *q.* 1. *art.* 2. Victor. *nu.* 102. Sotus, Cano, & alij. Et patet ex Concilio Trident. *in sess.* 14. *cap.* 5. generatim dicente; Omnes circunstantias mutantes speciem esse confitendas. At verò de circunstantiis minuentibus intra eandem speciem, Bonauent. & alij, præsertim Nauarr. *in Man. cap.* 6. *num.* 6. non solùm negant esse necessarium: verùm etiam (per se loquendo) non esse expediens illas declarare, quia non deseruiunt ad accusationem,

Auctoris sentẽtia de circunstãtys minuẽtibus.

S. Bonau. Gabriel. Victoria. Sotus. Cano. Cõc. Trid. Nauarrus.

nem,sed ad excusationem, quæ non incumbit ipsi reo:& quamuis iudex fortè maiorem aliquam grauitatem concipiat,nullum graue incommodum sequitur in hoc iudicio: etsi quod est,totum cedit in grauamen ipsius pœnitentis: ipse autem potest cedere iuri suo,& erit vtile ad maiorē satisfactionem.

Scotus. Cano. Scotus autem, Cano, & alij putant hoc esse necessarium, quando circunstantia notabiliter minuit: quia aliàs putant iudicem decipi in re graui, scilicet quòd tunc pœnitens debet explicare ipsam circunstantiam diminuentem notabiliter. Vtraque sententia probabiliter loquitur, & potest ad praxim reduci.

DECIMASEXTA CONDITIO confessionis est,vt sit parere parata.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sit parere parata ad pœnitentiã acceptandã.*
2 *Scotus tenet,non posse pœnitentem cogi,vt in hac vita pœnitentiam agat: dummodò paratus sit in purgatorio eam peragere.*
3 *Pœnitens tenetur sub mortali acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam:probatur ex Conciliis, ex Patribus,& ex rationibus.*

Parere parata ad pœnitentiã acceptãdã.

1 COnueniunt omnes Summistæ, quòd pœnitens,ad confessionem accedens,debet habere animum promptum, & paratum ad acceptandam satisfactionem, & pœnitentiam à Confessario pro suis peccatis sibi impositam:& peccat mortaliter, qui Superiori non paret:at Confessarius,Superior, & præfectus confitentis est, etiamsi confitens fuerit

fuerit Papa, *gloss.putata singul.in cap.sanè, 2. de offic. deleg.* quæ similem habet in cap. *nemo 9.q.3.* & Rabanus ait: *Pœnitens debet quicquid ei iniunctum fuerit, ita cautè seruare,tanquàm ab ipso Dei ore prolatum.* Gloss.

2 Dubitatur hîc; An pœnitens teneatur sub mortali acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam:Et an possit illam refutare,offerendo se ad peragendam illam in purgatorio? Dubium.

Respondeo, quòd circa hanc difficultatem est opinio Scoti *in 4. distinct.17.* quam sequitur Gabr. *dist.16.q.2.*& Med.*C.de confess.* disertè tractans eam: & quam maximoperè commendat, & amplectitur Doctor Nauarrus *in Man. cap.25. num.28.* scilicet quòd sufficit pœnitenti habere propositum satisfaciendi Deo in hoc mundo,vel in purgatorio. Respond. Scotus. Gabriel. Medina. Nauarrus. *Sufficit pœnitẽti velle satisfacere Deo in hoc mundo,vel in purgatorio.*

Quibus consonat Hostiensis *in summa de pœnit. §.& an sit.vers. Qui de operibus.* & Panorm. *in cap.significauit,num.1.eodem tit.* nisi quatenùs tenent,quòd ipse pœnitens sit obligatus acceptare aliquantulam pœnitentiam, & saltem vnum *Pater noster.* Quæ sententia Scoti recepta est in Vrbe, & in Orbe: ne cuiquam scilicet denegetur absolutio,eò solo,quòd nolit acceptare pœnitentiam sibi iniunctam,modò habeat propositum verum plenè satisfaciendi Deo viuens per bona opera & indulgentias,vel mortuus in purgatorio cruciatu horrendo.Sic Nauar.*vbi sup.* Sic prædicti Doctores. Hostiens. Panorm. *Scoti sententia recepta in Vrbe, & in Orbe.*

3 Sed contraria sententia est communior, & verior, quam Moderniores sequuntur, scilicet, vt pœnitens habeat animum,& propositum peragendi,& exequendi,quod Confessarius iudicauerit necessarium erga ipsius conscientiam:scilicet paratus restituere tertiæ personæ,si Confessarius iudicauerit: paratus etiam super occasiones peccatorum remedia acceptare, rursus acceptare pœnitentiam, *Pœnitens tenetur sub mortali acceptare pœnitentiã à Confessario sibi impositam.*

quam Confessarius iniunxerit. Itaque Confessarius obligare potest pœnitentem, vt satisfactionem, & pœnitentiam impositam acceptet, & impleat. Quæ conclusio videtur nunc tam certa, vt sine temeritate negari non possit. Et probatur primò, ex Conciliis. Secundò, ex Doctoribus. Tertiò, ex rationibus.

Probatur ex Cõciliis.

Primò, probant intentum Concilia: nam Tridentinum *sess. 14. num. 8.* quod est de satisfactionis necessitate, & fructu, his verbis præcipit Confessariis; *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, sæculares, & conuenientes satisfactiones iniungere: ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem; nam claues Sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Et can. 15. *Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum: & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra fidem clauium, & contra institutionem Christi, anathema sit.* Ex quibus verbis patet, quòd finis clauium, & Christi institutio id exigit, vt pœnitentibus pœnæ in sacramento pœnitentiæ imponantur: ergo hunc finem, & hanc Christi institutionem peruertere, nec Sacerdoti, nec pœnitenti, nec vlli potestati humanæ licet.

Concilium Lateranense, cui interfuit Innoc. III. *vt liquet ex cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* iubet, omnem vtriusque sexus fidelem, qui doli

sit capax, singulis annis semel saltem proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, in Paschate Eucharistiam sumere, & iiunctam pœnitentiam pro viribus adimplere. At verba hæc *(confiteri, suscipere, adimplere)* necessaria officia eius qui confitetur, præ se gerunt.

Concilium Lateranense, cui Leo X. præfuit, præcipit, vt qui Deum, diuósque contumeliosis verbis insectantur, in foro conscientiæ absolui non possint: *nisi* (verba sunt Concilij) *grauissima pœnitentia seueri Confessoris arbitrio iuncta:* at blasphemiæ reus, Sacerdotis absolutionem sine scelere contemnere non potest, ergo nec pœnitentiæ.

Concilium Florentinum, vbi præcipit de pœnitentiæ sacramento, dicit; *Pars pœnitentiæ, satisfactio est, secundùm arbitrium Sacerdotis.* Illa verò, quæ pertinent ad doctrinam sacramentorum, & ad rationem: quemadmodum à Christo sunt instituta, ac tradita, non ad liberam cuiusque voluntatem: sed ad necessitatem, cogentémque legem referuntur, vt nullo pacto liceat cuique minuere, aut immutare.

Probatur ex Doctoribus.

Secundò probãt intentum Doctores: Riccardus de S. Victore *in tract. de potestate ligandi, & soluendi, cap. 8.* ostendit pœnitentem lege necessaria satisfaciendi Sacerdotis arbitrio esse adstrictum his verbis: *Pœnitentem namque à debito damnationis Deus absoluit sub tali conditione, vt eum oporteat, prout potest, Sacerdotis absolutionem quærere, & ad eius arbitrium debito more satisfacere: nam si facere neglexerit, periculum æternum non euadit.* Idem docet Magister sententiarum *in 4. dist. 18.* & D. Thom. *ibid. & in 3. part. q. 80. art. 2.* vbi sic ait: *Requiritur ex parte pœnitentis primò, quidem voluntas compensandi, quod fit per contritionem. Secundò, quòd se subiciat arbitrio Sacerdotis, loco Dei, quod*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod fit per confessionem. Tertiò, quòd recompenset secundùm arbitrium ministri Dei, quod fit per satisfactionem. Idem docet Alex. de Ales *in 4. part. q. 24 in 4. artic. 5.* Dur. *in 4. d. 20. quæst. 1. & 2.* Riccard. *d. 18. art. 1. q. 5.* & Palud. *d. 20. q. 1. art. 2. & q. 2. art. 3. & q. 1. art. 2.* affirmat quemlibet Christianum ad satisfaciendum cogi arbitrio Petri, Maior *d. 17. q. 2.* Almain. *d. 18. q. 1. art. 2.* Sot. *d. 20. q. 2. art. 2.* Canus *in par. 5. relect. de pœnit.* Petr. Sot. *lect. 2. de pœnit.* Ledesm. *2. 4. q. 20. ar. 3.* Roffensis *art. 5. contr. Lutherum.* Et non solùm tenetur pœnitens acceptare iniunctam pœnitentiam: verùm, & ipsam implere. Sic Sot. & Petr. à Soto, & D. Thom. *vbi suprà.* Valentia *disput. 7. q. 14. puncto 4.* vbi ait, mortale peccatum esse ex genere, iniunctam pœnitentiam non perficere. Et Maior *vbi supr.* habet, quòd ei, qui pœnitentiam iniunctam renuerit suscipere, interdicendus est ingressus Ecclesiæ. Vide etiam Bellarm. *lib. 4. de pœnit. cap. 13.* Addo, quòd Magister Victoria *quæst. 109. & 240.* existimat hoc esse de fide.

Probatur ex rationibus.

Tertiò probatur rationibus. Prima ratio validissima est, quòd sit fidei articulus, sacramentalem absolutionem Sacerdotis actum esse iudicialem, *ex can. 9. sess. 14. Concil. Trident.* Sed iudicium dici non potest, inquit D. Thom. *in 4. d. 19. q. 1. art. 1. ad q. 3.* nisi vim coactiuam habeat: quare Sacerdos cogere potest pœnitentem ad pœnitentiam iniunctam suscipiendam, & adimplendam: nam vnusquisque tenetur parere iudici rectè iudicanti: & impositio pœnitentiæ est pars iustitiæ.

Secunda ratio, sacramentum pœnitentiæ est sacramentum iurisdictionis, vt probat Gabriel *in 4. d. 19. q. vnic.* Hinc fit, vt non quilibet Sacerdos ius dicere possit in hoc sacramento: sed is solùm, qui ad

ad potestatem ordinis adiunctam habet potestatem iurisdictionis: vt omnes Catholici docent, & credunt. At iurisdictio sine coercitione nulla est *ff. de offic. eius, cui mandata est iurisdictio. l. postrema. c. pastoralis, de offic. deleg.* ergo si Sacerdos in sacramento pœnitentiæ iurisdictione vtitur: vim puniendi, & coercendi reum habeat necesse est.

Tertia ratio, Ab eo exigit Deus satisfactionem & compensationem iniuriæ, à quo offensus est, & cui impertitum est sacramentum pœnitentiæ, & reconciliationis: Sed totus homo offendit Deum, & toti homini, non animæ tantùm largitus est sacramentum reconciliationis, ergo à toto homine exigitur satisfactio. Sed in Purgatorio non viuit totus homo, sed eius tantum anima: Ergo in hoc mundo Deo fieri debet satisfactio iuncta, sacramentalis namque satisfactio, quam præstat Deo anima in Purgatorio, longè diuersa est ab ea, quam à toto homine Deus exigit in sacramento pœnitentiæ.

Quarta, & vltima ratio, sacramentum pœnitentiæ constat essentia, & integritate, & vtrumque habet à Christo, & vtrumque est iuris diuini: sed satisfactio est pars integritatis, non item essentiæ, vt communiter docent Theologi: ergo non est in potestate cuiusquam hominis integritatem hanc violare. Violaretur autem si is, qui sua peccata confitetur, recusaret à Sacerdote iniunctam pœnitentiam, eámque reseruaret post hanc vitam: ergo id pœnitenti non licebit. Et hæc sufficiant pro præsenti conditione & pro toto hoc discursu de conditionibus confessionis, de quibus consulto in principio huius tertiæ sectionis loquuti sumus, nũc more solito, reliqua per articulos prosequamur.

ARTI

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS I.

An possint cogi Regulares, vt in quolibet mense pluries confiteantur.

SVMMARIVM.

1 *Confessio est de iure diuino.*
2 *An præceptum de suscipienda Eucharistia obliget tantùm semel in anno.*
3 *Præceptum de confitendo obligat semel in anno.*
4 *Præceptum de confitendo obligat specialiter tempore Paschatis.*
5 *An qui in Paschate communionem non suscepit, liber maneat à præcepto pro toto illo anno.*
6 *An in aliquo casu teneatur quis præuenire tempus Paschale pro communione suscipienda.*
7 *Regulares non obligantur ad confitendum pluries in anno, nisi quatenùs obligant eorum statuta.*
8 *Potest Prælatus cogere subditum ad hoc, etiam per pœnas corporales.*

Confessio est de iure diuino.

1 SVppono hîc confessionem annuam esse de iure diuino. Vide Azor. *lib.7.cap.40.ibi, Octauò quæritur.* Et vide quæ nos diximus suprà *in primo articulo, primæ sectionis.* Sed quia diuersus est status sæcularium à Regularibus, nam sæculares tenentur semel in anno confiteri: Regulares verò, quia ad maiorem perfectionem sunt destinati, pluries tenentur, ideò videndum est, an teneantur semel in mense.

Dubium. An præceptū Ecclesiasticū de suscipienda Eucharistia, obliget tantum semel in anno.

2 Et pro hoc dubitatur, an præceptum Ecclesiasticum de suscipiendo Eucharistiæ sacramento obliget tãtùm semel in anno. Nauarrus *in Manuali cap.* 21. excipit nonnullas personas, quæ pluries in anno communicare tenentur: non ex solo diuino iure, neque ex hac lege Ecclesiastica, sed ex aliis. Nam in Clem. *in Agro. §. sanè. de statu Monachorum,* præcipitur Monachis Benedictinis, vt singulis mensibus communicent, & idem dicitur de Monialibus in Concil Trident. *sess. 25. cap. 10. de Regularibus.* Sed in his decretis non sunt verba, quæ præceptum clarè exprimant: sed solùm consilium, vel regularem constitutionem, vnde Trident. Sic ait: *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum sanctimonialium, vt in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, vt saltem singulis mensibus &c.* Quapropter nisi speciale votum intercedat, aut nisi ex instituto Religionis constet constitutiones obligare sub mortali, nulla talis est rigorosa obligatio.

Præceptum de confessione obligat semel in anno.

3 Stando ergo in iure communi. Dico primò, hoc præceptum obligare tantùm semel in anno, quod patet ex verbis legis. Vnde obseruandum est iuxta D. Thom. 3 *p.q. 80. art. 10. ad 5.* quòd secundùm diuersum statum Ecclesiæ, diuersa statuta emanarunt circa sacramentalem communionem. Nam in primitiua Ecclesia, quando magna vrgebat deuotio fidei Christianæ, statutum fuit, vt quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus Papa *epist. 1. de cons. d. 1. cap. Episcopus.* dicit, *peracta consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim, & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia:* quæ verba (vt credo) intelliguntur non de omnibus fidelibus absolutè, sed de clericis, qui Sacerdoti ministrabant, vt docet Ales. *p. 4. q. 10.* quod vtique consentaneum est satis intentioni Anacleti: nam de his specialiter loquebatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

batur in illa prima epistola. Postmodum verò diminuto fidei feruore, Fabianus Papa, vt legitur *de consecr. dist. 2. cap. Et si non feruentiùs.* indulsit, vt si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet, in Paschate, Pentecoste, & in die Natalis Domini. Sother etiam Papa *in epistola ad Episcopos Italiæ, & habetur de consecr. d. 2. cap. in Cœna*, statuit in Cœna Domini esse communicandum. Tandem crescente nimium fidelium numero, & charitate refrigescente statuit Innocētius III. vt saltem semel in anno in Paschate fideles communicent. Ex quibus colligitur, stante hoc Ecclesiastico præcepto, neminem obligari ad maiorem frequentiam, nec peccare eum, qui semel tantum in anno, tempore ab Ecclesia præscripto, communicat: nam implendo præceptum Ecclesiæ, simul satisfacit diuino, alioqui Ecclesia non sufficienter prouidisset fidelibus.

Præceptum de cōfitendo obligat specialiter tēpore Paschatis.

4 Dico secundò, hoc præceptum specialiter obligare tempore Paschatis: vt patet ex illis verbis legis *Ad minus in Paschate.* Concilium Trident. *sess. 13. can. 9.* definit teneri omnes fideles singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ. Vnde obseruandum est, quòd nomine, *Paschatis*, non intelligitur præcisè ipsa Dominica dies Paschæ, in qua Christus resurrexit, sed Ecclesiastica consuetudo declarauit ex decreto Eugenij IV. vt refert Nauarr. *cap. 21. num. 45.* hoc tempus complecti 25. dies à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis inclusiuè. Nam quolibet horum dierū si quis communicet, implet hoc præceptum, & quamuis sæpiùs extra hos dies communicet, non implet præceptum: nisi communicet intra illos dies, quia verba

verba legis limitant actum ad illud tempus.

Dubium. *An qui in Paschate non est cōmunicatus, liber maneat à præcepto pro illo anno.*

5 Sed dubium est, An qui in Paschate transgressus est hoc præceptum, liber maneat ab obligatione communicandi vsque ad sequens Paschа. Partem affirmatiuam defendunt D. Antoninus 2. *p. tit. 9. cap. 9. §. 3.* Sylvester verb. *Euchar. 3. quæst. 15.* Tabien. verbo, *communicare, q. 7.* Medina, *eod. de pœnit. q. de confessione semel in anno agenda.* Sotus *in 4. d. 18. q. 2. art. 4.* & Victor. *in summa* 137. quorum fundamentum est, quia præceptum affirmatiuum obligans ad aliquem actum, præscripto die, vel tempore, transacto illo, non obligat: sicut patet in præcepto audiendi Missam in die festo, & in præcepto ieiunij Quadragesimalis, vel quocumque alio: ac etiam de voto, quando fit de actu pro die, vel tempore determinato: huiusmodi est autem hoc præceptum respectu temporis Paschalis.

Responsio.

His tamen non obstantibus, dico, quòd Paschale tempus, cùm designatur hoc præcepto, quòd si in illo non impleatur, non cesset obligatio vsque ad futurum Paschа, sed obligat semper idem præceptum ad non differendam communionem: sed statim communicandum, quàm primum moraliter homo possit. Ita docet Nauarr. *cap. 21. num. 45.* & Viguerius *in institutionibus, cap. 16.* & sumitur ex D. Thom. *in 4. d. 13. q. 1. art. 1. q. 2.* quatenùs eodem modo loquitur de communione, quo de confessione & idem sentit Paludan. *in 4. distinct. 10. quæstio. 1. numer. 25.*

Ad fundamentum alterius sententiæ dico, quòd varij sunt modi, quibus potest certum tempus legis præscribi. Primò enim potest lex determinare tempus propter specialem solennitatem, aut circunstantiam illius, vt præcipitur ieiunium in Vi-

gilia alicuius Sancti, vel Missam in die festo. Secundò, designatur actus præceptus, vt proprium onus talis temporis, vt recitare Horas Canonicas, est proprium onus singulorum dierum: & de his duobus modis procedent rectè, quæ prima sententia assumit, quia in his obligatio talis præcepti omninò limitatur ad tempus illud. Tertio modo principaliter, & absolutè præcipitur actus; quò ad substantiam temporis verò circunstantia designatur, vt magis congrua, seu conueniens ex ratione accidentali, vt in præcepto recitādi Horas Canonicas substantia præcepti est, vt intra eundem diem omnes dicantur; congruentia verò est, vt singulæ Horæ dicantur certis diei temporibus, in quibus si omittantur, non cessat obligatio, quamdiu durat dies. In hoc tertio ordine est hoc præceptum, præcipuè enim in eo intenditur, vt fideles non nimium differant vsum communionis, hoc est, vt communio vltra annum non differatur. Dies autem Paschalis propter speciales congruentias designatur: non quia actus communicandi, sit proprium onus illius diei, neque vt terminus ita præfixus ad solutionem huius debiti, vt illo transacto, impletum non sit: sed potiùs vt terminet dilationem temporis, intra quod implenda est obligatio, vt saltem in illo impleatur, & multò magis post illud, si absque obseruatione, & executione obligationis transigatur, sicut de solutione debiti potest exemplo declarari: vt v. g. tenetur aliquis tantum debitum soluere quotannis, tamen ad maiorem certitudinem certa dies designatur, vtputà sancti Ioannis: quòd si ea dies absque solutione tributi transigitur, non cessat obligatio, sed potiùs post illum diem semper magis, ac magis vrget, vnde dicunt Iuristæ talem termi

terminum non designari vt in illo obligatio extinguatur etiamsi non impleatur, sed vt solutio vsque ad illum differri possit, & non ampliùs.

6 Secundò dubitatur, an si quis præuideat fore, vt intra illos 25. Paschales dies communicare non possit, teneatur præuenire, & communionem anticipare. Dico quòd non, & ratio est, quia nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum nisi per talem actum possit satisfacere obligationi præcepti, sed per communionem anticipatam non implet quis obligationem præcepti; ergo ex vi eius ad id non obligatur. Maior videtur ferè per se nota ex terminis, quia lex non obligat, nisi vt impleatur; ergo ad actum, quo impleri non potest, non obligat. Minor verò patet, nam si quis in eo casu anticiparet communionem, & postea Paschali tempore non occurreret impedimentum, quod timebat, teneretur illo tempore communicare, quia hoc præcipit lex: & tunc impleri potest, cùm factum non sit. Quia etiamsi communicauerit ex voluntate implendi præceptum, tamen non auderem eum excusare ab obligatione communicandi in Paschate, si postea communicare posset tempore præcepti, quia cùm lex ipsa expressè id præcipiat, non video cur sit omittendum, cùm seruari potest. Dubium. Responsio.

Postremò circa hoc Ecclesiasticum præceptum obseruandum est, iure communi, nullam pœnam, seu censuram ipso iure incurrendam latam esse cōtra huius præcepti transgressores, vt constat *ex dicto cap. Omnis vtriusque*. Sed solùm præcipitur, vt huiusmodi transgressor ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiasticâ careat sepulturâ: quę pœnæ, donec imponantur, non incurruntur. Imponi autem debent non solùm aduersus eos, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtrumque præceptum ibi positum cõfessionis violant, sed etiam, si hoc solùm transgrediantur, quia lex contra omnes loquitur, qui vtrumque præceptum non implent. Solent autem in singulis diœcesibus esse circa hoc speciales leges synodales, quę in propriis Episcopatibus obseruandæ sunt.

7 Nunc ad quæsitum principale, An scilicet possint cogi Regulares, vt in quolibet mense pluries confiteantur.

Respondeo, quod dubium hoc mouetur propter Clem. I. *de statu Monach.* vbi præcipitur Religiosis S. Benedicti, vt singulis mensibus confiteantur. De quo iure primùm incertum est, an obliget tantùm eos, qui habent conscientiam peccati mortalis, vel etiam, si non habeant nisi venialia. Glossa enim ibi, priorem sententiam significat, dum ait: *ibi fieri determinationem menstruam, pro illis Religiosis, sicut facta est annua pro omnibus fidelibus:* & hoc sequitur Sotus *distinct.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 3. & indicat Paludan. *distinct.* 17. *quæst.* 2. *art.* 4.

Sotus. Palud.

Caietanus. Canus. Nauar.

Alij verò secundum existimant cum Caietano *tom.* 1. *opusc. titul.* 5. *quæst.* 1. Cano *relect. de pœnitent. par.* 5. Nauarr. *in c. placuit. num.* 110. & certè videtur magis consonum intentioni summi Pontificis, tum quia non est verisimile, præsumpsisse summum Pontificem Religiosos peccaturos mortaliter singulis mensibus: tum etiam quia præceptis, seu regulis ibi positis intendit summus Pontifex reformare Religionem illam, non esset autem reformatio, sed potiùs relaxatio Religionis, si tantùm post commissum peccatum mortale, & singulis mensibus ad confessionem obligarentur.

Deinde incertũ est, an illud ius sub mortali obliget Religiosos ad menstruam confessionem. Sotus *vbi*

Sotus.

vbi suprà, videtur consequenter affirmare: quod etiam sentit Maior *in dist.* 17. *q.* 2. Nauarr. verò *vbi suprà* dicit, solùm eos teneri de honestate. At Caietanus sentit, non obligare illam legem ad peccatum mortale: quod sequitur Cano, *vbi supr.* quia nec verba legis, nec pœna imposita tantam obligationem indicant. Quæ ratio non multùm cogit: quia verbum, *teneantur*, vel aliud simile, quo ibi Pontifex vtitur, de se sufficiens est: grauitas autem obligationis non est colligenda ex pœna, sed ex materia legis: hîc verò materia grauis est: scilicet vsus sacramenti ad vitam Religiosam magis necessarij: sicut etiam ibi præcipitur communio singulis mensibus, quæ etiam videtur materia grauis.

Maior. Nauarr. Caietan.

Vnde existimo hoc pendere ex instituto, & consuetudine talis Religionis: arbitror enim hanc constitutionem, non magis eos obligare, quàm alias eiusdem Religionis constitutiones: quia in toto illo capitulo nullum verbum est, quod aliud indicet. Vnde si vsus, & declaratio talis Religionis est, vt constitutiones eius non obligent ad culpam, sicut in nostris expressè apparet, tunc tale ius non obligat ad mortale: si verò nulla est talis declaratio, neque ex consuetudine Religionis aliud constat, lex hæc explicanda est iuxta vim verborum, & qualitatem materiæ, in quam cadit: & ideò ex suo genere inducet grauem obligationem propter rationem iam factam.

Resolutio.

8 Potest benè Prælatus cogere subditum, etiam per pœnas corporales, si id non seruat: quia alioqui viueret præter communem vsum Religionis: eò magis quia quando professus est Religionem, sponte se obligauit ad viuendum non solùm iuxta Regulam: verùm, & iuxta constitutiones ipsius Religionis:

Prælatus potest cogere subditũ per pœnas, vt pluries cõfiteatur.

gionis : ergo ratione huius ſpontaneæ obligationis poteſt cogi, vt faciat quod cæteri Religioſi ſui ordinis communiter faciunt. Et per ſupradicta patet ſolutio difficultatis, quæ ex noſtris ſtatutis poteſt oriri : ſtatuunt enim, vt fratres bis in hebdomada confiteantur: ideò poteſt dubitari an hoc facere teneantur fratres ex præcepto, nécne ? Reſpondetur enim negatiuè, ſed ſolùm tenentur ad pœnam.

ARTICVLVS II.

An ſi Religioſus non habeat niſi venialia, poſſit cogi, vt illa confiteatur?

SVMMARIVM.

1 *Non habens, niſi venialia, non tenetur confiteri, ſecundùm Sotum.*
2 *Quòd aliquando teneatur, placet S. Bonauenturæ.*
3 *Peccatum veniale, dum eſt in voluntate, non dimittitur, nec remittitur ſine actu pœnitentiæ.*
4 *An ſufficiat quicunque dolor idoneus, licèt remiſſus.*
5 *Venialia peccata multipliciter remitti poſſunt.*
6 *Veniale peccatum remittitur per aſperſionem aquæ benedictæ.*

Sotus. D.Thom. 1 REſpondeo, quòd Sotus *in diſt.* 18. *q.* 1. *artic.* 3. cum D.Thom. *in* 3. *part. q.* 65. *art.* 1. tenet partem negatiuam : quia, inquit S.Thom. ad deletionem venialis peccati nullum eſt directè inſtitutum ſacramentum. Et ratio eſt, quia ſacramenta omnia ad infuſionem gratiæ ſunt inſtituta : veniale verò peccatum abſque gratiæ infuſione remitti poteſt per actum charitatis. Eandem opinionem tenet Scotus

Scotus. Durand. D.Bonau. falsò citatus à Soto.

Scotus *in* 4. *diſt.* 17. & Dur. 16. *q.* 9. Citatur autem à Soto, *vbi ſuprà*. S.Bonauent. *in* 4. *d.* 17. *p. art.* 2. *q.* 1. ac ſi teneat contrarium : nihilominùs ſi tota illa quæſtio perpendatur, nihil contra ea, quæ determinata ſunt, inuenietur : ait enim Seraphicus Doctor ; *Confeſſio venialium non eſt in præcepto, eſt tamen in conſilio : in præcepto non eſt, quia cùm ſint de ſui natura venialia, per ſe poſſunt veniam conſequi, ſiue per pœnitentiam internam, ſiue per exteriorem aſſumptam, ſiue etiam per pœnam purgatoriam.*

Quamuis autem de ratione ſui generis non ſit neceſſarium, ea confiteri : tamen congruum eſt, maximè viris perfectis, quia vtile eſt multùm, & pœna illis debita minuitur virtute clauium. In caſu autem contingit, quòd homo teneatur ea confiteri, ſiue propter dubium, quia dubitat probabiliter, vtrum ſit mortale, vel veniale : ideò ſi non pœnitet ſicut de mortali, diſcrimini ſe exponit : & ideò debet confiteri, ſicut iacet in conſcientia ; & iudicio Sacerdotis relinquat, vtrùm ſit veniale, vel mortale, ſiue etiam propter Eccleſiaſticum ſtatutum tenetur : quia omnis fidelis ſemel in anno tenetur confiteri, ſed hoc non propter peccati venialis morbum, ſed propter præceptum Hæc S.Bonauentura, cum quo concordat Riccardus ibidem. S.Bonau. Riccard.

Sotus. *Non habẽs niſi venialia, non tenetur confiteri* : ſic Moderni. *Quòd aliquando teneãtur placet D. Bonauent. & Nauarro.*

2 Sotus nihilominùs contendit, quòd neque ex præcepto Eccleſiæ, nam tale præceptum præſupponit materiam neceſſariam, quæ cùm non ſit talis reſpectu venialium, concludit, quòd qui non habet mortale, non tenetur confiteri : quæ ſententia videtur plauſibilis modernis : nihilominùs ſententia S.Bonauent. eſt etiam plauſibilis Nauarr. *in cap. placuit, ſub num.* 110. vbi refert Clem. *ne in agro, § ſanè, de ſtatu monach.* & Caietano *in paruis opuſc. to.* 1. *tract.* 5. *q.* 1. aſſerenti monachos, etiam nulla mortalia, quæ confiteantur, habentes ad id teneri, & oportet illos,

eo casu confiteri venialia, vel mortalia aliàs detecta Confessario. Et sequitur ibidem Nauarr. sicut igitur nemo tenetur venialia confiteri, si ius diuinum tantùm attendas: si tamen humanum, tenetur. Ex quibus verbis possumus concludere, quòd quia Religiosi, maximè nos Capuccini, per nostra statuta pluries in hebdomada confiteri teneamur: & cùm ad seruanda talia statuta sponte nos obligauerimus; quòd supposito, ex diuina gratia nos peccata mortalia non habere; tunc tenemur venialia confiteri ad hoc, vt in confessione sit materia, supra quam forma absolutionis detur. Vel necesse est aliqua mortalia, aliàs confessa, iterùm confiteri propter eandem rationem.

Cõclusio.

3 Quæres, an veniale peccatum possit sine pœnitentia deleri? D. Thom. 3.*p.q.*87.*art.*1. ait, *sæpè* deleri sine pœnitentia, quæ est sacramentum: at non sine pœnitentia, quæ est virtus. Sciendum igitur, inter omnes conuenire, non dimitti veniale peccatum per aliquid, dum voluntati ipsum peccatum placet. Et etiam constat inter omnes, non remitti sine actu pœnitentiæ explicito, vel implicito, hoc est sine actu, quo peccatum veniale, quod nostra sponte contraximus, nobis aliqua ratione displiceat. Sed dubiæ quæstionis est, an sit necessarius expressus actus pœnitẽtiæ, quo de veniali noxa, quam admisimus, doleamus; an sufficiat actus tantùm implicitæ pœnitentiæ? Dur. *in* 4.*d.*16.*quæst.*2.*num.*9.& *d.*21.*q.*1.*ad fin.* videtur requirere explicitum actum pœnitentiæ. Sed communis est Theologorum sententia implicitum sufficere. ita docent S. Bonauent. *in* 4.*d.*21.*art.*1.*q.*2. Riccard.*d.*16.*art.*5.*quæst.*1. Scot. *d.*21.*q.*5. Palud.*d.*15.*q.*1.*art.*1.& 2. Gabr.*d.*16.*q.*5. *art.*1.*not.*2.& 3. Caiet.3.*p.q.*87.*art.*1. Sot.*d.*15.*art.*1.

Peccatum veniale dũ est in voluntate, nõ dimittitur, nec remittitur sine actu pœnitentiæ.

Dubium.

Durand. Resolutio. D. Bonau. Riccard. Scotus. Palud. Gabriel. Caietan. Sotus.

Et

Et ratio est, quia ad peccatum veniale tollendum, solùm necessarius est actus, quo voluntatem in peccato veniali actu, vel habitu inhærentem mutemus: ergo sufficit qualiscunque actus, per quem ab ea voluntate recedamus spe, & causa venię impetrãdę.

4 Scisciteberis, an sufficiat quicunque dolor idoneus, & legitimus, sed remissus, & paruus? Resp. ad veniale peccatum tollendum, in quo spontaneo actu adhæremus, non sufficit quicunque actus, etiamsi fuerit vera contritio intensa, & vehemens: quoniam culpa venialis non tollitur, dum voluntati placet, vt paulò antè dictum est: nam fieri non potest, vt peccatum deleatur: & nihilominùs in voluntate permaneat: & quamdiu peccatum placet, in voluntate permanet: & in hoc omnes conueniunt, vt constat ex S. Thom. Palud. Gabriel. & Sot. *vbi suprà*. Quare ad delendum aliquod veniale peccatum, quod in mentem, & cogitationem venit, sufficit contritio, etiam remissa, & parua, qua nobis illud displiceat ob spem veniæ obtinendæ. Item, si nos pœniteat generatim omnium delictorum venialium; quamuis nullum speciatim nobis cogitantibus occurrat, sufficit contritio, tametsi fuerit remissior, ad omnium peccatorum venialium, de quibus vniuersè dolemus, culpam abolendam.

Dubium. Resp.

D. Thom. Palud. Gabriel. Sotus.

5 Præterea veniale peccatum tollitur per solam attritionem, imò & per contrarium propositum, vel per actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato, & excludentem complacentiam illius: ita interpretari debet sententia S. Thom. *in* 3.*p.q.*87.*art.*2. vbi dicit, quòd ad deletionem venialis requiritur pœnitentia formalis, vel virtualis. Vbi per *virtualem* intelligit eam, quæ includitur in feruenti amore Dei. Hanc assertionem tenent Scotus

Veniale peccatum multipliciter tolli potest.

D. Thom.

Scotus.

Gabriel. Maior. Abulensis. Medina. D.Bonau. Palud. D.August. Cõc.Tol. *Venialia delẽtur per aspersionẽ aquæ benedictæ.* Paludan. Sylvester. Tabien. Sotus. Canus. Valdensis. Ledesma.

in 4.*d*.21.*q*.1.Gabr.Maior *vbi supr.* Abulens.4.*reg*.2. *q*.39. Med. *tract.de pœnit.q*.3. & bene D. Bonauent. *d*.21. *art*.1.*q*.2. eam indicat: Palud. *d*.16.*q*.1. *art*.1. *concl*.2. fauet D.August. *in Enchir.cap*.71. & refertur in Concil.Tol.4.*cap*.5.*& cap.de quotidianis,de pœnit. dist*.3. vbi dicitur, hæc peccata tolli per orationem Dominicam,& alia opera pietatis.

6 Præterea delentur per aspersionem aquæ benedictæ:quæ sententia,licèt non placeat Palud. Sylvest.Tabienæ,& quibusdam aliis:quia,inquiunt,ad deletionem ipsorum de lege communi,& consueta requiritur actus pœnitentiæ, quo nos peccasse dolemus. Nihilominùs placet Soto *d*.5.*q*.2.*art*.3. Cano *relect. de sacr.p*.1.*ad* 6. *& lib*.12.*de locis,cap*.13.*ad* 9. Valdens.*tom*.3.*de sacram.tit*.4.*cap*.64. Ledesm.4.*p*. *q*.28.*art*.3.*dub*.3. Et quia est magis pia, est omnino amplectenda, quæ probatur Decreto Alexandri I. quod habetur *de consecr. dist*.11.*cap.aquam.* vbi legimus, aquam sale consperſam in populis benedicimus;vt ea cuncti aspersi sanctificentur,& purificentur. Et infrà. Si enim cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat, atque mundabat: multò magis aqua sale consperſa populum sanctificat,& mundat: & si sale aspersо per Elisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est: quantò magis diuinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum,& inquinatos sanctificat, atque purgat? *Sic ibi.* Et Ecclesia ipsa quando precationibus adhibitis consecrat aquam sale mixtam, ait, *vt sit sumentibus salus mentis, & corporis.* Respondent auctores prioris sententiæ, quòd peccata venialia dicuntur aboleri per sacramentalia: quatenus mentem excitant in nobis ad pœnitentiæ actum,& odium peccatorum, quo illa expiantur. Sed profectò, in Decreto Pontificio

tificio dicitur, quòd aqua sanctificat aspersos, & quòd curat sterilitatem animatum aqua ipsa sale consperſa.

ARTICVLVS III.

An Religiosus non habens neque venialia pro tempore confessionis, teneatur confiteri?& si confiteatur, quid faciet?

SVMMARIVM.

1 *Nullus tenetur confiteri peccata venialia.*
2 *Non habens nisi venialia, quid faciet tempore confessionis.*
3 *Peccata mortalia ritè confessa possunt esse materia confessionis.*
4 *Venialia possunt iterùm confiteri.*
5 *Nõ sufficit cõfessio illa generalis,* Cõfiteor Deo,*&c.*
6 *Non sunt confitenda venialia per verba generalia.*
7 *Peccat quis recipiens Eucharistiã cũ peccato veniali.*
8 *Recipere Eucharistiam cum peccato veniali, non est mortale.*
9 *Est bene peccatum veniale.*
10 *Augustinus explicatus.*
11 *Dubium; An qui peccauit mortaliter, licèt contritus, & confessus, teneatur aliquo temporis spatio communionem differre.*
12 *Plus peccat Eucharistiam suscipiens cum peccato odij,vel infidelitatis,quàm carnis.*

1 REspond.quòd absolutè loquendo, nullus tenetur confiteri peccata venialia,vt toties dictum

ctum est: nihilominùs si quis vult confiteri, & non habet nisi venialia, tenetur ea confiteri ad hoc, vt forma absolutionis habeat suam materiam.

Non habẽs neq; venialia, quid faciat tẽpore confessionis.

2 Si verò pro tunc neque venialia habeat, quid faciendum? Respond. quòd tunc vel debet abstinere à confessione, vel si vult confiteri, potest facere vnũ de duobus, aut iterum confiteri aliquod peccatum veniale, aliàs ritè confessum, aut aliquod mortale, etiam aliàs ritè absolutum.

Peccata etiã legitimè cõfessa possunt esse materia sacramenti pœnitẽtiæ.

3 Ratio est, quia non solùm peccata nondum confessa, verùm etiam confessa legitimè, iamque condonata possunt esse materia sacramenti pœnitentiæ, & possunt illa vtiliter confiteri: nam quamuis per primam confessionem, & contritionẽ peccatorum, peccata illa, quoad culpam condonata sint: pœna tamen, & satisfactio temporalis pro illis subeunda, in quam pœna æterna commutata fuit, minuitur; cùm propter verecundiam, quam pœnitens patitur, tùm propter absolutionem sacramentalem, per quam non solùm augetur gratia, sed etiam minuitur pœna in purgatorio sustinenda: *vt suprà diximus.*

Venialia possunt iterũ cõfiteri. Nauarrus.

4 Hoc, quod dictum est, non solùm intelligitur de mortalibus ritè confessis: verùm etiam de venialibus, quæ vtiliter possunt iterum confiteri. Videatur de hac re Nauarrus, qui *in cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 1. num* 10. exemplificat de eo, quod ipsemet consuluit cuidam magnę Principi, verba ipsius sunt: *Quæ conclusione memini me vsum, audiendo confessionem sacram cuiusdam magnæ Principis, quæ pridie alteri confessa, communionem sumptura, voluit se reconciliari: & cùm nihil eorum, quæ mihi confessa erat, meo iudicio, esset peccatum etiam veniale: sed tantum omissio consilij, dixi ei, vt confiteretur aliquod peccatum, saltem veniale, etiam anteà confessum. Quia de substantia confessionis sacramentalis est alicuius peccati confessio,* secundùm S. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 2. *& sufficit, quod sit alicuius venialis,* vt ipsemet sentit in 4. dist. 26. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. *quod ipse magna humilitate, parique religione præstitit.* S. Thom.

5 Si dicas, quod videtur sufficere confessio illa generalis, quæ fit dicendo culpam de cogitationibus, loquutionibus, & operibus in communi. Obiectio.

Respon. quòd vt rectè ait Nauarrus *in Enchirid. cap. 2. nu.* 5. huiusmodi confessio generalis non sufficit, & idem Nauarrus in prædicto *cap. quem pœnitet*; dicit, *Ob quod ipsum noluimus absoluere quandam Religiosam confitentem se plurima, ac plurima peccata commisisse videndo, audiendo, tangendo, loquendo, incedendo, contra præcepta Dei, & Ecclesiæ, & contra Concilia antequàm speciatim aliqua, saltem venialia, & saltem anteà confessa confiteretur. Quòd vt arbitror, frequenter occurrit Confessariis in reconciliationibus, quæ fiunt ad communicandum à recenter confessis: non enim videtur sufficere confessio generalis solita fieri publicè ad hoc, vt absolutio sacramentalis eam facienti detur.* Hucusque Nauar. Responsio Nauar.

Notent illi qui per verba generalia confitentur.

6 Ex quibus verbis patet, quid dicendum sit ad illos Religiosos, qui semper in confessionibus vtuntur verbis generalibus, vel si hoc feciſſem, si hoc feciſſem, v.g. si feciſſem contra votum paupertatis, mea culpa, hoc, inquam, non sufficit: sed necesse est dicere casum particularem factum contra votum paupertatis: & quod dico de hoc, dico pariter de omni alio voto, & de quacunque re obligatoria.

Dubium. Respons.

7 Dubitatur hîc, An recipiens sacramentum Eucharistiæ cum peccato veniali, peccet? Respondeo,

deo, quòd hæc difficultas potest intelligi, vel an veniale peccatum impediat huius sacramenti effectum, vel an etiam peccet venialiter, qui in veniali hoc sacramentum recipit.

Quò ad primum dico primò, quòd peccatum veniale non impedit effectum huius sacramenti, etiamsi ipsum veniale actu complaceat: quod ex eo constat, quia gratia compatitur cum peccato veniali, quia tale peccatum gratiæ non repugnat; ergo in peccato veniali existenti potest infundi gratia, cùm illam præstent sacramenta ex opere operato. Quòd est contra Caiet. 3.*p.q.*79.*art.*1. & contra Decr. *dist.*12.*q.*4.*ad* 2.

Recipere Eucharistiã in peccato veniali, non est mortale.

8 Dico secundò, recipere hoc sacramentum in peccato veniali, vel etiam peccando venialiter, in ipsa sumptione non est ex eo capite peccatum mortale. Hæc est communis sententia; & ratio est, quia nec circa hoc est speciale præceptum positiuum, neque ex sola natura rei potest colligi tale peccatum, quia hæc non est grauis iniuria, vel irreuerentia: quia per peccatum veniale non ponitur impedimentum, & quasi essentiale effectui sacramenti, cùm tale peccatum non excludat gratiam, vt diximus; ergo non committitur grauis fictio, aut simulatio, ergo nec peccatum graue.

Est bene peccatum veniale.

9 Quò ad secundum, videtur esse peccatum veniale in hac dispositione sumere hoc sacramentum. Nam D. August. *de Eccles. dogmatibus. c.* 53. *& refertur de consec. dist.* 2. *c. quotidie*, ait, *Quamuis quis peccato mordeatur, & peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus, satisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni condonare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus: sed hoc de illo dico quem capitalia*

capitalia, & mortalia peccata non grauant. Sentit ergo D. Augustinus, quòd recipere Eucharistiam sine pœnitentia venialium peccatorum, grauet conscientiam; erit ergo, vt minimùm peccatum veniale: nam ex verbis D. August. colligitur, quòd non potest aliquis securus accedere, nisi qui sit sine voluntate peccandi venialiter, & de præteritis satisfecerit lacrymis, & orationibus. Oppositum tamen videtur sentire Scot. *in* 4. quem sequitur Maior. *d.*9.*q.*1. *ad* 1. Riccar. *art.*2.*q.*1.*ad* 2. Adrian. *q.* 1. *de confess.* & Sotus *d.*22.*q.*1.*art.*4. qui licèt sit dubius, tamen in hanc sententiam est magis propensus.

Vnde dico primò, quòd si peccatum veniale sit aliquo modo circunstantia ipsius actus communicandi, peccatum veniale est sic communicare: vt v. g. si quis communicet propter vanam gloriam, vel certè si actu sit in aliquo veniali, vt in vana aliqua cogitatione, vel delectatione, & ea ratione accedat distractus, & sine debita reuerentia, & deuotione: & ratio est, quia si non habeat circunstantias debitas, est aliquo modo malus, ergo vt minimum erit peccatum veniale. Item, si quis consuetudinem habet committendi multa venialia, vel certè conscientiam sentit, eorum multitudine, grauatam, & ideò ad spiritualia tractanda tepidam, & quodammodò indispositam, non videtur posse excusari à culpa veniali si sine vllo dolore, aut proposito emendandi vitam, ad Eucharistiam accedat: quia non potest omninò excusari actio illa ab irreuerentia contra hoc sacramentum.

Dico secundò, quòd si quis habeat peccatum veniale in habitu, licèt sine dolore eius, & proposito emendæ ad Eucharistiam accedat, vel quia non recordatur, vel quia ob humanam aliquam fragilitatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, non potest voluntatem auertere ab illo leui affectu, non peccat venialiter sic communicando, si alioqui procuret cum timore, & reuerentia, & deuotione accedere, & ita intelligitur Scotus, & præcitati auctores.

Augustini sententia explicatur.

10 Ad auctoritatem verò D. Augustini potest dici primò, quòd non distinguit peccata capitalia, & mortalia à venialibus: sed ab eo statu conscientiæ, quæ, licèt peccato mortali non mordeatur, tamen eorum multitudine nõ grauatur, neque obruitur. Huic enim homini dat licentiam D. August. frequenter communicandi, præmissa confessione. Illi verò, quem peccata capitalia, & mortalia grauant adeò; quia eius conscientia, eorum multitudine premitur, & obruitur, minimè: nisi post diuturnam, & etiam publicam pœnitentiam, si peccatoris status publicus fuerit.

Secundò dici potest cum Scoto, quòd D. August. non distinguit his verbis peccata venialia à mortalibus, sed mortalia à mortalibus: nam peccatum mortale bifariàm considerari potest: scilicet in habitu, & in actu. Primo modo est peccatum mortale præteritum: secundo modo est peccatum mortale, quod actu inest: priori modo potest peccatum mortale esse præteritum absque omni pœnitentia, ita vt de eo peccator non doleat, neque doluerit, neque confessus sit, vel est peccatum mortale præteritum, non sine pœnitentia, & confessione, sed non completè satisfactum. Dicit ergo D. Aug. quòd si quis peccato mortali præterito, & confesso mordeatur, quia scilicet non completè satisfecit, si peccandi non habeat de cætero voluntatem, communicaturus satisfaciat cum lacrymis & orationibus, & confidens de Domini misericordia, qui peccata piæ

piæ confessioni dare consueuit, id est, quia peccatum illud iam est per confessionem plenè remissum accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus: sed ille, quem peccata mortalia in actu grauant, vel etiam in habitu, quorum non est pœnitentia, neque confessio præmissa, ad Eucharistiam non accedat sine præcedente pœnitentia, & hæc, vt reor, est germana verborum D. Augustini explicatio.

11 Sed quæres, an qui peccauit mortaliter, etiamsi contritus sit, & confessus, teneatur aliquo temporis spatio communionem differre. v. g. qui præcedenti nocte peccauit mortaliter, an statim, die sequenti, confessione præmissa, Sacrum facere, vel communicare possit. Nauarr. *in Man. cap. 21. n. 5. de pœnit. dist. 6. c. 1.* dicit huiusmodi hominem peccare mortaliter. Idem affirmat Cou. *in Clem. si furiosus. par. 3. nu. 8.* Oppositum tamen cum D. Thom. *3. p. q. 8. art. 7. ad 4.* Palud. *d. 9. qu. 3.* Maior *qu. 2.* Gabr. *lect. 10. in can.* Adrian. *q. 4. de Eucharistia*, affirmãdum existimo, quod tandem docuit idem Nauarrus *in Man. loco citato.* Quia nulla est lex positiua humana, vel diuina, quæ hanc obligationem imponat, nec generatim de omni peccato, neque specialiter de aliquo, vt Nauarrus ipse fatetur.

12 Et si terum quæras, quis plus peccet, an suscipiens Eucharistiam cum peccato carnis, vel cum peccato odij, vel infidelitatis? Quidam dixerunt, quod licèt peccatum odij sit maius, quàm peccatum carnis, peccatum tamen carnis magis opponitur huic sacramento: atque adeò magis peccat accedens cum peccato carnis, quàm cum peccato odij. Alij verò tenent oppositum quòd peccatum, quantò maius est, tantò directiùs opponitur sacramento, & tantò fœdius est. Ego dicerem, quòd

Aliud dubium.

Respon.

quòd turpitudo, & immunditia carnalis non opponitur directè huic sacramento; sed immunditia animæ, quæ tantò maior est, quantò maior est culpa, & ideò magis peccat, qui cum maiori peccato accedit, atque adeò grauius peccat accedens cum odio, quàm cum peccato carnis, cæteris paribus, licèt peccatum carnis maiorem habeat immunditiam corporalem.

De infideli verò non est dubium, quòd grauiter peccat, sed plus peccat fidelis faciendo irreuerentiam sacramento quàm infidelis, quia si infidelis crederet ibi esse corpus Christi, fortè non exhiberet sacramento talem irreuerentiam.

ARTICVLVS IV.

An pœnitens non habens nisi venialia, possit confiteri cuilibet Sacerdoti.

SVMMARIVM.

1 *A veniali quilibet Sacerdos potest absoluere, quia in illa materia pœnitens nulli est subiectus: ex Caietano.*
2 *Caietanus à Nauarro confutatus.*
3 *Sotus etiam confutatur.*
4 *Alij etiam refutantur.*
5 *Sacerdos quilibet à venialibus absoluit, quia Papa ex cita concessione sic permittit.*

Peccata venialia possunt cuilibet Sacerdoti confiteri.

Caietan. Prima opinio.

1 REspond. quòd Caietanus *in quæstione de Ministro confessionis*, ait, quemlibet posse se subiicere cuilibet pro peccatis venialibus: quia in illa materia nulli est subiectus: quare quilibet Sacerdos per hanc potestatem, quam accipit à subdito, potest illum absoluere.

Refutatur à Nauarro. Nauarri opinio.

2 Sed hæc opinio confutatur à Nauarro *in cap. placuit. num.* 26. quia Concilium Florentinum requirit Ministrum, qui habeat potestatem aut ordinariam, aut delegatam: potestas autem non est, nisi à iure aut à iudice. Ipse verò Nauarrus dicit, quòd quilibet Sacerdos potest à venialibus absoluere quemcunque, non propter auctoritatem ab ipso pœnitente acceptam: sed propter potestatem à Deo acceptam, & ab Ecclesia non impeditam Et *nu.* 22. ait, dico primò, nullibi me videre textum, quo probetur eum, qui sola venialia peccauit, cui voluerit Confessario confiteri posse.

At si, vt multi affirmant, id receptum est, concedo: sed nego, illos presbyteros, quibus talis confitetur, nullam habere in cõfessum iurisdictionem; habẽt enim illam habitualem in susceptione Ordinis acceptam, quæ in actualem reducitur per legitimam confitentis subiectionem. Confitens autem legitimè se illi subiicit, si cum licentia expressa, vel tacita proprij Sacerdotis faciat, & eos, qui sola venialia habent hanc licentiam habere à lege, vel legislatore tacitam credendum est. *Sic Nauarrus.*

Soti opinio. 2. Opinio. Refutatur. 3. Opinio. Refutatur.

3 Sotus verò dicit, ideò quemlibet Sacerdotem posse absoluere à venialibus, quia ad absoluendum à talibus non est necessaria iurisdictio sicut à mortalibus, sed hoc est gratis dictum. Cùm enim confessio venialium sit sacramentalis, iudicium quoque illorum exigit iurisdictionem.

4 Alij dicunt id posse, quia omnes Sacerdotes potestatem à Deo habent respectu venialium: ratione enim talium homines non subduntur Papæ. Sed hoc etiam est gratis dictum: nam Christus constituit

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuit Apostolos iudices omnium peccatorum.

Auctoris sententia. 5 Dicendum ergo, ideò quemlibet sacerdotem posse absoluere à venialibus, quia Papa, tacita concessione permittit, vt quilibet Sacerdos à venialibus absoluat. Concordat Suarez *in 4. tom. disput. 26. sect. 5. num. 5. & 7.* Suarez.

ARTICVLVS V.

An pœnitens in peccato mortali, adimplens pœnitentiam à Confessario sibi impositam, satisfaciat?

SVMMARIVM.

1 *Adimplens in mortali pœnitentiam à Confessario impositam, non satisfacit, iuxta quosdam.*
2 *Satisfacit quantum ad integritatem sacramenti, non autem quantum ad efficaciam.*
3 *Recedente fictione satisfactio illa sortitur effectum suum secundùm Scotum.*
4 *Idem quoque dicendum de operibus impositis, vt fiant pro consequutione Iubilæi: sufficit enim, vt talis sit in gratia in vltimo effectu.*

Nauarrus. 1 REspond. quòd, vt refert Nauarr. *in Manuali, cap. 2. num. 7.* non desunt, qui partem negatiuam teneant, & citat D. Thom. D. Bonau. Riccard. Durand. & Caietanum, asserentes, nullum opus in statu peccati mortalis factum, esse satisfactorium pro pœna peccato debita: ea ratione, quòd opera nostra bona non sunt satisfactoria, nisi virtute passionis D.N. Iesu Christi: & quòd illa non communicatur; nisi eius amicis, sibique gratis. Ipse

1. Opinio.

2. Opinio.

Ipse verò Nauarrus tenet oppositum, nempe quòd talis satisfactio, etiam in peccato facta, valeat, Scotum sequutus, qui *in 4. d. 15. q. 1.* renet, existentem in peccato mortali posse pro temporali pœna suis peccatis per contritionem deletis, debita satisfacere: & Nauarr. dicit, quòd talis opinio misericordiam diuinam amplificat, quam superexaltare iudicium auctor est D. Iacobus *in cap. 2. suæ epistolæ*, & extollendam super omnia opera Dei vsque ad cælos. *Psalm. 56.* habet, & ad argumentum respondet Nauarr. *loco citato*, negando quòd merita Christi non communicentur benè operantibus quoad pœnam temporalem, in quam remissa culpa, commutatur æterna. Iacob 2. Psalm. 56.

2 In hac difficultate distinguendum est cum Suarez *tom. 4. disp. 38. sect. 8. in princ.* scilicet, quòd aut est sermo de integritate sacramenti confessionis: aut est sermo de effectu sacramenti. Resolutio Suarez.

De primo, nulla est difficultas: nam satisfactio exhibita in statu peccati mortalis sufficit ad integritatem sacramenti, & ad implendam obligationem à Confessario impositam. Et ratio est, quia Confessarius tantùm præcipit opus, & non modum eius. Quin, quòd in aliis sacramentis, & præceptis satis est substantia operis, etiamsi extra charitatem fiant.

3 De secundo verò maior est difficultas, & aliqui dubitant: sed Scotus *in loco citato* tenet, quòd, recedente peccato, satisfactio illa sortitur effectum suum. Idem quoque tenet Nauarrus *in cap. 1. de pœnit. dist. 6. num. 48.* Ait enim quòd regulariter opus sacramentale: vtpotè opus Dei, recedente fictione, sortitur effectum: vt de baptismo est casus *in cap. tunc valere, de consecr. dist. 4.* & pari ratione de Con- Nauarrus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmatione, Ordine, & Confessione. Satisfactio autem sacramentalis, pars sacramenti est, vimque habet ex claubus, secundùm omnes: ergo si contingat esse informis, sortietur effectum posteà veniente forma: nempe charitate, & per eam, fugata fictione. Quod placet etiam Caietan. *tom. 1. opuscul. tract. 6. quæst. vlt.* Petr. à Soto *lect. vlt. de satisfact.* & Victoriæ *in summa num. 201.*

Caietan.
Petr. à Sot.
Victoria.

Dubium.

4 Dubitatur hîc, an idem dicendum sit de operibus iniunctis tempore Iubilæi pro consequutione indulgentiæ: scilicet qui ieiunauerit tres dies, qui visitauerit tot Ecclesias, *&c.* consequatur indulgentiam: an scilicet sit necesse, vt talia opera prærequisita, facta sint in gratia, vel, an prosint pro consequutione indulgentiæ, etiã quòd fiat in peccato?

Respons. Caietan. Nauarr.

Ad quod respondetur, quòd licèt Caietanus *in opusculo de indulgentijs ad Iulium, cap. 9.* & Nauarr. *in comment. de indulgentia, notabili. 19. num. 7.* videantur sentire, quòd, dum dicit tenor Bullæ: *Omnibus contritis, vel confessis, hoc, vel illud facientibus talem indulgentiam concedi*: vt contritio postuletur: non tantùm ad ipsam indulgentiam, sed etiam ad opera, quæ præcedere debent. Nihilominùs dicendum est cum D. Thom. *quodlibet. 2. art. vlt.* Palud. *in 4 d. 20. quæst. 4. art. 3.* D. Anton. *1. p. tit. 10 cap. 3. §. 4. & 5.* Syluest. verbo, *indulgent. nu. 32.* referens Archidiaconum, quem etiam sequitur Tabiena, & alij Summistæ. Soto *d. 21. q. 2. art. 3. ante secundam conclusionem.* Felin. *in tract. de indulgent. num. 28.* qui alios refert, nempe quòd per se loquendo, & ex vi talis operis, non esse necessarium, vt in statu gratiæ fiat: & eò magis id locum habet, quando opus prærequisitum præcedit indulgentiam, vel omninò, vel ex parte: nam si consummetur opus, quando dandus est fructus indulgentiæ,

Verior sententia.
D. Thom.
Paludan.
Antonin.
Sylvester.
Archidiac.
Tabien.
Sotus.
Felinus.

dulgentiæ, tunc erit necessaria gratia propter fructum, non propter opus: & præterea id intelligitur iuxta communem formam concedendi indulgentias: nam non est dubium, quin possit summus Pontifex postulare statum gratiæ, etiam quando opus prærequisitum fit, quia potest concedere indulgentiam sub tali conditione pia, prout voluerit, aut expedire censuerit.

Sed communiter loquendo sufficit, quòd qui vult consequi indulgentiam, sit in statu gratiæ in vltimo effectu, scilicet quando sumpturus est indulgentiam.

ARTICVLVS VI.

An pœnitens sumendo indulgentiam, teneatur exequi opera pœnalia sibi à Confessario aliàs imposita?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens sumendo indulgentiam, non tenetur exequi opera pœnalia sibi à Confessario imposita.*
2 *Pro merito autem consequendo tenetur.*

1 REspondeò ad hoc, quòd in opere pœnali à Confessario impositò, est considerare duo. Vnum est, quòd satisfacit præcepto sibi imposito. Alterum est, quòd tale opus factùm in gratia meretur etiam gloriam. Et de primo dicimus, quòd quãdo indulgentia adæquat, vel superat talia opera satisfactionis, non est necesse ea facere: quia de thesauro Ecclesiæ soluit quod debuit. Ratio est, quia effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis: ergo

Indulgẽtia quando adæquat, vel superat opera pœnalia, & satisfactoria impositа, non est necesse ea facere tunc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo formaliter expellit reatum, seu debitum eius: implicat enim pœnam esse remissam,& adhuc manere debitum eius. Ablato autem debito pœnæ, auferetur etiam debitum satisfaciendi pro illo, vndecunque ortum sit,siue ex diuina lege,siue ex præcepto Confessarij:sic tenent D.Bonauent.D.Thom. Palud.Durand. Sot.*dist.*20. Sylvest. Angelic.verbo, *indulgentia*. Panorm.& alij Canonistæ *in cap.cùm ex eo,de pœnit.& remiss.*

2 De secundo verò subiũgimus,quòd quia opus bonum in gratia factum,habet, quod meretur gloriam: consultiùs faciet pœnitens,si iniunctam pœnitentiam compleat, etiam post indulgentiam plenariam consequutam: vt sic simul cum remissione pœnæ consequatur etiam gloriam.

ARTICVLVS VII.

An peccare cum spe veniæ,aggrauet peccatum?

SVMMARIVM.

1 *Peccare cum spe veniæ aliquando aggrauat peccatum, aliquando verò minuit.*
2 *Adam minùs peccauit,quàm Eua;ex Magistro Sent.*
3 *Peccare cum spe veniæ an sit circunstantia aggrauans peccatum.*

1 REspond. quòd hoc potest accidere communiter in tribus temporibus, vel quando quis vult committere aliquod peccatum simpliciter, vel quando iam audiuit publicatum esse Iubilæum, & ipse ob id peccat peccatum reseruatum, & præsentationi obnoxium, vt virtute Iubilæi liber sit à tali præsentatione,vel denique,quia sperat,quòd aliquo tempore detur facultas generalis ipsis Confessariis, etiam pro reseruatis.

Si primo modo fiat, nempe quòd dum peccat, habet propositum confitendi,& satisfaciendi:tunc videtur ex vna parte, quòd talis spes veniæ aggrauet peccatum: quia qui præsumptionis vitio peccat, magis peccat, quàm qui sine eo vitio: sed qui peccat cum spe veniæ, diuináque misericordia fretus,vitio præsumptionis peccat:ergo magis peccat. Probatur minor ex S.August.supr.Psalm.31.*in præfatione*,vbi hanc sententiam pronunciauit: *Ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei*.Nihilominùs respondetur negatiuè ex Nauarr.in Man. *cap.6.n.4.* vbi ait, quòd talis circunstantia non est aggrauans, sed minuens:quia peius esset,si sine spe, & proposito pœnitendi peccatum fuisset aggressus. Quod confirmatur ex D.Thom.qui *in* 2.2.*q.*21.*art.*2.*ad* 3. *argum.* ita scribit. Ad tertium dicendum,quòd peccare cum proposito perseuerandi in peccato sub spe veniæ,ad præsumptionem pertinet: & hoc non diminuit, sed auget peccatum: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ cum proposito abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato:hoc non est præsumptionis, sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. Quam sententiam imitatus Caiet. *ibid.* dicit: In responsione verò ad tertium,aduerte hîc vulgarem errorem putantium, quòd peccans sub prætextu, quòd post confitebitur,& faciet pœnitentiam,peius faciat.Habes enim hinc, quòd diminuit, non autem aggrauat peccatum:est enim voluntatis transitoriæ, & non pertinacis in malo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Et confirmatur per id, quod habet Magister Sent. *in 2.d.22.§. ex quo animaduerti potest.* Bis enim in eo §. siue capite repetit, Adamum minùs, quàm Euam peccasse: quia de pœnitentia, & misericordia Dei cogitauit: Eua autem mente, ac voluntate magis improba, & maiori libidine deliquit, (vt sentiunt Theologi) nullâque susceptâ cogitatione pœnitentiæ, ac veniæ est in culpam prolapsa. Sic ergo statuitur, quòd peccare cum tali spe veniæ: confitendi scilicet, & satisfaciendi, sit circunstantia non aggrauans, sed minuens peccatum. Et ad dictum D. Augustin. respondetur, quòd illa præsumptio damnatur, quę necessitatem pœnitentię ad veniam, & meritorum ad salutem consequendam aspernatur. De qua D. Thom. *in 2.2.q.21.* differit, qui *in art. 1. & 4.* in hoc huius criminis veram speciem positam esse ait, cùm aliquis sperat se veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Hæc autem præsumptio est propriè species peccati in Spiritum sanctum: quia scilicet per eiusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adiutorium Spiritus sancti, per quod homo reuocatur à peccato. *Sic D. Thom.* Hæc autem præsumptio non conuenit ei, de quo differitur: quia talis peccans, animo concipit post suum delictum eiusdem delicti pœnitentiam. Et propterea qui sic peccat, non plus peccat, quàm qui sine illa spe veniæ promerendæ peccaret, imò minùs: nam peccans desperando de misericordia Dei, multò magis peccat, nulla spe veniæ concepta; & consequenter propinquior est maiori malitiæ: & ita peior est eo, qui est remotior ab illa. Deinde circunstantia illa spei promerendæ veniam videtur aliqua ex parte temperare malitiam peccantis: quia circunstantia finis boni, licèt non excu-

set peccatum à toto, excusat tamen à tanto, *arg. cap. non est putanda. 1.q.1.* Et licèt ea, quæ allegata sunt, & alia, quę possunt allegari in contrarium, probent, non esse peccandum cum spe veniæ: non tamen probant magis peccare, qui peccat illa spe, quàm qui absque illa: dummodò vterque sciat se peccare.

Si secundo modo fiat, vtputà quia sciuit promulgatum esse Iubilæum plenissimum, & propterea, data opera commisit aliquod peccatum reseruatum, cum spe absolutionis futurę in tempore Iubilæi, absque onere de se præsentando: tunc si simpliciter assumeret Iubilæum, vt haberet occasionem liberiùs peccandi, vel acciperet Bullam Cruciatæ (loquor de illis, qui eam ad hunc effectum accipere possunt: quia Regulares ad id non habent facultatem, vt dicemus *infrà art. 14.*) ad eundem effectum: nempe liberiùs peccandi, esset abusus indulgentiæ, & Bullæ, & nihil ei valeret.

Si verò peccat cum spe veniæ, & cum confidentia obtinendi absolutionem tali tempore: tunc ei valet, quia indulgentia, & facultas absoluendi, quæ datur in Iubilæis, extenditur non solùm ad præterita, verùm & ad futura peccata. Vide Nauarr. *consil. 10. num 2. de priuileg.* quia concessio est generalis, & eius verba includunt peccantes post eam, & peccantes anteà: & quia est beneficium Principis, cum magno gaudio ad magnam lætitiam concessum, vt tenor indictionis habet; & ita latè, & alacriter interpretandum, *l. beneficium. ff. de const. Princ.* Et quia est concessio de proprio motu, & cum plenitudine potestatis.

Si verò tertio modo fiat, idem videtur dicendum, quod de secundo modo dictum est, nisi Prælatus aliter specificauerit: quia tunc standum esset

concef

Universidad de Deusto
Biblioteca

concessioni factæ iuxta verba formalia ipsius.

Dubium. Respons. 3 Petes,an peccare sub spe veniæ sit circunstantia aggrauans peccatum , & necessariò confitenda? Respond. D. Thom.2.2.*q.*22.*art.*2.*ad* 3. quòd peccare cum proposito perseuerandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet:& hoc non diminuit , sed auget peccatum : & ita intelligitur Abbas *in cap.transmissa, extra. de eo , qui cogn.consang. vxoris suæ.* peccare autem sub spe venię quandoque percipiendæ : v.g.vigore alicuius Iubilæi,vel priuilegij,cum proposito abstinendi à peccato,& pœnitendi,hoc non est præsumptionis,& peccatum minuit : quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam in peccatis , vt dictum est. Et primo modo est necessariò confitenda : secundo verò modo minimè.

ARTICVLVS VIII.

An liceat pœnitenti manifestare personam complicis in confessione?

SVMMARIVM.

1 *An liceat manifestare personam complicis in confessione,aliqui affirmant,aliqui negant.*

2 *Non licet manifestare personam complicis in confess. quando Confessarius peruenturus est in cognitionem illius.*

3 *Si aliter non potest explicari circunstantia peccati, potest aliquando manifestari.*

4 *Si nullum sequatur incommodum , nisi detrimentum aliquod famæ apud Confessarium , poterit illam explicare.*

5 *Confessa*

5 *Confessarius prænidens pœnitentem velle nominare complicem , debet ei obuiare,& impedire.*

6 *Simpliciter autem eam nominare non potest.*

1 REspondeo , quòd hæc quæstio , & difficultas pro vtraque parte habet suos fautores. Pro parte affirmatiua habet fautores multos Doctores antiquos , vnde videtur inter illos fuisse cõmunis.Pro parte verò negatiua , etiam suos defensores habet;nempè Caiet. Medin.& Nauarr.*in summa cap.*7.*num.*2.vbi latè de hoc.Canus verò & Sotus mediant.

Pro dilucidatione verò tantæ difficultatis dicq plura.

2 Primò, quando pœnitens habet alium legitimum Confessorem , vel potest illum adire, vel potest confessio differri : nullatenùs licet circunstantiam complicis in peccato , aliàs necessariò confitendam reuelare Confessario peruenturo statim ad notitiam complicis cum iactura eius existimationis apud Confessarium : quia solùm in arcto necessitatis casu , vbi aliter fieri non potest , venit intelligenda quæstio.

Non licet manifestare personã cõplicis in confessione, quando Cõfessarius peruẽturus est in cognitionem illius.

3 Secundò dico , quòd reuelatio complicis in peccato in confessione fieri potest:si aliter non potest pœnitens confiteri speciem sui peccati , quando talis reuelatio creditur profutura , & non obfutura complici. Hoc elicitur ex Nauarr.*vbi supr.n.*7. vbi subiungit de hoc rationem : quia,inquit , reuelatio criminis potest fieri profutura personæ, & nõ obfutura, si præcesserit correctio , id est, monitio, vel si nulla alia subsit species correctionis criminosi : & patet , quia ista iactura est parua , & aliunde compensatur , dum ad eius profectum animæ detegitur,

Si aliter nõ potest explicari circunstantia peccati, potest aliquãdo manifestari. Nauarr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tegitur, & personæ non obfuturæ: sed perpetuò occulturæ peccatum illud.

Si nullum sequatur incommodū: nisi detrimentū aliquod famæ apud Confessarium, poterit illā explicare. Nauarr. Sotus. Corduba.

4 Tertiò dico, quando ex tali reuelatione, complici nihil aliud incommodi sequitur, quàm quòd apud se solum Confessarius non tantam bonā opinionem complicis concipiet: sed si tamen non obsit aliter Confessarius complici, poterit illam explicare. Hoc videtur elici ex Nauarro, vbi supr. *nu.* 4. & 5. vbi etsi videatur illam negare verbis: in exemplis tamen positis videtur illam tenere cum Soto *in* 4 & Corduba *in tract. de casibus conscientiæ quæst.* 1. Et probatur, quia in hoc casu talem circunstantiam complicis prodere apud Confessarium non obfuturam non est propriè infamare complicem: quia cùm infamia, secundum eius definitionem, sit communis opinio sinistra de aliquo diuulgata apud multos, hæc reuelatio, quæ vni tantùm fit, id est, Confessario celaturo, non est propriè infamia. Quòd si aliqualis iactura famæ est, illa modica est, & quam tenetur complex pati propter commodum salutis animæ proximi: maximè quia cùm complex consenserit cooperando in peccatum suum, & alterius: vt in copula carnali, ex culpa sua se posuit in tali statu, vt (si consors sibi in culpa non posset eam aliter confiteri) cum iactura illius eam explicaret: quia benè nouerat, istum consortem sibi in peccatum, confitendo illam circunstantiam specificam, suæ conscientiæ esse prospecturum: & præterea cōfitens facit quod debet, nempe confitendo integrè peccata sua, absque eo, quòd intendat iacturam famæ complicis.

Quartò dico, quando ex reuelatione complicis in confessione, non tantùm paruæ existimationis iacturam patietur apud Confessarium: sed quod maius est, ex tali reuelatione aliquod notabile dānum probabiliter creditur, quod imminet complici apud Confessarium; vel quia Confessarius reuelaturus esse creditur illam circunstantiam extra cōfessionem, vel quòd vlciscetur se de complice, vel contra eum in futurum malè loquetur in præiudicium famæ, & reputationis, vtputà non dando ei suffragium, & votum in electionibus, vel si Confessarius ille est Superior, timetur, quòd amouebit illum de loco illo: vel priuabit aliquo officio, tunc neque in vita, neque in morte licitè potest pœnitens hanc circunstantiam complicis in confessione prodere. Ratio est, quia infamare aliquem iniustè, & reuelare aliena peccata ea ignoranti, est peccatum lege diuina cautum, & lex præcipiens, vt confessio sacramentalis sit integra, est lex diuina positiua à Christo Domino nostro instituta, *vt in gloss. summæ, de pœnit. dist.* 5. Et regula generalis est, quòd quando duæ leges contrariæ in aliquo casu concurrunt, in quo alterius obseruatio est omittenda, tunc temporis illa, quæ maior est, minori debet anteferri, & hæc illi cedere, *argum. in cap. Iulianus. & cap. si Dominus.* 11. *q.* 3. *& c. sicut* adiuncta glo. verbo, *necessitate. dist.* 1. *de consecrat.*

Cōfessarius prauidens pœnitētem velle neminare complicem, debet ei occurrere & impedire.

5 Hinc pœnitens nullo pacto debet nominare personam cum qua peccauerit, sed neque eam sic describere, vt Confessarius possit in eius cognitionem deuenire, quoniam supradicta lex naturalis diuina hoc prohibet. Imò si Confessarius præuidet, pœnitentem velle nominare personam delicti consortem, debet ei statim occurrere, ipsúmque admonere, ne illam nominet, ne ipse Confessarius pariter peccet infamiæ peccato consentiendo, vt ait noster Seraphicus Doctor *in* 4. *distinct.* 21. *art.* 1. *quæstio.* 3. S. Bonau.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstio.3. & facit *cap.notum.2.q.1.& c.1.de offic. deleg.*

Vnde licèt quamplurimi antiqui Doctores teneãt *in 4.dist.16.* quòd quando circunstantia necessariò confitenda nõ potest manifestari absq; reuelatione tertiæ personæ, quòd tunc potest licitè illã reuelare.

Verior sententia. Innocent. Hostiens. Nauarr.

6 Opposita nihilominùs sententia est verior, quam tenet Innocen. *in cap. omnis vtriusque sexus. de pœniten.& remiss.* & Hostiens. *ibidem.* quos sequitur Nauarr. *in Manual.vbi supr.nu.3.& in c.Sacerdot. nu.95.& 96. de pœn.dist.6.* nempè quod potiùs debet circunstantiam tacere, quàm proximum diffamare, quando alterum de duobus fieri oportet. Exemplum à Nauarro adducti est de eo, qui commisit incestum cum propria matre, vel filia, vel extitit mediator, vt ab illo committeretur, sed quia pœnitens, vel mater, vel filia Confessario sunt noti, non potest cognationis gradum exprimere absque mulieris infamia: in hoc casu tenetur circunstantiam tacere & eam non infamare. Vide Nauar. *vbi supr.sed pondera.nu.6.7.& 8.*

ARTICVLVS IX.

An liceat Confessario interrogare de complice, in confessione.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, si est subditus, omnino cauere debet ab interrogatione de complice.*

2 *Si est Prælatus, aliquibus videtur quòd possit, rectiùs dicitur oppositum.*

3 *Si Confessarius cogere tentet pœnitentem, vt complicem reuelet, quid faciet?*

ARticulus iste videtur, quòd pertineat ad sectionem secundam, in qua de pertinentibus ad

ad Confessarium tractatur: consultò tamen in hunc reposuimus locum propter affinitatem quam habet eum præcedenti articulo, in quo cum dixerimus de pœnitente ex se ipso propalante, vel propalare volente complicem: hîc de Confessario ipso quærimus an scilicet possit interrogare pœnitentem de complice.

Si Confessarius est subditus, omnino à tali interrogatione debet cauere.

1 Respond. igitur ad quæsitum cum distinctione, nam Confessarius vel est subditus, vel est Prælatus, si subditus, debet omninò cauere à tali interrogatione: nam si obuiare tenetur, & impedire quando percipit quòd pœnitens vult explicare, & propalare complicem, vt dictum est *in præced.art.* multò magis abstinere debet ipse à tali interrogatione. Si verò est Prælatus, aliquibus visum est, quod possit interrogare de complice ad hoc, vt remedium adhibeat vel pœnitenti, vel complici, nihilominùs & ipse quoque à tali interrogatione omninò abstinere debet, & remittere omnia iudicio Dei. Ratio est, quia vt plurimum, qui superioribus confitentur, sunt iuuenes, qui recenter sunt professi: quos licèt Superior interroget, tanquàm Pater, & vt prodesse possit: nihilominùs quælibet eorum interrogatio in confessione talibus facta apud ipsos est ad instar præcepti, & propterea videtur quòd Superior velit eos cogere: ex quo posteà multa mala proueniunt, quæ consultiùs est truncare non interrogando de complice.

Si Superior est aliquã dicũt quòd potest, melius est autem asserere oppositum.

Et præterea, quia aliquando iuuenes de hoc cõqueruntur apud Superiores maiores: & cùm Superior Confessarius aliud non possit respondere; nisi (functus sum officio meo) sæpè remanet sub iugo, & punitur tamquam quòd per vim voluerit à pœnitente scire de complice.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Peccatum non nisi in confessione cognitum. Deus vult vt in secreto permaneat.

2 Et denique si peccatum commissum, non nisi in confessione sit manifestum, signum est quòd Deus vult, vt illud sic permaneat occultatum, non ergo curare debet, & curiosus esse Superior Confessarius de complice: sed pœnitentem moneat, de obligatione, quam habet; vt talem conuersationem fugiat: vt alia huiusmodi remedia adhibeat; prout qualitas peccati requirit, absque eo, quòd de complice interroget.

3 Sed quid, si nihilominùs Confessarius cogat pœnitentem, vt complicem reuelet: aliàs abiturum inabsolutum, eò quòd non possit, nisi reuelet, eum absoluere.

Ad hoc respondet Med. *in sua instruct. Confess.* quòd talis necessariò est denunciandus: quia hæresis est affirmare, quòd quis teneatur eam circumstantiam confiteri, ex qua tertia persona venit infamanda. Quæ opinio nimis dura videtur Ludouico Lopez *in sua Instruct. Confess. conf.* 1. *cap.* 30. & Pet. de Nau. *lib.* 2. *de restitut. c.* 2. *num.* 283. nam licèt ire hæresis dicere, non esse illicitum infamare proximum: nihilominùs controuertitur inter Doctores an hoc, quod dictum est, sit infamare proximum.

Vndè licèt opinio prædicta; nempè quòd liceat in confessione propalare complicem, speculatiuè sit falsa, & practicè eam teneam pro scandalosa, & aurium piarum offensiua, nihilominùs non teneo eam pro hæretica, & ideò licèt toleretur vt in scholis disputetur, non toleratur tamen, vt in confessione practicetur; cùm declarar ecomplicem, non sit medium efficax, vt peccator emendetur, vt bene docet Bannes, 2. 2. *q.* 33. *art.* 7.

ARTI

ARTICVLVS X.

An Regularis, casu reseruato innodatus in sua Prouincia, si pergit in aliam, possit à Prouinciali illius Prouinciæ absolui?

SVMMARIVM.

1 *Regularis, casu reseruato in sua Prouincia innodatus, pergens in aliam Prouinciam potest à Prouinciali illius Prouinciæ absolui.*
2 *Religiosi itinerantes gaudent priuilegio vagantium.*
3 *Regularis ad sæcularium confessiones expositus, an possit absoluere pœnitentes alienigenas à reseruatis.*
4 *Habens facultatem à suo Episcopo pro reseruatis absoluendis, an possit absoluere subditos alterius Episcopi ab ei reseruatis.*

Regularis casu reseruato in sua Prouincia innodatus, pergens in aliam, à Prouinciali illius Prouinciæ potest absolui.

1 REspondeo affirmatiuè secundùm constitutionem Eugenianam, & secundùm ius commune, cui standum est. Idem quoque concessit Greg. XI. Magistro generali, & singulis Prioribus Prouincialibus, & localibus, ac locis sibi commissis, fratribus eiusdem ordinis ibidem constitutis, nécnon & fratribus aliis eiusdem ordinis interdum ad eos declinantibus vndecunque, absolutione, & dispensatione indigentibus, absolutionis & dispensationis beneficium vt possint impartiri. Sic fratribus ordinis Prædicatorum. Idem quoque concessit fratribus minoribus Clem. IV. scilicet vt Generalis, & singuli Prouinciales, Ministri, & eorum Vicarij, ac etiam custodes in Prouinciis, & custodiis sibi commissis prædictis fratribus, ibidem constitutis,

ſtitutis: nécnon fratribus aliis eiuſdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus vndecúnque, abſolutione, & diſpenſatione indigentibus, *&c.* abſolutionis & diſpenſationis beneficium valeant impartiri. *Comp. priuileg. titul. abſolutio ordinaria quoad fratres. §. 7.*

Et eò magis id poterunt: quia modò in omnibus Prouinciis ſunt ijdem caſus reſeruati, illi ſcilicet, qui poſiti ſunt in decreto Clem. VIII. de quo in principio huius tractatus. Quòd ſi acciderit, in illa alia Prouincia aliquem alium caſum eſſe reſeruatum, præter illos, qui in decreto poſiti ſunt, talis Religioſus hoſpes tenetur etiam ad illum caſum reſeruatum, quia tenetur ſe conformare Religioni, & Prouinciæ in qua reperitur.

Religioſi itinerantes gaudent priuilegio vagantiũ.

2 Et quòd Religioſi itinerantes id poſſint, patet, quia tales gaudent priuilegio eorum, qui vagantur, de quibus dicit Nauarr. *in cap. placuit. n. 79.* quòd in eis manet integrum illud ius, quod ille putat diuinum: ſcilicet vt poſſint eligere quem voluerint Confeſſarium, quia Eccleſiæ determinatio, quæ eſt per domicilia, in eis locum non habet. Vel dicatur cum Palud. *in 4. d. 17. quæſt. 4.* Ant. *3. p. titul. 17. cap. 4.* & Caietan. verb. *abſolutio*, quòd tales girovagi nullum habent proprium Sacerdotem: & ideò habent facultatem eligendi quem maluerint Sacerdotem Confeſſarium. Vel dicatur cum Suarez, quòd ibi habent proprium Sacerdotem, vbi vagantur: & in huiuſmodi hominibus actualis habitatio ſuccedit loco domicilij.

Idem quoque dicendum videtur de Religioſis itinerantibus, qui ſi in Prouincia illa ad quam peregrinati ſunt, inuenerint aliquem caſum reſeruatum,

uatum, qui in ſua non eſt talis, ad illum etiam tenentur, ſicut & Religioſi illiuſmet Prouinciæ, vt dictum eſt.

Regularis ad confeſſiones expoſitus, an poſſit abſoluere pœnitentes alienigenas à reſeruatis.

3 Dubitatur verò de Regularibus ad audiendas ſæcularium confeſſiones expoſitis, an poſſint abſoluere pœnitentes alienigenas, aliquo caſu reſeruato innodatos in ſua Prouincia: qui tamen caſus ab Ordinario loci ipſorum Confeſſariorum non ſunt reſeruati?

Reſpond. quòd aut ille pœnitens mutauit domicilium, aut non: in primo caſu poteſt abſolui. Sic Sot. *in 4. diſtinct. 18. q. 4. art. 2.* Si verò domicilium non mutauit, non poteſt abſolui: quia ratione domicilij, & habitationis quis ſubditus dicitur. Gloſſ. celebr. *in Clem. vnica, romp. verbo, ſubditos.* Ideò non videtur exemptus à iuriſdictione ſui Epiſcopi, qui peccatum reſeruauit, & per conſequens non eſt abſoluendus: præſumitur enim, illum facere fraudulenter. Sotus *vbi ſuprà, quæſt. 4. art. 2.* niſi Confeſſarius ſit vnus ex Pœnitentiariis Romæ à Papa deputatis, vel in Eccleſia Lauretana, qui habent facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, etiam Epiſcopis reſeruatis, vel ipſe regularis ad hoc priuilegiis gaudeat.

Habens facultatem à ſuo Epiſcopo pro reſeruatis abſoluẽdis, an poſſit abſoluere ſubditos alterius Epiſc. ab ei reſeruatis.

4 Quæritur etiam de eo, qui habet facultatem à reſeruatis à ſuo Epiſcopo, an poſſit abſoluere ſubditos alterius Epiſcopi ab ei reſeruatis in ſua diœceſi?

Reſpond. quòd ſic: nam ſicut Confeſſarius poteſt abſoluere pœnitentem à peccatis vbicunque commiſſis, vt inquit Archiepiſcopus Flor. *cap. 1. de auctor. confeſſ. in ſummula*: ita Epiſcopi videntur tacitè debere, vt idem ſit de peccatis ei reſeruatis: ita etiam videtur ſe habere conſuetudo, quæ eſt optima le-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum interpres, *ff.de legib.l. si de interpretatione:* quia videmus peccatores peccata, quæ toto terrarum orbe committunt, vni Sacerdoti confiteri, & eos nunquàm remitti ad Sacerdotes locorum, in quibus deliquerunt pro absolutione, nisi ratione excommunicationis, vel nisi peccatum esset notorium, quo casu remittuntur aliquando, causa satisfactionis, vel scandali emendandi, & non ratione absolutionis. Sylvest. verbo, *Confessor.1.num.6. & q.23.* Nauarr. *in Man.cap.27.num.255.*

ARTICVLVS XI.

An Religiosi itinerantes possint se simul confiteri?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes Regulares sunt in triplici differentia.*
2 *Peccata sunt in triplici differentia.*

Sacerdotes Regulares sunt in triplici differentia.

1 REspondeo, quòd hîc possumus inquirere, vel de itinerantibus fratribus, dum sunt in loco, vel dum sunt in via extra locum, seu Monasterium. Et de Sacerdotibus pariter distinguendum est. Sunt enim in triplici differentia: quidam sunt, qui nunquàm fuerunt admissi à Prouinciali ad audiendas confessiones: quidam, qui fuerũt aliquando admissi, sed modò non sunt deputati: quidam verò, qui de facto sunt deputati. Et de peccatis itidem distinguendum est: nam vel sunt venialia, vel mortalia simplicia: vel mortalia cum reseruatione adiuncta: nunc verò dico plura.

2 Primùm, si peccata sunt venialia, quilibet Sacerdos

cerdos potest ea vbique absoluere, siue in Monasterio, siue extra: nam cùm iure diuino ea confiteri non teneamur, vnusquisque Sacerdos potest ea absoluere, si à pœnitente eligatur: vt dictum est *suprà in art.4.huius sectionis.* *Peccata sunt in triplici differentia.*

Si verò peccata sunt mortalia: tunc ille Sacerdos, qui nunquàm fuit admissus, nullo pacto potest ea absoluere: quia licèt in susceptione Ordinis collata ei fuerit potestas absoluendi in habitu, non tamen habet eam modò in actu.

Si verò ille Sacerdos fuit aliquando admissus, sed modò nõ est de facto deputatus: tunc multis videtur, quòd non possit ea absoluere. Nihilominùs praxis est in contrarium, & Prælati hoc sciunt, nec prohibent, sed tolerant. Imò statuta nostræ Religionis id concedunt expressè, scilicet vt itinerantes simul confiteantur.

Si verò Sacerdos est deputatus, & in Conuentu audit iam confessiones: tunc talis potest vbilibet audire huius pœnitentis confessiones, & absoluere, sicut poterat in Conuentu. Sic habet Sotus *in 4.distinct.18. quæst.4. artic.3.* cuius verba sunt ista; *Religiosus, qui facultatem habet sui Prælati audiendi Religiosorum confessiones, quemcunque subditum sui Conuentus potest vbicunque terrarum absoluere: perinde ac Prior ipse, præterquàm in casibus reseruatis.*

Et ego addo, quòd quia in nostra Religione statutum est, vt Confessarij deputati etiam à reseruatis absoluant cum onere se præsentandi, quòd poterunt etiam à reseruatis absoluere: dummodò pœnitentes acceptent obligationem se præsentandi.

ARTICVLVS XII.

An pœnitens habita opportunitate Prouincialis, aut Generalis, non se repræsentans peccet: & an teneatur denuò se præsentare?

SVMMARIVM.

1 *Promittens se præsentaturum, dum id non facit, semper tenetur, & probatur multis. Et id quamprimùm facere tenetur.*

2 *Confessarij, qui onus suscipiunt se præsentandi pro pœnitentibus, debent id facere quamprimùm possunt.*

3 *Pœnitens promittens se præsentaturum, posteà verecundia ductus, an id possit facere per aliam interpositam personam.*

Promittens se præsentaturum, dum id non facit, semper tenetur. Nauarrus.

1 REspond. quòd tenetur statim se præsentare sub pœna peccati mortalis: dummodò fiat sine suæ famæ detrimento. Quòd si non se repræsentat habita opportunitate, aliqui volunt dicere, quòd pœnitens solùm peccat mortaliter: sed quòd non tenetur se ampliùs præsentare: & conantur hoc probare ex Nauarr. qui *in Man. cap. 26. num. 12.* sic ait: *Si Superior absens inferiori facultatem dederit, vt à casibus sibi reseruatis absoluat sub eo modo: vt iterum illi confiteatur, quando præsens fuerit, Confessarius tenetur illum modum pœnitenti declarare: & si eum non acceptauerit non debet eum audire, si ante confessionem id sciuit: si tamen consenserit absolutioni, adeò valet absolutio, quòd quamuis posteà pœnitens Superiori non confiteatur, valere illa non desinat: peccatum tamen mortale nouum committet.* Hæc Nauarrus.

Ex

Ex quibus verbis eliciunt aliqui, quòd commisso nouo peccato, ad nihil aliud posteà teneantur, qui se non præsentant. Sed profectò hallucinantur: nam præsentatio est veluti debitum contractum, quòd quousque non soluitur, semper remanet obligatio illud soluendi. Est etiam veluti obligatio, quam quis habet de voto obedientiæ, paupertatis, & castitatis, in quibus, si casus aduenerit, quòd quis transgrediatur aliquod illorum mortaliter: licèt posteà confiteatur de illo peccato, & transgressione facta mortaliter: remanet tamen adhuc obligatio seruandi votum promissum propter debitum in professione contractum.

Quod disertis verbis docet idem Nauarrus *in tom. 1. consilior. de voto, & voti redemptione, consil. 34.* vbi sic concludit: *Absolutio fractionis voti differt ab absolutione voti: ita quòd votum perpetuum semper obliget, licèt vouens à peccato fractionis voti absoluatur:* vt ait S. Antoninus: *Vnde quando quis non adimplet promissionem factam de se præsentando, frangit quidem debitum illud, non tamen exoneratur à debito semel contracto.* Sic Nauarrus. Clariùs id habet Sotus *in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5.* in his verbis: *Tunc inferior absoluit quidem directè à peccatis non reseruatis: consecutiuè tamen à reseruatis, dummodò pœnitens firmum habeat propositum recurrendi ad Superiorem: nam dum est in mora recurrendi, putà, habita opportunitate absolutionem non procurans, semper manet in culpa.* Sic Sotus. In quibus verbis notanda sunt illa vltima *(semper manet in culpa)* nam non tollitur obligatio, quousque se præsentet: licèt pluries talem obligationem frangat.

Nauarr.

Sotus.

Politius.

Quod etiam optimè perpendit noster Pater Politius *super cap. 7. Regulæ, num. 31.* dicens: *Quòd hæc præsentatio est ex sacramentali confessione dependens, &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pars quædam eius ad satisfactionem pertinens: solutio scilicet debiti, quo se pœnitens ligauit, vt à reseruatis absolueretur: & ibidem *num.* 33. ait: *Nouum peccatum committit, qui promisit se repræsentare, & non se repræsentauit, & in eodem semper est: dum scilicet quod promisit, implere non vult.* Sicut qui confitendo aliquorum oblitus peccatorum, ea cùm memoriæ occurrerint, licèt fuerit absolutus, semper confiteri tenetur, & nouo peccato ligabitur; si ea confiteri noluerit, eóque erit astrictus, donec oblita confiteatur.

Quòd ex Soto nos annotauimus supr. *n.* 30. pœnitentem toties peccare mortaliter, quoties habita opportunitate, Superiori denuò non confitetur reseruata, quæ cum hac ligatura fuerunt ab inferiori soluta, & à pœnitente acceptata. *Hucusque Politius,*

Suarez. Suarez quoque *in 4. tom. disp. 30. sect. 5. num. 28.* ait: *Quando in aliqua Religione per statutum conceditur hæc facultas cum prædicto onere, ex vi illius resultat obligatio sub mortali culpa comparendi coram Superiore: etiamsi nec statuta talis Religionis soleant obligare in conscientia, neque in tali statuto sint specialia verba præceptiua præter illa, quæ declarant modum reseruationis, & facultatis. Nam illud statutum non tam præcipit, quàm facit, seu indulget tali modo, supposita tali reseruatione, quam non omnino tollit, sed moderatur, & quoad hoc est efficax tale statutum: quia procedit ex voluntate, & ex potestate, vt ostensum est; posito autem illo effectu, ex natura rei, seu ex ipsa institutione sacramenti, sequitur alia obligatio, quæ grauis est, ratione materiæ, vt rectè suprà probatum est.* Sic Suarez.

Cõfessarij qui onus suscipiũt se præsentãdi pro pœnitẽtibus, debẽt id facere quamprimũ possunt.

2 Idem quoque censeo de Confessariis deputatis, qui rationabili causa ducti, suscipiunt super se obligationem, & onus se præsentandi: scilicet, quòd debent id facere quamprimùm se illis offeret copia Superioris, nisi ratione sufficiente ducti, aliud expedire pœnitenti iudicauerint: nam potest dari casus, in quo, si tunc Confessarius coram Superiore se repræsentet, Superior veniet in cognitionem pœnitentis: & propterea melius est, vt in opportuniorem occasionem præsentatio differatur. Sed ordinariè loquendo, tenetur statim se præsentare, si habet copiam Superioris: quia idem onus, ac pœnitens ipse habet, dum super se illud suscepit.

Dubium. 3 Quæres, quando pœnitens Superiori tenetur se præsentare, & in confessione paratum se ostendit ad id faciendum: posteà verecundia ductus vult id facere per interpositam personam; an talis persona interposita possit esse quælibet indifferenter: an verò necesse est, vt sit Confessarius?

Respons. Respond. quòd circa hoc, distinctione opus est: nam aliud est impetrare facultatem à Superiore ad concedendam suam auctoritatem alicui: aliud verò est se præsentare pro onere contracto, & acceptato in confessione: circa impetrationem facultatis, potest vti quacunque persona, etiam quòd non sit suus Confessor. At circa præsentationem, necesse est, vt fiat per ipsummet pœnitentem, vel per Confessarium, qui suam confessionem audiuit. Tum quia, in Decreto Clem. VIII. id insinuatur, dum dicit: *Quando Confessarius in primis iudicauerit:* Tum etiam quia ob facultatem, quam in eodem Decreto summus Pontifex concedit, potest Superior tractare cum Confessario de pœnitentia iniungenda: & propterea opus est scire qualitatem peccati, speciem, recidiuationem, *&c.* quæ omnia nemo potest, neque debet, præter Confessarium pertractare.

ARTI

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS XIII.

An liceat Regularibus indifferenter se confiteri extra suum Ordinem?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarij Papæ super omnes fideles, etiam Regulares, potestatem habent in foro conscientiæ.*
2 *Regulari non licet confiteri indifferenter extra suum Ordinem absque sui Superioris licentia.*
3 *Regulares prohibentur confiteri extra suum Ordinem ex vsu, & statuto, & priuilegijs.*
4 *Ex vi Regulæ Superioribus Minorum interdicitur, ne Fratribus dent facultatem confitendi extra suum Ordinem, ex Hugo & Pisano.*
5 *Prædicatores in casu necessitatis possunt confiteri extra suum Ordinem, ex Leone X.*
6 *Casuum reseruatio in mortis articulo nulla.*
7 *Politius conatur reijcere præfatam Leonis X. confessionem: ac si esset contra regulam, sed impugnatur Politius.*
8 *Censurarum absolutio alijs etiam extra Ordinem potest committi.*

Pœnitentiarij Papæ super omnes fideles, etiã Regulares potestatem habent in foro conscientiæ.

1 RESpond. quòd, exceptis pœnitentiariis sanctissimi Domini nostri Papæ, qui habent plenariam potestatem audiendi confessionem omnium ad se recurrentium, etiam Religiosorum cuiuscunque Ordinis: de reliquis Sacerdotibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus cuiuscunque Ordinis, hoc certum est, Regulares confiteri non posse: cùm enim Regulares sui iuris non sint, non habent ad id facultatem, cùm non solùm non faueat illis Prælatorum suorum licentia, imò è contra Prælati semper reclament, & contradicant. Vnde stante tali prohibitione nullus Regularium poterit extra suum ordinem confiteri, erítque nulla confessio, & absolutio attentata.

Regulari non licet se cõfiteri indifferenter extra suũ Ordinem absque licentia sui Superioris.

3 Hæc autem Superiorum prohibitio semper extitit in ordine: satísque ex vsu, & antiqua consuetudine comprobatur, quæ etiam vim legis in hoc habet. Et de hoc insuper habetur statutum Clement. IV. quo inhibetur vniuersis Ecclesiarum Prælatis & quibuscumque aliis, ne cõfessiones fratrum Minorum præsumant, eorum inuitis Prælatis, audire: vt habetur *in Compendio Priuilegiorum*, verbo, *Confessio, num.* 1. Bonifacius VIII. sic habet, *Inhibemus vniuersis fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum, nisi in necessitatis articulo, aliis, quàm Prælatis suis, peccata sua confiteri præsumant, vel aliis Sacerdotibus eiusdem Ordinis, secundùm Regulæ, & ipsius ordinis statuta.* Hæc ibi.

Regulares prohibẽtur cõfiteri extra suum ordinem ex vsu, & statuto, & priuilegiis. Clem. IV. Compend. Priuileg.

4 Hoc autem adeò verum esse putat Hugo, & Pisanus *super Regulam c.* 7. vt asserant, etiam ex vi Regulæ prohibitum esse Ministris, posse facere facultatem fratribus, vt extra Ordinem valeant confiteri de casibus, ipsis Ministris reseruatis. Et enim Regula peccantes fratres non ad alios, quàm ad Ministros Ordinis mittit: & ipsis Ordinis Ministris, qui curam animarum fratrum suorum habent, modum præscribit; vt in casibus reseruatis non assignent extraneos ipsis fratribus Confessarios sæculares, scilicet presbyteros, vel alios Religiosos, sed tantùm huius Ordinis Sacerdotes. Ait enim Regula; *Ipsi verò Ministri, si presbyteri non sint per alios Sacerdotes Ordinis pœnitentiam iniungi faciant.* In mortis autem articulo, deficientibus Sacerdoti

Hugo. Pisanus. *Ex vi Regulæ Superioribus Minorũ interdicitur, ne fratribus dẽt facultatẽ cõfitendi extra suum Ordinem.*

differenter extra suũ Ordinem absque licentia sui Superioris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerdotibus Ordinis nostri, poterunt fratres etiam absque licentia Prælatorum aliis Sacerdotibus cõfiteri, & absolui sine obligatione, & debito reconfitendi peccata Ministris, vt est communis opinio Doctorum *in 4.distinct.17.* & de hoc latè potest videri Nauarr. *in cap.1.de pœnit. dist.6.n.73.* cum quo concordat Corduba super Regul. *cap.7.quæst.2.*

Nauarr. Corduba.

Prædicatores in casu necessitatis possunt cõfiteri extra suum Ordinem.

5 Solùm Prædicatores nostri Ordinis, & etiam alij fratres, quando sunt extra Monasterium, & copiam Sacerdotis Ordinis nostri habere non possunt, quia scilicet non habent socium Sacerdotem, & Confessarium, possunt confiteri peccata sua alteri Sacerdoti alterius Ordinis, vel etiam presbytero sæculari dummodò fiat sine fraude, & dicant suo prælato. Sic ex concessione Leonis X. habetur *in comp. priuileg. titul. Absolutio ordinaria quoad fratres.§.19.*

Leo X.

Casuũ reseruatio in mortis articulo nulla.

6 Circa quam concessionem animaduerto, quod quia ex Concil. Trident. in mortis articulo nulla est reseruatio casuum: hinc in tali casu dicimus, quòd si ægrotus conualescat, non tenetur ampliùs ad reconfitendum peccata reseruata nisi habeant excommunicationem: & tunc solùm sufficit recurrere pro censura: vt suprà pluries dictum est: at extra talem articulum seruanda est forma concessionis.

Concil. Trident.

Politij sententia.

7 Deinde pondero, quòd Pater Politius super Reg. *c.7.num.44.* conatur infringere talem concessionem Leonis X. ac si esset contra Reg. & nos Minores Capuccini per nostra statuta renunciauimus omnibus priuilegiis relaxantibus Regulam, vnum de quibus est hoc præsens, de quo agimus.

Politij sententia reijcitur.

Oppositum nihilominùs est verum, nempe quòd talis concessio non solùm non est contra Regulam,

lam, imò & iuxta regulam: non prouidet fratribus copiam Sacerdotis, quando ex nostro Ordine non possunt haberi, quomodo mũdâ conscientiâ ad altare accedere valeant. Id quod ipsemet Pater Politius posteà animaduertit, dicens, *inf.n.46.* his verbis: *Sed esto*, inquit, *quòd nõ sit præceptũ Regulæ, negari tamen non potest, secundùm morem Regulæ esse, vt extra ordinem fratres nullatenùs confiteantur, nisi in necessitatis articulo.* Et in *num.47.* declarans necessitatis articulum ait, *Neque hic necessitatis articulus sumendus est tantum pro articulo, seu periculo mortis, sed pro quacunque alia necessitate ad id iustè cogente, quæ esse poterit, si necessariò ad euitandum scandalum manifestum, debeat Sacerdos celebrare, & Confessarium nostri Ordinis, cui confiteatur, non habeat: vel si in terris infidelium reperiatur vbi nostri Ordinis Sacerdos non sit: in tali enim necessitate possunt ministri dispensare, & tacitè intelligitur dispensatum, & facta facultas: quia nec Regulæ menti aduersatur, in casu necessitatis dispensare,* & in *n.48.* subdit.

Articulus necessitatis quis.

Cẽsurarum absolutio etiam alijs extra Ordinem potest committi.

8 *Prædicta tamen intelligas semper pro culpis, seu absoluendis peccatis, non de censuris: nam de his nec ex Regula, nec ex aliqua Papali constitutione videtur prohibitum Ministris posse committere alicui extra Ordinem potestatem absoluendi, vel dispensandi, vt iudicauerint expedire, vnde quando sic eis videbitur, poterunt prædictam facultatem à censuris absoluendi, etiam extra ordinem committere.* Sic Politius, & annotauit etiam Corduba *vbi sup. in quæst.3. puncto.1.* Caueant tamen Superiores, ne sint faciles in concedenda tali facultate, nisi in maxima necessitate.

ARTI

ARTICVLVS XIV.

An regulares possint accipere Bullam Cruciatæ, & per eam absolui à reseruatis?

SVMMARIVM.

1 *Regulares posse accipere Bullã Cruciatæ aliqui tenẽt.*
2 *Verior sententia est negatiua.*
3 *Capuccini obseruant regulam iuxta textum, & ad litteram.*
4 *Regulares non possunt accipere Bullam Cruciatæ ad effectum absolutionis casuũ ex decretis Põtificum.*
5 *Speciale decretum Clem. VIII. ne Regulares vtantur Bulla Cruciatæ ad effectũ absolutionis à reseruatis.*

Regulares posse accipere Bullã Cruciatæ aliqui tenent. Rodriq.

1 REspond. quòd Rodriquez *in to. 1. quæstionum Regularium, q. 21. art. 10.* tenet fratres mendicantes posse accipere Bullam Cruciatæ, cum licentia tamen Superiorum, & Prælatos Regulares talem licentiam pro re tam sancta facilè dare debere. Et addit, fratres Minores, quibus ex Regula prohibitum est ad pecuniam recurrere absque præsente, vel imminente necessitate, posse illam pecuniam cum licentia Prælatorum procurare pro huiusmodi Bullæ receptione, seruatis tamen reliquis modificationibus summorum Pontificum, iuxta eorum professionem. Et subdit, licèt Collector *in Compendio Priuilegiorum*, verbo, *Cruciata.* §. 5. dicat, quòd hæc Bullæ acceptio non sit causa necessaria, vt possit perindè ad pecuniam recurri, cùm totum, quod in ea conceditur, in nostris priuilegiis habeatur, attamen Corduba *in expositione nostræ Regulæ, cap. 4. q. 7.* tenet contrarium, dicens; quòd imò ista

Collector.

Corduba.

ista sit sufficiens necessitas, vt Prælati possint talem licentiam dare, cùm sit negotium tantæ pietatis. Quibus addo, ait Rodriquez, quòd licèt possint per virtutem Priuilegiorum suas animas liberare: sanctum tamen est, pluribus aliis viis id attentare. *Hæc ille.*

Verior sententia Collectoris.

2 Nihilominùs sententia Collectoris, & verior est, & omnino amplectenda; non enim licet fratribus Minoribus pro talis Bullæ acceptione ad pecuniam recurrere, cùm non sit necessaria: nam quantum ad Indulgentias, iam nobis multis aliis viis conceduntur, & quantum ad absolutionem à casibus reseruatis, etiam remedia plura sunt nobis data, vt dictum est suprà. Posset benè opinio Rodriquez, & Cordubæ in cæteris Mendicantibus saluari; habent enim pecuniam in communi, & quamplures eorum ad vsum particularem: de quorum numero si erant Rodriquez, & Corduba, vel etiam ad id socios habebant, poterant etiam ad hoc pecunias dare.

Capuccini obseruant Regulam iuxta litteram.

3 At nos Capuccini, qui per Dei misericordiam ad litteram, & iuxta mentem Seraphici Patris nostri Francisci Regulam obseruamus, nullo pacto possumus pro talis Bullæ acceptione ad pecuniam recurrere, eò magis, quia id à pluribus summis Pontificibus vetitum sit.

Regulares non possunt accipere Bullã Cruciatæ ad effectũ absolutionis à casibus.

4 Leo X. prohibuit, & declarauit, quòd nullus fratrum Minorum Regularis obseruantiæ possit accipere Bullas Cruciatæ, seu alias indulgentias generales concessas, aut concedendas, vt possit vti gratiis ibi contentis; vtpotè contra Regularia statuta Ordinis, confiteri quibuscumque Sacerdotibus, & absolui à casibus reseruatis. Et hoc prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,

ne id faciant contra obedientiam Ordinis, & absque speciali licentia suorum Superiorum.

Innocentius VIII. idem prohibuit, & quòd quæcumque alia absolutio, quoad fratres irrita sit, & inanis. Vide *Compend. Priuileg.* verbo, *Cruciata.* §. 16. & 21.

Pius V. in quadam Constitutione edita die 21. Iulij, 1571. Pontificatus sui anno 6. quæ incipit; *Romani Pontificis circumspecta benignitas*, prohibet fratribus Ordinis Prædicatorum, ne possint eligere Confessorem, & absolui à reseruatis virtute Bullæ Cruciatæ sine licentia suorum Superiorum. Quam constitutionem refert Passarellus in compilatione Priuilegiorum sancti Francisci de Paula *fol.* 127. Omnes igitur prædicti Pontifices prohibent, ne vllus fratrum Mendicantium Bullam Cruciatæ absque licentia suorum Prælatorum accipiat.

Præter prædictos autem summos Pontifices, est Constitutio Clem. VIII. quæ absolutè id prohibet, facta ad instãtiam Procuratoris Generalis Carmelitarum, qui, cùm ad sanctitatem suam supplicasset, vt remedium fratribus suæ Religionis adhiberet, qui, vt ab omnibus reseruatis, & non reseruatis absolui possent, Bullam Cruciatæ accipiebant, Pontifex non solùm pro ipsis Carmelitis: verùm, & pro omnibus Regularibus sic respondit:

CLEMENS PAPA VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

§ ROmani Pontificis, &c. *Exponi nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis ordinis fratrum sanctæ* MARIÆ *de monte Carmelo, quòd cùm in Bulla Cruciatæ sanctæ, & alijs Priuilegijs, quæ à sede Apostolica*

stolica concedi solent, detur facultas eligendi Confessorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à casibus Ordinario reseruatis, & à quibusdam etiam, quæ dictæ sedi reseruata sunt: Religiosi dicti ordinis, seu eorum nonnulli, etiam ijs facultatibus vti præsumunt, & illarum prætextu eligunt Confessorem aliquando, præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Quare prædictus Procurator Generalis humiliter nobis supplicari fecit, quatenùs in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

NOS IGITVR HVIVSMODI SVPPLICATIONIBVS INCLINATI, *talem concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis cum fratribus, & sororibus Monialibus ordinis prædicti, ac aliorum quorumcumque ordinum & congregationum, cuiusuis instituti mendicantium, & non mendicantium, tàm Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet locum minimè habere, neque censeri.*

SED NOSTRÆ INTENTIONIS EXISTERE, *quòd ijdem fratres, & Moniales, quantum ad sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo declaramus. Eisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant,* PRÆCIPIMVS, ET MANDAMVS. *Non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Nouembris, 1599. Pontificatus nostri anno 8. M. Vestrius Barbianus.*

Ex qua Constitutione patet, quòd nullo pacto

licet Regularibus accipere Bullam Cruciatæ ad effectum eligendi sibi Confessarium pro reseruatorum absolutione.

ARTICVLVS XV.

An Regulares, tempore Iubilæi plenissimi, possint confiteri extra suum Ordinem, & absolui?

SVMMARIVM.

1 *Iubilæi plenissimi virtute possunt Regulares confiteri extra Ordinem, quando in diplomate id conceditur.*

2 *In indulgentia, verbum illud, quod aliquando ponitur* (per modum Iubilæi) *importat absolutionem, etiam à casibus, ex Graffio, & Rodriquez.*

3 *Negat hoc Suarez.*

4 *Graffij, & Rodriquez sententia, vt verior eligitur.*

5 *Regulares non possunt per Bullas particulares absolui à reseruatis.*

6 *Regulares magis merentur suam Regulam seruando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quàm indulgentias exquirendo.*

7 *Regularis an possit absoluere à casibus Episcopo reseruatis.*

Iubilæi plenissimi virtute, possũt Regulares cõfiteri extra Ordinẽ quando id in diplomate conceditur.

1 RESpond. quòd distinguendum est: nam vel in Iubilæo datur facultas specificè, vt Regulares possint sibi eligere Confessarium extra suum Ordinem, vel non; si non concedit, absolutè dicimus, quòd non possunt; quia verba indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Si verò specificè in eis datur facultas talis: sicut sanctissimus Dominus noster Paulus Papa V. in duobus Iubilæis generalibus, annis elapsis, promulgatis, indulsit: quòd etiam anteà fecerat Clem. VIII. & tunc nulli dubium, quin Religiosus possit extra Ordinem suum confiteri, & iuxta tenorem Iubilei eligere sibi Confessarium, qui eum à reseruatis, & ab omnibus absoluat.

Sciendum tamen est circa hoc, quòd dubitatum fuit coram Illustrissimis super Concilium Tridentinum, An tempore Iubilæi supradicti concessi cum facultate, vt pœnitentes possint sibi eligere Confessarium quemcunque, siue Regularem, siue sæcularem, à quo possint absolui, *&c.* An scilicet possint Religiosi, virtute dictarum literarum Apostolicarum Iubilæi, confiteri peccata sua Sacerdotibus sæcularibus, ab Episcopo loci approbatis, & ab eis absolui: cùm ipsi Regulares Ordinario nõ sint subiecti, sed exempti? Et die 15. Decembr. 1580. Congregatio Concilij pro maiori parte sensit pro negatiua: dixit tamen dubium referendum esse sanctissimo Domino: qui postèa die 19. Decembr. 1581. in Consistorio respondit: *Tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus, etiam sæcularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones.* Nam in Bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audirent confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium.

Dubiũ 3. *Declaratur, quid importet verbum illud*, per modũ Iubilæi.

2 Dubitatur hîc, an quando in indulgentiis dicitur: *Indulgentia plenaria per modum Iubilæi*: nam per talem vltimam particulam detur facultas, vt quisque possit absolui ab omnibus censuris, & casibus reseruatis. Pater Graffius *in lib. 4. casuum conscientiæ, cap. 15. num. 29.* tenet partem affirmatiuam: nam, in-

Graffius.

quit,illa particula, *per modum Iubilæi*, aliquid addit supra indulgentiam: ipse autem putat, Iubilæum, præter indulgentiam continere etiam potestatem commutandi vota,& absoluendi à censuris,& casibus reseruatis:& ideò cum indulgentia per modum Iubilæi conceditur,facultatem absoluendi à censuris,& casibus reseruatis concedere videtur.

Rodriq. Rodriquez *in sua summa,tom.*1.*cap.*18.*num.*2.ait, in Iubilæo vltra indulgentiam plenariam concedit etiam summus Pontifex,quòd possint absolui fideles sacramentaliter ab omnibus peccatis reseruatis, etiam Sedi Apostolicæ, & à censuris in Bulla Cœnæ Domini,nisi ab hæresi, quia hic casus commissus est in foro interiori, & exteriori Dominis Inquisitoribus. Fauet huic sententiæ:quia Bulla indictionis Iubilæi nihil aliud dicit,nisi quòd concedit indulgentiam plenariam in forma Iubilæi: sic in Bulla anni sancti tempore Clem. VIII.quam vidi: & nihilominùs fideles omnes absoluti fuerunt ab omnibus casibus,& censuris.

Suarez. 3 Suarez nihilominùs *in tom.*5. *disput.*7. *sect.*5. *num.*9.ait, id non esse verisimile:& quòd explicatio illius vocis, *Iubilæi*, totam illam potestatem includat,nullo iure, aut auctoritate ostenditur. Vnde licèt cum Iubilæo sæpè soleat illa potestas,vel facultas concedi, tamen Iubilæus propriè eam non significat: sumpta est enim illa vox ex Scriptura, in qua Iubilæus annum remissionis significabat: & inde etiam translata est ad significandam plenariam remissionem, quæ per indulgentiam conceditur.

Deinde,illa potestas commutandi vota, vel absoluendi à censuris,non est definita,& certa,sed interdum ampla est,& interdum magis restricta:ergo in

in absoluta voce Iubilæi,non potest intelligi aliqua potestas huiusmodi.

Sed quanta erit? non amplissima: quia hæc non semper, sed rarò conceditur: neque cum certa aliqua restrictione,quia hęc non est definita,sed arbitraria ad voluntatem concedentis.Non est ergo verisimile, tam grauem potestatem tam confusè concedi: & ideò quoties conceditur, speciatim exprimitur,etiāsi Iubilæus concedatur,vt ex vsu constat.

Quando ergo indulgentia conceditur per modum Iubilæi, nihil aliud significatur, nisi concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi solet in Iubilæis: quòd si simul dicatur,concedi indulgentiam plenariam ad instar Iubilæi,est repetitio quædam ad maiorem explicationem,& commendationem indulgentiæ, non verò est noua concessio: *hucusque Suarez.*

In hac sententia Suarez tota vis fit in voce,*Iubilæi*:& nihilominùs praxis est in contrarium quoad vnum: nempe quòd semper in omnibus Iubilæis conceduntur casus: ergo saltem quoad hoc erit semper vniformis, & præterea id, quod dicit Suarez,scilicet quòd quoties talis facultas conceditur, speciatim exprimitur,non est verum semper: nam, vt diximus paulò antè, in Bulla indictionis Iubilæi pro anno 1600.nihil horum posuit Clem.VIII. & nihilominùs ab omnibus fuerunt absoluti pœnitentes & à censuris, & à reseruatis: ergo sufficit, quòd indulgentia vel sit Iubilæum,vel ad instar Iubilæi ad hoc,vt in ea detur facultas prædicta.

4 Vnde licèt probabilem existimem sententiam Suarez, probabiliorem tamen censeo sententiam Graffij,& Rodriquez. *Authoris sententia.*

Dices, si ita est:ergo Regulares possunt accipere indul- *Dubium.*

indulgentias omnes, quæ sunt per modum Iubilæi, etiam quòd sint concessæ alicui fraternitati, vel altari, vel particulari Ecclesiæ, vel etiam medalliis, & imaginibus, quæ aliquando à summo Pontifice benedicuntur, & habent indulgentiam per modum Iubilæi?

Respons. *Regulares non possunt per Bullas particulares absolui à reseruatis.*

5 Respondeo, quòd nullo pacto possunt Regulares vti talibus indulgentiis per modum Iubilæi, ad effectum consequendi beneficium absolutionis à casibus reseruatis: quia, *vt paulò ante diximus in art.* 14. Clemens VIII. in sua Bulla manifestè id prohibet, dicit enim sic: *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis*, &c. *locum minimè habere, neque censeri*, &c.

D. Thom. Addam hîc vnum notatu dignum ex D. Thom. *in addit. ad 3. p. q. 27. art. 2. ad 2.* contra fratres illos, qui sub hoc colore indulgentiarum vagari nunquàm satiantur: quia est ad propositum pro hac materia indulgentiarum.

Religiosi magis merentur suâ Regulam seruando quantũ ad præmiũ vitæ æternæ, quàm indulgentias exquirẽdo.

6 Ibi enim sanctus Doctor arguendo, quòd Religiosis deberentur indulgentiæ, quia essent eis causa vagandi, & dissolutionis Religionis, posteà respondet, quòd propter indulgentias non debet dissolui Regularis obseruantia: quia Religiosi magis merentur Regulam suam seruando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quàm indulgentias exquirendo, quamuis minus: quatenus ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum. *Hæc S. Thomas.*

7 Dubitatur hîc pro Regularibus ad sæcularium confessiones expositis, an si in Iubilæo data sit facultas cuilibet Confessario absoluendi, à quibuscunque casibus, & censuris, licèt Sedi Apostolicæ

cæ reseruatis, num possint absoluere à casibus, quos sibi Episcopus, particulari constitutione reseruauit? Respond. sec. Nauar. *in Man. cap. 17. num. 263.* quòd sic; qui, inquit, quòd Confratres sanctissimæ Trinitatis, & alij Christi fideles possunt absolui à casibus reseruatis Episcopis eis inconsultis, auctoritate cuiusdam Bullæ eis concessæ à S. D. N. Gregorio XIII. per quam eis concedit facultatem eligendi certis temporibus, & diebus, quoscunque idoneos Confessores ab Ordinariis approbatos, à quibus absolui valeant toties, & quoties à quibuscunque peccatis, & criminibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à contentis in Bulla Cœnæ Domini. Et hanc opinionem probat multis argumentis contra quendam, qui scripsit contra *in tract. de casibus Sedi Apostolicæ reseruatis.* Sed modò extat Decretum Congregationis in contrarium.

ARTICVLVS XVI.

An quando datur facultas, tempore Iubilæi, vt Religiosi possint eligere sibi Confessarium ab Ordinario approbatum, sufficiat quòd Confessarius sit approbatus, à Prælatis Ordinis?

SVMMARIVM.

1 *Regularis intra suum Ordinem ab approbato à suo Superiori confiteatur.*

2 *Regularis extra suum Ordinem ab approbato ab Episcopo loci confiteatur.*

Regularis intra Ordinẽ ab ap-

1 RESpond. quòd vel Religiosus pœnitens vult confiteri extra Ordinem, vel intra. Si intra

probato à suo Superiore confiteatur.

suum Ordinem, sufficit quòd Confessarius sit approbatus à Prælatis suæ Religionis: nam prædicta verba intelligi debent secundùm veram, & approbatam Concilij Tridentini intelligentiam *in sess. 23. cap. 22. de reform.* Vbi licèt mandetur, vt nullus Confessor sæcularis, aut Regularis aliorum confessionem audire præsumat, nisi ab Ordinario fuerit approbatus: hoc tamen intelligi debet de Sacerdotibus Episcopo subiectis, non de Religiosis, qui hanc non habent subiectionem. Vide Nauarrum *in Man. cap. 4. num. 2.* & Angel.

Regularis extra suũ Ordinẽ ab approbato ab Episcopo cõfiteatur.

2 Si verò voluerit extra Ordinem suum confiteri: (suppono quòd in transumpto Iubilæi id expressè concedatur) tunc etiam distinguendum est: nam vel vult confiteri alicui Regulari, vel alicui Sacerdoti sæculari. Si Regulari, sufficit, quòd ille talis Confessarius approbatus sit à suo Prælato ad audiendas fratrum confessiones: si verò sæculari confiteri voluerit, tunc necesse est, vt talis Confessarius à suo Episcopo sit approbatus, & expositus.

ARTICVLVS XVII.

An tempore Iubilæi absolutus à censuris, & reseruatis, non adimplens omnia quæ diploma præcipit, sit absolutus, nécne?

SVMMARIVM.

1 *Iubilæi tempore absolutus à casibus, & censuris, absque tamen animo adimplendi quæ in diplomate continentur, non manet absolutus.*

2 *Absolutus tempore Iubilæi, licèt non consequatur indulgentiam, quia non facit id quod præcipitur in diplomate, remanet tamen absolutus.*

3 *Peccat, qui post absolutionem ex Iubilæo, non curat posteà implere cætera, quæ in diplomate continẽtur.*

4 *Absolutus tempore Iubilæi, si obliuiscitur alicuius casus, vel censuræ, liber manet à præsentatione.*

REspondeo quòd hæc difficultas mouetur propter Iubilæum, cuius indulgentia per varias actiones obtinenda est; quæ in discursu, verbi gratia, vnius hebdomadæ fiunt: potest enim quis confiteri, & absolui in quocunque die hebdomadæ: vnde potest sæpè accidere, vt priùs confiteatur, & absolutionem à reseruatis obtineat, & posteà omittat alia opera necessaria, ideóque indulgentiam non lucretur. Meritò ergo dubitatum est, an ille maneat absolutus simpliciter: ita vt, nec coram Superiore comparere teneatur, nec iterum de illis peccatis absolui, vel si absolui velit, possit à quolibet Sacerdote? *Dubium.*

Respons. Iubilæi tẽpore absolutus à cẽsuris, & nõ adimplens omnia, quæ in diplomate cõtinebãtur nõ manet absolutus: si animo ficto hoc fecit.

1 Pro responsione huius difficultatis, distinguendum est: nam talis pœnitẽs vel accessit ad Confessarium bona fide, volens adimplere omnia, quæ erant ordinata in Bulla, vel non: si non, certum est nõ manere absolutum, sed absolutionem à censuris, & à reseruatione fuisse nullam: quia Pontifex non intendit concedere facultatem, nisi in ordine ad consequendam indulgentiam, atque pro his, qui Iubilæum lucrantur: ergo quando absolutio datur ante consummatum tempus, & ante perfectas alias actiones requisitas, saltem est necessaria intentio obtinendi Iubilæum, & perficiendi omnia, quæ iussa sunt, & quòd homo sit quasi in via ad prædictum finem.

2 Si

Absolutus tempore Iubilæi, licèt non consequatur indulgentiã, quia nõ facit id, quod præcipit Bulla, remanet tamen absolutus.

2 Si verò bona fide accessit, & habuit intentionem omnia perficiendi: tunc talis manet sacramentaliter absolutus ab omnibus, quia absolutio data fuit, vt supponimus, & non potuit esse pendens à futuro euentu, quia hoc repugnat formę sacramentali: ergo statim fuit valida, & habuit effectum (quia supponimus ex parte suscipientis non fuisse obicem,) qui effectus irreuocabilis est.

Vnde illa facultas licèt data fuerit in ordine ad futurum effectum: non tamen dependenter ab illo, vt à cõditione de futuro, sed ad summum, vt à conditione de præsenti, idest à præsenti intentione faciendi omnia necessaria ad talem effectum.

Ex quo vlteriùs fit etiamsi contingat posteà illum effectum non sequi, siue voluntariè, siue casu contingente, huiusmodi pœnitentem manere liberum omninò à tali culpa sine obligatione comparendi coram Superiore, & consequenter non teneri peccatum illud ampliùs confiteri, vel si illud confiteri debet, posse à quolibet Sacerdote absolui.

Peccat, qui post absolutionem ex Iubilæo, non curat posteà implere cætera, quæ in diplomate continentur.

3 Existimo tamen huiusmodi hominem grauiter peccare, si post absolutionem peccatorum, virtute Iubilæi obtentam, voluntariè omittit reliqua opera necessaria ad indulgentiam Iubilæi obtinendam: quia illud etiam est in fraudem Iubilęi, & contra virtuale pactum inclusum in facultate ad illum finem concessa: nam consequenter imponere videtur onus, & obligationem faciendi cætera necessaria ad prædictum effectum: & videntur se habere tanquàm pœnitentia iniuncta, & accepta in satisfactionibus pro talibus culpis.

Dubium. *Absolutus tempore Iubilæi, si obliuiscitur alicuius*

4 Dubitatur hîc, tempore Iubilæi ampliſſimi si quis absoluatur, antequàm compleat reliqua opera necessaria ad consequendum Iubilæum, vt dictum est,

est, & nihilominùs obliuiscitur alicuius casus, qui habet vel reseruationem, vel excommunicationem annexam: & deinde non facit reliqua opera ad consequendum Iubilæum, vnde nec consequenter recipit indulgentiam; An talis liber remaneat à præsentatione? *casus, vel censuræ, liber manet à præsentatione.*

Respond. quòd si pœnitens per Confessionem, & absolutionem consequutus est absolutionem plenariam à reseruatis confessis, & à censuris; quòd consequenter obtinuit etiam liberationem à reseruatione oblitorum; quia iam vsus est priuilegio sibi concesso: & licèt posteà non lucretur indulgentiam, non propterea reincidit in reseruationem, cuius ratio est; quia, qui semel confitetur legitimè peccata sua, & absoluitur, non tenetur illa vnquàm reconfiteri nec iure naturali, nec Diuino, nec Canonico communi; imò, *vt suprà dictum est in prima sect. art. 9.* nulla lege humana potest constitui, vt quis, absque suo consensu obligetur ad confitendum bis idem peccatum, vt post S. Thomam, *in quodlibet. 1. art. 12.* & post alios *in 4. dist. 17.* docet Nauar. *in capit. fratres, num. 3. & in Manual. cap. 9. num. 1.* Responsio. S. Thom. Nauarr.

At is, de quo loquimur, legitimè fuit confessus peccata reseruata, & legitimè absolutus, & in absolutione fuerunt ei remissa non solùm confessa; verùm, & oblita peccata: ideò non tenetur ampliùs de illis se præsentare, sed sufficit confiteri culpam cuilibet Confessario de peccato.

Et postremò, si præfatus pœnitens fecisset omnia ad Iubilæum lucrandum requisita, vel obiret mortem ante diem Dominicum, iudicaretur absolutus, etiam quoad reseruata oblita, nedum confessa, & non per aliam absolutionem: ergo illa absolutio

absolutio data fuit valida, non solùm pro reseruatis, verùm etiam & pro oblitis.

Si dicas, quòd non lucratur indulgentiam, concedo: nam quia non facit omnia, quæ diploma iubet, propterea eam non lucratur, at quando confitetur peccata sua absque vlla conditione, absoluitur: ergo nec propter hoc datur occasio delinquendi, & fraudandi fructum Iubilæi, illis, qui nollent aliud, quàm absolutionem à reseruatis; quia nos loquimur de illo, qui verè contritus, & cum firmo proposito lucrandi Iubilæum, & faciendi omnia ad id requisita, legitimè confitetur, & qui tali fraude vteretur, non esset legitimè confessus, & per consequens nec absolutus à reseruatis, neque à non reseruatis; quia sua Confessio non esset integra, eò quòd peccatum illud fraudandi admistum tacet, vt dictum est.

ARTICVLVS XVIII.

An Nouitij teneantur se præsentare pro casibus reseruatis?

SVMMARIVM.

1 *Nouitij tenentur ad casus reseruatos, ex Corduba.*
2 *Nouitij non tenentur ad casus reseruatos, verior sententia, Rodriquez.*
3 *Nouitius in fauorabilibus est verè Religiosus, non autem in odiosis.*
4 *Nouitius Canonicus ad electionem suæ Ecclesiæ, vocem habet in capitulo.*
5 *Nouitij ante professionem non sunt verè Religiosi.*
6 *Nouitij pro reseruatis ad Episcopum, Episcopo subijciuntur,*

subijciuntur, sicut & pro Papæ reseruatis Papæ.
7 *Limitatur dictum Rodriquez.*
8 *Limitatur dictum Geminiani.*
9 *Nouitius carcere dignus, expellatur potius.*
10 *Consilium pro bono animarum Nouitiorum, scilicet vt aliquando eis detur facultas confitendi extraordinarijs confessarijs.*

1 REspond. quòd Corduba *lib. 1. qq. q. 39.* disputat hanc materiam ad vtramque partem: sed ipse posteà ad partem affirmatiuam inclinat, quia licèt illi in rigore non sint Religiosi: nihilominùs quantùm ad hoc, sub iurisdictione Prælatorum illius Religionis, in qua viuunt, sunt adstricti. Quod potest probari à simili: nam sæcularis mutans diœcesim, vbi est aliquis casus Episcopo reseruatus, qui in priori Diœcesi non erat, tenetur ad illum; quia tenetur viuere secundùm regionem, in qua reperitur, vt communiter affirmant omnes Canonistæ. Ita pariter Nouitij tenentur viuere secundùm iura, & statuta illius Religionis, in qua reperiuntur, & sic videtur, quòd tenentur se præsentare Prouinciali, sicut faciunt professi; quando aliquod tale peccatum reseruatum committunt.

2 Nihilominùs sententia opposita est verior, & omninò tenenda, scilicet quòd non tenentur: cùm Nouitij non dicantur Religiosi efficaciter, & incommutabiliter, iuxta text. *in cap. Religioso. §. quamuis, de sent. excomm. in 6.* *Oppõsita sentẽtia est verior.*

3 Nam licèt in fauorabilibus Nouitius dicatur Ecclesiastica persona, & Religiosus: vnde percutiens Nouitium est excommunicatus, sicut percutiens professum, *d. §. quamuis.* Et ratio est; quia dictum priuilegium fuit introductum in fauorem Ordinis

Ordinis Clericalis, & odium delinquentium, vt dicit Archidiac. *in cap. beneficium, de regular. in 6.* Item Nouitius dicitur Religiosus, quoad tuitionem, & iurisdictionem Ecclesiæ: vnde est conueniendus sub iudice Ecclesiastico, & ita gaudet priuilegio fori. DD. *in d. cap. beneficium.* Rursum, si Nouitius incidit in Canonem percutiendo Regularem, est absoluendus à Prælato Regulari, vt professus, Gemin. *in d. cap. Religioso. §. quamuis.*

4 Item Nouitius adhuc Canonicus, esset ad electionem Canonicorum vocandus, *cap. cùm in Ecclesiis, de præbend. in 6.* cùm retineat beneficium, & non debet effici deterioris conditionis, cùm det operam rei licitæ, & à iure permissæ ad hoc, *dist. 56. cap. Satis peruersum.* Sed quia fingitur iustum habere impedimentum absentiæ, vt non vadat ad ipsam electionem, ne suum experimentum impediatur, siue interrumpatur, poterit constituere procuratorem ad illum actum, *cap. si quis. de elect. in princ.* Item non potest à Prælato Monasterij excommunicari, si egreditur à Monasterio, non est vt professus, Apostata, vel fugitiuus, *cap. statuimus, de regular. cap. quia. §. & è contrà. 19. quæst. 3.* Non tenetur, vt professus, persoluere diuinum officium, *cap. fin. vers. deputatus, dist. 91.* & est communis. Non debet interesse cum professis in capitulo, *cap. ex eo. de elect. in 6.* Nulla etiam bonorum renunciatio facta à Nouitio, vel obligatio valet: nisi iuxta tenorem Concilij Trident. *cap. nulla renunciatio. sess. 25.* Quare ex his omnibus colligitur, quòd Nouitij non comprehenduntur sub professis circa casus reseruatos, cùm simus in oneribus, & odiis, *d. cap. religioso. §. 1.* Henriq. *de sacr. pœnit. cap. 16. §. 3.*

Nec valet dicere, quòd non est simile, verbi gratia,

tia, de lapsu carnis, cùm ex sua natura sit peccatum mortale; quod non est dicendum neque de proprietate, neque de Apostasia, ad quæ non tenentur, nisi professi. Hoc, inquam, non obstat: nam concedo, quòd lapsus carnis sit peccatum mortale, & coram Deo sit culpa grauissima, & pro qua delinquens debet pœnitere; quia etiam, antequàm ingrederetur Religionem, tenebatur se abstinere à tali peccato: at dum est Nouitius, non tenetur ad præcepta Regulæ, neque Religionis, in quorum numero est, vt Religiosus pro casibus reseruatis ministro se præsentet.

5 Præterea prædicti Nouitij, antequàm annum probationis expleant, professionémque emittant, nullo modo dici potest, quòd sint verè, & propriè Religiosi: ergo non possunt, vt alij Religiosi, ligari censuris, & astringi casibus in eisdem Religionibus reseruatis. Pro quo facit *cap. religiosos, de sent. excommun. in 6.* & id, quod dicunt communiter Doctores: sed præsertim Io. Andreas, & Glos. *in cap. beneficio. de regul. in 6.* Et licèt in materia fauorabili, nomine, *fratrum*, veniant etiam Nouitij, cùm fauores sint ampliandi, *cap. religiosi de cleric. in 6.* at in materia odiosa nullo pacto tales veniunt. Talis autem est materia, de qua agimus; est enim odiosa, & ideò non comprehendit illos. Nec dictis obstat, quòd dicunt Doctores contrariæ opinionis, nempè quòd bene stat, vt dicti Nouitij non sint verè & propriè Religiosi: nisi tantum reuocabiliter, & quasi in via ad Religionem, seu ad professionem status Religiosi, & quòd ex alia parte adstringantur regularibus statutis, ac subdantur Prælatorum Regularium iurisdictioni, ad eum modum, quo sæculares, qui habent pro Curato Præ-

latum aliquem alicuius Religionis, cui licèt non subdantur, & adstringantur, vt Religiosi; subduntur tamen, & adstringuntur, vt tali Prælato Curato. Nam respondetur, quòd hæc instantia non valet, nec exemplum est ad propositum: quamuis enim sæculares Diœcesani alicuius Prælati Religiosorum illi sint subiecti: non tamen obligantur ad statuta Religiosorum, nec sibi sunt reseruati casus, qui pro Religiosis reseruantur.

Vnde dico, quòd supradicti Nouitij subduntur quidem Prælatis Regularibus: sed tantum vt Nouitij, non autem vt professi: vt Nouitij etiam obligantur ad Religionis asperitates, & ad procurandam ex decentia, atque ex congruentia suæ Religionis perfectionem: sed tamen non sub pœna peccati mortalis, aut sub aliqua lege obligante ad culpam: sed solùm ad pœnam, seu ad expulsionem à Religione. Hinc si Nouitij deliquerint publicè contra casus reseruatos, poterunt expelli à Religione: si verò occultè, poterunt absolui à suis Confessariis ordinariis. Vt enim habetur *in capit. ad Apostolicam, de regular. & in capit. Monasterijs. 19. quæst. 3.* Nouitij ingrediuntur Religionem, non vt statim profiteantur, seu eorumdem statutis obligentur: sed ad hoc, vt probent, & experimentum faciant, an eorum mores, & statuta illis placeant, probentúrque adinuicem in Monasterio.

Nouitij pro reseruatis subijciũtur Episcopo, vel Papæ.

6 Si dicas cum Corduba, quòd Nouitij debent esse subiecti alicui, quoad casus reseruatos. Respondeo, quòd sunt subiecti Episcopo, vel Papæ: & si deliquerint, & illud est casus reseruatus in Bulla Cœnæ Domini, ad summum Pontificem recurrendum est: si verò est casus Episcopalis, ad Episcopum. Benè verum est, quòd si talis Religio habet

habet priuilegia, quæ concedunt, vt Regulares possint absolui à suis Prælatis ab omnibus reseruatis à iure, & ab homine: poterunt tales Nouitij absolui à Prælatis Religionis, quia in materia fauorabili priuilegio gaudent.

Itaque concludimus, quòd Nouitij non tenentur se præsentare de casibus reseruatis. Hanc opinionem, quæ vera est, tenet etiam Emmanuel Sà *in suis Aphoris. tit. casus.* vbi disertis verbis ait: *Casus reseruati non habent locum in Nouitijs, antequàm per vota admittantur ad professionem, vt neque præceptorum obligatio.* Tenet etiam Manuale Prælatorum, & Rodriquez *tom. 1. qq. regul. quæst. 21. artic. 11.* Ita etiam Ledesma *in Sum. c. 13. de pœnitentia. dub. 14.* Conclusio. Emmanuel Sà. Manuale Prælatorum. Rodriq.

7 Verùm est tamen, quòd ego non probo id, quod habet idem Rodriquez, nempe quòd Nouitij non teneutur ad culpam, sed ad pœnam, scilicet expulsionis à Religione: & sic possunt Prælati expellere à Religione Nouitium, quem cognouerunt incontinentem, furem, proprietarium, & subreptitiè eligentem Confessarium, præter nominatum ad confessiones Nouitiorum audiendas. Hoc, inquam, simpliciter non probo: nam si peccatum omninò est occultum, & secretum, quando capiuntur vota, communiter acceptatur, & omnes alij, qui peccatum illud non nouerunt, dant ei suffragia; Prælatus tenetur eum recipere ad professionem, nec potest sociis votantibus insinuare quicquam de sitis in confessione, & ad summum, solùm poterit ei negare suum suffragium: si verò peccatum est notorium, tunc habet locum id quod dicit Rodriquez, debet enim statim expelli. Limitatur Rodriq.

8 Neque etiam probo id, quod dicit Geminianus *in cap. non solùm, de regular. in 6.* quem sequitur Limitatur Geminianus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur Rosella, verb. *Nouitius.§.duodecim.* & Sylueſt. *Relig.5. quæſt.7.* Nempè quòd Nouitius delinquens tali delicto, quòd profeſſus mereretur carcerem perpetuum, pariter & ipſe Nouitius carceri perpetuo debeat mancipari: nam cùm non ſit profeſſus, non tenetur talem pœnam acceptare. Et præterea, ſi Nouitius tale delictum commiſit tanta pœna dignum: quis niſi parùm zelans ſuam Religionem, dabit ei ſuffragium, vt profiteatur?

Ponderãda ſolutio.

9 Eijciatur ergo ſtatim, ne morbida facta pecus totum corrumpat ouile. Niſi quis velit, vt ego pro talibus, & ſimilibus optimum, ſecurum, ac perpetuum carcerem eligerem: & tunc ſtatim aſſignabo totum mundum, in quo tales permaneant, donec mors eos præoccupet.

Conſilium pro bono animarum Nouitiorũ, ſcilicet, vt aliquando eis concedãtur Cõfeſſarij extraordinarij.

10 Pro cæteris verò Nouitijs, qui remanent in Religione, cõſulerem vt ipſorum Prælati, & Magiſtri, aliquando darent eis facultatem mutãdi Confeſſarium, vt puriori conſcientia ad ſacramentum Euchariſtiæ accedant. Quod facillimè facere poterunt, ſi tempore alicuius feſti, vel in aliis diebus ad communionem deputatis, ipſi Prælati, & ſuperiores Domus, ſeu Magiſtri Nouitiorum conſultò eant ad aliud Monaſterium. Hoc enim maximè conduceret, non ſolùm pro reſeruatis occultis, ſi quod haberent, verùm & pro aliis culpis.

Nam ſi Monialibus ex Concil. Trident. datur Confeſſarius extraordinarius ter, aut quater in anno; bonum etiam eſſet, vt Nouitij tali facultate gauderent: meliùs enim eſſet illis hoc concedere, quàm quòd aliquando faciant confeſſiones inualidas, & non integras, propter timorem, quem habent de ſuo Superiore: putant enim quòd tempore

pore profeſſionis ſit eis ſuffragium negaturus ſi aliquod graue peccatum ei propalent, & propterea multoties illud tacent.

Vnde licèt ex Decreto Clementis VIII. ſtatuto Romæ die 19. Martij 1603. Nouitiorum confeſſiones audiendi cura ſoli magiſtro Nouitiorum committi debeat: ſemel tamen, vel bis in anno licebit Superiori, vel cui ille commiſerit. Hoc Decretum refert Stephanus Quaranta *in ſumma Bullarij, titul. Monaſteria, & Conuentus, §. cùm ad regularem diſciplinam, verſic. quilibet Nouitius.* verbo, *ipſi autem.*

ARTICVLVS XIX.

An Religioſi iuuenes teneantur confiteri Superiori: an verò & ipſi gaudeant facultate data omnibus à Clem. VIII. vt ſit in eorum libertate id facere, nécne?

SVMMARIVM.

1 *Regulares iuuenes ſeruent ſtatuta Ordinis circa confeſſionem.*

2 *Regulares iuuenes pro quanto tempore obligantur ad confitendum ſuis Prælatis.*

Regulares iuuenes ſeruẽt ſtatuta Ordinis circa confeſſionẽ.

1 RESpond. quòd iuuenes debent ſeruare ſtatuta, & Superiori confiteri: ſic enim declarauit in publico Refectorio Romæ, Pater Anſelmus Monopolitanus (poſtea illuſtriſſimus Cardinalis) ſe habuiſſe à Papa Clem. VIII. & hoc vt magis conſeruarentur in diſciplina Regulari. Bene verum eſt, quòd pro ipſis adhibendum eſſet remedium illud, quod pro Nouitiis in præcedenti articulo poſitum

est:scilicet vt Superiores domus modum alteri confitendi aliquando ipsis iuuenibus darent.

Regulares iuuenes pro quanto tẽpore obligantur ad cõfitendum suis Prælatis.

2 Si quis modò quærat,quamdiu duret hæc obligatio iuuenum? Respond. quòd pro nostra Religione de hoc sermonem habui cum R. admodum Patre Hieronymo à Castro Ferectorum, tunc Generali dignissimo; (qui inter paucos annos per tres vices electus fuit in Procuratorem Generalem, & per duas alias vices etiam Generalis fuit moderator totius nostræ Religionis) cum tali ergo Patre de hoc sermonem habui, & respondit se habuisse à prædicto Illustrissimo Cardin. Monopolitano de mente summ.Pontif.quòd hoc intelligitur, quamdiu ipsi iuuenes sunt in Nouitiatu,vel dum manent in seminariis ad proficiendum in disciplina regulari, nempe vsque ad quadriennium inclusiuè post professionem;quo tempore expleto,gaudent & ipsi facultate,quam habent cæteri Fratres. Pro aliis verò Regularibus,vnusquisque suæ Religionis decreta seruare debet.

ARTICVLVS XX.

An Religiosi subditi, ad libitum possint mutare Confessarium absque licentia Superiorum?

SVMMARIVM.

1 *Regulares non debent mutare Confessarium absque Superioris licentia.*
2 *Regulares itinerantes non possunt confiteri,nisi à fratribus ad confessionem approbatis.*
3 *Quid faciet subditus,quãdo vult mutare Confessariũ.*
4 *Confessarius sic denuò electus, quærat quare priorem Confessarium pœnitens non adierit: & si opus est, cum reprehendat.*
5 *Subditus iusta de causa non valens mutare Confessarium,& nihilominus cogitur Sacrum facere,poterit cum præuia contritione,& proposito,&c.*
6 *Contritio quando sit sufficiens,vt quis ad altare absque confessione præuia accedat.*

Regulares non debent mutare Cõfessariũ absque Superioris licentia.

1 REspondeo,quòd circa hoc vnaquæque Religio habet sua statuta,quę seruari debent.Pro nostris autem Fratribus,dico,quòd ex nostris constitutionibus talem facultatẽ non habent: sed opus est,vt licentiam obtineant,quoties talem mutationem voluerint facere. Et rectè quidem,nam secundùm ius commune nullus Sacerdos,neque sæcularis,neque Regularis potest audire cõfessiones Fratrum, nisi à Prælatis ipsorum Fratrum habeant iurisdictionem: sicut nemo potest audire confessiones fidelium alicuius Episcopatus:nisi ab Episcopo, aut à Papa iurisdictionem actualem super ipsos fideles habeat: prout cum multis resoluit Nauarrus *in Man.cap.4.num.1.*

2 Notandum verò est hîc,quòd Religiosi itinerantes non possunt confiteri aliis Religiosis sui Ordinis,nisi à suis Prælatis licentiam habuerint ad audiendas confessiones Fratrum:nam licèt ante Concilium Trident. Sacerdotes sæculares poterant sibi eligere Confessarium quemlibet Sacerdotem simplicem: tamen etiam ante Concilium Sacerdotes Regulares minimè id poterant, sed tantùm Religiosum à suis Prælatis approbatum.Et hæc consuetudo in Religionibus bene ordinatis semper viguit,à qua non est recedendum.Vnde Gregor.XIII.

(vt habetur in compend.priuileg.Societatis IESV, tit. absolutio. fol.11.) declarat pro Religiosis eiusdem Societatis,non esse,neque fore mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, vt personæ Societatis, absque expressa Superioris eiusdem Societatis licentia,vtantur facultatibus,quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, confessionalibus,aut aliis quibusuis Apostolicis indultis,quę Communitatibus,aut priuatis personis, aut piis locis, quomodocunq; aliter hucusque concessa sunt, aut in posterum concedentur,etiamsi in illis expresse indulgeatur, vt omnes Regulares, etiã Mendicãtes,eiusmodi facultatibus vti possint.

Si quando verò vsus aliquarum ex huiusmodi facultatibus personis de dicta Societate à Superioribus eiusdem Societatis concedatur: nulli eorum licere,nisi infra numerum eorum,qui ad confessiones personarum eiusdem domus, aut Collegij audiendas deputati sunt,Confessarium eligere,nisi ratione itineris, aut alia de causa ab eisdem Superioribus aliis Confessariis intra, aut extra Societatem confitendi facultas ad id specialiter daretur: secùs facta,irrita,& inania esse decreuit.Idipsum quoque concessum fuerat ante fratribus Minoribus per Innocentium VIII. & Iulium II. prout in *compend. priuileg.* habetur, *tit.confessio,& Confessores.§.6.& 7.* Itaque siue Regulares maneant domi, siue extra Monasterium sint, debent semper petere licentiam à suo Superiore,vt confiteantur.*Sic de iure.*

3 Nunc autem quia ex Decreto Clem. VIII. deputantur Confessarij ad audiendas Fratrum confessiones,& Superiores non possunt cogere subditos ad sibi confitendum, vnicuique Religioso licet eligere semel vnum de deputatis, & prosequi cum illo. Quòd si voluerit mutare, in nostra Religione

cautum

cautum est,ne absque licentia fiat:in aliis verò Religionibus statuta, vel consuetudines earundem seruanda sunt.

Notandum verò est pro Fratribus nostræ Religionis, quòd quando quis confitetur deputato Confessario: subdito tamen, vt vult eum mutare, potest petere licentiam à Guardiano,vt alteri confiteatur,vel poterit confiteri ipsimet Guardiano, si ei libuerit, quia ad Superiorem vnusquisque potest ad suum libitum recurrere pro confessione facienda. Si verò suus Confessarius electus est ipsemet Guardianus,& timet quòd si pro mutatione Confessarij licentiam petat, vmbram, vel suspicionem de illo Superior concipiet: poterit alteri deputato confiteri absq; eo,quòd licentiam petat:tunc enim poterit Superioris maioris intentionẽ interpretari: & eò magis id ei licebit, si licentiam petit, & vel non obtinet,vel difficulter ei conceditur:nam tunc ad suum beneplacitum Confessarium mutare valet. Nota.

Habet hanc doctrinam Toletus *in sua summa libro 3.cap.13.* cuius hæc sunt verba:*Tunc pœnitens debet petere licentiam alteri confitendi:qua non obtenta,potest cuiuis idoneo confiteri,* iuxta Sylvest.verbo, *Confessor.1.§.6.*Adrian.*q.4.de confess.dub.3.*Palud.Riccard. *dist.17.*Nauarr.*in cap.placuit, num.144.* Sic Toletus. Toletus. Sylvester. Adrian. Paludan. Riccard. Nauarrus.

4 Confessarius autem,sic de nouo electus quærat in primis,quare pœnitens suum proprium Confessarium non adeat:& si erubescentia ductus dixerit,se non posse, illum admoneat id non esse vtile: sicut nec infirmo Medicos mutare. Verùm si viderit pœnitentem, nullo pacto (fortè ob erubescentiam)ad id induci posse,audiat illius confessionem; valida enim est, si totaliter, & integrè confiteatur, sed præcipuè ponderare debet recidiuationem: de

qua re interrogandus est pœnitens, vt sciat Confessarius quam satisfactionem, & pœnitentiam ei iniungere debeat. Vt si ex aliqua occasione frequenter lapsum carnis passus sit, illa per satisfactionem præcidatur: & sic de cæteris peccatis.

Contritio quãdo sufficit absque confessione, vt quis ad altare accedat.

5 Hæc, quæ dicta sunt, adeò esse vera censemus, vt si subditus neutrum poterit facere: scilicet, quòd non possit habere facultatem alteri confitendi, & timet, quòd petendo licentiam per se, vel per alium, ipse Prælatus veniet in cognitionem sui peccati: tunc potest ad celebrandum accedere, etiamsi sit excommunicatus: cum debita tamen contritione, necessitate maxima vrgente, & ad euitandum magnum scandalum: prout tenet Victoria *de confess. num.* 146. Sot. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 7. *art.* 5. *vers. sed videatur.*

Victoria. Sotus. Ledesma.

Prælato nolente cõcedere subdito, vt alteri cõfiteri possit, quid faciet subditus.

6 Hi omnes affirmant etiam causam esse sufficientem ad accedendum ad altare, aut communicandi cum casibus reseruatis, & excommunicatione, si adsit contritio: quando Prælatus non vult concedere suam auctoritatem, & pœnitens scit probabiliter, quòd si ipsi confiteatur, impediet ipse Prælatus maxima bona spiritualia, & etiam magna bona temporalia, nẽgando illi suffragium ad ipsorum consecutionem. Vide quæ habet Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 21. *art.* 4.

Rodriq.

ARTICVLVS XXI.

An subditi possint impediri à Superiore, ne mutent Confessarium ad libitum: & mutando nihilominùs Confessarium, an teneat data absolutio?

SVM

SVMMARIVM.

1 *Regularis subditus ad libitum potest mutare Confessarium.*

2 *Munus Superiorum in hac parte tantùm est delegare Confessarios idoneos.*

3 *Statutum Religionis non potest restringere facultatem à summo Pontifice concessam in fauorem Religiosorum subditorum.*

4 *Nulla Capitula quantumcunque generalia possunt statuere, vt professio trium votorum substantialium facta non valeat.*

5 *Decretum Clem. VIII. est veluti motus proprius.*

6 *Statutum Religionis non est præceptiuum.*

7 *Superior potest limitare facultatem, tam Confessarijs, quàm pœnitentibus.*

8 *Delegatus non potest excedere limites suæ commissionis.*

9 *Quando verba legis non sunt clara, debent interpretari secundùm ius commune, donec à legislatore aliter declarentur.*

10 *Statuta nostra præsupponunt, fratres tendere ad perfectionem.*

11 *Religiosi si mutent Confessarium absque licentia, absolutio data tenet.*

12 *Videtur quod statuta per verbum* non possint, *annullent absolutionem: at non est sic.*

13 *Restrictio talis nullo modo fieri debet, cùm diametraliter repugnet pijssimæ menti legislatoris.*

14 *Si necessariò petenda esset licentia à Superiore, multoties euenirent eadem inconuenientia, propter quæ tollenda datum est Decretum.*

15 *Verba statuti* (& non possint) *confessionem, & absolutionem non tangunt.*

16 *Quilibet*

Universidad de Deusto
Biblioteca

16 *Quilibet Sacerdos eligit sibi quemlibet Sacerdotem in Confessarium.* Nauarr.

17 *Ex verbis Decreti elicitur mutatio libera Cõfessarij.*

18 *Congregatione resolutum est, absolutionem sic datam esse validam.*

Disputatur hæc difficultas ad vtramque partem. Pars affirmatiua.

1 REspond. quòd circa hanc difficultatem sunt dicenda plura. Primò pro parte affirmatiua: scilicet quòd subditus ad libitum possit mutare Confessarium, facit: quia tale Decretum summi Pontificis factum est in fauorem subditorum: & est factum à legislatore, & secundùm iura, quotiescunque quis delegatur à Principe, æquiparatur Ordinario, *l. à iudice, de iud. & ibi Doctores, cap. pastoralis de off. deleg.* & talis delegatus est maior Ordinario in causa sibi commissa, *cap. sanè, de off. deleg.*

2 Nec obstat, quòd delegati, seu deputati Confessarij facti sint à Superioribus: non à summo Pontifice, quia Superiores ex se id non faciunt: sed ex præcepto eiusdẽ summi Pontificis, & munus ipsorum Superiorum solùm est delegare prudentes, & sapientes viros: & in reliquo videtur quòd apud tales libera sit facultas, vt audiant confessiones omnium ad se recurrentium: & pariter sit liberum ipsis inferioribus mutare Confessarium.

3 Tum quia statutum Religionis non potest restringere facultatem hanc à summo Pontifice datam in fauorem Religiosorum subditorum: & fauores sunt ampliandi, non restringendi, iuxta Regulam: *Odia sunt restringenda, fauores sunt ampliandi.* Vnde nullus inferior potest tollere, aut impedire, seu retardare: sed neque restringere concessionem, indultum, & priuilegium per Principem concessum: aliter enim sequeretur maximum absurdum, scilicet

scilicet quòd inferior haberet potestatem super Prælatum Superiorem, & posset destruere penitùs facta, & concessa per eum; quod est contra text. *in cap. solitæ, de maiorit. & obed.* daretúrque repugnantia huius nominis, *inferior*, quod esse non debet, in præiudicium præsertim supremæ potestatis: aliàs de facili corruerent iussa, concessiones, & indulta Pontificum; quæ tamen summoperè sunt veneranda, & adimplenda, nec ipsimet Principes solent gratias semel factas reuocare, nisi ob demerita personarum. Videatur de hac re Nauarr. *lib. 3. consil. de regular. cons. 5. num. 4.* vbi dicit, quòd nullus inferior Papa potest contra ius commune Canonicum statuere, *cap. quod super his. de maior. & obed. cum eis adnotatis.* Sed statutum prædictum, vt scilicet non possit mutari Confessarius absque licentia, aliquibus videtur esse contra ius commune, per quod vnicuique licet accedere ad quemlibet deputatum ad arbitrium suum, & videtur etiam esse contra Decretum Clemen. VIII. qui dat facultatem Regularib. vt ad libitum possint confiteri, quod quidem verbum licèt non ponatur in Decreto, nihilominùs quia Papa non apponit ibi restrictionem aliquam, videtur quòd rectè possit elici. Nauarr.

4 Quod etiam confirmatur per id, quod habet Nauarrus ibidem. *n.* 8. vbi sic ait; Per quas rationes nunc firmiter credo, quod ante hoc quasi dubitabam; nempè nulla Capitula, quantumcumque generalia præfati Ordinis, nec alius, posse statuere, vt professio trium votorum substantialium facta non valeat, si, communi iure canonico sublato de medio, illo statuto esset valitura: Et à simili dico ego, nulla Capitula quantumlibet generalia posse Nauarr.

statuere,

ſtatuere, vt Confeſſio ad libitum pœnitentis facta culibet de deputatis, non valeat; quia ex Decreto Clem. VIII. ſublato de medio illo ſtatuto, valet.

Nec obſtat id, quod dictum eſt *ſuprà in artic.* 1. *ſect.* 1. nempè poſſe Superiorem arctare inferiorem, quoad perſonas: nam ibi eſt ſermo de iure communi, hîc verò eſt ius ſpeciale in fauorem pœnitentis. Et prætereà Superior non poteſt arctare erga inferiorem, id, quod ei Superior concedit, hîc verò Papa eſt, qui non ſolùm concedit: ſed iubet, & præcipit, vt ſubditus hac facultate gaudeat.

Ad hæc addo ea, quæ habet idem Nauarr. *lib.* 3. *conſil. de regular. conſil.* 65. *num.* 1. vbi ſic ait: *Inferior non poteſt legem Superioris tollere, vel arctare*, argum. *cap. inferior. diſt.* 22. *& cap. cùm inferior. de maior. & obed.* & ita communiter reſoluunt Doctores *in cap. ſi Clerici, de iudic.*

Decretum Clem. VIII. eſt veluti motus proprius.

5 Prætereà, facultas hæc non eſt facta ad petitionem, & ad inſtantiam partium: nam de hoc nulla fit mentio in Decreto, ſolùm eſt quaſi MOTVS PROPRIVS ſummi Pontificis, vt animarum ſaluti conſulat. Sic enim ait textus: *Sanctiſſimus D. N. qui iampridem accuratè perpendit, & re ipſa comperit.* Ex quibus verbis patet, quòd ex ſe motus eſt ad hoc determinandum. Et infrà: *Quocirca, vt huic malo ſua Sanctitas opportunè prouideret, decreuit*, &c. Ergo patet, quòd Papa Clemens ex ſe motus eſt ad faciendum hoc Decretum: vnde iuxta tenorem litteræ debet obſeruari, nec à ſtatuto aliquo Religionis, neque à Prælatis ipſis debet reſtringi.

Obiectio. At contra ea, quæ dicta ſunt, poſſet adduci Priuilegium Sixti IV. *vt habetur in Compend. Priuileg. tit. Generalis.* §. 10. qui dat facultatem Generali fratrum

trum Minorum, vt quandocumque viderit fratres ſuos, vel aliquem ipſorum abuti gratiis, & facultatibus Apoſtolicis ab eodem conceſſis, poſſit gratias, & facultates huiuſmodi ſuſpendere, ac ſuſpenſas tenere, donec conſulat ſummum Pontificem, & ab ipſo reſponſum accipiat. Sed nihil obſtat Solutio. tale Priuilegium: nam Decretum Clem. VIII. non eſt ſuſpenſum, ſed eſt in obſeruantia, & ab omnibus Regularibus receptum.

Et prætereà, facultas data Generali loquitur de gratiis, & conceſſionibus à ſummo Pontifice datis, in caſu verò noſtro non eſt ſic: nam Decretum Clem. VIII. eſt præceptiuum, vt patet ex littera textus, & non eſt conceſſio: ſed præceptum, & prouiſio facta ab ipſo ſummo Pontifice pro ſalute animarum Religioſorum, ergo nihil contra dicta.

Dices, quòd ſaltem obſtant ea, quæ habentur Obiectio. in eodem Compend. ex Leone X. *vbi ſuprà.* §. 24. qui Generali fratrum Minorum conceſſit; vt in ſuo Capitulo Generali de conſenſu eiuſdem Capituli, vel maioris partis, declarare poſſit, & valeat, vtrùm vſu alicuius conceſſionis viuæ vocis oraculo factæ abſtineri debeat: poſt quam quidem declarationem tàm fratres, quàm Moniales ſuæ obedientiæ, ac ſi conceſſio huiuſmodi per ſanctitatem ſuam ſuſpenſa, vel reuocata fuiſſet, conceſſione eadem in perpetuum non vtantur.

Sed neque hoc obſtat: nam in primis facultas, Solutio. de qua eſt ſermo, non eſt pro conceſſionibus, ſed pro Decretis, & præceptis: deinde non eſt factum hoc Decretum viuæ vocis oraculo, vt propterea Superior poſſit dubitare de veritate ipſius, & ſuſpendere executionem, donec certior fiat: ſed eſt

Decretum

Decretum authenticum per scripturam, & per promulgationem factum,& ab omnibus Regularibus receptum, vt dictum est. Vnde videtur, quòd hæc prima assertio stet firma,& roborata.

6 Quoad statutum verò Religionis, scilicet, vt non mutentur Confessarij ad libitum absque Superioris licentia, dico in primis, quòd non est præceptiuum, vt patet. Secundò ex protestatione, quam eadem nostra statuta faciunt,se non intendere obligare quemquam ad mortale, videtur quòd non obliget.

Tertiò, quòd statutum factum non est restrictiuum simpliciter: nullam enim facit mentionem de restrictione: (vnde hallucinantur asserentes, Religionem habere facultatem restringendi ius commune) sed dat normam, & modum viuendi communiter fratribus,ne in ordine,in quo summus ordo esse debet,aliqua sit confusio.

Pars negatiua.

7 Pro alia verò parte, scilicet quòd Superior possit limitare facultatem tàm Confessarijs, quàm subditis, facit, primò: quia tales deputati propterea audiunt Confessiones,quia delegantur: vnde sicut delegans potest talem, vel tales non delegare, ita pariter potest limitare facultatem quoad personas, vt scilicet hos, & non illos audiant, & vt sic,& non sic; quemadmodum diximus *suprà in art. 2. primæ sectionis*: potest,inquam,Superior dicere; Volo, vt postquàm quis vnum elegerit Confessarium,non mutet eum absque licentia.

8 Facit ad hoc, quia Iudex delegatus nullatenùs potest egredi suæ commissionis fines, & quicquid vltrà, aut secùs facit, nulliter facit, *cap. cùm olim. de Priuileg. cap. cùm dilecta. de rescriptis.* vbi latè Felinus, *num. 7. cum seqq.* Omne enim,quod fit non solùm

solùm contra: sed etiam præter commissionis formam, est ipso iure nullum, *l. illud. §. sed si ita, & ibi Bart. ff. quod cuiusq;.* Probat latè Menia (relatus à Guttierrez *lib. 2. qq. Canonicarum, cap. 15. num. 121.*) in l. Regia Toleti *de los terminos, in vndecimo fundamento, 2. p. num. 2.* vbi habetur, quòd non solùm mandatum est, seruandum est: sed etiam qualitas mandati. *cap. cùm veniſſem, de eo, qui mitt. in poſſeſſ. cauſ. rei ſeruand.* & ibi Bald.

Nec obstat,quòd apud quosdam Regulares praxis sic se habet, nempè quòd ad libitum mutantur Confessarij: nam hoc fortasse fit ex consensu, & scientia Superiorum, qui id vel determinant, vel scienter tolerant; nos verò loquimur quid de iure sit seruandum iuxta Decretum Clem. VIII.

9 Deinde facit; quia quando verba legis non sunt clara, debent interpretari secundùm ius commune, donec à legislatore aliter declarentur. At secundùm antiqua iura non licebat subditis eligere sibi Confessarium ad libitum: sed semper cum licentia Superiorum, ergo cùm in Decreto Clemen. VIII. circa hoc non habeamus verba clara, videtur quòd nullo pacto inferiores possint id facere, scilicet vt mutent ad libitum,& è contra Superiores id possint limitare: quia ius antiquum eis fauet,& nouum non impedit.

10 Præterea statuta nostra præsupponunt, fratres omnes tendere ad perfectionem in feruore spiritus, & quia, vt viri pij docent, maximè noster Seraphicus Bonauentura, ad hoc quàm maximè conducit, vt Confessarius non mutetur: nam ex frequenti mutatione Confessarij anima in vita spirituali parum proficit, propterea meritò decernit Religio, vt fratres postquàm vnum ex de-

putatis Confessarium elegerint, illum non mutent absque Superioris licentia.

Ex quibus videtur concludi, quòd Superiores Regularium, licitè possunt limitare tàm Confessarios, quàm pœnitentes, vt dictum est. Et ad obiecta respondetur breuiter, scilicet quòd tale statutum Religionis neque est contra ius, neque contra Decretum.

Non primum; quia ius antiquum est in fauorem, & ius nouum non contradicit manifestè, vt patet. Neque secundum; nam in Decreto videtur, quòd de hoc non agatur: sed quòd relinquatur dispositioni Prælatorum. Ergo cùm Superiores prohibeant, ne subditi absque licentia Confessarios mutent, videtur quòd licitè id possint facere, & subditi obedire tenentur.

De facto quid dicẽdum.

11 Sed quid dicendum, si nihilominùs mutent Confessarium ad libitum absque licentia; An absolutio data teneat? Respondeo quòd sic: nam licèt sit regula apud Iuristas, quòd actus factus contra legem prohibentem illum, fieri non valet, *l. non dubium. C. de legibus*, fallit hoc; quando lex expressè non annullat actum, & valor actus non respicit fauorem eius, cui pœna imponitur, vt resoluit Bartolus communiter receptus *in l. prætor ait. num. 3. ff. de noui operis nunc.* Et in casu proposito non annihilatur actus: sed prohibetur tantum, & valor confessionis alteri Confessario factæ non pendet ab eo, cui prohibetur: nam absolutio sic data, vt prædictum est, à statuto Religionis non annullatur: imò nec prohibetur, quia tantùm subditis interdicitur accessus, ergo tenet, & quia non potest ampliùs annullari, quando semel est data, cùm absolutio non pendeat ex futura conditione:

tione: hinc concludimus, quòd absolutio data tenet.

12 Sed obiiciet quis, quòd imò lex annullat; quia dum remouet potentiam, remouere quoque videtur actum; ait enim sic (*& non possint mutare Confessarium*,) facit ad hoc id, quod habetur *in cap. audiuimus*, verbo, *non potuit. 24. q. 1.* sic absolutio data videtur, quòd non teneat. Ad hoc dico plura. Obiectio.

Primò quòd, vt suprà tactum est, statuta nostra non præcipiunt, neque ad culpam obligant; vt patet ex iis, quæ habentur in fine ipsorum statutorum, vbi disertis verbis declaratur, quòd per illa statuta non intendunt obligare fratres ad peccatum aliquod: si ergo non obligant ad peccatum, non est de proposita re ambigendi locus. Respõsio.

Secundò quòd, vt dictum est paulò ante in hoc eod. art. Statutum Religionis non potest restringere facultatem hanc à summo Pontifice datam in fauorem subditorum Religiosorum; cùm fauores sint ampliandi, & odia restringenda, *leg. odia. 15. de regul. iur. in 6.* Vnde nullus inferior potest restringere concessionem, indultum, aut priuilegium per Principem alteri concessum: aliter sequerentur omnia illa absurda, quæ in principio huius art. versic. *Tum quia*, posita sunt.

Et multò minus id possunt facere Prælati circa motum proprium summi Pontificis: sicuti est hoc Decretum, de quo loquimur: & propterea iuxta tenorem verborum debet integrè obseruari, nec à statuto aliquo, vel Prælato quolibet potest restringi.

13 Tertiò, quòd nullo modo debet fieri talis restrictio; esset enim diametraliter pugnare contra piissimam ipsius legislatoris mentem, qui, vt saluti animarum prouideat, in Decreto duo facit

præcipuè; primò, eximit inferiores Regulares, ne accedere ad suos Prælatos pro confessione facienda sint adstricti: deinde præcipit, vt Prælati deputent plures Confessarios, qui ad se accedentes pœnitentes à non reseruatis liberè absoluant. Itaque de mente legis esse videtur, vt Prælati hoc tantum faciant, scilicet vt ad libitum Confessarios deputent: at quantùm ad subditos dicit, *qui eos à non reseruatis absoluant*: ergo si ad libitum accedant ad ipsos deputatos, possunt ab eis iuridicè absolui, potestate eis à Decreto summi Pontificis facta; ergo absolutio data tenet.

14 Quartò, si petenda necessariò esset licentia pro mutatione Confessarij, multoties eadem inconuenientia sequerentur, pro quibus tollendis summus Pontifex tale Decretum dedit, sic enim ait in primis verbis: *Sanctissimus Dominus noster, qui iampridem accuratè perpendit, & reipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus; nisi Superiores admodùm prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.* Sic textus. Hæc, inquam, inconuenientia non solùm poterant euenire tunc; quando pro confessione facienda subditi necessariò tenebantur ad suos Superiores accedere: verùm & quando ad petendam ab eis licentiam pro mutatione Confessarij cogerentur; ex tali enim petitione facilè possent suspicari Superiores, ipsum pœnitentem oneratum esse aliqua graui culpa, quam ordinarium Confessarium vult latere.

Vnde ne in talem suspicionem incidant, multoties

toties id non petunt: & quia iusta de causa talem culpam Confessario manifestare nolunt, eligunt potiùs confessionem non integram facere. Quod quàm graue peccatum sit, nos post alios latè probamus suprà *in princip. huius tertiæ sectionis, in explicat. decimæ condit. confess.*

15 Quintò, (& est valde notandum) quòd verba illa statutorum: *Et non possint eum mutare absque licentia*: ad confessionem, & ad validitatem absolutionis nullo pacto dirigi possunt: de talibus enim nulla prorsus mentio fit in verbis, quæ sub illa negatiua clauduntur, vt patet. Vnde ergo elicitur hæc conclusio, *Ergo absolutio data non tenet?* Perpendantur verba illa: nam in formali significatu explicata ad actum confessionis, & absolutionis nullo pacto ea pertinere omnes agnoscent. Quòd si aliqualem operationem habere debent, solùm est pœnitentibus inhibere, ne id faciant: vnde ad summum, qui aliter faciunt, (si arguendi sunt) de inobedientia arguentur: & in reliquo quantum ad confessionem, & validitatem absolutionis, nulla potentia adimitur, vt falsò præsupponitur. Sed qui tales pœnitentes sic ad Confessarios deputatos accedentes arguere volunt, caueant: non enim video, qua pœna digni sint, qui ad vnum de deputatis Confessariis accedunt, cùm ad id à summo Pontifice facultatem habeant, vt paulò antè demonstratum est. *Explicantur statuti verba.*

Sextò dico, praxis totius Christiani orbis sic habet, quòd in qualibet diœcesi Ordinarij deputant quosdam ad confessiones audiendas: quo facto, pœnitentes liberè ad tales accedunt, & ad libitum mutant: sic etiam Regulares communiter faciunt, & seruant.

16 Quin quod Nauart. *in cap. placuit. distinct. 6. num. 28.*

num. 18. fatetur, quòd quilibet Sacerdos eligit sibi quemlibet Sacerdotem in Confessarium: si non ex iure, saltem ex consuetudine. Videatur locus Nauarri. Sotus quoque *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 2. dicit, quòd vniuersi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, qua scilicet Prælati, vt sibi promiscuè quemcunque eligant Confessarium. Pater Sorbus *in suis addit. ad comp. priuil. tit. absolutio ordinaria quoad fratres*, animaduertit, quòd multi summi Pontifices nostræ Religioni concesserunt, vt de materia peccati mortalis possint fratres cum quouis Ordinis Sacerdote confiteri, etiam quod à suis Prælatis licentiam non petant. Quod etiam affirmat Emmanuel Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 62. *art.* 4. Cur ergo Regulares subditi non possunt ad deputatos Confessarios ad libitum accedere, & beneficium absolutionis ab eis accipere? & vnde elicitur, quòd absolutio sic data non tenet?

17 Imò si verba inspiciantur, ad hoc præcipuè datum esse tale Decretum comperiatur: vt scilicet subditi non solùm ab obligatione illa ad Superiores accedendi pro confessione facienda, verùm & vt à necessitate petendi licentiam pro Confessario mutando eximerentur, liberiúsque & confidentiùs peccata sua alicui ex deputatis confiterentur: sic enim in textu: *Nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant:* sequitur textus: *adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.* Ad quæ inconuenientia multoties possunt deuenire, non solùm qui pro confessione facienda ad Superiores accedunt: sed etiam qui ad eosdem pro mutatione Confessarij recurrunt, vt suprà iam dictum est: suspectos enim se redderent, grauatos se esse

esse aliqua graui culpa, quam propter ipsius grauitatem Confessarium Ordinarium latere volunt: vel quia fortasse ad ipsummet Ordinarium Confessarium spectat: & propterea Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, non solùm in confessione, verùm, & in petenda licentia pro mutatione Confessarij. Cùm ergo ad hoc præcipuè factum sit Decretum, non relinquitur ampliùs ambigendi locus: & vnicuique subdito licitum est ad libitum mutare, & eligere Confessarium: vnum scilicet, ex deputatis, non alium.

18 Septimò, & vltimò dico, quòd prædictum dubium cùm fuisset propositum in Congregatione illa, quam pro Regularium reformatione S.D.N. Paulus Papa V. ordinauit: conclusum, & determinatum fuit, talem absolutionem esse validam: sic retulit mihi R. admodum P. F. Hieronymus à Castro Ferectorum eiusdem Ordinis, qui ad talem Congregationem eiusdem sanctissimi iussu fuit & ipse cooptatus.

Dices, quòd melius esset, & ad spiritualem profectum valde conduceret, non mutare Confessarium. Fateor & ego: sed in casu posito non agimus de maiori in vita spirituali profectu: sed de medicina languenti animæ tradenda, cui in multis indulgere sanctissimus Pontifex rectè iudicauit: sic enim habet textus: *Nonnullos infirmiores.*

Ex dictis ergo patet firmitas nostræ assertionis, nempe quòd si subditus regularis, absque licentia mutet Confessarium, (dummodò sit vnus ex deputatis) quòd licitè id facit: & absolutio data tenet.

Et ad rationem dubitandi *in num.* 7. factam, & ad eius confirmationem, vnica responsione fit satis:

tis: quòd scilicet negatio illa nullo pacto ad confessionem, vel ad absolutionem dirigi potest: nulla enim mentio de talibus fit in verbis, quæ sub negatione illa clauduntur, & solùm ad pœnitentes dirigitur, ne Confessarium absque licentia mutent.

Ad secundum dico, quòd licèt lex possit extendi, hoc tamen ad libitum non potest fieri: sed tantùm secundùm mentem legislatoris, & rationem legis, *l. vt patet, §. dulcissimus, ff. de legat. 2. & cap. suggestum, & cap. meminimus, de appellat.* vbi pulchrè Panormitan. communiter receptus. Mens autem auctoris, & ratio prædictæ legis (vt patet in textu) est, ne Superiores in hoc aliter quàm in Decreto præcipitur, subditos grauent. Et hæc quantum ad præsentem difficultatem, & quantum ad primam partem huius tractatus dixisse sufficiant.

SECVNDA PARS.

In hac secunda parte agemus de ipsis casibus reseruatis in particulari, iuxta ordinem, quo positi sunt in Decreto.

PRIMVS CASVS.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

SVMMARIVM.

1 *Dæmonis inuocatio, & superstitio maximũ peccatũ.*
2 *Displicet quammaximè Deo.*
3 *Religiosis præcipuè indecentissimũ est tale peccatum.*
4 *In tribus positis speciebus comprehenduntur omnes species superstitionis.*
5 *Diuinatio quid.*
6 *Causæ futurorum tripliciter se habent.*
7 *Dæmones ex perfectione ingenij coniiciunt nonnunquam quid homines facturi sint.*
8 *Aliquando ex reuelatione.*
9 *Aliquando ex longa experientia.*
10 *Recursus ad dæmonem duplex, expressus, & tacitus.*
11 *Expressæ inuocationis plures species.*
12 *Præstigium quid.*
13 *De anima Samuelis suscitata.*
14 *Varij modi, quibus dæmon talia obijcit, seu efficit.*
15 *S. August. contra mulierculas.*
16 *Diuinatio per somnium.*

 17 *Somnia*

17 *Somnia quando à bono Angelo, & quando à dæmone veniunt.*
18 *Necromantia quando fit.*
19 *Ad huiusmodi cadauera suscitãda adycitur sanguis.*
20 *De Breuibus, & scripturis Magorum.*
21 *De Breuibus his, Nauarrus.*
22 *Astrologiæ an liceat studere, nécne. Astrologia iudiciaria est scientia falsa.*
23 *Astrologia est scientia periculosa.*
24 *Multoties falsa succedunt, & vnde hoc.*
25 *Astrologia est scientia damnosa.*
26 *Astrologorum punitio.*
27 *Qui domum diuinantium adeunt, eosq; interrogant, fidem Christianam & Baptismum præuaricantur.*
28 *Sixti V. constitutio aduersus iudiciarios Astrologos.*
29 *Libri etiam Astrologiam tractantes prohibentur.*
30 *Malefici comprehenduntur in casu reseruato, & strigæ, & chiromantici.*
31 *Non licet cum vno maleficio aliud dissoluere, etiam quòd maleficus ad hoc sit paratus.*
32 *An sit licitum aruspicium.*
33 *Regula S. Thomæ pro hoc.*
34 *Sortilegia quæ sapiant hæresim.*

DE hac materia tractat D. Thom. 2.2. *quæst.* 95. *per totum*, & ibi omnes sui sectatores, præcipuè Caiet. & Bannes, & Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 12. *per totum.* Gabriel *in* 2. *sentent. distinct.* 8. Victoria *in relect. de Magia. q.* 3. Nauarr. *in Manual. cap.* 21. *à num.* 23. *& deinceps.* Sylvest. Tabiena, Angelica, Toletus, Clauis Regia *lib.* 4. *cap.* 4. *per totum.* Martinus Delrio, *in suis libris disquisitionum Magicarum*, & alij quàm plures. Vt autem de hac re, pro nostro instituto, etiam nos aliqua dicamus, præmitto.

Dæmonis inuocatio, & superstitio est maximũ peccatum.

1 Primò, quòd superstitio, seu dæmonis inuocatio est maximum peccatum: nam sicut virtus latriæ, seu veræ Religionis est maxima inter omnes virtutes morales: sicut dicit D. Thomas *in* 2.2. *q.* 81. *art.* 2. ita vitium superstitionis, & falsæ Religionis ex genere suo est maximum omnium peccatorum, quæ actibus virtutum moralium opponuntur.

Displicet quammaximè Deo. Leuit. 19.

2 Secundò præmitto, quòd tale peccatum maximopere displicet Deo: nam illud prohibuit *in cap.* 19. *Leuitici*, quando dicit: *Non declinetis neque ad Magos, neque ab Ariolis aliquid scisciteminì, vt polluamini per eos.* Septuaginta interpretes Magos verterunt, *ventriloquos*, ideſt Pythones, vel falsos Prophetas, qui de ventre cordis sui fabulas quasdam, & fœtentes doctrinas proferunt. Neque ab Ariolis, Septuaginta, *Veneficijs*, qui dæmonum scilicet nomina inuocant, & aliquando corpus curant, vt animam interficiant, Procopius hîc. Illas omnes superstitiones nemo sequatur Christianus, cuius spes omnes in Deo sitę sunt: & si non illicò sentis auxilium, patientia opus est: & si quandoque vanissimarum superstitionum cultores vera prædixerint non propterea fides accommodanda est: nam sub veritate dæmones occultum gerunt mendacium: non secùs ac, si quis melle perungit poculum, in quo venenum esset propinaturus.

At obiiciunt quidam *inuocant Sabaoth*: quid tum? Impiè hoc faciunt, appellationem non Deo, sed dæmonibus tribuunt, & plerumque diabolistæ impiè vsurpant nomina diuina, dum dæmonibus ea imponunt.

Religiosis præcipuè

3 Tertiò præmitto, quòd tale peccatum cùm omnibus Christi fidelibus indecentissimũ sit: præcipuè

indecentissimū est tale peccatum.

cipuè tamen Religiosis, & Deo dicatis, qui cùm quotidie sacra pertractent, & sacris rebus sint consecrati, non debent posteà ipsis sacris rebus abuti.

In tribus positis speciebus cōprehēditur omnes species superstitionis.

4 Quibus præmissis, sciendum, quòd sub his tribus speciebus superstitionum, nempe veneficiis, incantationibus, sortilegiis expresè prolatis, & in Decreto positis, comprehenduntur omnes species ex identitate, vel maioritate rationis, quia sunt eiusdem generis: nam quando agitur de salute animæ, & de euitando peccato, debet fieri extensio etiam iuris pœnalis. Iaſ. *in Auth. quas actiones, num.25. de sacrosanctis Eccles.* vbi alios citat: & potiùs dicitur inclusio similium peccatorum, quàm extensio: vt patet ex tit. Cod. qui inscribitur, *de malef. & mat. & cæteris similibus.* De quibus omnibus, vt pro nostro instituto loquamur, plura hîc subiiciemus, & à diuinatione exordiemur.

Diuinatio quid.

5 Primum est, quid sit diuinatio? Respond. quòd diuinatio est vsurpatio cognitionis futurorū euentuum indebito modo, seu indebita vsurpatio prænuntiationis futurorum euentuum: sic S. Thom. & Caietan. *vbi suprà.* Dicitur autem indebita vsurpatio, ab indebito modo præcognoscendi ea: quia scilicet quærit explicitè, vel implicitè, auxilio dæmonis, ea scire, quæ à solo Deo petēda sunt: vnde ignominiam Deo irrogat: dum aliunde, vanis inuentionibus, eorum cognitionem procurat, & consequenter grauiter peccat. Nam, vt docet S. Thomas 2.2. *q.95. art.1.* futura dupliciter præcognosci possunt, vno modo in suis causis, alio modo in seipsis.

S. Thom. Caietan.

S. Thom.

Causæ futurorū tripliciter se habent.

6 Causæ autem futurorum tripliciter se habent. Quædam primò necessariò producunt suos effectus: tales autem effectus futuri certò præcognosci possunt ex suis causis: quomodo Astrologi futuram

turam Solis, aut Lunæ eclipsim prænunciant.

Quædam secundò non necessariò, nec semper: sed tamen vt plurimùm suos effectus producunt, & rarò deficiunt, & tales effectus futuri præsciri possunt: etsi non certò, probabiliter tamen; quomodo Astrologi multa prænunciant de pluuiis, & siccitatibus per considerationem stellarum, & Medici multa præsciunt de sanitate, & morte.

Quædam tertiò, causæ sunt, quæ secundùm se considerataे ad vtrumlibet se habent: vt potentiæ rationales, & huiusmodi effectus, aut etiam alij effectus, qui in paucioribus casu accidunt, ex causa naturali per se considerata præsciri non possunt, cùm non magis ad vnum, quàm ad oppositum determinetur causa illa: & ideò licèt quandoque talis effectus sit præsens, verbi gratia, cùm homo vidit Petrum currere, aut ambulare cognosci possit: tamen cognitio talis effectus in seipso antequàm fiat, est solius Dei, qui solus in sua æternitate videt ea, quæ futura sunt; sicut præsentia, iuxta illud Isaiæ 41. *Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus quia Dij estis.* Isai. 41.

Non igitur consistit diuinatio in eo, quòd quis prænunciat ea, quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione præcognosci possunt: neque etiam si quis futura contingentia Deo reuelante cognoscit, tunc enim non ipse diuinat, ideſt, quod diuinum est, facit: sed magis, quod diuinum est, suscipit: sed tunc solùm diuinare dicitur, quando sibi indebito modo vsurpat prænunciationem euentuum futurorum: recurrendo scilicet ad diabolum variis viis, & modis; vt dicemus. Nam tunc diabolus ex peruersitate voluntatis suæ, & studio nocendi hominibus, occultè

cultè se ingerit ad prænunciandum, & docendum aliqua futura, quæ hominibus sunt ignota, illi tamen nota.

Dæmones ex perfectione ingenij coniciunt nonnunquàm quid homines facturi sint.

7 Secundum est, quòd Dæmones ex perfectione intellectus, & subtilitate ingenij considerantes ad quid nostra inclinatur affectio, aut quid possit virtus causæ naturalis, plus, minúsve coniciunt, quid homines nonnunquàm facturi sunt. Vide D. Thom. *p. part. quæst. 57. art. 3. & 4.* D. Bonau. *2. dist. 7. art. 2.* Sylvest. *v. diuinatio.* Tolet. *in summa. lib. 4. cap. 15.* Quin quòd sanctus Thom. *vbi supr. art. 4.* docet, quòd Diabolus aliquando cognoscit cogitationem internam, non solùm per actum exteriorem: sed etiam per immutationem vultus. Quòd si Medici aliquas affectiones animi per pulsum cognoscere possunt; multò magis Angeli, & Dæmones quantò subtiliùs huiusmodi immutationes occultas corporales perpendunt. Vnde S. Augustin. *tom. 3. in lib. de diuinat. dæmonum, cap. 5.* ait; quòd aliquando hominum dispositiones, non solùm voce prolatas: verùm etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam in corpore exprimuntur ex animo, tota facilitate perdiscunt.

D. Thom. D. Bonau. Sylvest. Tolet.

Aliquando ex reuelatione.

8 Aliquando etiam ex doctrina aliena nunciant; putà, quæ ex permissione diuina, à bono Angelo discunt, aut per scripturas. Permittit namque Deus, vt aliquando ipsis dæmonibus aliqua annuncientur.

Aliquando ex longa experiẽtia.

9 Aliquando id præstant, quia ex longa experientia, & magna notitia rerum naturalium multa sciunt, vt eclipses, pestes, pluuias, & huiusmodi, quæ cùm ex causis naturalibus certò euentura sunt, nobis autem non videntur euenire: nisi contingenter, ista prænunciantes videntur aliquibus enunciare

enunciare futura contingentia. Sæpè etiam dæmon alicuius morbum secretum intuetur, & cognoscit naturale tempus mortis, aut salutis; quod alteri prænuncians, videtur futurum contingens prædicere: sæpè etiam ruinas domorum nunciat, quia occultas causas ruinæ videt.

Aliquando ex dolosa cautela proponunt aliquid facere, & prædicunt. His ergo, aliisque modis rerum notitiam habentes, & videntes homines deditos vanis huiusmodi rerum inquisitionibus, paulatim se illis insinuant, talia nunciant, sícque diuinatores suos fallunt, & decipiunt; vt S. Thom. *vbi supr.* & D. Augustin. *lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 23.* docet.

Recursus ad dæmonẽ duplex, expressus, & tacitus.

10 Tertium est, quòd dupliciter potest fieri recursus ad dæmonem inuocando eum, vel expressè, vel tacitè. Vide Nauar. Valent. Tolet. *vbi suprà.* Expressè fit; quando apertè vocatur, vel inuocatur dæmon, vel fit aliquid, quod creditur opera ipsius dæmonis esse perficiendum. Tacitè fit; quando aliquis enititur facere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, neque ex Diuina, aut Ecclesiastica dispositione possunt illud efficere. Vel quando huiusmodi causæ tanquàm necessariæ adiunguntur aliis, quæ possunt talem effectum producere. Vel quando quis, licèt non inuocet dæmonem, vtitur tamen rebus ab eo institutis, qui cum dæmone pepigit fœdus: itaque ab instituente habet originem, & propterea dicitur, tacitè inuocare dæmonem, nisi ignorantia crassa in simplicibus excuset.

Expressæ inuocationis plures species.

11 Expressæ inuocationis plures sunt species, de quibus vide Auctores in principio citatos: sed præcipuè sunt tres: nam vel est, præstigium, vel

vel est diuinatio per somnia, vel est necromantia.

Præstigium quid.

12 Prima species dicitur PRÆSTIGIVM, cùm videlicet dæmon variis apparitionibus se obijcit hominum aspectui, quorum oculos aliquando præstringit; nam, vt colligere licet ex Caietano *secunda secundæ.quæst.*95. *art.*3. & ex Gabriel. *in* 2.*sent.dist.*8.*q.*2.*art.*2.

Caiet.
Gabriel.

Sæpe dæmon solet obijcere sensibus vera corpora, vel occultè, & celeriter aliunde importata: vel à se facta, seu conflata per applicationem actiuorum, & passiuorum naturalium. Ad quem modum intelligendum est, fuisse veros serpentes, quos Magi Pharaonis fecerunt, *Exod* 7. vt sentit D. Augustin. *lib.*3. *de Trinit.cap.*7. & D. Thom. *quæst.*7. *de pœnitent. art.*5.*ad* 8. Et simile quid dicit Diuus Augustinus de volucribus, in quas Diomedis socij conuersi dicuntur.

Exod.
D. Augst.
D. Thom.

Sæpè solet dæmon obijcere sensibus, non quidem vera corpora: sed quasdam similitudines corporum, quæ corpora vera appareant. Hoc modo putat D. Augustin. *vbi supra*, intelligendum esse, quod de sociis Vlyssis in bestias conuersis perhibetur: & quod de Arcadibus etiam narratur, quòd cùm stagnum quoddam traijcerent, vertebantur in lupos. Neque enim putandum est, illos in vera corpora animalium fuisse transformatos: sed opera dæmonum, quasi circumuelati fuerunt similitudinibus animalium.

D. August.

13 Ad eundem modum etiam putat D. Augustin. *lib.*2. *ad Simplicianum, quæst.*3. meliùs, & expeditiùs posse intelligi, quod dicitur *lib.*1. *Reg.*28. animam Samuelis apparuisse Sauli; vt non verè, inquit, spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus: sed aliquod phantasma, & imaginariam

1. Reg. 28.
De anima Samuelis suscitata.

tiam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat: quia solent imagines rerum, earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. De quo videndus est D. Thom. *in* 2. 2. *q.*99. *art.*4. *ad secundum*, & ibi Caiet. qui etiam dicit, adhuc sub iudice litem esse, an fuerit anima Samuelis, nécne.

D. Thom.
Caietan.

14 Sæpe solet dæmon efficere huiusmodi apparitiones, non obijciendo aliquam similitudinem corporum sensibus, neque vera corpora: sed illudendo sensibus exterioribus, ita vt videatur sibi homo videre exterius, quod nullo modo est. Atque hoc quidem facit: vt docet Caietanus, commouendo spiritus ad illum modum, quo ex simili commotione phrenetici videntur sibi varias imagines in parietibus videre.

Sæpè solet etiam id efficere per illusionem sensuum interiorum, afficiendo ad eum modum, quo affici solent: quando sensus exteriores ligantur, aut propter nimiam attentionem; vt solet, inquit Caietanus, accidere superbis contemplatiuis, qui in variis imaginibus decipiuntur à dæmone; aut per aliquam alterationem corporis, vt per varias vnctiones.

Ad quem modum narrat Abulensis, 13.*cap. Gen. quæst.* 354. suo tempore compertam fuisse huiusmodi illusionem in quadam lamia, quam ait affirmasse, se varias terras peragraturam, si vellet, breuissimo tempore: & cùm ei non crederetur, vnxisse se, & illico corruisse in terram veluti emortuam, ita vt admotum ignem non sentiret: postmodum in se reuersam, mirabilia narrasse se fecisse, & vidisse. Quam historiam narrat etiam Caietan. *vbi suprà.*

Abulens.

Nec per hoc negandum est, quin aliquando dæmon verè huiusmodi mulierculas transferat de loco ad locum: est enim id experientia à Iudicibus comprobatum, præsertim in Germania; vt Nauarr. ex Malleo maleficarum refert *in cap.* 11. *num.* 38. & idem concedit Victor. *vbi supr.* & Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticorum punitione.*

Nauarr.

Victoria.

Castro.

15 Sed audiamus quid de iis dicat D. Augustinus vbi supr. *Quædam mulierculæ*, inquit, *post satanam conuersæ illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se, & confitentur, nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & cum Herodiade, & innumera mulierum multitudine equitare, earúmque iussionibus obtemperare. Ipse namque satanas, qui se transfigurat in Angelum lucis, cùm mentem cuiusq; mulierculæ cœperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illicò diuersarum personarum specie mente, quam captiuam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit: & cùm solus hæc patitur spiritus infidelis, non in anima, sed in corpore euenire opinatur. Idcirco nimis stultus, & hebes est, qui hæc omnia, quæ in spiritu fiunt, etiam accidere arbitratur in corpore.* Hæc Augustinus.

D. Augustinus cõtra mulierculas magas.

Diuinatio per somniũ.

16 Secunda species est diuinatio per somnia, cùm scilicet instructio expectatur à dæmone per somnia. Et quantum ad hanc speciem, sciendum est, quòd somnia à multis causis prouenire possunt: nam, vt docet Caietanus *vbi suprà*, aliquando ab humoribus, aliquando ab aëre circumstante, aliquando à cogitatione præcedenti, aliquando verò ab Angelo bono, vel malo.

17 Vnde non erit facile cognoscere à qua causa illud tale somnium proueniat, & propterea neque

neque per somnium licet expectare cognitionem futurorum. Sed ad dignoscendum, quando somnium est ab Angelo bono, seu à Deo: & quando à dæmone, hæc regula communiter tradi soler; scilicet si somnium illud impellat ad opus bonum, existimari potest esse à Deo: quamuis tunc etiam, si non alia causa faciendi appareat, non nisi cum humilitate, & timore faciendum est: solet namque aliquando dæmon se transfigurare in Angelum lucis, vt faciliùs homines illaqueare, & decipere possit. Si verò somnium illud impellat ad aliquod opus malum, aut indiscretum, indicium est, esse à dæmone. Præterea si post somnium animus postea promptior, & alacrior redditur ad bonum, existimari potest probabiliter, esse à Deo: si verò è contra, animus maneat confusus, turbatus, & minus aptus ad opus spirituale, & bonum, signum est prouenire à dæmone: semper tamen opus est prudentia, & discretione spirituum, vt cognoscatur, an ab Angelo bono, vel malo procedat, petendúmque à Deo lumen est; vt bonum à malo discernere, & diiudicare possit.

Somnia quando à bono Angelo, & quãdo à dæmone veniũt.

Quantum ergo ad hoc, dicendum, quòd si quis vtatur somniis ad præcognoscenda futura, secundùm quod somnia procedunt à reuelatione diuina, vel ex causa naturali, seu corporali, intrinseca, siue extrinseca, quantum virtus illa extendere se potest, non erit illicita diuinatio: sin autem causetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa; quia ad hoc inuocantur, vel tacita; quia scilicet somnia extenduntur ad ea, ad quæ se extendere non possunt: vt sunt habere certitudinem de contingentibus, & aliis, quæ subterfugiunt etiam corpora cœlestia, erit planè diuinatio illi-

cita, & superstitiosa, vt S. Thomas *vbi suprà*, & communiter alij tradunt.

Necromantia.

18 Tertia species diuinationis dicitur Necromantia, cùm videlicet adhibito sanguine, & certis carminibus, mortui videntur resurgere, & loqui, & docere futura. Nam quamuis dæmon nullam animam possit reuocare ad mundum hunc: fingit tamen esse mortuum, assumendo corpus, ac si anima illius esset. Sunt tamen, qui affirmant, dæmonem id facere ex permissione diuina: sicut de Samuele accidit, quamuis è contrario non desint, qui asserant, Deum id fecisse, non autem dæmonem, neque Pythonissam, quod discutere, & determinare non est præsentis loci. *Vide Caiet. vbi suprà.*

S. Thom. Alens.

19 Ad huiusmodi autem cadauera suscitanda sanguis adijcitur; vt notant S. Thom. *vbi supr.* & Alexander de Alens. *p. 2. quæst. 164. membr. 2.* dæmones namque amatores sanguinis esse perhibentur. Ideóque quoties Necromantia fit, cruor aquæ misceri solet, vt facilius dæmones prouocentur. Et hæc de inuocatione expressa.

Est etiam & inuocatio tacita, quando scilicet quis non inuocat dæmonem: sed vtitur illis verbis, seu rebus, quibus primus institutor, id est ille, qui pepigit fœdus cum dæmone, vsus est: ad quorum præsentiam posteà dæmon facit mira, & simplices putant, quòd illa verba, vel huiusmodi res effectum faciant: & nihilominùs diabolus est, qui ad præsentiam illarum rerum ea facit, ex pacto, vt dictum est, inito cum dæmone à primo instituente.

De Breuibus, & Scripturis Magorum.

20 Ad hoc genus reducuntur illa Breuia, quæ ab aliquibus Magis dantur contra varios morbos, quæ absque peccato portari non possunt: nam, qui certam

certam spem constituit in deferendis aliquot nominibus scriptis, firmiter credens propterea fore: vt nunquàm in bello vulneretur, feriatur, vel repentina morte rapiatur: aut quòd neque aqua, neque igne pereat, vel quòd erga Principes omnia sint illi prosperè cessura: talis vtique peccat mortaliter, quia huiusmodi nomina, neque naturali virtute, neque ordinatione diuina, vel Ecclesiastica vllam vim habent ad tales effectus producendos: & consequenter, vana est eorum obseruatio.

Vnde meritò talia Breuia sunt reprobata, & peccant mortaliter, qui ea confingunt, vel qui illis vtuntur, vel qui, vt alij eisdem vtantur persuadent, iuxta D. Anton. *2. p. tit. 12. cap. 1. §. 13.* nisi adeò ignorantes fuerint, vt ignorantia eos excuset, vt suprà dictum est.

Nota ex Nauarro pro Breuibus.

21 Notandum est autem cum Nauarro, *vbi supr.* circa talia Breuia, seu nomina, quòd vt licitè portentur, quatuor debent concurrere. Primum, quòd sint nomina cognita, & intellecta, & sancta, veluti ex Euangelio, ex Scriptura sacra, ex aliquo viro sancto desumpta. Secundum, quòd in eis nullus alius character, aut signum, præter Christi crucem, aut aliud sacrum contineatur. Tertium, quòd in eis nihil sit falsi, aut vani, aut ad inuocationem dæmonum pertinens. Quartum, quòd nullam constituat spem in modo scribendi, vel ligandi: neque in eo, quòd in membrana, vt vocant, virgine, aut cùm Sol oritur, vel quando legitur Euangeliũ, conscribatur.

Astrologia an liceat studere, nécne.

22 Quartum est, an liceat studere Astrologiæ iudiciariæ, vel ad Astrologos recurrere pro cognitione rerum futurarum contingentium? Respond. quòd non: tum quia talis ars, seu scientia est falsa: tùm quia est periculosa, tum quia est damnosa. Primò

Astrologia iudiciaria est scientia falsa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mò est falsa, quia non nititur solido fundamento: cùm per influxum stellarum velit præcognoscere euentus hominum, qui pendet ex libero arbitrio: & quicumque talem artem exercent, seducunt homines. Audiamus, quid de hac re ad propositum dicat D. Augustinus in oratione illa notabili, quam habuit in reconciliatione cuiusdam Mathematici cum Ecclesia, & est talis (post enarrationem sexagesimi Psalmi, cùm Mathematicus ille, veniam publicè peteret, & coram sisteretur.) Iste Christiano, & fideli pœnitens redit, & territus potestate Domini conuertitur ad misericordiam Domini: seductus enim ab inimico, cùm esset fidelis, Mathematicus fuit seductus, seducens, deceptus, decipiens, illusit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi, quod bonum est: & non faciendi, quod malum est. Iste dicebat quòd adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars: & iustum non faciebat Deus, sed Iupiter: & alia multa sacrilegia non pauca. Quàm multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quàm multi ab illo emerunt mendacium? quibus dicebamus: *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitem, & quæritis mendacium?* Modò, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, & multorum hominum interitum: se aliquando à diabolo sensit illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Sic Augustᵘˢ.

D. Augustᵘˢ.

Astrologia est scientia periculosa.

23 Secundò, talis scientia est periculosa: quia vt plurimùm dæmon se immiscet, vt egomet ab vno horum, qui talem artem profitebatur audiui: confessus enim est, & non negauit, quòd qui in illa vult proficere, necesse est, vt diabolum Magistrum habeat,

beat, sed etiam quòd ille talis, mihi non fuisset confessus veritatem, D. Augustinus id fatetur *in cap. 7. lib. 5. de Ciuitate Dei*, in his verbis: *Non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabilia multa vera respondent, & occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas & noxias opiniones de Astralibus sacura est, has falsas & noxias opiniones de Astralibus sacratis inserere humanis mentibus, atque firmare: non horoscopi notati, & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.* Sic D. Augustᵘˢ. Et hinc euacuatur obiectio illa, quam solent facere sectatores artis: scilicet quòd sæpè vera dicunt? Quibus respondemus, quòd vel non dicunt verum simpliciter: vel si aliquando veritatem dicunt, id non est ex vi artis, sed ex auxilio dæmonis: nam veritas harum prædictionum sæpè prouenit ex pacto, & societate, quam init Astrologus cum dæmone, vel ex occulto eius afflatu, quo etiam nescientes homines ad diuinandum instigantur: & aliquando dæmon suggerit homini, quod ab eo diuinetur, vel palàm se eius oculis aspectabilem, & conspicuum offerens, eúmque futura humanis verbis prædocens, vel formatis in aëre vocibus præsignificantibus futura, citra vllam corporis speciem, & figuram: vel immissa scriptura aliqua, quæ futurarum rerum prædictiones contineat: vel dormienti per somnia, aut vigilanti afficiendo, & commouendo phantasiam, fingendóque phantasmata idonea ad repræsentandũ id, quod repræsentant phantasmata. Solet etiam dæmon prænunciare homini futura, quæ ipsemet posteà facturus est, solet ob incomparabilem sui motus celeritatem, quæ in longinquis regionibus geruntur, ea ad homines, qui longissimè absunt, deferre.

Potest item dæmon ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis, & signis, quæ in corpore tam exteriùs,

riùs, quàm interiùs apparent, occultas hominum cogitationes, & deliberationes, tam præsentes, quàm futuras, solertissimè coniecturando, cognitas habere. Idémque coniicit ex præparatione causarum, aliarúmque rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. Denique ob incredibilem subtilitatem, & solertiam mentis, ob tantam tot millium annorum experientiam callidissimus, atque sagacissimus est ad præsentiendum, & prænoscendum futura: & propterea mirum videri non debet, si multoties suos assecias vera doceant.

24 Sed multoties etiam falsa succedunt, quod prouenire potest, vel quia nimis asseueranter affirmant, quæ ex libero arbitrio pendent: quod cùm sit admodum variabile, & mutabile, & ad vtrumlibet flexibile, & planè liberum, nonnunquàm extraordinaria quadam ratione operatur. Vel quia nos ipsi sæpè diuinitus incitati, & Dei gratia adiuti, contra facimus, quàm anteà facere cogitabamus, & quàm nostro ingenio, nostróque arbitratu facturi eramus. Vel quia, quod dæmon agere constituerat, & prædixerat, prohibente, & impediente Deo, non possit exequi. Vel quia aliquando Deus multa agit præter communem ordinem naturæ, & præter generalem suam, & ordinariam prouidentiam: atque propterea crebrò tam Astrologus, quàm dæmon ipse in errorem inducitur.

Astrologia est scientia damnosa.

25 Tertiò, & vltimò, talis scientia est damnosa: tùm quia ligat animam cum dæmone, tùm verò quia seueriſſimè punitur. Primò, talis scientia ligat animam cum dæmone, quo nihil peius miserę animæ accidere potest: nam licèt ex tali amicitia multa vera prædicant Astrologi: quid boni potest eis euenire, si animam perdant? Audiant isti D. Augustinum,

D. August.

stinum, qui *in 2. lib. de doctrina Christiana, cap. 22. & 23.* sic ait: *Hinc fit, vt occultò quodam indicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluptatum suarum illudentibus eos, atque decipiẽtibus præuaricatoribus Angelis, quibus ista pars mundi infima, secundùm pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est.*

Quibus illusionibus, & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis, & pernicioſis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur: nec aliter accidat, quàm dicunt: multaq; obseruatoribus secundùm obseruationes suas eueniant, quibus implicati, curiosiores fiant, & sese magis, magisq; inferant multiplicibus laqueis pernicioſissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, dicens: Sed etiamsi dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis. Et infrà: *Omnes igitur artes huiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.* Sic Augustinus.

Astrologi puniuntur.

26 Postremò, damnosa est talis scientia, quia seueriſſimè punitur.

Qui domũ diuinantiũ eunt, eosq; interrogãt, fidẽ Christianam, & Baptismũ prauaricãtur.

27 Vnde *in cap. non obseruetis, 26. quæst. 7.* dicitur: *Qui has, scilicet, obseruantias, & quascunque diuinationes obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, & qui talibus credunt, ad domum eorum euntes, aut suis domibus introducunt, & interrogant, sciant se Fidem Christianam, & Baptismum prauaricasse, & tanquàm pagannum, & apostatantem: ideſt retrocedentem, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurrisse.* Et D. August. *relatus in cap. admoneat, 6. q. 1.* dicit, quod clerici has incantationes exercentes, sunt degradandi, laicíque anathematizandi. Et de incantatoribus dicit textus *in cap. infames, 6. q. 1.* quod ipsi sunt

infames: sic de diuinatoribus, propter detestationem criminis diuinatores in accusationem non admittuntur, *cap. quisquis*, 2. q. 8. & si clerici sunt incorrigibiles, sunt deponendi, *cap. si Episcopus*, 6. q. 1. Magiam quoque non solùm qui sectantur, sed qui credunt talibus, perpetuæ damnationis interitum incurrunt, *cap. qui sanè*, 26. q. 2. Addo, quòd huiusmodi malefici, per quamplurimos summos Pontifices sunt excommunicati, vt est extrauag. Io. 22. quæ incipit: *Super illius specula*. Sixti IV. in constitut. edita anno 1473. quæ incipit: *Dilecte fili*. Innoc. VIII. *Summis* anno 1484. Alex. VI. *receptum*: & denique est constitutio Sixti V. Romæ publicata die nona Ianuarij 1586. quæ incipit: *Cœli & terræ Creator Deus*: in qua sic habetur.

Sixti V. constitutio aduersus iudiciarios Astrologos.

28 *Hac perpetuò valitura constitutione Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus: vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dicta iudiciaria Astrologiæ artem, præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisq; casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent: etiamsi id non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt: quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiusque gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati Superiores, ac alij locorum Ordinarij, quàm Inquisitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati: etiamsi*

etiamsi in plerisque ex his casibus anteà non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos seueriùs canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

Libri etiã prohibẽtur.

29 *Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciaria Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromãtiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ: aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt suprà, in memorato indice interdictos, sub censuris, & pœnis in eo contentis, à quibuscunque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri: sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere: & nihilominùs, eadem auctoritate, statuimus, & mandamus: vt contra scientes, legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere possint. Non obstantibus, &c. Ex qua constitutione patet, quòd non solùm talia exercentes: verum, & qui libros, seu scripta de huiusmodi materia tractantes tenere præsumunt, in pœnas prædictas incurrunt.*

Comprehẽduntur in casu reseruato Maleficij.

30 Quintum est, quinam comprehendantur in hoc casu? & ad hoc dicimus quòd cõprehenduntur:

Primò malefici, qui per adhibitionem rerum naturalium, quas alicui dant ad bibendũ, vel edendum: vt sunt venenatæ herbæ, radices, & cætera talia, quorum occultas virtutes, & proprietates dæmones nouerunt, ad finem, vt maleficatus, impudico amore aliquem amet, vel odio habeat.

Strigæ.

Secundò, comprehenduntur etiam illi, qui suis maleficiis nocere solent in persona, vt faciunt strigæ, occidendo pueros, aut infirmitates, & dolores causando, faciendo aliquas imagines cereas: vt dum imagi

imaginum illarum partes, vel membra pungunt: tunc personæ statim patiuntur in illa parte, quæ pungitur in imagine. Vnde non est censendum illud nocumentum imaginis peruenire ad personam: sed dæmon operatur circa personam, dum maleficus circa imaginem operatur: & hoc occulto, sed nunquàm iniusto Dei iudicio permittente.

Physiognomistæ. Tertiò, sunt innodati etiam illi, qui ex Astrorum motu: vt Astrologi, ea, quæ pendent ex libero arbitrio volunt prædicere: vel qui ex lineamentis in manu, aut spatula apparentibus volunt futura prænunciare, qui Chyromantici appellantur. Bene verum est, quòd, vt ea, quę in prædictis attinent, inducant casum reseruatum in Religiosis, necesse est, vt sint peccata mortalia, ex dictis per Caietanum *in summa*, verbo, *Diuinatio*, & verbo, *Incantatio*, & per Nauarr. *vbi suprà*.

Nota.

Dubium. 31 Dubitatur verò hîc, an liceat cum vno maleficio, aut incantatione dissoluere aliud maleficium, aut precari aliquem, vt dissoluat, quamuis ille esset ad id agendum paratus? Respond. quòd Angelica in verbo, *superstitio*, §. 13. tenet partem affirmatiuam. Contra quem meritò insurgit Syluester, verbo, *maleficium*, *q.* 8. quem sequitur Nauarr. *vbi suprà*: & Moderni omnes, nempe quòd non licet: & peccat mortaliter, qui id facit, vel procurat, quia nunquàm est licitum ad peccandũ inducere alium: quamuis ille ad id esset paratus.

Respons. Angel.

Syluestri verior sententia.

Dubium. Respons. 32 Dubitatur etiam, an liceat obseruare res futuras ex auibus, ex quadrupedibus, ex syderibus, & huiusmodi? Respondeo cum distinctione: nam vel obseruatio, & inquisitio fit pro futuris contingentibus, & à libera hominis voluntate pendentibus: & hoc non licet, vt dictum est suprà: vel talis obseruatio,

uatio, & inquisitio fit pro effectibus naturalibus cognoscendis, tùm pro nauigatione, tùm pro agricultura, tùm etiam pro arte medica; & tunc licet. Subiungam hîc ea, quæ habet D. Thomas *in 4. sent.* & *in opusc. 25. cap. 4.* circa auium volatus; nempè si pluuias, vel grandines futuras ex quarumdam auium volatu, vel cantu quis pronunciet, vanum non erit; nam ex impressione cœlestium, eorum vitæ necessaria consequuntur: vnde futuras pluuias, aut ventos citò cognoscunt, & annunciant, & propterea non est prohibitum, neque vanum: sed ex illis velle mysteria fidei, aut ea, quæ ex libero pendent arbitrio; vtpotè, quæ euenire, & non euenire possunt, pronunciare per voces auium, aut brutorum quadrupedum, vel per obuiationem eorum, vel serpentum, est omnino vanum, superstitiosum, atque illicitum: & hoc vocatur, *Augurium*.

D. Thom.

33 Sed vt circa prædicta, & similia quis prudenter agat, constituimus hanc regulam ex D. Thom. desumptam *in 2. 2. q. 96. art. 2. ad 3.* & *contra gent. lib. 1. cap. 105.* Si talis res assumatur, quæ possit naturaliter effectum, quem desideramus, producere, aut causare, erit absque dubio licita: Si verò non possit, reliquum erit, vt sit illicita; quia non adhibetur, vt causa: sed potiùs tanquàm signum pactionum, quæ si non ipsi, qui seruant, saltem ij, qui seruandas tradiderunt, cum dæmonibus iniêre.

Regula ex D. Thom.

34 Circa sortilegia verò, omnia illa sortilegia sapiunt hæresim, quæ cum aliquo dicto, aut facto hæreticali exercentur: vt si quis in sortilegio amatorio Deum abnegaret, & Ecclesiæ sacramenta, aut sacramentalia admisceret: sic Pater à Castro *lib. 1. cap. 15. de iusta haretic. punitione.* Imò etiam includitur

Sortilegia.

cluditur illa diuinatio, quæ fit cum candelis, vel aqua benedicta ad sciendum futura, vel aliqua occulta, vel vbi verba sacra admiscentur: sic qui rebus sacris, & Ecclesiasticis aliquam incantationem, aut maleficium facit, aut si cui procurat veluti aqua baptismali, oleo sancto, ara consecrata, verbis consecrationis, vel aliquid horum secum ob malum finem gestat. Et hæc dicta sint de hoc primo casu.

SECVNDVS CASVS.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento; quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.

SVMMARIVM.

1 *Apostasia quid.*
2 *Apostasia triplex.*
3 *Apostata à fide quis.*
4 *An apostata exterior tantum incurrat excommunicationem iuris?*
5 *Apostata ab obedientia quis.*
6 *Rebellãs se à Commissario Generali, an sit apostata.*
7 *Gregor. XIII. contra rebellantes se à Commissario Generali.*
8 *Sub prætextu studendi nemini licet se à Superioribus rebellare.*
9 *Apostata à Religione quis. Egressus à Religione multiplex.*
10 *Transiens ad aliam Religionem non est apostata.*
11 *Transiens ad arctiorem Religionem non est apostata.*

12 *An licitè Regularis trãseat de vna Religione in aliã.*
13 *Religio perfectior quæ.*
14 *Ad laxiorem licitus est transitus aliquando.*
15 *Capuccinus an licitè transeat ad Carthusianos.*
16 *Carthusianus an licitè transeat ad Capuccinos.*
17 *An Religiosus possit exire, vt parentibus subueniat.*
18 *An Religiosus possit exire, & pergere ad Superiorem ob iustum grauamen.*
19 *Religiosus exiens à Monasterio animo vagandi, siue cum habitu, siue sine eo, est apostata, & incidit in casum. Exiens habitu dimisso, est etiam excommunicatus.*
20 *Exiens verò cum habitu, non est excommunicatus.*
21 *Apostatæ sunt infames ipso iure.*
22 *Apostatæ, etiam quòd deferant habitum, sunt excommunicati ex Priuilegio.*
23 *Apostata deferens habitum occultum, est excommunicatus.*
24 *Dimittens habitum per breue spatium in Monasterio, an sit excommunicatus.*
25 *Excommunicationem hanc, vt Religiosus incurrat, tres conditiones habere debet.*
26 *Apostatis non licet celebrare, alioquin incidunt in irregularitatem: sed neque prædicare, aut confessiones audire.*
27 *An Religio habeat ius expellendi aliquẽ Religiosum.*
28 *Tria concurrere debent, vt quis iustè eijci possit à Religione.*
29 *Epistola aurea S. Bernardi pro ejectione Religiosorum.*
30 *Ad quid teneantur sic expulsi.*

DE hac materia tractat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1, & ibi omnes eius sectatores, Caietan. Bannes,

Bannes, Salon. Arrag. & reliqui; Valentia. *tom.3. disp.1.q.12.puncto* 1. Turrecremata *lib.4 summæ p.2. cap.13.* Cano. *lib.12.de locis, cap.9.ad 2.* Castro. *lib.1. de iusta hæretic. punit. cap.7.* Rodriquez *tom.1. qq. regul* Manuale Prælatorum *tom.2. quæst.15. art.1.* Simanc. *de Catholica institut. tit.7.nu.5.* Sylvest. verb. *apostasia, quæst.1.* Tab. verbo, *apostata, num.2.* Nauarr. *in Man. cap.11.num.25. & in consilijs, tit. de apostat. per totum.* Concil. Trident. *sess.25. cap.19. de reformatione.* Azer. *part.1. instit. mor. lib.12. cap.16.* & alij.

Hostiēsis. *Apostasia quid.*

1 Circa hunc casum notandum est valde id quod dicit Hostiensis *in sua summa:* nempè, quòd Apostasia est temerarius recessus à statu fidei, obedientiæ, vel Religionis.

Apostasia triplex. D. Thom.

2 Et propterea secundùm Glos. *in cap.1. de apostas.* triplex est apostasia; scilicet à fide, ab obedientia, & à Religione. Cuius rationem assignat D. Thomas *in 2.2. quæst.12. art.1.* dicens; quòd apostasia importat retrocessionem quandam à Deo, quæ quidem diuersimodè fit secundùm diuersos modos, quibus homo Deo coniungitur.

Primò namque coniungitur homo Deo per fidem. Secundò, per debitam, & subiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius. Tertiò, per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia: sicut per Religionem, Clericatum, vel sacrum ordinem. *Sic S. Thom.* Nos ergo eius vestigiis inhærentes, dicimus quod:

Apostata à fide quis.

3 Apostata à FIDE est ille, qui postquàm recepit Fidem, eam dimittit, & fit hæreticus, vnde simpliciter vocari potest hæreticus: nam licèt aliqui opinentur, quòd apostata simpliciter, & propriè non sit hæreticus: vt vult Turrecremata *lib.4. summæ part.2.c.13.* & Canus *lib.12. de locis.c.9.ad 2.* nihilominùs

Turrecremata.

nihilominùs Alphonsus de Castro *lib.1. de iusta hæretic. punit. cap.7.* docet, quòd apostasia non sit species distincta ab hæresi: quam opinionem sequitur Bannes *2.2. quæst.12. art.1. dub.1.* & Valentia *tom.3. disp.1. quæst.12. puncto* 1. Quòd si qua differentia est, illa tantum est accidentalis penes magis, & minus. Sic Caietanus, *2.2. quæst.10. art.5. & quæst.11. art.1.* Sylvest. verbo, *apostasia, in principio, & quæst.1.* vbi refert Innocentium, & Alexandrum in hanc sententiam, & hæc est ratio, quare in iure non extat aliquis titulus contra apostatas à fide; quia illi comprehenduntur sub nomine hæreticorum: & propterea apostatæ à fide incurrunt omnes pœnas debitas hæreticis in iure, & ideò quantum ad excommunicationem, reconciliationem, & tolerantiam ab Ecclesia, idem prorsus iudicium fieri debet de illis, atque de hæreticis.

Castro. Bannes. Valentia. Caietan. Sylvest.

Dubium.

4 Dubitatur verò hîc; An talis apostata exterior tantum, non interior incurrat in excommunicationem iuris? verbi gratia, si quis metu compulsus, exteriori solùm actu sacrificaret idolis, in animo retinens veram fidem. Ad hoc respondet Caietanus, *vbi suprà, & in quæst.94. art.1.* quòd talis incurrit in excommunicationem; quia actus ille exterior apostasiæ est per se illicitus, & imperatus à voluntate, cùm cadat super materiam indebitam: ergo excommunicatio lata simpliciter in apostatam, illum etiam actum comprehendit.

Respon. Caiet.

Verior sententia. Nauarr. Sylvest. Tabiena.

Nihilominùs contraria sententia est communior, & verior, quam tuetur Nauarrus *in Man.c.11. num.25.* Sylvest. verb. *apostasia, num.4.* Tabiena verb. *hæreticus, num.2.* & verbo, *apostasia, num.3.* Ratio est; quia, vt rectè Nauarrus argumentatur, apostata merè exterior, non verè committit peccatū apostasiæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm non simpliciter recedat à fide; sicut nec is verè admittit peccatum hæresis, qui verbotenùs dicit aliquid contrarium fidei: ergo talis non est censendus in foro conscientiæ incurrere excommunicationem latam in apostatas, sicut nec hæreticus exterior. Dixi (*in foro conscientiæ:*) quia in foro exteriori aliud est dicendum: nempè quod tanquàm excommunicatus debet vitari, & si ad Ecclesiæ gremium reuertitur, tanquàm excommunicatus debet absolui à censura.

Apostata ab obedientia quis.

5 Apostata ab OBEDIENTIA, loquendo de Religiosis, est quando quis non vult dimittere religionem simpliciter, quam professus est: sed fit rebellis alicui Superiori, nolens ei obedire. Nam licèt subditus in multis non teneatur Superiori obedire; vt latè tradit D. Thom. *vbi supr. quæst.* 104. *art.* 5. *& ibi Caietanus*, quale est præceptum contrarium iussionibus Superioris iubentis; scilicet Dei, Papæ, Ecclesiæ, aut alterius, *cap. si dominus, qui resistit.* 11. *quæst.* 3. Quale est illud, ad quod iubentis potestas non se extendit, vt sunt actus omninò interiores, quibus non est opus præceptis exterioribus. Qualis est reuelatio peccati omninò occulti, *cap. erubescant, trigesim. secund. distinct.* & iteratio confessionis legitimæ, vt dictum est suprà pluries. Quales sunt asperitates Religionis, ad quas nec expresè, nec tacitè Regula extenditur, *cap. gesta.* 74. *distinctio.* nisi in pœnam contumacia, vel alius delicti imponantur; *cap. dilectus. 2. ic. quoniam. de simonia.*

Nihilominùs semper subditus tenetur obedire suo Superiori, & in nostra Regula. *cap.* 10. habetur; *Fratres verò, qui sunt subditi, recordentur, quòd propter Deum abnegauerint proprias voluntates. Vnde firmiter eis præcipio, vt obediant suis Ministris in omnibus,*

bus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ. Quæ verba optimè explicat noster Politius in sua expositione super Regulam.

Rebellis se à Commiss. General. an sit apostata.

6 Dubitatur hîc; An se rebellans ab obedientia Commissarij Generalis sit dicendus apostata ab obedientia, & tanquàm talis debeat puniri? Resp. quod sic; quia in Prouincia, vbi exercet suam iurisdictionem, est Superior.

Miranda.

7 Ponam hîc ea, quæ refert Miranda *in suo Manuali Prælatorum, tom. 2. quæst. 15. artic. 1.* de Commissarijs Generalibus, quando à Generalibus mittuntur: nempè quòd Gregorius XIII. in quodam motu proprio, qui incipit; *Quoniam*, sub dato Romæ die 8. Aprilis 1575. expresè prohibet, ne Commissarijs Generalibus quispiam audeat resistere. Vbi per excommunicationem, ipso facto, incurrendam sedi Apostolicæ reseruatam, & sub pœna priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, vel alia quæcumque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis, tam actiuæ, quàm passiuæ eo ipso incurrendis pœnis, præcipitur: ne quis Prouincialis, aut Guardianus, vel cuiuscumque alterius gradus Religiosus, aut Religiosa ordinis Minorũ ab ipso Ministro Generali missis ad visitãdas Prouincias, Commissarijs resistere, nec eis se opponere, aut contradicere, seu rebellem exhibere ipsis, quacumque de causa, aut quæsito colore nõ recipiẽdo audeat, nec debeat. Hæc ibi.

Gregorius XIII. contra rebellantes se à Commiss. General.

Sub prætextu studendi non licet à Superioribus se rebellare. Pij II. prohibitio.

8 Quin, quòd neque sub prætextu studendi licitum est vnquàm inferioribus, à suis Superioribus se rebellare: alioquin in grauissimas pœnas incurrunt. Vnde Pius II. præcipit Generalibus quatuor Ordinum Mendicantium, quatenùs omnes,

& singulos eorum ordinum professores, qui spiritu rebellionis assumpto, Prælatis suis obtemperare, eorúmque salutares correctiones, & disciplinam effugere, aut despicere præsumpserint: &, vt impunè hoc faciant, Rectorum, seu Gubernatorum, & Conseruatorum studiorum præsidia, & patrocinia implorauerint, prætendentes se exemptos ab ipsorum ordinis iurisdictione, & potestate, ac correctione cuiuscumque gradus, vel conditionis existant; nisi (*canonica monitione præmissa*) ab huiusmodi resipuerint, & debitam à prædictis Generalibus, pro commissis pœnitentiam humiliter susceperint, ac mandatis eorumdem Generalium efficaciter obtemperare studuerint: auctoritate Apostolica denuncient, & ab aliis, vbi, & quando, & quoties expedierit, denunciari faciant, prædictos fratres excommunicatos esse, & ab omnibus Magisterij, Bachalariatus, Lectoratus, Biblistatus officijs, aliisque dignitatibus, & honoribus dictorum ordinum exutos fore: & insuper, si eorum contumacia, proteruitas, vel rebellio id exegerit, carceribus ad pœnitentiam peragendam intrudi faciant: donec ad eos reuersi salutaribus monitis, & mandatis se subiecerint, & à prædicta excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere. Vide *comp. Priuil.* verbo, *studentes fratres.* §. 4.

Compend. Priuileg.

9 Apostata à Religione est ille Religiosus, qui exit à Religione. Sed quia exitus à Religione multipliciter potest euenire: scilicet vel transeundo ad aliam Religionem, vel vt subueniat parentibus in necessitate constitutis, vel vt recurrat ad Superiorem, vel vt vagetur: & hoc tam cum habitu, quàm sine habitu: de singulis dicendum est, vt sciamus, quando talis Religiosus egrediens à sua Religione

Apostata à Religione quis.

Exitus à Religione multiplex.

ne sit verè apostata, & excommunicatus, & quando non.

Transiens ad aliã Religionẽ non est apostata.

10 Primò igitur potest euenire, vt Religiosus egrediatur à sua Religione, & ad aliam transeat: & tunc simpliciter dico, quòd talis non potest dici neque apostata, neque excommunicatus: quia ille Religiosus est Apostata, qui cùm sit professus, deserit Religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, cum animo non redeundi ad suam. De qua re vide D. Thom. & Caiet. *vbi supra*, & Nauarr. *in 5. lib. consil. de Apostat. consil. 1.* vbi ait: *Apostata à Religione dicitur Religiosus, expressè, vel tacitè professus, qui deserit Religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, cum animo non reuertendi ad suam.*

D. Thom. Caietan. Nauarrus.

11 Cui consequens est, nullum Religiosum, qui transit ad arctiorem, petita, licèt non obtenta, licentia Superioris, esse apostatam: quia eius transitio non est criminalis, siue mortifera, *per cap. licet, de regular.* Consequitur item eadem ratione, nullum translatum ad aliam Religionem, vel alium locum, mediante dispensatione legitima, esse apostatam: vt extrauag. *viam ambitiosæ, de regul. sub finem*, probat. Nec consequenter, qui est translatus ad Episcopatum, iuxta *Clem. 1. de elect. & cap. stat. 18. q. 1. cap. cum olim, de priuileg. & cap. si quis iam translatus, 21. q. 2.* Nec institutum perpetuò in aliqua Ecclesia, qui desinit esse claustralis, *iuxta gloss. singul. & memor. in Clem. 1. §. ad hæc, de stat. monach.* Hucusque Nauarrus.

Dubium. *An licitè Regularis transeat de vna Religione ad aliam*

12 Circa quã materiã occurrunt aliqua dubia. Primum quorum est, an liceat Religioso ex vna Religione ad aliam transire? Respond. quòd iure communi canonico licet: vt colligitur *ex cap. statuimus, & cap. mandamus, 19. q. 13. & cap. licet, cap. significatum, cap. non est vobis, & cap. sanè, de regular.* dummodò

Respond.

modò studio tutioris, melioris, & sanctioris vitæ transitus fiat: vt apertè definitur *in cap. licet, vbi supr.* & docet S. Thom. *vbi supr. q.* 198. *art.* 8.

S. Thom.

Dubium. *Religio perfectior quæ.*

13 Secundum dubium est, an hic transitus verè concedatur ex eo, quòd Religio, ad quam fit transitus, sit perfectior, & altior, & fructuosior, vel sanctior: an solùm, quia sit arctior, seuerior, & durior?

Resp. D. Thom. Paludan. Antonin. Syluester. Tabien.

D. Thom. *loco cit.* tenet primum: & ipsum sequuntur Palud. *in 3. dist.* 38. *q.* 3. *art.* 1. Antonin. 3. *par. tit.* 6. *cap.* 4. *ad finem.* Syluest. verbo, *Religio* 4. *q.* 1. Tabien. verbo, *Religio, q.* 23. & alij.

Ioan. And.

At Ioannes Andreas *in cap. sanè, de regular.* tenet secundum: & ipsum sequuntur omnes Canonistæ, & idem habet Angelica, verbo, *Religiosus, num.* 35. Rosella, *Religio* 4. *num.* 1. & in prædict. cap. licèt clarè habetur decisio huius dubij, dicitur enim sic: de arctiori vita, & sanctiori, ad quam licet transire à laxiori: & si in vna Religione sit sola contemplatio cum arctissimo viuendi modo, possibili tamen, sine proficiendi modo, non admitteremus transitum ad Religionem, ad quam viget contemplatio, actio, & etiam contemplationis officium cum laxioris vitæ instituto: quod tamen Theologi admitterent. Vide Ioannem Andream prædictum.

Vnde cum iure magis congruere videtur, transitum huiusmodi concedi: quia arctiùs, & duriùs Religionis institutum suscipitur, quàm quia perfectiùs, & fructuosiùs: vt constat *ex cap. licet, vbi suprà.*

Cóc. Trib.

& *in cap. virgines,* 20. *q.* 4. dicitur ex Concilio Triburensi: Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasteriũ pergere disposuerint, idémq; commanere decreuerint Synodus concedit. *Hæc ibi.* Igitur, ad strictiorem & arctiorem Religionem de iure potest quis transire.

14 Tertium

14 Tertium dubium est, an ad laxiorem liceat transire? Dubium.

Resp. *Ad laxiorē licitus est transitus aliquando.*

Ad quod respondeo, quòd sic, duplici ex capite: tum si in priori Religione, alioqui strictiori, Regula, aut constitutiones non seruantur: sic Innocent. & Panormit. *in cap. licet, de regular.* & in alia Religione, alioqui laxiori, Regula, & statuta seruantur: tùm etiamsi causa legitima interuenerit: nempe quòd Religiosus sit semper infirma, aut incommoda valetudine: & si odio habeatur à cæteris fratribus, aut indigne, & malè tractetur.

Quibus causis, & aliis iustis, & debitis quibuslibet remotis, Romanus Pontifex solus potest facultatem transeundi concedere, secundùm gloss. Itaque non dicitur apostata, non solùm ille Religiosus, qui à laxiori ad strictiorem transit Religionem, cùm id de iure ei concedatur: sed neque ille, qui à strictiori ad laxiorem accedit: cuius ratio est, quia non deserit Religionem in genere, sed in specie. Vide Innoc. communiter receptum *in cap. intellexi-* Innocent.
mus, in fin. de ætat. & qualit. ordin. Abb. *in cap. fin. nu.* 4. Abbas.
de apostat. & in cap sanè, num. 6. *de regular.* Caietan. Caietan.
2. 2. *q.* 21. *art.* 1.

15 Quartum dubium est, an nos fratres Minores S. Francisci Capuccinorũ iure possimus transire ad Carthusianos? & è contrario Carthusiani ad nos? Respondeo, quòd de hac quæstione Nauarr. *consil.* 68. *de regular.* citat Syluest. *Religio.* 4. *q.* 6. qui testatur in Academia Parisiensi Theologorum, & Canonici Iuris Doctorum sententia Decretum esse, licere Carthusiano transire ad Dominicanos, plenè, & perfectè suam Regulam, & constituriones obseruantes. Dubium. *An Capuccinus licitè transeat ad Carthusianos.*

Quòd si ita est, licebit etiam Carthusiano ad nos

Capuccinos transire, cùm nostrum institutum sit Carthusianorum Regula durius, & arctius. Vnde Nauarrus tradit, tuta conscientia liberũ esse transitum ex alterutro prædictorum Ordinum: dummodò fiat studio, & amore vitæ melioris, & perfectioris, & citra omnẽ offensionem, ac litem inter illos.

Respons. Ad dubium ergo propositum dico, quòd iure communi permittitur transitus ex Mendicantibus ad Carthusianos: vt constat per extrauag. *viam ambitiosæ. de regular.* inter omnes.

An Carthusianus licitè trãseat ad nos Capuccinos Sylvester. Nauarrus D. Bonau.

16 De transitu verò Carthusianorum ad nos, licèt in iure nihil sit expressum: nihilominùs ex dictis per Sylvestrum, & Nauarrum, & ex iis, quæ habet D. Bonau. *in Opusculo de determinationibus quæstionum, super nostram Regulam, cap.* 12. *&* 13. licet transire; cùm asserat Seraphicus Doctor, quòd ex quolibet Ordine possunt Religiosi transire ad Ordinem S.P.N. Francisci, & ex Ordine nostro Religiosi non possunt ad alium Ordinem migrare. Sed pro hoc faciendo, consulenda est semper sancta Sedes Apostolica. Et hæc de primo modo exeundi à Religione.

An Religiosus possit exire, vt subueniat parẽtibus. Politius. D. Thom. Alens.

17 Secundò, potest exire Religiosus à Religione, vt subueniat suis parentibus in necessitate constitutis: & tunc statim se offert dubium, an licitè id possit facere. De qua re vide quæ fusè habet Pater Politius super Regulam *cap.* 2. *nu.* 46. *vsque ad nu.* 56. D. Thom. 2. 2. *q* 101. *art.* 4. *& quodlibet.* 3. *art.* 16. cum Alexand. de Alens. 3. *par. q.* 33. *in* 4. tenet partem negatiuam, cùm post professionem habeatur quasi mortuus mundo, & viuat Deo. Sylvester tamen verbo, *Religio.* 6. §. 9. distinguit: nam aut pater, aut mater erant in necessitate, antequàm filius ingrederetur Religionem, aut non. Primo casu concluditur, quòd filius teneatur exire extra claustrum ad subueniendum eis, cum limitatione tamen, nempe si filius existens in claustro, non possit ei subuenire: quam opinionem sequitur Nauarr. *in Man. c.* 14. *num.* 14. Ratio est, quia tunc erat obligatus patri, nec poterat alteri se obligare voto cum tanto præiudicio patris. In secundo verò casu, minimè tenetur: cùm sit Deo astrictus per votum. *Sic communiter.*

Nauarrus verò *in consilijs de apost. consil.* 1. ait, quòd Religiosus non solùm potest exire à claustro ad subueniendum parentibus in necessitate constitutis, ante suam professionem: verùm, & quando ad talem necessitatem peruenerunt post eius professionem. Imò quòd ad id sufficit auctoritas sui Generalis, aut Prouincialis: & multò magis si habet facultatem à sanctissimo Domino. Qui ergo sic exit à Religione pro subuentione suorum parentum, nullo pacto potest dici apostata.

An Religiosus possit exire, & pergere ad Superiorem ob iustum grauamen. Respons.

18 Tertiò potest exire Religiosus à suo Monasterio, vt eat ad Superiorem, ob iustum grauamen: & tunc oportet videre, an id faciens sit apostata, vel excommunicatus?

Ad quod respondeo cum communi, quòd non, per ea, quæ habet Bald. *in cap. ad nostram, de appellat.* De qua re fusè infrà agemus in explicatione tertij casus ibi: *dubitatur secundò.*

Sed hoc intelligitur in foro conscientiæ, nam in foro exteriori, & Ecclesiæ, quæ non iudicat de occultis, aliter est dicendum. Vnde Religiosi recedentes à suis Monasteriis sine suorum Prælatorum licentia, in foro exteriori sunt excommunicati: & vt tales debent reputari, vt constat ex multis summis Pontificibus, quorum aliqui concesserunt Superioribus Religionis, vt possint tales excommunica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re: & de facto per noſtra ſtatuta excommunicati declarantur, & vt tales abſoluuntur ab excommunicatione: vt Innocent. VIII. & alij, quos paulò infra referam: & vt tales denunciãtur omnes apoſtatantes à noſtra Religione, & in eorum receptione ab excommunicatione abſoluuntur.

Aliqui verò alij ſummi Pontifices ipſimet expreſsè tales excommunicant: ſic Paulus IV. & Pius IV. qui ſpeciales conſtitutiones ediderunt, quibus excommunicari iubent: quin verò, & excommunicati ipſo facto eſſe declarantur omnes, & ſinguli Religioſi cuiuſcunque Ordinis, & conditionis exiſtant, qui poſt ſolennem profeſſionem factam, ſine ſuorum Prælatorum licentia, quouis prætextu, & cauſa, temerario auſu extra ſuorũ Monaſteriorum clauſtra diuagantur.

Religioſus exiẽs à Monaſterio animo vagandi ſiue cũ habitu, ſiue ſine eo, eſt apoſtata, & incidit in caſũ reſeruatũ.

19 Quartò, poteſt exire Religioſus à Monaſterio, vt vagetur: & hoc duplici modo poteſt euenire, vel cum habitu, vel ſine eo: & quocunque modo id faciat, eſt apoſtata, & incidit in caſum reſeruatum. Sed eſt magna differentia inter vnum, & alterum modum: nam quando recedit à Religione habitu dimiſſo, incidit etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, *cap. 2. ne Clerici vel Monach. in 6. & ibi Doctores.*

Exiens habitu dimiſſo eſt etiã excommunicatus.

20 Quando verò habitum retinuit, eſtò, quòd animum non reuertendi habuerit, neque tranſeundi ad aliam Religionem, licèt peccet mortaliter, & incidat in caſum reſeruatum: non tamen eſt excommunicatus. Sic de iure. Et licèt Caietanus *in 2.2. q. 12. art. 1.* & Sylueſt. verbo, *apoſtaſia*, §. 9. & Azorius *in 1. part. lib. 12. cap. 17.* dicant, quòd etiam, qui habitum retinet, dummodò vagetur, eſt excommunicatus: nihilominùs contraria ſententia eſt verior de

Exiẽs verò cum habitu non eſt excommunicatus.
Caietan.
Sylueſt.
Azorius.
Verior ſententia.

de iure: nam re vera nulla ſtat in iure excommunicatio aduerſus apoſtatas à Religione: niſi illa, quæ habetur *in cap. vt periculoſa, ne cler. vel monach. in 6.*

Sed in illa tantùm excommunicantur, qui temerè dimittunt habitum ſuæ Religionis: ergo cùm prædicti Religioſi non dimittant habitum, non incurrunt hanc excommunicationis pœnam de iure.

Apoſtatæ ſunt infames iure.
Bannes.
Stephan.
Valentia.
Nauarrus.

21 Sunt tamen iſti infames in iure, nec poſſunt eſſe teſtes, nec accuſatores. Sic tenet Bannes *in 2. 2. q. 12. art. 1.* Sic Stephanus Quaranta *in ſuo compend. Bullarij.* verbo, *Apoſtaſia.* Sic Valentia *3. part. diſp. 1. q. 12.* Nauarr. *in Comment. 2. de regular. num. 61.* cuius hæc ſunt verba: *Per ſolum exitum temerarium, & ſine legitima cauſa, non incurritur iure communi excommunicatio: modò non relinquatur habitus, nullo enim iure id cauetur.*

Apoſtatæ etiãſi deſerãt habitũ, ſunt excõmunicati ex priuil. compend.

22 Bene verum eſt, quòd ex Priuilegiis habent Religioſi; vt apoſtatæ, etiam, quòd deferant habitũ, ſunt excommunicati: vt eſt videre *in compend. priuileg.* verbo, *apoſt. ab ordine, per totum:* ſingulariter tamen Bonifacius VIII. concedit Prælatis Ordinis Minorum; vt apoſtatas, & inſolentes dicti Ordinis, niſi ſalubribus monitis Prælatorum Religionis acquieſcant, excommunicare, capere, ligare, & carceri tradere (ſi videbitur expedire) poſſint, & valeant: & Innocentius VIII. ſtatuit, quòd quicunque frater Minor Regularis obſeruantiæ abſque licentia Generalis, vel Prouincialis ſui præſumpſerit recedere ab eorum obedientia ſeu apoſtatare, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ligatus ſit.

Idem eſt conceſſum Societati Ieſu à Pio V. & Gregorio XIII. Vide Compend. priuileg. *vbi ſupr.*

Dubitatur autem, eſto, quòd de iure non ſit excommu

Dubium.

communicatus ille Religiosus,qui cum habitu negatur:sed bene,qui sine habitu: An idem dicendum sit de eo, qui ita defert habitum occultatum, seu coopertum, vt nullo modo cognoscatur pro Religioso talis Ordinis?

Respons. *Apostata deferēs habitū occultum,est excommunic.* Valentia. Bannes. Caietan.

23 Et ad hoc respondeo affirmatiuè cum Valentia,cum Bannes,& Caietan.*vbi suprà*:nam ad effectum incurrēdi hanc excommunicationem,idem est dimittere habitum proprium, & illum ita occultare, superinduendo alium, vt nequeat quis cognosci tanquàm Religiosus talis Ordinis.

Nam,vt optimè inquit Caietanus, qui eo modo tegit habitum,quamuis non dimittit eum materialiter,dimittit tamen eum formaliter,id est,in ordine ad notitiam hominum:quem modum dimissionis voluit in primis Pontifex prohibere sub illa excommunicatione:vt patet ex fine,quem sibi proposuit,scilicet,vt periculosa vagandi occasio Religiosis subtrahatur. Ita etiam sensit Gloss. *in Clem. 2. de vita & honest. cleric.* quanquam contrarium sensit Panormitan.*in cap. Deus, qui,extra de vita, & honest. cleric.*Sed sine firma ratione.*Hæc Gregorius de Valent.*

Gloss.

Dubium. *Dimittens per breue spatium in Monasterio habitū, an sit excom.*

24 Dubitatur præterea, an Religiosus manens in Religione,& dimittens habitum, vel vt se lauet, vel propter calorem, incidat in excommunicationem? Respondeo,quod Angelica *vbi suprà*, negat, eò quòd putat hanc iuris pœnam non contrahi,nisi Religiosus habitum, extra cœnobium, dimittat: nam in præcitato cap. *vt periculosa*, dicitur: *Qui in scholis, vel alibi,vel quouis alio loco dimittit*: satis esset, inquit Angelus,si diceretur:Qui alicubi,vel quouis alio loco dimittit. Et quoniam in eod. cap. etiam causa redditur, vt periculosa euagandi occasio Religiosis præcidatur.

Sylvester

Sylvester tamen, Rosella, & Nauarrus *cap.27. num.131.* sentiunt, eum etiam esse excommunicatum. Sed distinctione opus est: nam talis habitus dimissio vel fit ad modicum tempus, vel ad multum; si primo modo, vt scilicet quis se lauet, vel ob calorem, & à sæcularibus non videatur, sic est vera prima opinio: si verò talis dimissio est pro tempore notabili ad iudicium boni viri,tunc dico, quòd est vera secunda opinio. *Auctoris sententia.*

Caietan. *Excōm. vt incurratur, tres conditiones concurrere debent.*

25 Vnde sciendum, quòd vt rectè adnotat Caietanus *in summa*, verbo, *excommunicat. cap.61.* explicans capitulum illum, *vt periculosa*, tres conditiones debent concurrere ad hoc, vt talis excommunicatio incurratur. Prima, vt verè quis censeatur dimittere habitum propriæ Religionis, vel in perpetuum, vel ad tempus: ita scilicet, vt versetur in alio habitu, sic vt ex habitu non cognoscatur esse Religiosus talis ordinis. Secunda, vt temerè dimittat, id est absque causa rationabili: quia si iusta causa faciat, in excommunicationem non incidit; veluti exempli gratia, vestem lauandi, aut mundandi, vel ob causam morbi: vel, vt ait Gloss. ab aliis recepta, metu mortis, vel periculi, aut mali,alioqui grauioris; captiuitatis scilicet,seruitutis, carceris, ignominiæ,dedecoris: vt si Religiosus per loca Turcarum, Saracenorum, Hæreticorum, vel aliorum Christiani, aut Religiosi nominis hostium transiret. Tertiò, vt talis sit dimissio, quæ attentis circumstantiis sit apta ad periculosè vagandum: hoc enim voluit impedire summus Pontifex per illum textum.

Dubium. Respon. *Apostatis nō licet ce-*

26 Dubitatur tertiò; An liceat apostatis celebrare, prædicare, docere, vel confessiones audire? Respondeo quòd non, nàm quantum ad celebrationem

lebrare, alioquin incidunt in irregularitatem: sed neque prædicare, aut confessiones audire.

tionem Missarum non possunt: alioquin incurrent in irregularitatem, & ratio est; quia iam sunt excommunicati, vt paulò antè dictum est, & celebrans in excommunicatione fit irregularis, vt est in confesso apud omnes.

De reliquis verò actionibus, prædicare, docere, aut confessiones audire, extant quàm plurima Priuilegia, quæ id prohibent. Innocentius IV. districtè prohibuit, ne egressi ab Ordine Minorum proprio suo motu, aut expulsi pro suis culpis, & demeritis, præsumant prædicare, aut docere, vel confessiones audire: nisi de licentia Papæ, aut Prælatorum nostrorum ad alium ordinem transierint. Et voluit, quòd si fortè contra huiusmodi prohibitionem aliquid attentauerint, possint Generales, & Prouinciales ordinis in illos excommunicationis sententiam promulgare. Idem concessit Clemens IV. vide comp. *Priuileg. tit. apostatæ ab ordine.§.2.& 11.*

Dubium. Respon. Cardin.

27 Dubitatur quartò; An Religio habeat ius expellendi aliquem Religiosum ab ordine? Respondeo, quòd Cardinalis in Clemen. *ne in agro. §. quia verò, de stat. Monach.* sentit, ob nullum crimen posse, iure communi à Monasterio Monachum eijci; etiamsi contumax sit, & obedire recusauerit, & corrigi, ac emendari noluerit. Id ille colligit *ex cap. impudicas. 27. quæst. 1. cap. ne Religiosi. de regular.* quæ iura derogare videntur Regulis Religiosorum cõcedentibus facultatem deijciendi Religiosum. Sed communi est sententia receptum illud, quod S. Bonauent. *in opusc. de determinationibus quæstionum circa Regulam S.P.N. Francisci, c. 14.* Numbertus *in expositione Regulæ S. Augustini. cap. 99.* Turrecremata *in exposit. Regulæ S. Benedicti tract. 88.*

Religiosus incorrigibilis, & inobediens potest expelli à Religione.
S. Bonau.
Numbert.

tradiderunt; scilicet, posse expelli eum, qui obedire, & corrigi noluerit; vt expresè docuerunt Angel. in verb. *Abbas, quæst. 18.* Sylvest. *Religio. 6. q. 17.* Tabien. *eod. quæst. 45.* Armilla *Religio. num. 28.* sancti Thomæ auctoritate permoti, qui *in quodlib. 12. qu. vlt.* ait; Quoniam secundùm Apostolum malum est auferendum, ne totam massam corrumpat: ideò Monachus si corrigi, & emendari noluerit, cùm contumax est, meritò expellitur. Quæ opinio & cum iure ipso, & cum Regulis Religionum congruit: denique cum ratione ipsa, nam *in cap. fin. de regul.* tanquàm certum ponitur id iure fieri posse, & solùm ibi statuitur; vt fugitiui, & eiecti reducantur: Et Regula S. Benedicti apertè concedit, *cap. 29.* Monachum semel, & iterum fugientem è Monasterio posse recipi, si de peccato dolens, reuertatur: at si tertiò recesserit, eum non amplius admittendum. Imò etiam manifestè præscribit, Monachum, qui sæpè admonitus sese non emendauerit, ferro abscissionis esse eijciendum; ne vna ouis morbida totum gregem contaminet.

Angelica. Sylvest. Tabiena. Armilla.

Deinde subiungit hæc verba; frater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur è Monasterio, & reliqua. Regula quoque S. Augustini, facultatem, & ius tribuit Monachum eijciendi: Et ita est vbique in vsu positum; vt Religiosi ob certa crimina per sententiam è Monasterio expellantur. Decernit enim prædicta Regula, si quis emendatoriam subire vindictam recusauerit, de vestra societate proijciatur, non enim hoc fit crudeliter: sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Pro nostra quoque Religione Minoritana extat Priuilegium Alex. VI. qui dat facultatem Generali de per se, & Prouincialibus cum consensu diffinitorum,

S. August.

rum,& maioris partis Capituli Prouincialis,fratres dicti ordinis,quos incorrigibiles repererint,habitu expoliare valeant,& ab ordine eijcere. Vide compend Priuileg.verbo,*eijcere*.§.4.

Tria sunt necessaria, vt quis iustè eijci possit à religione.

28 Tria autem sunt necessaria,vt quis iustè eijci possit à Religione, & habitu priuetur. Primum, vt talis electio fiat propter crimina, pro quibus de iure communi essent ad mortem damnandi,perpetuo carceri mancipandi, vel in perpetuum, vel ad tempus ad triremes relegandi, vel condemnandi: vel in aliis delictis grauissimis inobedientiæ,& contumaciæ, non autem pro quocumque peccato mortali. Secundum, vt fiat à Capitulo Generali, vel ab ipso Generali cum voto decisiuo diffinitorum. Tertium, vt electio fiat, seruatis seruandis, id est, causa cognita, & per sententiam diffinitiuam; ita docet Nauarr. *cons.*50. *de regul.* Graffius *cons.*5 *de regular.num.*19. Archidiac. *in cap.peruenit. in fin.*27.*quæst.*1. Obijciet quis declarationem quandam Illustrissimorum Cardinalium super Concil. Trident.quæ circumfertur in hæc verba.

In posterum nemo Regularium eijciatur à Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis: sed peccantes, à Superioribus ignominia, & carcere castigentur,& acriùs etiam, si ipsis visum fuerit,pro modo delictorum puniantur.

Vide Politium, in c. 2. Reg.sub n.92.

Sed per hanc declarationem non reuocantur priuilegia supradicta: vnde stant in suo robore, & declaratio procedit contra Regulares, qui non gaudent supradictis priuilegiis. Vide etiam de hac re doctrinam S. Bonau.in qq. super Regulam fratrum Minorum,q.14. quam refert etiam Collector Priuileg. ordinis Minorum in eius compendio,sub tit.*eijcere post* §.*quartum*,quem omnino vide.

Sed placet hîc ponere de verbo, ad verbum Epistolam

stolam quandam pulcherrimam D.Bernardi de hac materia differentis,quæ in ordine est 120.

EPISTOLA D. BERNARDI.

Epistola aurea D.Bernardi.

29 Super fratre turbato, turbante fratres, & contemnente Magistrum,breue tibi, sed fidele damus consilium. Diaboli studium est circuire in domo Dei, & quærere quem deuoret: tuæ è contra vigilantiæ, in quantum potes, nunquàm locum dare diabolo. Quantum igitur ille acriùs insistit, quò à grege infirmam separet ouiculam:quatenùs eò licentiùs rapiat, quò non fuerit, qui eripiat; tantò enixiùs tibi, quantum in te est, resistendum est, ne de manu tua possit eum eruere, ne quando dicat inimicus;prævalui aduersus eum. Itaque aggredere fratrem, omni officio charitatis: videlicet, beneficiis, salutaribus monitis, secretis increpationibus, publicis exhortationibus: duris etiam & verberum, & verborum correptionibus; quódque efficaciùs esse solet,tuis ad Deum pro eo, fratrúmque pijs orationibus. Quòd si iam hæc omnia feceris,nec profeceris,ad Apostoli consilium confugiendum est, dicentis: *Auferte malum ex vobis.* Auferatur ergo malus, ne malos generet. Neque enim potest arbor mala: nisi fructus malos facere. Auferatur autem dico: sed non quomodo ipse vult; vt videlicèt tanquàm ex tua licentia eum malè secura conscientia, extra Congregationem, contra professionem,deuitans subiectionem, sui iuris esse, sua permittatur viuere lege: sed abscindatur, vt ouis morbida à grege, vt putridum membrum à corpore, qui iam exinde se pro certo nouerit à te haberi tanquàm Ethnicum,& Publica-

num. Et ne timeas esse contra charitatem, si vnius ejectione scandalum multorum recompensaueris pace; quippe qui fortè sua malitia fratrum cohabitantium turbare facilè poterat vnanimitatem. Consoletur te illa Salomonis sententia; *Quem Deus negligit, nemo potest corrigere. Eccl.7.* & illa Saluatoris; *Omnis plantatio, quam non plantauerit Pater meus, eradicabitur*, & illa B. Ioannis Euangelistæ de Schismaticis; *A nobis exierunt: sed non erant ex nobis*, & rursus apud Apostolum. *Infidelis si discedit discedat.* Alioquin non est relinquenda virga peccatorum super sortem iustorum; vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Meliùs est enim, vt pereat vnus, quàm vnitas. *Hæc mellifluus Bern.*

Dubium. 30 Quintò, & vlt. dubitatur; Ad quidnam teneantur sic expulsi? & si nullam aliam Religionem ingrediantur; An teneantur sese Episcopo offerre, vt in eius sit cura, & potestate, cuius mandatis, & iussis parere vi voti cogatur? Respondeo, Respond. quòd Nauarrus *in c.2. de regul. num.* 35. ait, id ab eo fieri oportere, cùm tribus sit votis Religionis obstrictus; ac proinde debet esse in Episcopi potestate, vt ei tanquàm Præposito, & Superiori obediat. Verùm id Nauar. non roborat firmo fundamento: nam professus solemni more Religionem, sese voto obstringit, quo promittit, se perpetuò obediturum Superiori illi, ac eius successoribus, non alijs. Si igitur per iustam sententiam extra Monasterium emittitur, vi, & ratione voti non cogitur alteri: quare satis est, si Episcopo instar aliorum Clericorum obtemperet.

Præterea, eiusmodi Religiosus electus non cogitur; vt etiam Nauar. fatetur, vi voti ad aliam Religionem transire, quia id non vouit: ergo nec compelli

compellitur vi voti Episcopo se offerre; vt in eius cura, & potestate speciali sit, tanquàm Religiosus. Accedit quòd id vsu, & more nunquàm seruatur. Postremò, eiusmodi Religiosus electus quamuis absque Religione sit, quia est è Religione per iustam sententiam depulsus: est tamen verè, & propriè Religiosus, sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus, verè, & propriè est Episcopus. Ita Religiosus; quia est tribus votis adstrictus, debet eo animo esse, vt Superiorum iussis obtemperet: quandocumque erit in Superiorum cura, & potestate constitutus, sicut Episcopus, quando erit in suo Episcopatu.

Casus reseruatus de apostasia quando habet locum.

Ex dictis concludimus, quòd casus reseruatus intelligitur de vero apostata: de eo scilicet, qui expresè, vel tacitè professus deserit Religionem, quam professus est sine transitu ad aliam, & cum animo non redeundi ad suam. Et licèt summus Pontifex dicat, *siue habitu dimisso, siue retento*, hoc inquam, dicit, vt declaret, tàm vno, quàm alio modo egressionem à Monast. per apostasiam, esse casum reseruatum. Dicit insuper summus Pontifex; *Quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.* Hoc, inquam, intelligitur, non de eo, qui per aliquot passus sine licẽtia Prælati egreditur Monasteriũ, statim reuersurus; quia nõ videtur egressus ille mortifer, & exiguitas in omni materia excusat à mortali; vt toties dictum est.

Sed intelligitur de eo, qui extra septa Monasterij egreditur notabiliter, ad iudicium boni viri, & cum animo apostatandi. Et hæc de apostasia à Religione. De apostasia verò à Clericatu, & ab Ordine nihil hîc scribimus; poterit, qui voluerit, videre Bann. Valentiam, & Azorium.

Bannes. Valentia. Azor.

APPENDIX AD CASVM SECVNDVM.

Instructio de ijs, ad quæ tenetur eiectus à Religione.

SVMMARIVM.

1 *Expulsus de expulsione dolere debet.*
2 *Non tenetur simpliciter ad Religionem redire. Quòd si reuerti voluerit, quid faciendum.*
3 *Talis eiectus non tenetur aliam Religionem ingredi.*
4 *Talis eiectus manens in sæculo, non est simpliciter absolutus à tribus votis.*
5 *Expulsus an teneatur ad dicendũ diuinum officium.*
6 *Talis eiectus de iure non prohibetur promoueri ad ordines.*
7 *Talis eiectus non est necesse, vt ad Episcopum sui domicilij recurrat.*

Sot. *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *artic.* 1. *vers. superest.*

1 DOlere debet de tali expulsione, tenetúrque se emendare, & in viam redire, quoniam cùm ex culpa sua expulsus fuerit, quandiu in illa perseuerauerit, in periculo versabitur. Si autem correcta vita ad claustra rediens, non admittatur, tutus manet in sæculo.

Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 16. ibi, *sexto, & septimò.*

2 Non tenetur autem simpliciter redire; quia eiectus iuridicè, non solùm quando rogat, vt recipiatur in monasterium, & non recipitur: sed etiam antequàm roget, potest manere in habitu clericali: quia de rigore iuris non tenetur ad illud redire. Et licèt Sotus, *vbi suprà*, dicat, quòd saltem tenetur procurare, vt in alia Religione recipiatur: nihilominùs verior est sententia Nauarri,

uarri, asserentis, eiectum publica sententia iudicum ad id destinatorum, posse in sæculo manere: quoniam nunquam vouit aliam Religionem. Nau. *de regul. cõs.* 80.

Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 17. ibi: *primò quæritur.*

Dubitatur verò, an si reuerti voluerit, debeat eum monasterium recipere? Aliquibus videtur, quòd non solùm debeat: sed quòd ad id teneatur, per cap. *ne religiosi, de regular.* vbi Gregor. IX. sic præcipit: *Ne Religiosi vere vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant: & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statuimus, vt præsidentes Capitulis celebrandis secundùm statutum Concilij Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo, requirant solicitè annuatim.* Sed contra hoc esto, quod in Regula S. Benedicti habetur: *Monachum tertiò fugientem, & redeuntem non esse ampliùs recipiendum.* Et idem docet S. Bonauentura *in q.* 14. *super Regulam.* Vnde verior sententia est, eos recipere non teneri. Et quantum ad textum allegatum, Abbas, Cardinalis, Butrius, & alij dicunt, Pontificem ibi loqui de iis, qui iniustè sunt à Religione depulsi: aut de iis, qui sunt ad tempus eiecti: aut denique quòd tali decreto derogatum est per multa priuilegia Regularibus, & nobis Minoribus præcipuè concessa: sic Alex. IV. *in constitut.* quæ incipit: *Iustis petentium.* Sic mare magnum Sixti IV. & illud Alex. VI. *Cùm sit nobis:* vt in Compendio priuilegiorum, *tit. apostatæ*, videri potest. Vel textus suprà citatus intelligitur: quando sine maiori malo, & damno aliorum, huiusmodi pestilentes detineri in Ordine possunt: vel aliàs expedit Religioni, illos apud se non habere: vt bene dicit S. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. & Syluest. *tit. apostatæ, q.* 10. Vtilitas enim communis priuatæ est præponenda: & meliùs est, vt pereat vnus, quàm vnitas: vt inquit

Azor. 1. *p. lib.* 12. *cap.* 17. ibi: *secundò quæritur.*

S.Bernardus,relatus à P.Coriolano *in ſuo tractat. de caſib.reſeru.par.2.tit.apoſtaſia.ſub num.22.*

3 Talis eiectus non tenetur aliam Religionem ingredi,ſi noluerit: quoniam hoc nunquàm vouit, vt rectè Nauarrus,*vbi ſuprà*. Eſt bene in ſua libertate, vt ad quamcunque ei libuerit,ingredi poſſit: ſicuti antequàm eſſet Religioſus. Sic Nauarr. *in com. de regul.num.33.& 34.*& Sotus *vbi ſuprà*.

4 Talis eiectus manens in ſæculo non eſt ſimpliciter abſolutus à tribus votis: nec enim penes Religionem ius eſt, vlláve auctoritas, profeſſum Religioſum voto liberandi: cuius ratio firma eſt, quia regularitas,ſiue monachatus eſt indelebilis:vt docet Nauarr. & ideò obligatus manet ad ſua vota ſeruanda eo modo,quo poteſt.

Nau. *com. 2.de regul. nu.33.* ibi: *ſed eſt dubium.*

Primò ergo quantum ad votum caſtitatis, tenetur ſimpliciter id ſeruare:quia nullam patitur exceptionem, ſeu limitationem. Ad votum verò obedientiæ, licèt Nauarr. teneat, talem ſubiici debere Epiſcopo,non ſolùm eo modo,quo alij clerici: ſed etiam cum voto obedientiæ, eo modo, quo anteà ſuis Prælatis obedire tenebatur. Molina tamen rectè hoc reprobat,& dicit,hanc opinionem eſſe contra praxim Eccleſiæ receptã,& omnino improbabilem:Religioſi enim illi ad aliam obſeruantiam non tenentur ex voto, quàm ad illam, cui ſua ſponte ſe voto aſtrinxerunt: ſua autem profeſſione non ſe aſtrinxerunt obedire extra Religionem Epiſcopo, ſed in Religione Prælatis Religionis.Quò fit,vt eo ipſo, quòd per expulſionem à Monaſterio ab obedientia Prælatorum regularium, & ab obſeruantia Regulæ ſunt liberati, non incidant in aliam obedientiæ obligationem Epiſcopi,quàm in eam, qua clerici, atque alij eiuſdem Epiſcopi illi obedire tenentur.

Nau. *in c. nõ dicatis. not.34.*

Molin. *de contract. tract.2. diſput. 140. p.762.*

Quantum verò ad votum paupertatis,eiectus non poteſt habere dominium, neque proprietatem alicuius rei:ſed quia Religio de rebus neceſſariis ad victum humanum ei non prouidet, licitus eſt ei vſus rerum, quas lucratur vel propria induſtria,vel ex mendicitate, vel alio modo licito. Non eſt tamen licitũ theſaurizare,& multa accumulare: ſed ſolùm quantum ad mediocritatẽ ſufficit. Quarum rerũ proprietas ad Sedem Apoſtolicã pertinet.

Nau.*cõſ.2. de reg. nu. 34.* Azor. 1.*p. li.12.c.17.*

5 Dubitatur hîc,an expulſus teneatur ad dicendum diuinum officium, & ad alia Regulæ præcepta ſeruanda? Reſpondeo,quòd quantum ad diuinum officium perſoluendum,ſi eſt in ſacris,ſimpliciter tenetur:quia recitatio diuini officij annexa eſt ordini ſacro. Si verò non eſt in ſacris, Nauarr. & Graffius tenent, ipſum obligatum eſſe ad diuinum officium perſoluẽdum.Ratio Nauarri eſt,quia Regulares ratione ſtatus tenentur ad perſoluendas horas Canonicas:licèt non ſint ſacris ordinibus inſigniti. Sed verior eſt ſententia Soti, aſſerentis, talem expulſum abſolutum eſſe à perſoluendo diuino officio,atque à ieiuniis, & aliis Religioni annexis: ſiquidem illorum non fecit votum expreſſum, neque ad illa tenebatur,niſi ratione Religionis,à qua cùm ſit expulſus, rectè conuincitur contra Nauarrum, ipſum non teneri: ſiquidem omnia talia ſunt obſeruãtiæ Regulares, ad quas tamdiu quis tenetur,quamdiu in Religione perdurat.

Nauarr. *de her. can.c. 7.num.2.* Graff. 1.*p. deciſ.lib.2. c.24.n.19.* Sot. *lib.7. de iuſt.q.2. art.1. in fine ſolut. 3. argum.*

6 Talis eiectus non prohibetur promoueri ad Ordines, eò magis ſi ſacris initiatus erat; quando fuit expulſus:niſi aliquod impedimentum habeat,à quo per Epiſcopum non poſſit diſpenſari: ſed neceſſariò recurri debeat ad ſummum Pontificem: poteſt enim dari caſus, in quo talis aliquam irregulari

gularitatem contraxerit, vel aliquod aliud impedimentum habuerit.

Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 24.*

Igitur si habeat impedimentum graue, à quo Episcopus non possit illum dispensare, ad summum Pontificem recurrendum est: si verò Episcopus possit, id ei poterit concedere: si verò nullum impedimentum habuerit, poterit, sicut & alij, promoueri: quia licèt apostasia impediat à susceptione Ordinis, hoc prouenit, quia apostata censurâ excommunicationis est innodatus: at talis eiectus nulla censura tenetur: imò cum decreto Superiorum Regularium extra Monasterium reperitur. Bene verum est, quòd per priuileg. Innocent. IV. tales eiecti non possunt prædicare, nec confessiones audire, vel docere: nisi (de licentia Sedis Apostolicæ, aut Ministrorum Ordinis) ad alium transierint Ordinem. Voluitque quòd si contra huiusmodi inhibitionem aliquid fuerit temerè attentatum, possint dicti Ministri in illos sententiâ excommunicationis promulgare. Vide Comp. priuil. *tit. eijcere, §. 1.*

Nauarr. *in cap. non dicatis, nu. 48.*

7 Talis sic expulsus non est necesse, vt ad Episcopum sui domicilij recurrat: vt dixit Nauarr. sed potest se cuicunque Ordinario subdere: vt optimè concludit Rodriquez, *vbi suprà, art. 25.* & est communis theoricè, & practicè. Vide Azor. *1. part. lib. 12. cap. 16.* ibi: *vndecimò quæritur.*

CASVS TERTIVS.

Nocturna è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus curare debet, vt sẽper in Monasterio maneat.*

2 *Mona*

2 *Monasterium est carcer sapientiæ, vbi vincula vota sunt.*
3 *Monasterium carcer est pro Religiosorum custodia.*
4 *Monasterium Paradisus est, ex D. Basilio.*
5 *Religiosus in Monasterio ponitur, vt operetur, & custodiat illud.*
6 *Religiosus in Monasterio est, sicut Iacob supplãtator.*
7 *Religioso è Monasterio exeunti, quamplurima damna eueniunt.*
8 *Clausuræ in Religione vsus antiquus.*
9 *Clausura in Monasterio quid requirit.*
10 *Concilium Aquisgranense de clausura Religiosorum.*
11 *Pro hoc casu tria concurrere debent.*
12 *Egressio quælibet è Monasterio est mala, sed pessima est, quando est nocturna.*
13 *Exiens in crepusculo an incidat in hunc casum.*
14 *Egressio debet esse furtiua.*
15 *Egressio debet fieri extra Monasterium, ideſt, extra septa Monasterij.*
16 *Strictior clausura apud Capuccinos.*
17 *Religiosus fugiens ob nimiam sæuitiam Superioris, non est apostata.*
18 *Religiosus sic fugiens, & ad Superiorem pergens, licitè id facit.*
19 *Concilium Tridentinum declaratur à Nauarro.*
20 *Ex Nauarri sententia licitum est Religioso appellare à correctione Regulari, quando modus exceditur.*
21 *Sixti V. constitutio, ne Regulares absque suorum Superiorum licentia in scriptis, de vna prouincia transeant in aliam.*
22 *Limitatur Nauarri sententia.*
23 *An præfata Sixti constitutio debeat inuiolabiliter obseruari.*
24 *An fugitiui debeant requiri, vt reuertantur.*

25 *Apostatæ, & fugitiui non possunt promoueri ad Ordines.*
26 *Laicus Minoritanus egressus, & in alia Religione ad sacros Ordines promotus, si reuertitur, debet recipi in suo priori statu.*
27 *Dubia de ingressu mulierũ ad clausuram Regulariũ.*
28 *Mulieribus nõ licet ingredi Monasteria Religiosorũ.*
29 *Monasteriorum, domorum, & locorum nomine quid veniat.*
30 *An liceat introducere mulieres in hortum.*
31 *An liceat introducere mulieres in Sacristiam.*
32 *An liceat introducere in Dormitorium mulierem medicam.*
33 *An causa processionis possint mulieres ingredi septa Monasterij.*
34 *An rectè faciat Prælatus Monasterij ordinando aliquam processionem ex intento, vt illius occasione mulieres possint in Monasterium ingredi.*
35 *Pro die ipso quando Ecclesia consecratur, quid obseruandum.*
36 *Religiosi in pœnas prædictas incurrentes, qui.*
37 *Pœnæ eorum, qui mulieres ad Monasteria Regularium introducunt.*
38 *Officia Ordinis, quæ.*
39 *Suarez sententia circa hanc materiam proponitur.*
40 *Suarez sententia reijcitur.*
41 *Occultè delinquens non tenetur in foro contentioso statim se propalare.*
42 *Occultè delinquens non tenetur se prodere.*
43 *Extenditur ad pœnam alterius Decreti contra eos, qui moniales alloquuntur.*
44 *Excommunicatio quando est latæ sententiæ, & quando minimè.*
45 *Prima regula.*

46 Secun

46 *Secunda regula.*
47 *Explicatur vox illa,* (mox,) *quid importet.*
48 *Tertia regula.*
49 *Quarta regula.*
50 *Quinta regula.*
51 *Sexta regula.*
52 *Prima assertio.*
53 *Secunda assertio.*
54 *Tertia assertio.*
55 *Quarta assertio.*
56 *Quinta assertio.*

ANtequàm veniamus ad explicationem casus, & ad decisionem dubiorum circa illum occurrentium, præmitto plura. Vide Man. Prælator. to. 1. q. 32. art. 1. & 2.

1 Primò, quòd Religiosus debet curare, vt semper maneat in Monasterio, seu Conuentu, & meminisse debet illius, quod dicit Ecclesiasticus in cap. 6. *Audi fili,* ait Sapiens, *& accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta illam, & ne accidieris vinculis eius.* Et infr. *In nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem: & erunt tibi compedes illius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutis.* Eccles. 6.

2 Itaque licèt aliquibus videatur, quòd Monasterium sit carcer: sciant nihilominùs quòd carcer sapientiæ est: & licèt in eo sint vincula, vota scilicet, statuta, obseruantiæ regulares, & huiusmodi: alligatur tamen homo in salutem æternam, & torques illius aureus est: alligatur enim homo, vt Deo adhæreat, vt vanitati mundi non seruiat, vt vas sit in *Monasteriũ est carcer sapientiæ, vbi vincula vota sunt.*

in honorem non in contumeliam. Et quò magis ad hoc vacat: eò magis est in honorem apud omnes. Est enim Religiosus (ait Petrus Damianus *in Apologetico de contemptu sæculi, cap. 26.*) veluti pictura. Pictura namque si procul assistat, inhianter, & cum auiditate prospicitur: si iuxta sit, contemptibilis iudicatur: sic Religiosus quisque carnalibus, absens quidē timori, præsens autem videtur despectui esse.

Monasterium carcer est pro custodia Religiosi.

3 Carcer est Monasterium, sed pro custodia Religiosi, ne in eum irrumpant feræ, dæmones. Vnde in Cantic. dicitur: *Hortus conclusus fons signatus.* Et quando Religiosi manent in Monasterio, & obseruantiæ vacant, fit verum id, quod sequitur in Cantico: scilicet, *Emissiones tuæ Paradisus:* quia reuera tale Monasterium imaginem habet Paradisi: & ideò omnia, quæ à tali loco exeunt, veluti è Paradiso exire existimantur: spirant enim sanctitatem, puritatem, vitam Angelicam. Cant. 4.

D. Basilius vocat Religionē Paradisum.

4 Hinc rectè D. Basilius vocat Religionem Paradisum, ait enim: Sicut duplex est infernus; alter sub terra, alter super terram, cor scilicet peccatoris: ita duplex est Paradisus, alter in cœlo, alter in corde perfecti. Religio verò Paradisus Dei in terra est: vbi cor perficitur, sicut enim Paradisus est locus delitiarum, ita Religio est locus voluptatis cœlestis: ibi delitiæ Dei cum filiis hominum: in Religione animæ sunt Dei sponsæ, cū quibus delectatur sponsus.

Genes. 2. D. August. D. Thom. Religiosus in Monasterio ponitur, vt operetur, & custodiat illud.

5 Positus est ergo Religiosus in Monasterio, sed ad quid? Ad illud scilicet, ad quod de Adam dicitur Genes. 2. *Posuit illum in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Quæ verba D. Augustinus de Genesi ad literam, & D. Thom. dupliciter exponunt. Primò, vt Deus operaretur in homine, eúmque custodiret: cuius operatio si ab homine cessat, conti

cōtinuò obtenebratur, vt aër à Sole relictus: secundus sensus est, & magis ad literam, vt scilicet ipse homo operaretur, vt custodiret Paradisum: pacta scilicet custodiendo, & noua acquirendo, vt scilicet opere suo illum locum illustret.

Quod, quando Religiosus in conuentu manens perficit: tunc verè de eo potest dici illud Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum: sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Per desertum quippe Monasterij Religiosus in cœlum ascendit suspiriis, gemitibus, cordis desideriis vehementibus: quemadmodum virgula fumi ex thure, & aliis odoratis aromatibus, cùm incenduntur, solet ascendere. Cant. 3.

Religiosus in Monasterio est sicut Iacob supplantator.

6 In Conuentu quando commoratur Religiosus, & veluti Iacob supplantat vitia: tunc videt scalam à terra in cœlum pertingentem: habet enim consolationes diuinas per manus Angelorum, qui per scalam ascendunt, & descendunt ad ipsum ex parte Dei consolandum. Vnde tunc de Monasterio potest dicere Religiosus cum Iacob: *Verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28.

Et licèt in Conuentu reperiantur spinæ; quia ibi sunt quamplurimæ austeritates, Deus tamen commoratur inter tales spinas, sicut Moyses vidit Deum in medio rubi. Inter quas spinas Religiosus est velut lilium, de quo potest dici illud Cant. primo. *sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Cant. 1.

Religioso è Monasterio exeunti, quàm plurima damna eueniunt.

7 Secundò præmitto, quòd quemadmodum infinita bona eueniunt Religioso in Conuentù commoranti; ita per contrarium quàm plurima damna ei eueniunt: si extra Monasterium frequenter repe-

riatur,

Notæ similitudines Monachi extra Monasterium morantis.

riatur, & vagetur. Nam, *vt habetur in c.placuit.16. quæst.1.* Monachus sine Monasterio est sicut piscis sine aqua. Est veluti illi, qui extra arcam Noë fuerunt: omnes enim submersi fuerunt, & solummodò illi, qui cum Noë in arca fuerunt, salui facti sunt, vnde talibus conuenit id, quod dicit D. Petrus; *Nisi manseritis in naui, omnes simul peribitis.* Talis Religiosus, qui vagatur extra Monasterium, est veluti Esaü, qui cùm extra domum vagaretur, primogenituram amisit. Est veluti Dina, quæ è domo egressa, vt videret mulieres regionis illius, violata fuit. Atque vtinam tales non experiantur in anima, id, quod Dina experta fuit in corpore. Talis denique extra Monasterium est veluti ouis extra ouile: vnde subiacet periculis, & incursibus luporum, dæmonum, qui semper circumeunt, quærentes quem deuorent.

D.Bern.

Hinc D. Bernard. *in Epist.8.* hortans quendam ad solitudinem, & quietem in Monasterio, ait: Iuge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari. Et in serm. *de sancto Andrea*, ait; Meritò comparantur stagnis Monasteria: vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habent libertatem. Et *in serm.40.in cant.* Sede solitarius vt turtur: nihil tibi, & turbis: nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum obliuiscere populum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Quin, quòd Seneca ait *in Epist.2. ad Lucillum*; Bonam spem de de te concipio, quòd non discurras. Et *in Epist.71.* vt animum possis continere, corporis tibi fugam siste. Et *in Epist.107.* Nihil æquè prodest, quàm quiescere, & minimùm cum aliis loqui, secum plurimùm.

8 Tertiò

Clausuræ in Religione antiquæ.

8 Tertiò præmitto, quòd clausura in Religionibus habuit benè originem à Monachis antiquis: sed clariùs, & firmiùs inducta fuit posteà à fundatoribus Religionum, & roborata deinde à Nicæna Synodo, de qua Eugenius *in cap. placuit*, & à Chalcedon. de qua Alex. II. *cap.iuxta, eod.causa, & quæst.* & à Concilio Tarraconen. relato *in cap. Monachi.16.quæst.1.*

Clausura Monasterij quid requirit.

9 Clausura ergo Religiosorum requirit, ne vllus regularis, cuiuscumque Ordinis, exeat Monasterium, vel septa, & limites ad id designatos, sine Superioris licentia; neque cum illa, nisi iusta necessitate, vel vtilitate id suadente; vt efficaciter probatur *in d.cap.placuit, & in d.cap.Monachi.*

Concilium Aquisgran. de clausura religiosorum.

10 Ponam hîc verba Concilij Aquisgran. relata à Trullo *lib.2. cap.1.* Et sunt hæc; *Necesse est, vt claustra, in quibus Clero sibi commisso canonicè viuendum est, firmis vndique circumdent munitionibus, vt nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus: sint etiam interiùs dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteræ habitationes vsibus fratrum in vna societate viuentium necessariæ.* Et infrà; *Eligatur necesse est à Prælato ex congregatione sibi commissa frater probabilis vitæ, cuius officij sit portam canonicorum summa obedientia, & humilitate competenti tempore claudere, & reserare, vt nulli per eam; nisi per licentiam aditus pateat intrandi, aut exeundi: cui etiam obseruandum est, ne quibus cordi est, plus otio vacare, quàm diuinis obsequijs incubare, foras euagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas est, particeps fiat. Debet præterea aduenientes quoque cum charitate suscipere, & Priori aduentum eorum, causamq; nunciare.*

Pro hoc casu tria cõcurrere debent.

11 His præmissis dico, quòd tria simul concurrere debent ad hoc, vt Religiosus incidat in hunc casum;

casum; primum, vt egressio sit nocturna: secundum, vt sit furtiua: tertium, vt fiat extra Monasterium.

Egressio quælibet è Monasterio est mala: sed pessima est, quando est nocturna.

12 Quoad primum, egressio debet esse nocturna. Semper est mala, & pernicioſa quælibet egressio Religiosi à suo Conuentu quãdo ex mera obedientia, vel causa rationabili non est facta; quia impossibile est, (vt ait Philosophus) quin visis nõ tangamur: vnde, *qui tetigerit picem*, ait Sapiens, *inquinabitur ab ea*, & multoties ille Religiosus, qui intra septa Monasterij laudabiliter viuit, extra illud vagans reuertitur quasi semireligiosus. Semper igitur damnosa est egressio è Monasterio, quando debitis modis non fit: sed damnosissima est, quando egressio nocturno tempore fit: nam tunc, & in peccatum, & in casum reseruatum incidit. Imò tanti refert talis egressio, tali tempore facta, vt etiamsi non habeat animum apostatandi; incidat nihilominùs in hunc casum per solam egressionem nocturnam. Sic sonant verba textus Decreti, à quibus non est recedendum.

Exiens in crepusculo, an incidat in hũc casum.

13 Si quis verò egrederetur in crepusculo diei, vel noctis, non incideret in hunc casum: quia tales partes pertinent ad diem, non ad noctem; non enim dicitur nox, nisi appareant tenebræ. Et quando dubium vertitur in foro exteriori, an scilicet facta sit egressio in nocte, vel in vespere, aut in diluculo, interpretandum est in meliori parte, vt sit facta de die, vt sic pœna mitigetur, *l. si præses, & l. interpretatione. ff. de pœnis, & in regul. iuris in 6. in pœnis.*

14 Quoad secũdum, egressio debet esse furtiua, nam qui egrederetur de nocte, sed non occultè, non incideret in hunc casum, & dicitur non occulta; quando talis egressio potest probari, per duos, vel tres Religiosos. Vide Sot. *de rat. teg. memb.* 2. Et præterea dummodò tales non sint socij: nam si plures fuerint, qui egrederentur, nihil refert, quoad hunc casum, quòd apud eos non fuerit occulta egressio. Quæcumque ergo furtiua, hoc est occulta, & nocturna egressio à Monasterio, siue fiat habitu dimisso, siue retento, siue fiat, vt se celet Superiori, quia tunc diceretur fugitiuus, siue causa lasciuiæ, iterùm eadem nocte reuersurus, siue ex leui causa, associandi aliquem fugitiuum, seu ad malum finem exeuntem, est casus reseruatus. Sotus.

15 Quò ad tertium, egressio debet fieri extra Monasterium, seu Conuentum, id est extra septa Monasterij, quomodocũque illa sunt recepta. Hoc dico, quia communiter ab alijs Religiosis receptum est, vt clausura Religiosorum sit totum illud spatium, quod claudunt muri domus, seu Conuentus: non sepes hortorum, & videtur quòd litera textus eis faueat. Et potest confirmari per ea, quæ habet Nic. III. *in cap. exijt. de verb. signific. in 6.* vbi declarans, quæ loca Monasterij Monialium per Regulam nostram prohibita sint fratribus, ne scilicet ad ea accedant, sic ait: *Et nomine Monasterij volumus claustrum, domos, & Officinas interiores intelligi.* Pro eo, quod ad alia loca, vbi etiam homines sæculares conueniunt, possunt fratres illi, causa prædicationis, vel eleemosynæ petendæ, accedere. Nicol. III.

Strictior clausura apud Capuc.

16 Apud aliquos verò Religiosos, maximè apud nos Capuccinos, receptum est, vt clausura se extendat per totum hortum clausum: vnde sepes hortorum apud nos faciunt clausuram. Vbi ergo muri Conuentus tantùm recepti sunt pro clausura: extra tales muros egrediens furtiuè de nocte,

Universidad de Deusto
Biblioteca

incidit in hunc casum. Vbi verò sepes hortorum faciunt clausuram, non sufficit egressio à muris Conuentus: sed necesse est, vt egressio fiat etiam extra sepes, alioquin si quis exiret muros Conuentus de nocte, & quando esset in horto, nollet ampliùs egredi foras: existimo quòd non incideret in hunc casum.

Dubium.

17 Dubitatur hîc primò; An incidat in casum ille Religiosus, qui ob nimiam sæuitiam Superioris in eum, fugit? Respond. quòd non, per ea, quæ habet Abbas *in c. ad nostram de appellat.* vbi dicit, quòd Abbate nimis sæuiente in Monachos, licitum est illis fugere de Monasterio, & nec per hoc dicuntur apostatæ: & allegat bonum textum *in l. 2. dominorum ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.* Vbi etiam Baldus dicit, quòd correctio debet esse moderata, aliàs ad Superiorem recurri potest. Et quando Abbas odio haberet Monachum, & illum grauaret, posset Monachus ad sui defensionem assumere arma; vt notanter dixit Cardi. *in Clem.* 1. §. *præfatæ. de stat. Monach.* Vide Nau. de hoc *in lib. 2. consil. de appellat. cons. 4. num. 3.*

Respond. *Religiosus fugiens ob nimiam sæuitiam Superioris, nõ est apostata.* Abbas. Baldus.

Dubium.

18 Dubitatur secundò; An Religiosus fugiens à Monasterio ob supradictam causam, & vadens ad maiorem Superiorem, licitè id faciat? Respond. quòd sic, iuxta sententiam Baldi *in cap. ad nostram, de appellat.* vbi ait; quòd Regularis è Monasterio exiens ex metu ob aliquod peccatum, quod forsan commisit, seu quia nimiùm se sentit grauatum à Prælato, etiam sine ipsius licentia, non est dicendus apostata: præsertim si exijt, vt adiret Superiorem, quo eum à tali grauamine liberaret. Quod probat argumento deducto *ex l. contra pupillum. §. is, qui ad maius adiutorium, ff. de re iudic. & cap. cùm paratis*

Respond. *Religiosus sic fugiens, & ad Superiorẽ pergens, licitè id facit.* Bald.

rati; cùm ibi adnot. de appellat. Quam sententiam tenet etiam Nauarr. *in cap. non dicatis, de regul. n. 61.* cuius rationem dat; quia sentiens se grauatum, ac propterea adiens Superiorem, non quidem apostatare: sed potiùs appellare videtur, *argum. cap. cùm dilecti. 2. de appellat.*

19 Neque huic resolutioni (inquit Nauarrus) obstat Concilium Tridentinum, *sess. 25. cap. de regular.* quatenus præcipit, vt nullus Religiosus à suo Conuentu discedat, etiam causa adeundi Superiorem, sine sui Prælati licentia in scriptis obtenta: quia non est credendum, tantum Concilium derogare voluisse tàm iustæ resolutioni, tàm graui ratione nitenti, *per l. si quando. Codic. de inoffic. testam.* Vel, inquit, intelligenda sunt verba Concilij de illo, qui Superiorem adit, non ex aliqua graui: sed leui, aut leuissima causa. Probat hoc Nauarr. quia secundùm ius non est petendus consensus, siue licentia ab eo, ob cuius grauamen tollendum ad Superiorem recurritur, iuxta Gloss. *in cap. cùm pastoris, secund. quæst. 7.* Argum. etiam deducto *ex cap. ea parte, de accusat.* Licèt regulariter loquendo à Iudice sit petenda venia, secundùm Archidiaconum *in d. cap. cùm pastoris.* Aliud tamen est petere à Iudice, aliud verò à parte, iuxta *l. 1. & 2. Codic. de in ius vocand.* Et post multa alia concludit, dicendo esse certum, quòd adire Superiorem ob iustum grauamen illatum, non est illicitum: quia vim habet appellationis apud Religiosos, à quorum Superioribus posse appellari verbo, atque facto irrefragabiliter probant *cap. ad nostram, cap. irreprehensibilis, cap. de priori. de appellat.*

Concilium Triden. declaratur à Nauarro.

Ex Nauarri sententia licitum est religioso appellare à

20 Quod licèt aliqui negant: ipse tamen constantissimè tenet, Religiosum posse appellare

correctione regulari, quãdo modus excediturr.

etiam à correctione regulari, quando modus exceditur.

Cæterùm, maximè vrgent verba Concilij, quæ sunt: *Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinario locorum tanquàm desertor sui instituti puniatur.* Sic Concilium.

Sixti V. cõstitutio, ne regulares absque suorum Superiorũ licẽtia in scriptis, de vna Prouincia transeãt in aliam.

21 Et Sixtus V. constitutionem quandam edidit, quæ incipit; *Cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, anno 1587.* vbi præcipit, vt Regulares de vna Prouincia ad aliam sui Ordinis transeuntes, Superiorum licentias deferant; alioqui hospitio recipi nequeant, & possint ab Ordinarijs locorum, vt suspecti desertores sui instituti, capi, & in carcerem mitti.

Limitatur Nauarri sententia.

22 Vnde, meo iudicio, prædicta Nauarri sententia non videtur locum habere; nisi quando certè, & euidenter constaret, Religiosum à suo Superiore contra fas, & ius omne vexari, nec aliud remedium habere; nisi à Monasterio recedendo, suum maiorem Superiorem adire, vt seipsum possit apud illum tueri, quatenùs ius naturale concedit, & non aliter. Proderit tunc valde habere, & deferre secum literas testimoniales totius, vel saltem sanioris partis Conuentus: nam sic ego vidi aliquos practicare, & admissus fuit recursus.

Dubium.

23 Interrogabis, An præfata constitutio Sixti V. debeat inuiolabiliter obseruari: scilicet, vt, nullo pacto recipiantur hospitio apostatæ, & illi, qui secum non deferunt obedientiam, & licentiam à suo Superiore.

Respons.

Ad quod dico, quòd de hoc memini me aliquando scripsisse ad Reuerendum admodũ Patrem Anselmum Monopolitanum, quando erat Procurator Generalis in Curia, & responsum dedisse, quòd poterant recipi hospitio: si saltem cogniti erant pro Religiosis: nam mens, & intentio summi Pontificis in sua constitutione est, vt obuiet facinorosis, qui aliquando habitum Religiosorum suscipiebant: vt sic magis securè possent transire de vno loco ad alium: & cùm prædicti apostatæ, seu fugitiui non sint tales, & à Religiosis illius Monasterij, ad quod accedunt, vt tales cognoscantur, quia iam cessat ratio legis: ideò possunt recipi hospitio absque eo, quòd incurrantur pœnæ in dicta constitutione assignatæ.

Dubium.

24 Dubitatur tertiò, an fugitiui debeant requiri, vt reuerrantur ad Religionem? Et idem quæritur de eiectis? Respond. quòd Gregor. IX. in cap. *Ne Religiosi, de regular.* dicit: *Ne Religiosi viri vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de manibus Prælatorum requiratur, statuimus, vt Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilij Generalis seu Patres Abbates, seu Priores, fugitiuos suos, & eiectos de ordine suo requirant solicitè annuatim.* Et infrà: *Si verò huiusmodi fugitiuos, vel eiectos inobedientes inuenerint, eos excommunicent: & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatis publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Hæc ibi.

Respons.

Auctoris sententia de fugitiuis requirendis.

Ad difficultatem igitur propositam respondendum est cum distinctione: nam vel loquimur de fugitiuis, vel de eiectis: de fugitiuis dicimus, quòd debent requiri, prout dicit textus. De eiectis verò distinguere oportet: nam vel ipsi volunt reuerti, vel non: si volunt reuerti, recipiendi sunt, maximè si

Universidad de Deusto
Biblioteca

signa emendationis ostendunt:si verò nolût reuerti,non sunt requirendi.Sic Nauarr.*in Comm.2.de regular.num.36.* Si dicas, quòd Pontifex in prædicto cap.*ne Religiosi:*generatim loquitur,& statuit, vt fugitiui,& eiecti perquirantur,& reducantur.

Respondet Nauarrus,prędictum cap.intelligi de eiectis iniustè:hoc est,iuris ordine prætermisso, & neglecto. Alij respondent, prædictum statutum, cùm sit iuris humani,vsu,& consuetudine abrogatum fuisse:neque enim Religionum Præfecti Religiosos eiectos quotannis perquirunt, neque requirunt,neque repetunt : & idem faciunt de fugitiuis. Et præterea multi ob certa quædam vitia,& delicta sententia iudicum ad id destinatorum eiiciuntur in perpetuum,nec amplius reducuntur. Et nos fratres Minores habemus ad hoc priuilegium ab Alex.V I.concessum ; vt Generalis de per se,& Prouincialis cum maiori parte capituli possint incorrigibiles expellere ab Ordine : vnde si posteà tales non requirantur , Superiores sunt securi in conscientia.

Dubium.

25 Dubitatur quartò , an fugitiui, & apostatæ, dum sic vagantur , possint promoueri ad Ordines? & si ordinati fuerint , possint id munus exercere?

Respons. *Apostatæ, & fugitiui non possunt promoueri ad * Ordines.*

Respond.quòd non, quia in cap.*consultatio,de apost.* habetur , quòd Monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasia recipiens , quamuis suo fuerit reconciliatus Abbati,& receperit pœnitentiam, absque dispensatione Rom. Pont. ministrare non poterit in Ordine sic suscepto. Ratio est, quia in cap. *vt periculosa* , excommunicatio irrogatur Religiosis suæ Religionis habitum temerè dimittentibus , ac proinde,etiam apostatis:vnde fit, vt tales Religiosi Ordinem Ecclesiasticum , etiam minorem aliquem susci

scipientes,suspensionem , irregularitatémq; contrahant:vt Abbas in d.cap.*consultatio,*annotauit.

Si dicas,quòd in prædicto cap.*consultatio,* dicitur tantùm , vt tales sic ordinati non possint exercere Ordinem susceptum absque licentia Romani Pontificis : non tamen illos esse irregulares , & suspensos ? Respondeo , quòd tale Decretum factum fuit ante sextum Decretalium,& ideò huic vltimo standum est. Et præterea Concilium Tridentinum statuit *in sess.*23.ne Regularis absque sui Superioris licentia ad Ordines promoueri possit.

Obiectio.

Respons.

26 Quod adeò verum est, vt si quis Religiosus laicus ex Minoritana familia egrediatur à Religione , & aliam ingressus , ad Ordines promoueatur : si posteà reuertitur ad suam Religionem pristinam, debet recipi in eo statu, in quo ante egressum erat : sic Leo Papa statuit;habet enim,vt quando aliquis frater laicus ad Clericatum ascenderit extra obedientiam Prælatorum Ordinis , etiamsi vsque ad Sacerdotium promotus sit , postquam reuersus fuerit , omni honore clericali priuetur , nec permittatur canonicum persoluere officium : sed laicorum officium persoluens , ad merum statum suum laicalem reducatur. Vide compend.Priuileg. verbo, *laici fratres,*§ 4. Et hæc quantùm ad ea, quæ faciunt pro declaratione huius tertij casus de egressione à clausura.

Laicus Minoritanus egressus, & in alia Religione promotus ad Ordines sacros , si reuertitur, recipi debet in suo prieri statu.

27 Modò subiungam dubia illa, quæ occurrere solent circa ingressum ad clausuram Monasteriorum , & licèt non faciant ad prædictum casum reseruatum : rogatus tamen à quamplurimis , vt de tali materia aliquid dicerem, de ea nõnulla ponam: maximè quia quę dicta sunt de clausura,magnoperè conducunt ad decisionem sequentium dubiorum.

Dubia de ingressu mulierum ad clausuram Regularium.

Dubium. Resp. *Mulieribus nō licet ingredi Monasteria Regularium.*

28 Primò ergo quæritur, an liceat mulieribus ingredi Monasteria Religiosorum? Respond. quòd non, quia id prohibent summi Pontifices, Pius V. & Gregorius XIII. Pius V. in suo Motu proprio, qui incipit: *Regularium personarum*, dicit.

Motu proprio, & ex certa scientia, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria, ac domus Chartusiensium, & aliorum quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cuiuscunque status, & conditionis, & quacunque dignitate præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, &c. ab Apostolica Sede quomodocunque concessas, &c. Districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna postquàm harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint absolui, præterquàm in mortis articulo, ne dictas domus, & Monasteria ingredi audeant.

Pro Religiosis verò, qui mulieres ad Monasteria introducunt, siue admittunt, sequitur idem Motus proprius.

Ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus, quocunque nomine vocentur, siue Mendicantibus, sub priuatione officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensione à Diuinis, ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admitteréve præsumant. Non obstantib. Datum Romæ 23. Octobr. anno Domini 1566. Pontificatus nostri anno primo.

Quod etiam confirmat Gregor. XIII. in suo Motu proprio, qui incipit: *Vbi gratiæ, & indulta.* Vbi primò confirmat ea, quæ habet Pius V. Deinde extendit

tendit ea omnia ad sanctimoniales: & vltimò addit, non solùm Monasteria, & domus, verùm & loca Religiosorum, Ait enim sic.

Abbatissis verò, necnon Abbatibus, & alijs Monasteriorum vtriusque sexus Superioribus districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna ac priuationis dignitatum, beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, domus, & loca sua, quocumque prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum, ingredi faciant, vel permittant: quinetiam sub eisdem pœnis, ipso facto, incurrendis prohibemus, atque interdicimus, omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel à Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm, ex Decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi. Néve Moniales sub eisdem pœnis aliter admittere præsumāt. Non obst. Datū Romæ Idib. Iul. anno Domini 1575.

Monasteriorum, domorum, & locorū nomine quid veniat.

29 Quæritur secundò, quid intelligatur nomine, *Monasteriorum, domorum, & locorum?* Respondeo, quòd Congregatio Illustrissimorum Cardinalium super Concilium in Congregatione facta anno 1584. declarauit, Monasteria, seu loca nostra, quæ sunt in fieri, vel dum fabricantur, in quibus adhuc Conuentus ad ibi morandum non fuerit introductus: sed solùm ibi aliqui habitauerint fratres, pro fabricæ potiùs seruitio, quàm aliter, in eis clausuram vllam esse talem, vt si mulieres intrarent, in pœnas propterea in supradicto Motu proprio contentas incurreretur. Idémque dici ait de domibus, seu Infirmariis in ciuitate positis, cùm nec Ecclesiam, nec Conuentum habeant.

An liceat introducere mulieres in hortum.

30 Quæritur tertiò, num liceat introducere mulieres in hortum? Respondeo quòd non: tùm quia apud nos iam receptum est, vt clausura se extendat etiam per hortum clausum: ita quòd sepes, seu muri hortorum faciunt clausuram, tùm etiam, quia id dicit Gregorius XIII. sic enim habet: *Monasteria, domus, & loca sua.* Vnde licèt communiter, nomine *Monasteriorum* non veniant horti, iuxta declarationem quandam factam ab Innocentio IV. super illud nostræ Regulæ: *Fratres non intrent in Monasteria Monialium*: intelligi enim ait per *Monasterij* nomen, solùm dormitoria, claustra, & officinas interiores: sicut etiam declarauit Nicolaus III. in cap. *exijt, de verb. signific. in 6.* Nihilominùs ex verbis Motus proprij Gregor. XIII. nulli dubium est, illos comprehendi: nam addit, *(& loca sua.)* Horti quidem Monasteriis coniuncti sunt loca ipsorum: & ita practicatur.

An liceat introducere mulieres in Sacristiam.

31 Quæritur quartò, an liceat eas introducere in Sacristiam? Ad hoc respondeo, quòd vel Sacristia est separata ab Ecclesia, vel est coniuncta. Si est separata, ita vt ad illã non aliter, quàm per ianuam Monasterij; vel per claûstrum possit iri: tunc clarum esset, mulieres nullo modo illuc ingredi posse. Ratio est, quia eis probibitus est ingressus ad claustrum, ad dormitorium, & officinas interiores.

Si verò Sacristia taliter esset Ecclesiæ contigua, quòd nisi paries vnus diuideret, ac directè per Ecclesiam absque eo, quòd per septa Monasterij oporteret ingredi, ibi perueniretur: tunc dicunt aliqui, quòd non incurritur in pœnas huius Motus proprij: praxis aliquorum Religiosorum habuit, quòd in Sacristias ingrediuntur mulieres, & ibi confitentur peccata. Praxis verò aliquorum Religiosorum

rum habet, vt nullo modo illuc ingrediantur mulieres. Quin quòd nostri Patres zelo ducti petierunt, vt ab Illustr. Cardin. super Regulares fieret declaratio, quòd Sacristiæ nostrorum locorum comprehenderentur nomine *clausuræ*: quod & factum est. Hoc autem debet intelligi de Sacristia formata: de illa scilicet, quæ claue clauditur: non de Choro post, vel retrò altare, in quo aliquando est armarium, vbi parantur Sacerdotes pro Missis celebrandis: nam quia est Chorus, ideò est pars Ecclesiæ, ad quam possunt ingredi mulieres absque censura: & quia est locus apertus, omni suspicione caret: eò vel maximè, quia ad talem Chorum accessus fit continuatè per eandem Ecclesiam. Et ad summum, qui mulieres ad talem locum introduceret, pœnitentia salutari à Religione ipsa puniendus est: non autem debet sententiari, & puniri iuxta pœnas à prædictis summis Pontificibus taxatas.

An liceat introducere in Dormitorium mulierem medicam.

32 Quæritur quintò, an liceat introducere mulierem medicam in Dormitorium pro curatione alicuius Religiosi infirmi? Respond. quando infirmus talis non potest aliter curari, nisi ope, & arte illius: nec infirmus posset in Ecclesiam, vel aliò extra venire, quòd tunc licet mulierem medicam cum honestis personis associatam, cum licentia Prouincialis, vel Guardiani, in Infirmariam, vbi frater infirmus manet, introducere: tùm quia defensio vitæ, & salutis propriæ est de iure naturæ: tùm quia necessitas non habet legem, tùm quia comprobatur à simili: nam si Moniales possunt egredi extra Monasterium propter aliquam periculosam infirmitatem: vt declarauit Bonifacius VIII. & Pius V. etiam in quodam Motu proprio eas egredi permit-

tit

tit ex causa ignis, infirmitatis, lepræ, pestilentiæ. Quod ampliando Nauarr. in cap. *statuimus*, 19. q. 3. *num.* 48. ait, esse pariter intelligendum in omnibus aliis similibus infirmitatibus, licèt non contagiosis, adducens quoddam Breue Gregor. XIII. vbi in aliis infirmitatibus licentiam concessit. Tum etiam quia Motus proprius dicit (*introducere, admitteréve præsumant:*) in casu verò proposito, nulla est præsumptio, sed tantùm necessitas.

Idem etiam dicendum videtur, si quis Religiosus absconderet pro aliquo bono fine aliquam mulierem: vtputà dum fugit persequentes, qui ei ad vitam, vel ad honorem insidiantur. Nam pœnæ assignatæ in Decretis summorum Pontificum prædictorum, imponuntur contra eos, qui temerario ausu, & præsumptione eas introducunt. Hinc in inquirendis huiusmodi rebus Prælati cauti esse debent, ne inquietent eos, qui bono fine aliquid ex prædictis fecerint.

An causa Processionis possint mulieres ingredi septa Monasterij.

33 Quæritur sextò, an causa processionis liceat introducere mulieres ad claustrum Monasterij? Respondeo, quòd Pius V. in quadam sua declaratione, quam refert Rodriquez in explic. *Bullæ Cruciatæ, fol.* 511. declarauit, quòd causa Processionis, Vigiliæ, Missæ, Tumulationis defunctorum, vel alterius cuiusuis officij, poterunt ipsæ mulieres intrare in claustra Religiosorum, quando ipsa opera pia celebrantur. Et quòd quando in aliqua Ecclesia fratrum Minorum prædicaretur, & præ multitudine non possent aliter mulieres intrare, nisi per claustrum, vel alium locum fratrum: tunc eis licere, dummodò directè ad Ecclesiam pergant.

Dubium.

34 Sed quid, si Prælatus regularis præciperet, vt fieret aliqua processio extraordinaria, vt illius occasione

casione possent mulieres ad dicta loca intrare, an incurrat in pœnas? Resp. quòd Rodriquez *vbi sup.* disputat ad vtramque partem: & denique concludit, quòd talis Superior non excusatur de peccato, & de pœnis taxatis: quia summus Pontifex in sua declaratione prætendit tantùm scrupulos remouere, & illud tantùm concedere, quod recta ratio in aliquo casu dictat, & non dare relaxationis incentiuos, libertates, vel abusus: sicut in alio casu probat Corduba *in suo Quæstionario, in q.* 37. *proposit.* 3. Nihilominùs quia lex non distinguit de processione ordinaria, vel extraordinaria, nec nos debemus distinguere: vnde videtur dicendum, quòd talis non incurrat pœnas in decretis prædictis taxatas; sed benè meretur puniri, & grauiter à Religione.

Resp. Rodriq.

Corduba. Auctor.

Nota pro die, quando consecratur Ecclesia.

35 Idem videtur dicendum in tempore consecrationis Ecclesiæ, scilicet quòd tunc mulieres possunt ire ad omnia illa loca, ad quæ vadit Episcopus cum processione: dum tamen eant simul cum Processione, non autem si peractum sit officium: quia si amplius non fit Processio, non licet mulieribus ingredi clausuram. Vnde illæ mulieres, quæ tunc ingrederentur in dormitorium, incurrerent in censuram: cùm per talem locum non fiat Processio, tutius tamen est in primis casibus concessis in quinto, & sexto quæsitis, obtinere licentiam à sacra Congregatione Cardinalium.

Religiosi in prædictas pœnas incurrentes qui.

36 Quæritur septimò, quinam Religiosi incurrant in pœnas taxatas? Ad quod respondeo, quòd omnes illi, qui introducere, admitteréve præsumunt mulieres. Sic sonant verba legis. Per quæ non solùm incurrunt illi, qui mulieres aliquas in Monasterium introduxerint, vel intrare permiserint:

rint: verùm etiam illi, qui postquàm mulieres ingressæ sunt, cùm eis loquuntur, ac associantur deambulando; prout sic Doctores tenent, exponendo verbum illud, *admittere*. Dicunt enim verbum illud magis esse generale, quàm illud aliud (*introducere*) & comprehendere, *tùm introducere, tùm & recipere, tùm etiam associare*. Potest benè oriri dubium circa Prælatos illos, qui tales mulieres sic admitti, & introduci iuberent: cùm lex pœnalis iubens aliquod contra facientes non comprehendat mandantes, & consentientes.

Attamen aliter est dicendum: nempè quòd ipsi Prælati mandantes etiam comprehendantur, maximè ex verbis positis à Gregor. XIII. qui dicit; *ingredi faciant, vel permittant*: & sic tenet Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 150. excom. 61*. Alioquin ipsi Prælati Regularium possent alicui laico mandare, vt mulieres introducat; qui nec in suspensionem à diuinis, nec in priuationem, & inhabilitationem officiorum Ordinis incurreret: quod esset contra mentem legis.

Pœna eorũ, qui mulieres introducunt ad Monasteria Regularium.

37 Itaque omnes Regulares, siue Superiores sint, siue subditi; quotiescumque introducunt, vel introduci faciunt, admittunt, & recipiunt, vel admitti, & recipi faciunt mulieres in Monasteria Regularium, incurrunt primò in excommunicationem Papæ reseruatam; nisi in mortis articulo. Deinde in suspensionem à diuinis, & in priuationem officiorum, & dignitatum Ordinis, quas habent, & ad inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda.

Officia Ordinis quæ.

38 Officia autem Ordinis, quibus priuantur, & ad quæ inhabilitantur; sunt Generalatus, Prouincialatus, & eorum Commissariatus, Guardianatus, &

& Vicariatus, vel loci Præsidentatus: non tamen Discretatus, nec Diffinitoratus ex Pio V. Veniunt tamen priuati ex Gregor. XIII. qui contra tales excommunicationem latæ sententiæ, & suspensionem à diuinis ponit, per quæ nemo potest eligere, neque eligi: vnde nec discretus, nec diffinitor esse potest.

39 Hìc notandum, quòd Suarez *in 5. tomo de censuris, in disp. 21. sect. 6. sub num. 11. 12. & 13.* tenet, quòd non peccant Prælati Religionum contra leges prædictas, nec illarum pœnas, aut censuras incurrunt, permittendo fœminas ingredi sua Monasteria quocumque titulo, aut modo: sed tantùm si eas permittunt prætextu dictarum facultatum, vt in ijsdem Constitutionibus expressè habetur. Et idem videretur dicendum de fratribus subditis. Cuius rationem assignat: quia nec in communi iure Pontificio, neque in aliis Pontificum Decretis inuenitur generalis lex, quæ hoc prohibeat sub mortali. *Suar. doctrina.*

40 Quæ doctrina vera est, secundùm se considerata, nihilominùs praxis est in contrarium: nam sæpè factus est recursus ad sedem Apostolicam pro illis mulieribus, quæ ingressæ sunt Monasteria Religiosorum, & declaratum est, non solùm illas; verùm & Religiosos, qui eas introduxerunt, in excommunicationem Papalem incidisse: & necesse fuit, absolutionem ab excommunicatione, etiam pro fratribus obtinere. Et sic communiter tenetur, nempè, quòd non solùm prætextu facultatum, & licentiarum mulieres non possunt ingredi Monasteria virorum: quia prædictæ Constitutiones illas reuocant, verùm etiam neque alio prætextu, alioquin incurritur censura. *Impugnatur ex praxi.*

41 Dubi

Dubium.

41 Dubitatur octauò, An qui occultè committit tale delictum, debeat statim deponere officium, quod habet? Resp. cùm distinctione: nam vel loquimur in foro conscientiæ, vel in foro contentioso. In foro conscientiæ delinquens quis statim incurrit; etiamsi in foro contentioso non possit probari, quia verba legis sonant, vt delinquens incurrat statim ipso facto absque vlla declaratione: ergo non est expectanda declaratio Iudicis ad hoc. Quam conclusionem tenet Corduba, contra Cast. & Nauarr. & videtur eam approbasse Concil. Trident. *in sess. 24. cap. 6. de reformat.* quando ibi dat facultatem Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus à delicto occulto præuenientibus. Ex quo infertur, quòd Religiosus admittens mulierem aliquam in Monasterio, incidit in pœnas harum Constitutionum, ipso facto, absque aliqua alia declaratione.

Resp.

Occultè delinquãs, nõ tenetur in foro cõtentioso statim se propalare.

Scio quòd Doctores contrariæ sententiæ dicunt, non priùs quis suspensionem incurrere, quàm à Iudice fuerit declaratum: sed nos respondemus, id esse verùm, quando in Decreto solùm dicitur, *incidant in suspensionem*, vel *sint suspensi ipso facto*. At quando vltra additur, *sine alia declaratione*: vt hîc, tunc non est opus Iudicis declaratione. Et hæc responsio confirmatur ex his, quæ latè tradit Corduba *in suo Quæstionario*, *q.* 3. allegando Caietanum, & Couarruuiam. *Vide ibi.* Et ita etiam hanc censuram fore intelligendam Pius V. viuæ vocis oraculo pluribus Regularibus declarauit, & eodem modo seruari Gregorium XIII. præcipisse summo Pœnitentiario, reliquisque officialibus sacri officij Pœnitentiariæ, testatur Auctor Catechesis Neapolitanæ.

42 Et

42 Et hoc intellige tu, in foro conscientiæ, quia in foro contentioso occultè delinquens non tenetur se prodere: vnde nec statim debet officium suum relinquere cum iactura suæ famæ, & honoris, vt tenet Corduba, Nauarr. Sot. Castro, & alij. Sed debent secretò procurare sibi dispensationem, vel rehabilitationem sine mora, mediis quibuscumque possibilibus vtendo.

Occultè delinquẽs, nõ tenetur se prodere.

43 Idem quoque videtur dicendum de pœna illa priuationis vocis activæ, & passiuæ taxata à Cõgregatione Illustrissimorum Cardinalium contra Regulares alloquentes cum Monialibus; scilicet, quòd si delictum est secretum, non tenetur quis se prodere: sed procurare rehabilitationem secreto modo.

Extẽditur ad pœnam alterius Decreti.

Circa quam prohibitionem ab aliquibus dubitatur; An etiam obliget ad peccatum mortale? Ad quod dico, quòd vigore primi egressus prædictæ prohibitionis disputabatur dubium ad vtramque partem, & probabiliter sententia erat negatiua: nunc autem facta est declaratio ab eadem Congregatione, prout referunt nostra statuta; scilicet quòd præter pœnas positas, est etiam peccatum mortale: vnde non relinquitur disputationi locus. Verba Decreti sic se habent; *Sacra Congregatio die prima Iulij 1606. censuit, & declarauit, &c.*

Attentis narratis, ac dubio præfato maturè discusso, ac examinato censuit, ac declarauit; Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam Decreti, quo huiusmodi accessus per sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis Officiorum, ac vocis activæ, & passiuæ, incurrere etiam pœnam peccati mortalis, & ita, &c.

Bene verum est, quòd non incurritur peccatum, Nota.

neque pœna prædicta propter aliquod verbum causa vrbanitatis dictum, dummodò limites non transcendantur, in quo boni viri iudicio standum est: quia parvitas rei in quacumque materia excusat à mortali. Nec etiam incurritur, si quis Religiosus declaret aliquem casum conscientiæ alicui Moniali: cùm talis alloquutio speciem habeat sermonis,& exhortationis. Neque etiam incurrit ille, qui per interpositam personam loquitur,cùm odia sint restringenda.

Excommunicatio quando est latæ sententiæ,& quãdo non.

44 Verùm, vt de hac materia plenior cognitio habeatur, ponam hic aliquas regulas, per quas dignosci possit, quando excommunicatio est latæ sententiæ: & quando est tantum ferendæ, & idem de qualibet pœna dicendum.

Prima regula.

45 Prima regula est; Si Constitutio,seu lex,aut Decretum, interdictúmue iudicis, post excommunicationis pronunciatam sententiam adiungat: *eo ipso, ipso iure, ipso facto, auctoritate nostra, auctoritate huius constitutionis, Canonis,vel Decreti, nulla alia expectata sententia,seu declaratione, sine ministerio iudicis, aut hominis:* cùm de censura excommunicationis agitur, continet latam sententiam; imò verò,cùm aliæ irrogantur censuræ, idem est iudicium faciendum. Regula hæc recipitur ab omnibus in genere censurarum. Alphonsus à Castro *in 2.lib.de lege pœnali, cap.6.* & alij nonnulli valere contendunt eandem Regulam in aliis pœnis,id,quod inficiatur Caietanus *in 2.2.q 62.art.3.* & Sotus *lib.1. de iust. & iure, q.6. art.6.* & Couarrùuias in primo volum. *suarum relectionum.in 4. Decretali.p.2.c.6.num.10.*vbi disputat aduersus Castrũ,quem à cõmuni opinione dissentire probat,suámque cõfirmat auctoritate Caiet.& Sot.*vbi sup.* & Adrian.*in quolib.6.art.1.illat.3.*

46 Secunda

Secũda regula.

46 Secunda Regula; Sententia excommunicationis est latæ sententiæ;quãdo seu constitutio, seu lex, seu auctor sententiæ vsurpat quasdam dictiones, quæ temporis omne interuallum excludunt, vt sunt hæc; *Subitò,statim,confestim,continuò, incontinenti,è vestigio,repentè, sine mora, incunctanter,indilatè, immediatè.* Ad quod diligenter probat Castrus *in 2. lib.de potest.leg.penult.cap.7.§.6.* in quo adiutum sese confirmat studio Iurisconsultorum: quare citatis legibus,& Canonibus cuncta confirmat.

47 Sed dubitationem habet aduerbium, *mox*, exprimatne latam sententiam, an significet ferendam? Castrus, *loco citato,* secutus quendam Simonem, ait;indicare sententiam ferendam: propterea quòd non abijcit omne tempus. Felinus verò *in cap. Rodulphus, de rescript. num.33.* affirmat, aduerbium, *mox*, latam significare sententiam; & citat pro se Baldum *in l.iubemus,2.§.sanè, C. de sacrosanctis Ecclesiis*; Idem tenet Andreas Tiraquellus doctissimus Iurisconsultus in Commentario,*l.si vnquam, C.de reuocand. donat.* & addit; præter Simonem illum, quem secutus est Castrus, nullum se reperisse, qui non idem sentiret, communíque opinioni faueret. Concludítque Tiraquellus, licèt pro subiecta materia varia sit notio huius aduerbij: tamen hanc propriam vim eius esse, vt accipiatur pro *confestim, & sine interuallo:* probat ex Gloss. *in cap. quia propter.de elect.* & ex Bart. & Saliceto *in l.1.ff.si certum petatur.*

Tertia regula.

48 Tertia Regula; In tractatione excommunicationis sanctio, seu Decretum, iustam pœnam infligens excommunicationis, intelligitur habere latam sententiam: cùm verbis vtitur, quæ nullam functionem,munúsve iudicis, hominísve declarant

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad pœnam luendam: nec refert huiusmodi verba, quo tempore, quóve casu efferantur, nisi si quid adderetur, quod interpretationem ad sententiam ferendam deflecteret. Quapropter, cùm legislator, vel iudex dicit; *sit, vel erit excommunicatus* de latæ sententiæ excommunicatione dubitandum non erit. Et quamuis verbum hoc in futuro tempore enuncietur, conseruabit nihilominùs sententiam latam, contra quam nonnulli iuris periti opinati sunt. Probat, quod nos dicimus, Alphonsus à Castro *in 2.lib.de leg.pœnal.cap.*7.§.7.ex can.*si quis suadente diabolo*, 17. *quæst.*4. vbi Pontifex infligens pœnam excommunicationis ei, qui violentam manum inijcit in Clericum, vsurpat verbum, *subiacet*. Canonem autem illum continere sententiam latam excommunicationis, nemini est dubium, qui contulerit eum Canonem cum his, cum cap. *quod translationem, de offic. delegat.* & cap. *fin.de offic. iud. ordin.* & cap. *non dubium*, & cap.*in audientia*,& cap. *relatum, de sent. excomm.* in quibus omnibus locis ostenditur, Canonem, *si quis suadente*, esse latæ sententiæ: quæ etiam est communis sententia. Verbum, *subdo, subdimus, subdatur*, eandem vim prorsus habet, quam verbum, *subijcio*: quamquam Hostiensi,& Ioanni Andreæ secus sit visum in cap.*præterea*,*de iure patron.* quibus eo loco contradicit Castrus. Eandem naturam tuentur hæc verba, *incurrunt,incidat,subeat,sustineat*.

Quarta regula.

49 Quarta Regula; Verbum præsens indicatiui modi, vel etiam præteritum, pœnam infligens, secum trahit sententiam latam, non ferendum: nam si legislator dicit; *excommunicamus*, iam ipse infligit pœnam. Si dicit; *excommunicatus est*, iam inflixit. Idem si dicat; *priuamus, suspendimus*,& similia: concordat

cordat communis consensus omnium Doctorum, vt dicit Castrus *vbi suprà*.

De participio verò præteriti temporis, Felinus in cap.*Rodulphus,de rescript.num.*30.sentit, cùm iungitur futuro, alienari à natura sua, & verti in naturam futuri. Ita hæc omnia genera loquendi,*nouerit se suspensum: nouerit se excommunicatum*: ait, sententiam ferendam, non latam continere. Verùm à sententia ipso dissentit,& à Glossa,& ratione: vt rectè probat Castrus *in eod.cap.*& §. In extremo enim illius numeri 30.scribit Felinus hæc: Noueris te anathemate percussum est latæ sententiæ. Quod confirmat auctoritate Gloss.penult.in cap.*quoniam, de offic.ord.* & Doctorum in eum. Idipsum contra Felinum docet Gloss.in cap.*postremo,de hæret.*in cap.*solutionibus*, & in cap.*si quis,de simonia*.

Quare in eiusmodi legis sententiis spectandum est potiùs participium, quàm futurum. Nam participium conuertit in suam naturam futuri temporis: sicut participium præteritum additum verbo præsentis temporis, illud ducit ad præteritum: vt cùm dicimus,*locupletatus est*. Et vt id pleniùs intelligatur, addo, si participia hæc cum verbis futuri temporis significant perfectam rem esse; qua lege statuitur, vt *erit excommunicatus, suspensus* conficiet sententiam latam: si verò significat rem, quæ statuitur esse faciendam, vt *excommunicandus erit, vel est*, continet sententiam ferendam.

50 Quinta Regula; Cùm lex, seu constitutio vtitur verbis indicatiui modi, quibus vti solet iudex, cùm sententiam pronunciat in reum: vt cùm dicit, *excommunico, interdico, suspendo, priuo*: sine dubio sententia est lata, vt probat idem Castrus *lib.2. de lege pœnali,cap.*6.§.4. *Quinta regula.*

Sexta regula.

51 Sexta Regula; Verba, quæ non tam actum condemnationis significant, quàm actum declarationis, vt *declaramus, cernimus, censemus, iudicamus, credimus*, & alia huiusmodi: tunc latam sententiam ostendunt. Hoc latè probat Castrus, *vbi supr. cap. 7.* qui aliud quoque admonet ad cognoscendum valde necessarium: Quamuis constet, legem quampiam pœnalem latam continere sententiam: nunquam tamen aliquem sententiam, pœnámve subiturum, nisi crimen, cui pœna constituta est, consumauerit, & absoluerit: nam etsi in grauibus, & atrocibus delictis puniatur conatus proximus delicto; ac si delictum esset consummatum, vt gloss. & Doctores affirmant *in l. si quis, C. de Episcopis, & clericis, & l. is, qui cum telo, C. de sicarijs.* Hoc tamen non fit in pœnis, quæ sunt ipso iure, aut per legis sententiam impositæ: ideò nunquàm aliquis incidit in excommunicationem à iure latam: quamuis conetur facere id, propter quod imposita est excommunicatio, nisi iure perfecerit illud, ideſt læserit, vel præceperit, vel consilium dederit. Hoc animaduertit, & dixit, mente semper tenendum Abbas *in cap. cùm in cunctis, §. clerici sanè, de elect. in 2. notab. num. 3.* & alij.

Ex dictis possunt elici plures assertiones.

Assertio 1.

52 Prima assertio sit; Quoties lex, quæ pœna afficit, vsurpat comminationem pœnæ, sententiam habet ferendam. Verba autem minas intentantia sunt: *sub pœna, sub interminatione, sub anathemate.* Hæc assertio est certa, & generalis: eam probat Castrus *vbi supr. cap. 1. §. 1.* Gloss. *in cap. 1. de sagittarijs.*

Assertio 2.

53 Secunda assertio; Lex omnis, quę pœnam irrogat per verbum futuri, aut participium futuri, aut per verbum, quo significatur aliqua actio, continet sententiam à iudice ferendam. Est communis hæc

asser

assertio apud omnes Iurisperitos. Abbas *in cap. si diligenti, de for. comp.* Felin. *in cap. Rodulphus, de rescript.* Castrus *loco cit. §. 2.* Fallit autem assertio: quando copulatur cum Superioribus modis, quibus diximus discerni latam sententiam.

Assertio 3.

54 Tertia assertio; Quando verbo imperatiui modi, lex, seu legislator, vel iudex pœnam imponit: quia semper alteri imperatur aliquid agendum, vel patiendum, sententiam præcipit ferendam: vt glossę testimonio probat Castrus *in lib. 1. cap. 2. de potest. leg pœnal. §. 3.* Excipitur, cùm in modum imperatiuum incidunt, & verba, quæ nullum officium iudicis ostendunt: sed pœnæ tantùm perpessionem, è quo genere suprà diximus esse, *incido, incurro, subiacet, subest*: quæ sententiam habent latam. Deinde excipiuntur modi illi, qui additi imperatiuæ sententiæ flectunt illam ad latam.

Assertio 4.

55 Quarta assertio nuncupari potest Innocentiana: quoniam ab Innocentio excogitata est in explanatione cap. *extirpandæ, de præbend.* quę à magnis, multísque Doctoribus vehementer commendata est. Assertio est talis: Vbi pœna ponitur negatiuè, sine appositione certi temporis, requiritur monitio: quia nobis occultum est, an is, qui omisit, iustam causam habuerit prætermittendi id, quod lex statuit: vt si dicat excommunicationi subdantur non residentes, nullo præfinito tempore. Quando verò pœna ponitur affirmatiuè, vt quicunque percusserit Clericum: vel septa Monasterij ingressus fuerit, sit excommunicatus, nulla opus est admonitione: quia licèt negata lateant, facta tamen patent. Felinus doctrinam hanc Innocentij auream appellat *in cap. 1. de constitut. num. 12. & in cap. 2. de Magistris, num. 4.* In hoc autem secundo loco, subtili, &

pererudito commentario assertionem hanc illustrauit, plurimósque & doctissimos viros nominat, qui eam arripuerunt: vt Hostiensem, Ioannem Andream, D. Antoninum, Imolam, *in idem cap.* Cardinalem *in consil.* 56. quod incipit: *Dum reuerendus.* Baldum *in varias leges, cùm Digestorum, tùm Codicis,* Bartolum in consilio, quod incipit: *testator,* & in Consilio, quod incipit: *pro primo proponatur,* Archidiaconum *in cap. propter, dist.* 18. & alios.

Nec magni refert, si præfata assertio non placeat Nauarro *in Man. cap.* 27. *num.* 118. nec Caietan. in verbo, *excommunicatio, cap.* 23. Cùm tamen placeat non solùm præfatis paulò ante Doctoribus: verùm & Syluestro, verbo, *excomm. tit.* 7. *num.* 53. Tabienæ, *eod. verb.* 5. *casu* 25. *num.* 3. qui aiunt, Innocentij opinionem esse communem.

Assertio 5. 56 Quinta assertio; Quando Doctores de genere sententiæ, censuræ, vel pœnæ controuersantur, sítne lata, an ferenda, & paria vtrinque sunt rationum monumenta, tanquam deferenda censere debemus: quia in dubiis benignior interpretatio facienda est, *per regul. in pœnis, de reg. iur. in* 6.

QVARTVS CASVS.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 *Proprietas directè statui Religiosorum repugnat.*
2 *Papa potest dispensare cum Monacho, vt sit proprietarius iusta de causa.*
3 *Regularis proprietarius peccat mortaliter.*

4 *Proprie*

4 *Proprietas, quæ Religiosis inhibetur, tam est de re pecuniaria, quàm de alia quacunque re.*
5 *Proprietariorum similitudines quamplurimæ.*
6 *Proprietarius est ille Monachus, qui tenet aliquid occultè, & cõtra volũtatẽ sui Superioris. ex Io. And.*
7 *Retentio alicuius rei quando est peccatum mortale.*
8 *Religiosus potest suo Superiori rem occultare duplici ratione.*
9 *Retinere aliquid, non est peccatum mortale, si tria concurrunt.*
10 *Proprium quòdnam est ex Turrecremata.*
11 *Abbas non potest facere statutum, quo ligetur successor: & etiam quod ipse iurauerit seruare statutum, potest illud reuocare.*
12 *Non tamẽ sine iusta causa talis reuocatio fieri debet.*
13 *Religiosus dono recipiens aliquid, vel si à Cõseruatorio sumeret vestes, & alia sine licentia Superioris, non tamen esset proprietarius, concurrentibus, &c.*
14 *Quæ proprietas sit peccatum mortale.*
15 *Appropriatio vnius denarij, vel plurium, non facientium quãtitatem notabilem, non facit Monachum Carthusianum proprietarium.*
16 *Præceptum Regulæ de nihil sibi appropriando, non est fortius, quàm lex Dei.*
17 *Omne præceptum Regulæ S. Frãciſci non est votum.*
18 *Votum est lex quædam, quæ ab hominis voluntate dimanat. Voti omnis violatio non est peccatum mortale.*
19 *Proprietas quando constituat peccatum mortale.*
20 *Parua quantitas in omni genere à mortali excusat.*
21 *Mendozæ opinio reijcitur.*
22 *Ad proprietatem incurrendam requiritur tanta quantitas, quanta sufficeret, vt aliquod furtum laici esset mortale. Hoc autem stat arbitrio boni viri.*

23 *Proprietas non solùm in pecunia, verùm & in quacunque alia re committi potest.*
24 *Dubium de recurrente ad amicos spirituales pro libris emendis.*
25 *Proprietarij casum quando incurrit Religiosus.*
26 *Proprietarij pœna in vita.*
27 *Proprietarij pœna in morte.*

Papa potest dispensare cũ Monacho, vt cõtrahat matrimoniũ. Riccard. D.Bonau. Scotus. Henric. Palud. Durand. Maior. Antonin. Caietan. Angelica. Rosella. Innocent. Panorm. Ioan.And.

1 CAuendum est omninò ab hoc peccato, & Religiosi toto conamine debent à se illud expellere, cùm statui ipsorũ directè repugnet: adeò quòd licèt Papa possit dispensare Monacho iusta de causa, vt contrahat matrimonium: prout habet communis opinio, Riccard. *in 4. d. 38. art. 9. quæst. 1. ad 4. 5. & 6.* D. Bonauenturæ *ibid. art. 2. q. 1.* Scoti *ibid. q. 1.* Henric. *quodlib. 5. q. 28.* Palud. *q. 4. art. 2. concluſ. 11.* Dur. *q. 2.* Maior. *q. 14.* Antonin. *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9.* Caietan. *2. 2. q. 88. art. 11.* Angel. *vot. 2. q. 5.* Rosel. Papa, *num. 4.* estque communis omnium Canonistarum: Gloss. Innocent. Panormit. Ioan. Andr. *in cap. cùm ad Monasterium, §. fin. de stat. monach.* prout factum est de Nicolao Iustiniano Monacho apud S. Nicolaum, & cum Anna. de quo legitur in vita B. Laurentij Iustiniani: & factum fuit auctoritate Alexandri III. Idem factum est inter Cazimirum primum Poloniæ Regem Monachum Cluniacensem Ord. S. Benedicti professum, & Diaconum auctoritate Clem. II. vel Benedicti IX. Idem cum Constantia Rogerij Regis Siciliæ filia Monacha, quæ auctoritate Cælestini III. Henrico VI. nupsit.

Papa potest dispensare cũ Monacho, vt sit proprietarius iusta de causa.

2 Cùm igitur summus Pontifex habeat talem auctoritatem, vt talem dispensationem faciat, & de facto aliquando factum est: nihilominùs non potest dispensare cum Religioso ad habendum proprium,

prium, *cap. cùm ad Monasterium. vbi suprà*, prout habet Nauarr. *lib. 3. consiliorum de statu monach. cons. 13. num. 10.* Quod repetens *in comment. 2. de regul. sub num. 16.* ait: Non quidem, eò quòd putarem, Papam id facere non posse, si aliqua in id, iusta causa occurreret: sed quia nulla talis occurrere posse videatur, ea consideratione, quòd cuilibet, & quantælibet necessitati, & vtilitati, cui posset prouideri per concessionem facultatis habendi proprium primi generis, potest prouideri per concessionem facultatis secundi generis, idest, administrationem, quæ sine sublatione voti competere potest: vt de facto competit Pontificibus maximis de Religionibus probatis assumptis in administranda Monarchia sæculari, quam habent tanquàm Reges Romæ, & totius status Ecclesiastici sine vllo dominio vero vllius rei pecuniariæ. *Sic Nauarr.* Nauarrus.

Vt autem tale peccatum à Religioso detestetur, dicam primò id, quod dicit D. Augustinus *in cap. 2. Regulæ*, relatum à Gratiano *in cap. non dicatis, 12. q. 1.* cuius hæc sunt verba: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Et infrà: *Quicumque autem in tantùm progressus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo: si autem deprehenditur, & conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauiùs emendetur.* Et infrà: *Cùm huius nostræ Congregationis fratres non solùm facultatibus: sed voluntatibus propriis in ipsa ordinationis susceptione renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitùs aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint: certum est, nihil eos habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere. Quòd si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid* D. August.

offerre

offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur: & sic suscipiatur, si ipse mandauerit: de quo tamen nihil fiat, nisi quod Priori placuerit. Hæc ille.

Regularis proprietarius, vt peccet mortaliter.

3 Deinde dico, quòd Regularis habens, vel habere volens proprium, peccat mortaliter. Tùm quia frangit solenne votum paupertatis, quod est mortale, *cap. vouentibus*, 17. *q.* 1. Tùm quia, nisi renunciet illud ante mortem, non debet in sacro loco sepeliri, *cap. Monach. de statu Monach.* Sed in sterquilinio: imò, & si sepultus fuerit in sacro, extrahendus est, si absque magno scandalo id fieri potest, *cap. super quod. de stat. monach. & cap. cùm ad Monasterium, eod. tit.* Cuius rei exemplum narrat D. Gregor. *in 4. lib. Dialogorum.* Tùm etiam per illa verbâ Concilij Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *de regular. Si quis aliquid proprium tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta Regulæ suæ, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

D. Gregor. Cõc. Trid.

4 Hæc autem proprietas, quæ Religiosis omnibus interdicitur, intelligenda est non solùm de proprietate rei pecuniariæ: hoc est pecuniæ numeratæ: verùm, & de quacunque re, quæ pretio æstimabilis est: adeò quòd omnis verus Religiosus per votum paupertatis solenne incapax est dominij, vt iuris cuiuscunque rei pecuniæ numeratæ, & non numeratæ, paruæ, & magnæ: & ita non potest habere dominium etiam vestis, etiam breuiarij: vt gloss. super prædictum *cap. non dicatis*, vbique recepta, dicit: *Et consequenter nec vsumfructum, neque vsum, prout est ius quodam lege humana inductum: quia sunt res pecunia æstimabiles, & pecuniariæ: imò neque possessionem eius, prout est ius insistendi rei.* Vide Nauarr. *in Comm. 3. de regul.*

Nauarr. *Annotandæ sunt hic*

5 Tertiò dico, quòd proprietarij similes sunt vxori

vxori Loth, quæ à flammis Sodomæ, per manum Angeli versùs montem educta, vt saluaretur: quia respexit retrò, vt ciuitatis derelictæ videret incendium, conuersa fuit in statuam salis: sic euenit illis, qui è mundi flammis per misericordiam Dei liberati, vt in monte Religionis saluentur, quia respiciunt retrò, amando scilicet, & possidendo quàm iniustissimè res derelictas, lapides duri euadunt in seruitio Dei, frigidi in charitate, & graues cadendo de peccato in peccatum quousque ad infernum perueniant.

similitudines proprietariorum. *Prima similitudo.*

Similes sunt Hebræis illis, qui manna colligebant, & pro sequenti die abscondebant: quod quia contra Dei præceptum erat, inuenie[illegible]nt eam vermibus scatentem: sic proprietarij, qui res deserti huius mundi pro tempore futuro colligunt, licèt eas veluti manna gustent: euadunt nihilominùs pro eis tot vermes, qui rodant, & stimulent eorum conscientias, donec ad inferna descendant, vbi vermem illum reperient, de quo scriptum est; *Vermis eorum non moritur.*

Secunda similitudo.

Similes sunt Regi Saül, qui contra diuinum mandatum de spoliis inimici tulit, vt Deo sacrificaret: & propterea Regnum amisit, traditus fuit dæmoni, qui eum sæuissimè tormentabat, & finaliter proprijs manibus se interemit, sic proprietarij, sub specie meliùs Deo inseruiendi de spolijs inimici mundi sumunt: sed quia contra emissum paupertatis votum id faciunt, aufertur ab eis Regnum Dei, & in prædam vitiorum traduntur; quæ veluti tot dæmones eos crucient, & denique ab ipsismet vitijs deducantur in infernum, & tunc cognoscent, licèt inaniter, & serò, quòd proprijs manibus semetipsos interemerunt.

Tertia similitudo.

Similes

Quarta similitudo.

Similes sunt Machabæis illis, qui ab inimicis interfecti, dum ad sepulturam ducerentur, inuenta fuerunt sub eorum vestimentis idola, propter quod à suismet socijs derelicti fuerunt, arbitrantibus id eis euenisse, quias res prohibitas celauerunt; sic, iusto Dei iudicio, omnibus proprietarijs eueniet: nam quia res prohibitas à suis Prælatis abscondunt, propterea vitam spiritualem in hoc mundo amittunt, & in alio in mortem æternam incurrunt.

Quinta similitudo.

Similes sunt Iudæ traditori, qui propter hoc peccatum in tantam cæcitatem deuenit, vt Christum vendiderit: & propter quod amissa apostolatus gratia, & dignitate, suum corpus cum bursa, & denariis in ligno suspensus remansit, & anima in infernum miserabiliter descendit: sic proprietarij amittunt dignitatem illam maximam, esse scilicet coronatos inter omnes illos cœli reges, de quibus in Euangelio Dominus dicit Matth. 5. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum cœlorum:* & corpus, quod tantoperè dilexerunt, postquam à vermibus fuerit corrosum, simul cum anima post diem Iudicij in inferno cruciabitur in sempiternum.

Matth. 5.

Sexta similitudo.

Similes sunt Ananiæ, & Sapphiræ, qui propterea quòd partem denariorum absconderunt, ne in communem omnium vtilitatem eam darent, ad quod propter emissum paupertatis votum tenebantur, iusto Dei iudicio mortui in terram ceciderunt: vt ex hoc saltem proprietarij pertimescant, qui à vita communi, quam professi sunt, & à voto paupertatis ab eis emisso recedere volunt. Quæ omnia hîc congessimus; vt tale vitium à religiosis mentibus relegaremus.

Vt

Vt autem circa hunc proprietatis casum ordinatim procedamus, tria sunt videnda per ordinem. Primum, quid sit proprietas, & quis sit, & dici debeat proprietarius. Secundum, an quælibet proprietas sit peccatum mortale. Tertium, quanta debeat esse proprietas, vt sit peccatum mortale.

Proprietarius quis.

6 Quoad primum, proprietarius est ille Monachus, qui tenet aliquid occultè, & contra voluntatem sui Superioris. Sic habet Io. Andr. communiter receptus *in c. cùm ad Monast. de statu Monach.* & probat Nauarrus *lib. 3. consil. de regul. consil. 75. num. 49.* Itaque iuxta præfatum Doctorem hæc duo concurrere debent simul; scilicet vt Religiosus teneat aliquid occultè, & contra voluntatem sui Superioris, ad hoc vt sit proprietarius: nam si alterum deficit, simpliciter non dicitur proprietarius, vtputà si occultè teneat: sed cum voluntate Superioris, vel si palàm teneat res, vt non solùm Superior, verùm, & alij fratres eas videant, dum Superior tolerat, non est dicendus proprietarius: si verò contradicat Superior, debet puniri, non tanquàm proprietarius sed tanquàm inobediens.

Io. Andr. Nauarr.

Retentio alicuius rei quando est peccatum mortale.

7 Pro cuius maiori cognitione sciendum, quòd retinere aliquid notabile cùm animo illud occultandi Prælato, cuiuscumque generis sit, illud est peccatum mortale: ita diffinitur in iure, & tradunt, post alios, Turrecremata *in c. non dicatis, art. 5.* & Nauarr. *ibi.*

Turrecremata.

Nota.

8 Sed est notandum, quòd duplici ratione, potest Religiosus rem aliquam suo occultare Prælato. Primò, ne illa spolietur: secundò, ne fortè reprehendatur, quia sine eius consensu eam suscepit, & qui rem occultat Prælato, quia iure, & meritò sibi eam auferendam à Prælato existimat: peccat

cat contra vsum & est proprietarius, ac proinde peccat mortaliter. Si verò ea intentione occultet, quia existimat, non quidem se re illa spoliandum: sed solùm reprehendendum, quia inconsulto Prælato eam possidet, tunc eum ad peccatum mortale minimè condemnarem, si in præparatione animi esset præparatus eam Prælato tradere, & minimè retinere, si intelligeret eum minimè sibi id concessurum. Imò si quis recipit, vel acquirit aliquid notabile sine Superioris licentia, peccat mortaliter: sic Nauarr. *in cap. non dicatis, num.* 16. *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach. num.* 25. Et probatur in Iure Canon. *vbi suprà*, sic; *Si quippiam fuerit Religioso speciale destinatum, non præsumat illud accipere.* Et Concil. Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 3. postquàm decreuit, vt nulli Regulari liceat aliquid, vt proprium possidere, addit; *sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuiq; incorporentur.* Quod intelligitur de re notabili, & magnæ quantitatis, seu valoris: nam si rem mediocris valoris suscipit ab extraneis, aut tradit alteri fratri, aut commutat cum alio: per huiusmodi actiones non præiudicatur in aliquo Monasterium, & compertum habeat, si à Prælato facultatem postulasset ad eas actiones, sibi minimè denegandam fuisse, non peccat mortaliter.

Retinere aliquid non est peccatũ mortale, si tria concurrunt.

9 Quod vt procedat, triplici moderatione debet moderari. Prima est, quòd subditus promptum, & expositum habeat animum non occultandi: sed potiùs resignandi in manus Prælati talia bona accepta, retenta, permutata & quoties Prælatus exegerit. Secunda, quòd per Prælatum, aut constitutiones talis Religionis non sit in virtute obedientiæ, aut cum simili rigore interdicta talis receptio,

ceptio, retentio, seu permutatio. Tertia, quòd exploratum, & compertum habeat subditus consentire Prælatum, saltem interpretatiuè, in eam rem; ita vt si ab ipso peteretur licentia, eam expressè daret quamuis modus clandestinè faciendi sibi displiceat.

10 Proprium est omne illud, inquit Cardinalis de Turrecremata *in cap. non dicatis, quæst.* 1. *num.* 8. quod non est resignatum in manu Prælati, & non administratur in communem vtilitatem Monasterij, nec est reseruatum sub communi custodia. Hinc infertur. *Proprium quodnam est.*

Primò, quòd qui tenet res, vel actu resignatas in manu Prælati, vel saltem in præparatione animi; vt dictum est paulò antè, quòd propter hoc non est censendus proprietarius. *Primũ corollarium.*

Secundò infertur, quòd si Superior concesserit Monacho vsum, seu detentionem alicuius rei, quòd potest hanc licentiam semper, & ad libitum reuocare: adeò quòd si ipse Religiosus negaret reddere Superiori semel concessum, vel non esset animo paratus ad resignandum ipsi Superiori, quotiescumque voluerit, esset in peccato mortali, & esset casus reseruatus. Ratio est, quia *in cap. cùm ad Monasterium, §. tales, de statu Monach.* dicitur, quòd Religioso committatur aliqua obedientia possidenda, tanquàm in sua sibi vita locetur: sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur. *Secundum corollariũ.*

11 Per quod dictum determinat ibi Panormit. communiter receptus, quòd Abbas, & Conuentus non possunt facere statutum, per quod ligetur successor: & quòd Abbas non ligatur suo statuto, licèt cum Conuentu id fecerit, quo minus possit *Panorm.*

contrauenire. Nam Monachi non possunt illi resistere, cùm debeant obedire, & eorum velle dependeat à voluntate Abbatis; *cap. Religiosus, de elect. in 6.* adeò quòd tenet Io. Andr. *in cap. non est obligatorium, de regul. iuris, in 6.* quòd etiamsi Abbas iurauerit seruare statutum, nihilominùs reuocatio tenet, licèt incidat in periurium. Per quod Panormit. *vbi suprà*, tenet, quòd si Abbas concedat Priori obedientiam, vt ad vitam teneat quendam Prioratum, seu administrationem sibi concessam, potest nihilominùs eam reuocare: quia non potest sibi Abbas imponere legem, nec venire contra dispensationem iuris: quia labefactaretur vis voti obedientiæ, quod est vnum de substantialibus Regulæ.

Panorm.

12 Verum est tamen, vt hoc etiam subiungamus, quod licèt huiusmodi reuocatio facta de rigore iuris valeret: non tamen debet fieri sine iusta causa talem concessionem reuocante, provt dicit Nauarr. *in cap. non dicatis, num. 42. & n. 48.* Et propterea non possunt Prælati Regulares amouere Prælatum Conuentualem à Prælationibus, quas ipsi assignauerint, si causa ad talem amotionem faciendam legitimam non interuenerit. Et ita fit in Religionibus benè ordinatis, vt Prouinciales licèt possint suspendere Guardianos iusta de causa id postulante, non possunt tamen eos omnino à Guardianatu priuare: nisi causa priuationis ad diffinitorium deferatur, & consilio Patrum diffinitorij legitima, & iusta censeatur. Sed hoc est extra nostram materiam, & occasionaliter de eo locuti sumus; nunc prosequamur incœptum.

Nauarr.

3. Coroll.

13 Tertiò infertur, quòd si Regularis dono aliqua acciperet, vel à conseruatorio bonorum caperet habitus, vestes, calceos, & similia sine licentia Superioris, licèt faceret contra votum, & Regulam: non tamen esset proprietarius, si ea detineret, tanquàm dependentia à voluntate Prælati in loco patenti. Vide pro hoc, quæ habent Doctores *in cap. cùm ad Monast. de statu Monach.* vbi huius materiæ sedes iacet: quibus adde textum *in cap. exijt, de verb. significat. in 6.* & Clemen. *exiui de Paradiso.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 3. & ibi sequaces. Anton. 3. *part. titul.* 16. *capit.* 1. §. 11. Concil. Trid. *sess.* 25. *de regular. cap.* 1. & 2. Syluest. verbo, *Religio*, 6. *num.* 7. Nauarr. *in cap. non dicatis, num.* 17. *& in consilijs de statu Monach. cons.* 3. *vel de regular. cons.* 75. Politius *in exposit. nostræ Regulæ, cap.* 6. & ibi omnes alij expositores.

D. Thom. Antonin. Cõc. Trid. Sylueſt. Nauarr. Politius.

14 Quoad secundum, An quælibet proprietas sit peccatum mortale: & circa hoc animaduertendum est, quòd apud multos Patres diu viguit sententia, vt etiam de vna acu si frater fieret proprietarius, mortaliter peccaret, si illam teneret occultè, & contra voluntatem Superioris, vel expressam, vel interpretatiuam: & moti sunt ad hoc asserendum propter verba Regulæ S. Patris nostri Francisci *in 6. capit.* vbi sic ait; *fratres nihil sibi approprient.* Hinc dicebant opinantes, qui dicit nihil, omne excludit; nec valet, aiebant, illa Regula in hoc: *Parum pro nihilo reputatur*, sicut si quis nouisset dicere vnam coronam de B. Virgine, & dimitteret dicere vnum *Aue Maria*, votum propter hoc non frangeret: nisi etiam de illa re minima votum fecisset, scilicet de non relinquendo nec vnum *Aue Maria*: nam tunc teneretur etiam ad illam rationem voti. Sic etiam est in casu nostro aiebant illi: nam cùm nos ex Regula habeamus;

An quælibet proprietas sit peccatũ mortale.

fratres sibi nihil approprient : fit, vt quælibet res, etiam minima, veluti de acu, possit frater esse proprietarius. Et confirmatur per ea, quæ habet Nauarrus *in consil. de Regular.consil.7.num.*10. vbi recitat esse quosdam Monachos Carthusianos, qui aiunt sufficere quamlibet rem minimam; modò ea mente accipiatur, vel retineatur, vt velit eam sibi appropriare: ita quod occultans vnum denarium, vel vnum obolum, vel volens habere illum clàm, nolente Superiore, peccat mortaliter. Et *num.*13. ibidem ait; Sextò, vrget grauiter statutum eiusdem ordinis positum in secunda parte statutorum antiquorum, *cap.*31. disponens, quòd Monachi defuncti in proprietate duodecim denariorum, & infrà, non sepeliantur in cœmeterio, aut sepulti exhumentur. Ex quo palàm colligitur, eum, qui admittit proprietatem summæ minoris summa duodecim denariorũ, debere carere sepultura Ecclesiastica: qua tamen non debet carere quis ob peccatum veniale. Præterea S. Thom. 2.2. *quæst.*66. *articul.*6. *ad* 3. expressè videtur dicere, quòd furans aliquod minimũ, mente nocendi domino eius, peccat mortaliter. Præterea, omnis proprietas, siue voluntas appropriandi in vniuersum est vetita Monachis, *cap.cùm ad Monast.*& voluntas appropriandi vnum denarium, est proprietas, & voluntas appropriandi: ergo est etiam illa vetita & consequenter videtur mortifera.

Nauarr.

Vera resolutio.

15 His tamen non obstantibus oppositum est dicendum, scilicet quòd appropriatio vnius denarij, vel plurium non facientium quantitatem notabilem, non facit Monachum Carthusianum peccati mortiferi reum. Sic Nauarr. *vbi supr.* Et à simili est dicendum in nostra Religione, scilicet quòd appro

appropriatio vnius acus, vel similis rei non facit Minoritam peccati mortiferi reum. Et ratio firma est, quia licèt omnis transgressio præcepti obligantis sub pœna peccati mortiferi, sit regulariter mortifera: fallit tamen quoties vnum de tribus concurrit, scilicet rei paruitas, subreptio, vel defectus iudicij ad id sufficientis. Sic Nauarr. *in Man.cap.*11.*n.*4. At in proposito nostro, in transgressione præcepti Regulæ, de nihil sibi appropriando, per huiusmodi appropriationem occurrit paruitas rei, vt palàm est: ergo illa non est mortifera.

Tria excusant à peccato mortali.

16 Deinde præceptum Regulę de nihil sibi appropriando, non est fortior, quàm lex Dei, de nihil furando: imò, nec adeò fortis, quia hæc est lex naturalis, & diuina, sine vllo facto humano mediante obligans: illa est verò humana, aut certè diuina, mediante facto humano (scilicet voto) obligans: transgressio autem legis de non furando, excusatur à culpa mortali propter rei exiguitatẽ: vt vult S.Thom. 1.2. *quæst.*88. *art.*5. Præterea contraria opinio, inquit Nauarrus ibidem, nimis videtur accedere ad hæresim Lutheranorum, asserentium omnia peccata esse mortalia, & nulla venialia. Et quidẽ arbitror actum fore de omnibus nobis, si per exiguitatem, & paucitatem non excusaremur à culpa mortifera.

Confirmatur.

S.Thom.

Ad rationes autẽ prioris sententiæ respondetur.

Ad primum de statutis Patrum Carthusianorum, Nauarrus, *vbi suprà*, putat, literam statutorum in curia librariorum vitiatam esse, & habere, *infra*, pro *vltra*: & est optima responsio.

Ad illud D. Thomæ respondet Gratianus, esse intelligendum de illo, qui furatur minimum: non solùm simpliciter, animo nocendi Domino illius, sed notabiliter.

Ad aliud verò sequens conceditur, omnem voluntatem appropriandi esse Monacho peccatum: sed negatur, omne tale peccatum esse mortiferum.

Præceptum omne Regulæ S. P. Francisci, an sit votum.

17 Prætereà negatur, omne præceptum Regulę nostræ esse votum: nam exceptis præceptis de castitate, obedientia, & paupertate, quæ sunt formaliter vota: reliqua verò præcepta non sunt computanda inter vota solennia, sed solùm sunt præcepta nobis tradita ad instar præcepti ieiunij Quadragesimalis, Christianis per Ecclesiam impositi.

Nam, si omnia præcepta Regulę nostræ sunt vota: quæro súntne simplicia, an solennia? Simplicia autem minimè, nullum enim tale emittimus in professione: si autem sunt solennia, iterùm rogo, comprehenduntúrne talia præcepta sub voto abdicationis, proprietatis, aut cõtinentiæ? Nequaquàm: nullus enim hactenùs in eam incidit amentiam, vt mandatum ieiunandi, non equitandi, preces canonicas persoluendi, & alia huiusmodi generis, quæ Minoribus fratribus prępipiuntur, affirmare audeat esse materiam paupertatis, aut continentiæ; vt sub his votis contineantur.

Dices, vniuersa præcepta contineri sub voto solemni obedientiæ: sed neque hoc, nam nihil in hac re tam certum est apud sapientes Catholicos, quàm neminem esse reum voti solennis obedientiæ, nisi ea solùm quis prætermittat, quæ virtute obedientiæ, aut sub excommunicatione latæ sententiæ sibi à Prælato, aut verbo tenus, aut scripto præcipiuntur. Si igitur præcepta sub nullo trium votorum solennium continentur, perspicuum est, non esse vota. Videatur Rodriquez *in tom. 1. qq. regular. q. 26. artic. 4.*

Votũ quid.

18 Sed esto, sint vota: nihil tamen contra ea, quæ

quæ determinata sunt: nam votum est lex quædam, quæ ab hominis voluntate dimanat, quam quisque sibi ponit: ergo non aliter obligare debet, quàm si eadem lex ab Ecclesia, vel à Deo ipso imponeretur: homo enim sibi leges præfigens intendit se obligare instar legis, & non aliàs: eo, inquam, modo, quo lex Diuina, vel Ecclesiastica obligaret, si id præciperet. At in legis diuinæ transgressione paruitas rei excusat à mortali: ergo. Hinc sequitur, quòd omnis voti violatio peccatum est, sed non semper mortiferum, quia ob exiguitatem desinit esse mortifera, sicut furtum, & quælibet alia transgressio præcepti minima.

Voti omnis violatio nõ est peccatũ mortiferũ.

Concluditur ergo, quòd non omnis proprietas sit peccatum mortale: vnde licèt S. Bernardinus ponat quamplures casus proprietatis: non propter hoc sequitur, quòd omnes illi sint mortiferi.

S. Bernard.

19 Quoad tertium, quanta scilicet debeat esse proprietas, vt ob eam Religiosus peccet mortaliter, & incurrat in casum reseruatum? Circa hoc multæ sunt opiniones Doctorum: nam quia id non est determinatum in iure, vnusquisque loquitur probabiliter. D. Anton. 3 *par. tit. 16. cap. 1. §. 11.* tenet, etiam paruam quantitatem, quam non est paratus subditus assignare in manibus Prælati ad requisitionem ipsius, esse peccatum mortale, recipere, vel retinere. Et Gerson *Alphabeto 24. litera S, dub. 3.* affirmat, quòd etiam cultellum, aut filum, aut acum, sine licentia generali, vel speciali, dare, vel accipere, est peccare mortaliter.

Quãdo proprietas cõstituat peccatũ mortale.

D. Anton.

Gerson.

20 Verùm, vt dictum est suprà, hoc nimis rigidum videtur: nam parua quantitas in quocunque genere excusat à mortali: quod idem dixit Nauarr. *in Comm. de furt. & rap. in repet. cap. fin. 14. q. 6. num. 11.*

Parua quãtitas excusat à mort. in omni genere.

Nauarrus.

Mendoza sententia.

21 Nec approbo id, quod habet Mendoza *in quodlib.quæst.8.de pauper.relig.pag.571.* nempe, quòd non videtur sibi peccare mortaliter ille Religiosus, qui quantitatem, seu valorem duorum argentorum recipit, aut expendit, & consumit inconsulto Prælato: imò etiam palàm dicente Prælato, ne eos expendat: & ratio ipsius est, quia quantumuis Prælatus neget licentiam, & palàm dicat, ne id fiat: adhuc subditus in re tam paruæ quantitatis censetur operari cum licentia rationabiliter præsumpta: nam licèt Prælatus eam neget, non tamen rationabiliter, sed potiùs irrationabiliter negat. Longè enim irrationabile videtur, & durum, quòd Prælatus velit habere Religiosum tanquàm seruum, vel mancipium: cùm aliter omnino res se habeat. Certè si maritus nullo modo permitteret, imò omninò prohiberet vxori facere eleemosynam, etiam paruam, non peccaret illa, contrà faciendo in parua quantitate: quia cùm maritus rationabiliter debeat talem licentiam vxori concedere, si iam negat, irrationabiliter negat: ac proinde nihil curandum est de eius negatione, & nolitione: quæ est communis Theologorum sententia, cùm de eleemosyna disputant.

Mendoza reijcitur.

Hoc, inquam, non approbo: tum quia Prælato licentiam negante ad prædicta, non est credendum id irrationabiliter negare: cùm pro Prælato sit semper iudicandum: & si subdito huiusmodi iudicium in his committeretur, obedientia simul cum paupertate corrueret: tùm quia argumentum de vxore respectu mariti non vrget contra nos, cùm vxor paupertatem non vouerit: & licèt sit sub potestate viri, non tamen est serua, & ancilla, sed data vt socia, cùm oportuerit hominem non esse solum, sed fecerit Deus adiutorium simile sibi. Nec in hoc facimus

cimus seruum, sed facimus eum subditum sectatorem sanctissimę, & altissimę paupertatis. Sed prosequamur placita Doctorum. Nauarr. *vbi supr.* multa dicit, & variat. Nam *in Manual.cap.17.num.3.* dicit, quòd pro quantitate peccati mortalis sufficit dimidium Iulij seu Caroleni. In consiliis verò tenet, appropriationem vsque ad Iulium, siue Regale, non esse peccatum mortale, sed si excedit. Noster Pater Sorbus *in addit.ad compend.priuileg.* dicit, quòd valor duorum Iuliorum. Rodriquez *in summa tom.1. cap.150.num.6.* ait, quòd inter homines communes, quatuor, aut quinque argentei sunt sufficientes, vt efficiant peccatum mortale: & inter pauperes vnus, aut duo argentei.

Nauarrus. Sorbus. Rodriq.

22 At placet id, quod habet Pater Graffius hîc; requiri scilicet tantam quantitatem, quanta sufficeret, vt aliquod furtum laici esset mortale: hoc autem stat arbitrio boni viri.

Graffius.

Proprietas non solùm in pecunia, verùm, & in quacũq; alia re cõmitti potest.

23 Placet etiam hîc animaduertere cum eod. P. Graffio, quòd talis proprietas licèt videatur sonare in pecuniam: nihilominùs cùm nomine *pecuniæ*, non solùm numerata pecunia veniat: sed omnes res, tam mobiles, quàm immobiles: ideò hîc includitur proprietas non solùm pecuniæ numeratæ, sed etiam cuiuscunque rei mobilis, vel immobilis.

Dubium.

24 Dubitatur hîc; An Religiosus faciat contra voluntatem Superioris, & per consequens sit proprietarius, si ab externo nummos accipit, & libros emit, quos apud se retineat in cella: loquimur autem de Religioso, qui nulla Regula, constitutione prohibetur, pecuniam per se, vel alium recipere? Respond. si inscio Superiore id faciat, videndum esse, an his pecuniis, & libris vtatur absque Superioris voluntate expressa, vel tacita, an secùs. Si primum,

Respons.

Instantia. mum, contra paupertatem delinquit, quoniam vsum sibi vendicat, & retinet. Si secundum, non peccat: sciscitaberis, an si libros ex pecuniis sibi datis emerit Religiosus, inscio Superiore, eósque tantummodò vsus gratia penes se retineat: sed palàm inter libros cæteros, quos Superioris concessù, & voluntate habet in cella expositos, censeatur vsum eorum habere citra vllum Superioris consensum

Respons. expressum, vel tacitum? Respond. eum nequaquàm esse condemnandum tanquàm paupertatis violatorem: quamdiu eos tenet in cubiculo palàm expositos, omnibúsque obiectos: nam quicquid hoc modo Religiosus habet, Superiorum suorum voluntati, potestatíq; subiicitur: quòd si eos omninò Superioribus celet, violatæ paupertatis reus habetur.

Proprietarij casum quando incurrat Religiosus. 25 Ex dictis concludimus, quòd ad hoc, vt Religiosus sit proprietarius, & incidat in casum, necesse est, vt possideat rem alicuius momenti, saltem dimidij aurei, siue sint denarij, siue aliæ res. Deinde vt occultè eam retineat, absque licentia Superioris: & vltimò, quòd non habeat animum paratum ad resignandam in manibus Prælati, si eam requirat.

Proprietarij pœna in vita. 26 Quòd si quis proprietariorum pœnam scire desiderat, dicam, quòd tam in vita, quàm in morte punitur in iure. Nam Innocentius III. statuit, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: & quòd si proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam.

Proprietarij pœna in morte. 27 Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte: ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio sepeliatur, secun

secundùm quod B. Gregorius narrat *in Dialogo* se feciſſe. Habetur hoc *in cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu monachorum.* Vide in Compend. priuileg. *titul. paupertas*, §. 1. In conſtitutionibus quoque Religionum aliæ aſſignantur pœnitentiæ in vita ipſis proprietariis infligendæ, quæ quia diuerſæ, & variæ ſunt, prout etiam varię, & diuerſæ ſunt Religiones, propterea ad eas Lectorem remittò. S. Gregor. Compend. priuileg.

QVINTVS CASVS.

Iuramentum falſum in iudicio regulari, & legitimo.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regularium in cauſis ad S. Officium pertinentibus, non poſſunt ſe immiſcere ex Conſtitut. Pauli V.*
2 *Pius IV. iuſſit Inquiſitores procedere contra quoſcunque Regulares, dummodò ab eorum Superioribus non fuiſſent præuenti.*
3 *Paulus V. reuocat omnes tales facultates.*
4 *Regulares omnes Ordinarijs, & Inquiſitoribus liberè denunciari mandat.*
5 *Cauſas coram ipſis Prælatis pendentes, Inquiſitoribus, & Ordinarijs committi iubet.*
6 *Prælatos ad tranſmittendum omnia acta, & omnes Regulares de hæreſi ſuſpectos iiſdem Ordinarijs, & Inquiſitoribus mandat.*
7 *Contrauenientibus pœnas imponit.*
8 *Iudices Regulares ſunt etiam Patres.*
9 *Iudex Regularis poteſt procedere vel vt Iudex, vel vt Pater.*

10 Iudi

10 *Iudicium regulare quid.*
11 *Index sæcularis peccat iudicando de rebus: & de personis Ecclesiasticis.*
12 *Exemplum Constantini Magni in Concil. Nicæno.*
13 *Index sæcularis nullo modo potest personas Ecclesiasticas iudicare.*
14 *Iudicium legitimum quid.*
15 *Iudex competens quis.*
16 *Ordinaria potestas quæ. Delegata quæ.*
17 *Ordo procedendi triplex, per Denunciationem, Inquisitionem, & Accusationem.*

MAteria hæc necessariissima est, non solùm pro intelligentia huius casus: verùm & pro iudiciis, quę fiunt multoties apud Regulares: de qua re fusè tractant Alex. de Ales *p.3.q.40.* vbi de iudiciis. D. Thomas, & Caietan. *2.2.q.69. & 76.* Dominicus Soto *de iustit. & iure, lib.5. & de rat. teg. vel deteg. secr.* Nauarr. *in rubr. de iudicijs, & in Manual. cap.25.nu.12.* Bannes, Salon. Arragon. *2.2. quæst.62.* D. Anton. *part.2.tit.1.cap.19.* Sylvest. & Angelica, verbo, *iudicium*, & verbo, *iudex.* Valent. *tom.3.disp.5. q.11.* Medina *instr. confess. cap.14.* Tolet. *lib.5. summæ, cap.56.* Aretinus *in sua Practica criminali pro Religiosis.* & alij quamplures.

1 Circa quam materiam, antequàm veniam ad declarationem huius casus, præmitto.

Primò, quòd Superiores Regularium, licèt anteà ex concessione summorum Pontificum poterant se ingerere in causis Inquisitionis suorũ subditorum: tamen ex constitutione Pauli Papæ V. modò non possunt: ipse enim summus Pontifex prohibet omnibus, ne circa talem materiam quidquam agãt: sed ad Inquisitores omnia remittant; prout sequitur.

CON

CONSTITVTIO PAVLI V.

Romanus Pontifex ea interdum, quæ à prædecessoribus suis, temporum, & rerum qualitate, id tunc exposcente, prouidè pro hæresum extirpatione sancita sunt, nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaq; desuper disponit, & ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Pius IV. iussit Inquisitores procedere cõtra quoscumq; Regulares, dummodò ab eorum Superioribus non essent prauenti.

2 *Dudum siquidem felic. record. Pius Papa IV. prædecessor noster, sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus Christiani orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam Generales, quàm in quibusuis Prouincijs, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis pro tempore deputati particulares contra omnes quorumcumque ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles; dummodò ab eorundem professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultatem Officij Inquisitionis ipsius prauitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos secundùm canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in literis ipsius Pij prædecessoris latiùs continetur.*

Hic modò põt. facultatem quibuscumq; Ordinum Prælati cognoscendi causas Regulariũ, ac Officiũ In-

3 *Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione prædictorum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quò minus causæ huiusmodi ea, qua decet, diligentia cognoscantur; Nos de consilio Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra*

etiam

quisitionis spectantes. quoquo modo cõcessam reuocat.

etiam perpetuò valitura constitutione, omnia, & quæcumq; Priuilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus Superioribus, & Prælatis quorumcumq; Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum Regularium cuiuscuis Ordinis, & instituti; etiam in dicta constitutione non expressorum, & quantumuis exemptorum, & quocumq; nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, & sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum officium quouis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi, quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò cassamus, reuocamus, & abolemus, ipsisq; Generalibus Superioribus, & Prælatis; vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu præuentionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, nécne, in eisdem causis, tàm motis, quàm mouendis, quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtiùs inhibemus.

Regulares omnes Ordinarijs, & Inquisitoribus liberè denunciari mandat.

4 Volentes, & expresè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum cum vicinioribus liberè denunciare absque eo, quòd Superiores prædictas personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant seu præsumant.

5 Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum Officium

Officium quomodolibet spectantes, & pertinentes coram Generalibus Superioribus, & Prælatis huiusmodi, in quibuscumq; locis existentibus, ac contra quoscumq; Religiosos, vt præfertur, exemptos motas, & pendentes ad nos harum serie auocamus, easq; omnes in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius prauitatis Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus terminandas committimus.

Et causas coram ipsis Prælatis pendentes Inquisitoribus, & Ordinarijs cõmittit.

6 Præterea ipsis Generalibus Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus; vt omnes processus, & acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu Ordinarijs prædictis respectiuè remittant, & consignent, nécnon professores fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse nouerint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda eisdem Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus respectiuè denuncient.

Prælates ad transmittendum omnia acta, & omnes Regulares de hæresi suspectos ijsdẽ Ordin. & Inquisit. iubet.

7 Quòd si Generales, aliiq; prædicti præsentibus literis non paruerint, eos omnes priuationis quarumcumq; dignitatum, seu Prælaturarum, vel Officiorum suorum Ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæq; inhabilitatis ad easdem, nécnon contra fautores hæreticorum, & impeditores officij statutas, & inflictas pœnas, aliasq; censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua, non nisi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

Contrauenientibus pœnas imponit.

8 Secundò præmitto, quòd in Religionibus Iudices sunt etiam Patres, propterea debent attendere diligenter, vt quoad fieri possit, nihil de supplicijs cogitent. Monachorum vitia radicitùs euellant, eorúmque piè medeantur vulneribus.

Iudices Regulares sũt Patres.

Hinc D. Benedictus in sua Regula *in c.* 3. scripsit, quòd

quòd meminisse debent Superiores, quo nomine sint insigniti, Patres videlicet: atque idcircò curent rem ipsam egregiè præstare. Et noster Seraphicus Pater S. Franciscus *in decimo capitulo suæ Regulæ*, ait; *fratres, qui sunt Ministri, & serui aliorum fratrum, visitent, & moneant fratres suos, & humiliter, & charitatiuè eos corrigant.* Nam, vt correctio prosit, humiliter, & charitatiuè fieri debet: modum tamen humilitatis, compassionis affectum nec in ipso rigore deserere debet, si corrigendis cupit prodesse, & vsque adeò humilis debet esse correctio, vt saltem contumelia careat: infirmas enim animas sæpè ad irreuerentiam, & desperationem contumelia mouet, adeò charitatiua, vt odio, vel indignatione nihil agat. Nec solùm in Regula: verùm & aliàs sæpè in suis epistolis monuit sanctus Pater noster Ministros suæ Religionis, vt tanquàm Patres curarent reducere ouem perditam ad ouile. Facit ad hoc id, quod docet D. Gregor. in suo Pastorali, dum ait; *Actio congruat nomini nomenq; actioni, ne sit nomen inane, & crimẽ immane; honor sublimis, & vita decliuis.*

S. Francis-cus.

S. Gregor.

9 Sciat ergo Iudex Regularis, quòd duobus modis, potest procedere contra suos subditos, vel vt Pater, vel vt Iudex: quando, vt Pater agit, tunc, vt docet Panormit. *in cap. reprehensibilis, de appellat. & in c. cùm continet, de foro comp.* potest, iudicij forma omissa, rẽ, vt sibi libet, gerere: nihil scilicet de suppliciis cogitando, sed alia via Religiosorum vitia euellendo. Quãdo verò, ait, vt Iudex; tũc secundùm allegata, & probata debet procedere, aut seruato Iuris ordine, aut sũmariè, de quibus omnibus infrà.

Iudex Regularis potest procedere vel vt Iudex, vel vt Pater. Panorm.

Diuisio huius materiæ.

Pro intelligentia autem casus, & dicendorum, necesse est considerare, quid sit Iudicium Regulare, & quid sit Iudicium legitimum.

10 Iudicium

10 Iudicium Regulare, quantum ad præsens attinet, est illud, quod fit apud personas Regulares: non enim hîc est sermo de Iudicio, quod fit apud sæculares. Et præterea dicitur Iudicium Regulare, quia de rebus regularibus, & Ecclesiasticis solæ personæ Regulares, & Ecclesiasticæ respectiuè possunt cognoscere.

Iudicium regulare quid.

11 Vnde communiter Doctores asserunt, peccare Iudices sæculares, & contra iustitiam facere, iudicando de rebus spiritualibus, & de personis Ecclesiasticis: vtputà Clericis, & Religiosis, taléque iudicium nullum est; cùm Clerici, & Regulares omninò sint exempti tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, à iudicio sæculari; vt latè docet Sotus *lib. 3. quæst. 4. art. 2.* Salon. 2. 2. *q. 65. art. 1.* & colligitur ex dist. 19. *per totum*, & ex Decret. *titulo de Immunitate Ecclesiæ*, & cap. *sæculares, de foro comp. in 6.* & ex Concilio Constantiensi *sess. 8. errore* 12. 13. & ex Concil. Trident. *sess. 15. de reform. c. 20.* vbi renouantur sacri Canones, & Concilia omnia Generalia, & Apostolicæ sanctiones in fauorem personarum Ecclesiasticarum, & libertatis Ecclesiasticæ: & ex iure ciuili in Auth. *vt Clerici proprios iudices conueniant.*

Iudex sæcularis peccat iudicãdo de rebus, & de personis Ecclesiasticis.

Sotus. Salon. Cõc. Cõst. Cõc. Trid.

12 Pro qua re facit notabile illud exemplum Constantini Magni, cùm enim, vt refert Ruffinus *lib. 10. Histor. Eccles. cap. 2.* multi Episcopi in Concilio Nicæno Constantino Imperatori scripta, & libellos continentes crimina aliorum Episcoporum tradidissent, vt ab ipso iudicarentur, & punirentur, pijssimus Imperator, omnibus acceptis publicè in præsentia totius Concilij omnes illos libellos clausos, nec lectos igni tradidit, dicens; *Deus constituit vos Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque*

Exẽplũ notabile. Ruffin. Conc. Nicænum.

quoque iudicandi: & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem ab hominibus, scilicet laicis, iudicari non potestis.

Iudex secularis nullo modo potest personas Ecclesiasticas iudicare.

13 Iudex ergo secularis nullo modo potest personas Ecclesiasticas iudicare: quòd si facit, peccat mortaliter,& in Bullam Cœnæ Domini incurrit,si vel Clericos iudices, vel ad eos forum suum sæculare trahat.

Iudiciũ legitimum quid.

14 Iudicium verò legitimum est;quando Iudex est competens,& iuris ordine seruato interrogat.

Iudex cõpetẽs quò.

15 Iudex ergo debet esse competens, id est, vt suprà reum,aliquam, sed veram iurisdictionem habeat, & adeò est necessaria talis potestas super reum, vt sine ea, sententia data nulla sit, & inualida: quinimò, in eo ipso, quòd Iudex absque auctoritate iudicat, peccat mortaliter, talisque sententia, tanquàm à non Iudice lata, nulla, & inualida est: vt expresè docet S.Thom.2.2.*quæst.*60.*artic.*2. Caiet.& Bannes,Salon.& Arragon.*ibidem.*

Ordinaria potestas quæ.

16 Vt autem Iudex legitimè iudicare possit,necesse est, vt habeat iurisdictionem vel Ordinariam, vel Delegatam:Ordinaria potestas est illa, quæ alicui ex dignitate,vel ex officio competit: & ita quicumque habet dignitatem, vel officium, cui vel ex iure, vel ex præscriptione, vel ex vsu conuenit iurisdictio, dicitur Iudex Ordinarius.

Delegata potestas quæ.

Delegata potestas est ea, quæ competit alicui ex commissione, seu delegatione alicuius Iudicis Superioris, siue conueniat generaliter ad omnes causas: & lites, siue conueniat specialiter ad aliquam causam, & litem, ad aliqua certa loca, aut ad certas personas:vt constat ex S.Thom. *vbi supr.q.*67.*art.*1.

Ordo procedẽdi triplex, per Denũt. per Inquisit. & per Accusationem.

17 Insuper, vt Iudex legitimè iudicare possit, debet seruare ordinem iuris, secundùm varium, &

& diuersum modum procedendi, qui triplex esse potest: per Denuntiationem,per Inquisitionem,& per Accusationem,de quibus dicendum est per singula: vt *in cap.qualiter,& quando,*2.*de accus.*

DE DENVNTIATIONE.

SVMMARIVM.

1 *Denuntiatio duplex,Euangelica & iudicialis.*
2 *Euangelica denuntiatio duplex.*
3 *Denuntiatio iudicialis duplex,priuata,& publica.*
4 *Excommunicatus maiori excommunicatione, non potest accusare,nec denuntiare.*
5 *Correptio quando præcedere debet denuntiationem, & quando minimè.*
6 *Limitat S.Thomas.*
7 *Vbi damnum Reip. timetur,non est necesse,vt correptio præcedat denuntiationem.*
8 *Si delinquentis non speratur correctio, debet denuntiari.*
9 *Non tenetur quis denunciare Superiori,quæ audiuit à personis infimæ conditionis.*
10 *Subditus quando tenetur obedire præcepto Superioris,& quando minimè.*
11 *Si præcipit sub excommunicatione, ipso facto incurrenda,vel dat iuramentum.*
12 *Si delictum sit in damnum publicum, aut in præiudicium tertij.*
13 *Si non est adhibita correptio, quando tenemur, non obligamur denuntiare.*
14 *Superiorum præcepta semper sunt intelligenda secundùm legem naturalem,& diuinam.*
15 *Non tenemur,si delinquens emendatus est.*

16 *Si delictum quis priuatim scit solus, nõ tenetur reuelare, si timet sibi notabile damnum euenturum.*
17 *Casus, in quibus, non obstante generali mandato, vel speciali, vel etiam excommunicatione, non debet subditus manifestare delictum.*
18 *Quando delinquens est emendatus.*
19 *Quando iudex punitionem non intendit, & iustè procedit, tenemur.*
20 *Quando res est secreta.*
21 *Quando quis eam scit sub sigillo secreti.*
22 *Ad sigillum secreti non tenemur, vbi intercedit damnum Reipublicæ.*
23 *Quando potest probare, & ad hoc cogeretur.*
24 *Quãdo ex leuibus personis scit, denũciare nõ tenetur.*
25 *Denuntiator non tenetur probare.*
26 *Denuntians omninò falsum, debet puniri.*
27 *Prælatus aliquando non recipiat denuntiationem.*
28 *Conspiratio cauenda, & punienda.*

Denuntiatio duplex. Euãgelica. Iuridica.

1 DEnuntiatio, secundùm S. Antoninum *vbi supra* duplex est; Euangelica scilicet, & Iudicialis. Euangelica est illa, quæ fit, præcedente correctione fraterna, de recuperando fratre, antequàm denuntietur Ecclesiæ.

Euangelica denuntiatio duplex.

2 Quæ & ipsa duplex potest esse. Vna, quæ fit Prælato, tanquàm Patri: Altera, quæ fit Prælato, tanquàm iudici. Illa, quæ fit Prælato, tanquàm Patri: tunc fit, quando aliquis post correptum fratrem, & non emendatum, aut quia putauit non emendatum, contempsit illum admonere: & propterea dicit Prælato, tanquàm Patri, vt ipse corrigat, existimans hoc modo illum lucraturum. Quæ verò fit ei, tanquàm iudici, est, quando seruatis, omnibus, quæ Euangelium præcipit, & non iuuantibus,

uantibus, dicitur Prælato, vt illum coram aliquibus corrigat.

Denũtiatio iudicialis duplex, priuata, & publica.

3 Illa verò denuntiatio, quæ est iudicialis, potest esse dũplex: priuata scilicet, & publica. Priuata est manifestatio criminis, qua quis prætendit sibi resarciri damnum receptum, & in suum statum pristinum restitui. Publica est, qua iudex ex officio per denuntiationem suorum officialium, vel aliorum, ad quos pertinet, procedit, vel ad mulctandũ reum pœna fiscali, vel alia pœna arbitraria.

Loquendo igitur de denuntiatione iudiciali respectu peccati commissi, & emendati, solus ille potest denuntiare, cui ratione officij competit: quia talis denuntiatio in hoc casu est actus iustitiæ, quo prætenditur punitio delinquentis, non ob eius vtilitatem: quia iam supponitur esse correctus, sed ob bonum Reipubl. cui conuenit, ne delicta maneant impunita: vt tradit Innoc. *in cap. nouit, de iudic. & cap. præcipuè*, 11. *q.* 2. Et ideò talis denuntiatio competit fiscali accusatori, tanquàm parti Reipublicę. Quando verò agitur de denuntiatione iudiciali, quantum ad peccata facta, & non emendata, omnes tenentur de illis denuntiare, nisi timeãt, quòd ex tali denuntiatione aliquod detrimentum illis proueniet: *cap. hoc videtur, 2. quæst. 5.* quia hæc denuntiatio est actus charitatis, & omnes fideles ad illam faciendam tenentur: vt dicit Syluest. verbo, *denuntiatio, num.* 30. Vnde qui non denuntiat intra terminum in visitatione positum, tenetur denuntiare posteà. Sic Nauarrus *in Man. cap.* 24. *num.* 49.

Excõmunicatus maiori excõmunicatione non

4 Benè verũ est, quòd excommunicatus nominatim excommunicatione maiori, nec potest denunciare, nec accusare: potest bene per aliam viam manifestare iudici, monendo de delinquente, & de testi-

potest accusare, nec denũciare. Caietan.

testibus,qui sunt contra eum:vt notat Caietan.2.2. *q.68.art.1.ad primum.*

5 Quæritur hîc, quando ante denuntiationem præcedere debeat correptio,& quando non:& circa hoc dico,quòd,

Correptio quãdo præcedere debet denuntiationẽ,& quãdo non.

Quando peccatum est publicum, statim absque correptione fraterna debet denuntiari, aut accusari coram Superiore ille, qui illud commisit: quia cùm sit peccatum publicum, & scandalosum, dimitti non potest sine publica punitione. Quod intelligi debet,nisi teneatur pro certo,quòd talis peccator si corripiatur publicè,aut secretè,faciet pœnitentiam,& emendabitur: in tali enim casu non licet denuntiare de illo, nec accusare: nisi præcedat correptio fraterna,obseruato Euangelico ordine:vt docet Corduba. Limitat hoc Petrus de Nauarra: scilicet quòd debet intelligi, quando peccatum fit coram tribus, aut quatuor testibus:non verò quando fit coram populo, quia tunc ratione scandali dati debet denuntiari.

Corduba.

Quando crimen est secretum,& in damnũ Reipublicæ, statim debet denuntiari, aut accusari delinquens, absque eo, quòd præcedat correptio fraterna:sic docet S.Thom.2.2.*quæst.*33.*art.*7. quia talis non peccat contra vnum,sed contra multos: & ideò non est necesse, quòd obseruetur ordo Euangelicus, qui habet locum, quando peccatur contra vnum solum.

D.Thom.

Correptio fraterna quãdo præcedere debet denuntiationẽ,& quãdo minimè.

6 Limitat autem hoc ipsemet D. Thom. non procedere, nisi in casu, quo denuntiator tenet firmiter, quòd per suam secretam correptionẽ emendabitur frater:& sic damnum publicum euitabitur, quia quando possumus conseruare bonum publicum cum conseruatione famæ,& honoris proximi, tene

tenemur ad illud, non solùm de lege charitatis,sed etiam ex iustitia. Et hæc est communis opinio, quam sequitur Nauarrus *in Man. cap.*18. *num.*32. Dixi,*si tenet firmiter*.quia si dubitat, debet statim recurrere ad denuntiationem absque correptione fraterna:in dubio enim magis debet inspici ad bonum commune, quàm ad particulare vnius, vt videtur tenere Nauarrus *in Man.cap.*24.*num.*22.

Nauarr.

Vbi damnũ Reip.timetur, non est necesse, vt correptio præcedat denuntiationem.

7 Vnde colligit, quòd ratò in his criminibus debet præcedere correptio fraterna ipsam denuntiationem,aut accusationem:quia vix potest esse ita certus,quòd traditor secretus Reipublicę emendabitur,quamuis secretò moneatur. Quod dicimus de traditione dicimus etiam de subornatione, & de omnibus criminibus, quæ communitatem perturbant,Nauarr.*vbi supr.num.*32.

Quando crimen est in damnum tertij,statim debet denunciari, si non speratur eius emendatio: alioquin si speratur,debet priùs corripi.

Si delinquentis nõ speratur correctio, debet denunciari.

Quando delictum secretum solùm est in damnum eius, qui peccat: sicut est gula,auaritia, fornicatio, *&c.* non potest dici Prælato, vt iudici, absque eo,quòd præcedat secreta admonitio: si verò quis sperat, quòd ex correptione Prælati delinquens magis emendabitur,quàm ex sua,poterit dici Prælato in secreto,vt eum corrigat.

Nota.

Nõ tenetur quis denũtiare Superiori quæ audiuit à personis infimæ conditionis.

8 Si verò emendatio non speratur, tunc debet denuntiari Prælato,maximè ea peccata,quę ad fornicationem pertinent: quia ex tali peccato posset oriri magnum scandalum in Religione.Notandum verò est, quòd non tenetur quis denuntiare Superiori, quæ audiuit contra aliquem à personis infimæ conditionis,& malæ fidei. *Nauarr. Corduba, & Guttierrez.*

Nauarrus. Corduba. Guttier.

9 Quod intelligitur, etiamsi Superior præcipiat per obedientiam, & sub pœna excommunicationis: scilicet, vt manifestent totum id, quod sciunt visu, & auditu: quia tale edictum intelligitur, quòd à personis fide dignis audierint. Intelligitur etiam hoc, quando iudex per viam inquisitionis procedit: quia si vocat aliquem, vt sit testis, & præcipit ei, vt tanquàm testis dicat, quod scit, debet procedere alio modo, vt infrà dicetur.

Subditus quando tenetur obedire præcepto Superioris, & quãdo non.

10 Verùm quia de præcepto Superioris fecimus mentionem, aliqua hîc annotanda censui pro huiusmodi obligatione: quando scilicet subditus teneatur obedire Superiori præcipienti, etiam sub excommunicatione, vt quis dicat, quæ scit de aliquo delicto. Solent enim Superiores sæpè, maximè in visitationibus generalibus, id facere, aut in aliis occasionibus, in quibus sub excommunicatione, aut iuramento præcipiuntur subditi denuntiare, & manifestare delicta, quæ nouerunt. Circa quod dicam, quæ certa sunt.

Primò, quãdo præcipit sub excõmunicatione ipso facto incurrenda, vel dat iuramẽtũ: alioquin si iuridicè non procedat, non tenemur.

11 Primò, certum est, quòd quotiescunque Prælatus Ecclesiasticus speciale, vel generale mandatum facit sub excommunicatione, ipso facto incurrenda, vt quicunque nouit quis tale crimen commisit, aut rem talem habet, denuntiet: si iuridicè ferat excommunicationem, & dat iuramentum, subditus, qui scit, tenetur manifestare: aliàs, excommunicatus, aut periurus est: secùs autem, si iuridicè non procedat.

Secundò, si delictũ sit in damnũ publicum, aut in præiudicium tertij.

12 Secundò certum est, si peccatum sit in damnum publicum, aut in præiudicium tertij, quòd accusare, & denuntiare tenemur, siue occultum sit, siue manifestum. Ex Michaële Salono, & Petro Nauarro. Si enim nullo edicto proposito ex charitate

te tenemur, & iustitia legali ista denuntiare ob bonum commune, si probare ea possumus: multò magis existente tali edicto Superioris, aliàs excommunicationem incurrimus, & mortaliter peccamus tum ob inobedientiam, tum ob iuramentum præstitum.

Tertiò, si non est adhibita correptio, quãdo obligamur, nõ tenemur denuntiare.

13 Tertiò certum est, quando peccatum est in damnum publicum, tale tamen est, quod accusare non tenemur, nisi præmissa monitione secreta: si illa nondum est adhibita, non possumus, etiam stante tali edicto, ante præmissam admonitionem illud denuntiare. Sic Nauarr. *in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 16. corollar. 66.*

Superiorũ præceptæ semper sũt intelligẽdæ secundùm legem naturalẽ, & diuinam.

14 Et ratio est, quia præcepta Superiorum semper sunt intelligenda secundùm legem naturalem, & diuinam, quam cum fratribus seruare tenemur; aliter continerent intolerabilem errorem, nec vim obligandi haberent. Vnde si admonitus sit, & emendatus, non est denuntiandus: secus autem si post admonitionem se non emendauerit, tunc enim denuntiandus est.

Quartò, nõ tenemur, si delinquens emendatus est.

15 Quartò certum est, quando delictum est tale, quod denuntiare, vel accusare possumus: sed non tenemur, si delinquens emendatus est: etiam, stante edicto, accusare, vel denuntiare non tenemur: quòd si emendatus non sit, præcessitque admonitio, denuntiare tenemur: & si probare possumus, etiam accusare. Salon. *vbi supr. controuersia 2.*

Quintò, si delictũ quis priuatim scit solus, nõ tenetur reuelare, si timet sibi notabile damnum euenturũ.

16 Quintò, si aliquis scit priuatim, & solus crimen aliquod, & simul etiam nouit, delinquentem probè nosse crimen nulli alteri esse notum, præterquàm illi: in hoc casu non tenetur ex vi illius edicti semper crimen manifestare: quia potest illi magnum incommodum accedere: nempe inimicitia

magna,& periculum vel in vita, vel in bonis. Nemo tamen, cum tanto suo incommodo, crimen, quod alioqui in perniciem Reipublicę non redundat, manifestare tenetur: atque ideò, in hoc casu præceptum, & excommunicatio Superioris benignè interpretanda erunt: ita scilicet, vt quicunque scit, deferat crimen,quando sine suo graui damno, & incommodo deferre potest.Et hæc communiter omnes.

Corduba. *Casus, in quibus non obstãte generali mãdato, vel speciali, vel etiam excõmunicatione, nõ debet subditus manifestare delictum.*

17 Antonius de Corduba in sua summa *q.* 64. quosdam casus particulares collegit,in quibus,non obstante mandato generali, vel speciali Superioris & excommunicatione, vel iuramento potest,& tenetur subditus non manifestare delictum,vel aliud, quod iubetur.

Primus est, quando delinquẽs est emẽdatus. Corduba.

18 Primus est,quando Superior id iubet manifestare præcipuè ad emendam delinquentis, vel ad impediendum peccatum mortale ipsius delinquentis, aut ne malum proximo inferatur, aut illatum ei reparetur. Tunc enim ait Corduba,si delinquens est emendatus, vel speratur verisimiliter emendatio,seu satisfactio partis,non est licitum denuntiare. Ratio est, quia cùm cessat in hoc casu causa finalis præcepti, cessat etiam obligatio: ac proinde denuntiare non debet, sed famam proximi conseruare illæsam,nec tacendo periurus, aut excommunicatus erit. Tu verò limita hoc, quando, scilicet, peccatum est occultum, vel duobus, aut tribus cognitum: & quando intenditur solùm, emendatio delinquentis,aut parti læsæ satisfactio: quæ si facta sunt, tacendo non incurrit in excommunicationem, iuxta communem doctrinam, quam tradunt D.Thom. 2.2.*q.*33.*art.*7.8. Anton.2.*p.tit.*9.*c.*6.§.5. Nauarr.*in Man.cap.*25.*num.*46.

Limitatio.

D.Thom. Antonin. Nauarr.

19 Quòd

Si iudex punitionẽ intẽdit, & iustè procedit, tenetur.

19 Quòd si esset infamia de delicto, aut semiplena probatio, & iudex punitionem intenderet: cùm iustè iudex in hoc casu procedat, & iuridicè, subditus denuntiare tenetur: aliàs tacendo peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret, & periurium.

Secundus est, quando res est secreta.

20 Secundus est,quando res est secreta, vel tribus, aut quatuor nota, & iudex ad pœnam procedere intendit: tunc quamuis Superior edictum generale, vel speciale faciat, sub excommunicatione præcipiens;vt qui nouit, veritatem manifestet,non tenetur reuelare. Et quamuis Corduba hoc solum verum esse putet, quando criminosus de se crimen sit dicturus, aut de suis consociis, affirmans tunc non teneri ad denuntiandum: secùs autem si quis sciret crimen alterius secretum, vel tribus,aut quatuor notum,qui viderunt:tunc enim,inquit, & per se sine præcepto Superioris manifestare poterit: & coactus, præcepto, excommunicatione, vel iuramento,illum reuelare tenetur: vt expresè habetur *in lib.*1. *qq. q.* 34. *dub.*2. Petrus tamen de Nauarr. *lib.*2.*de restit.cap.*4.*part.*2.*dub.*9.*num.*218.vult,quòd sicut non contra seipsum, ita nec contra alium tenetur testificari: dummodò crimen occultum sit, adeò vt nec infamia specialis sit de illa persona respersa,nec indicia sufficientia,vel semiplena probatio. E contra verò, si fama præcederet, & legitima accusatio cum indiciis, vel vno teste omni exceptione maiore, tenerer etiam contra me ipsum dicere veritatem,& multò magis contra alium: quòd si crimen alterius erit occultum,duobus,aut tribus notum,cuius non sunt indicia, nec probatio semiplena,vel infamiæ,non tenetur dicere.

Tertius est,

20 Tertius est, quando quis rem sub sigillo secreti

quãdo quis scit sub sigillo secreti.

creti accepit,vt consilium,vel remedium adhiberet delinquenti in anima, vel in corpore: vt medicus, obstetrix,aduocatus,vel alius consiliator, & adiutor mali commissi, cui reuelatum est crimen ad remedium,& auxiliũ adhibendum:tunc enim etiamsi in particulari præcipiatur illis sub excommunicatione,vel iuramento; vt dicant quicquid sciunt de tali delicto, peccant mortaliter reuelando, etiamsi in testes vocentur,& præcedente etiam infamatione,semiplena probatione, & indiciis:& ad damnorum restitutionem tenentur, atque adeò in tali casu solùm dicere poterunt,quæ alia via sciunt: sicut Confessor, qui extra confessionem nouit. Sic Sylu. *confess.3.quæst.20.in fine*,& verbo, *testis,quæst.8.* Nauarr. *in Man.cap.18. num.52.* Corduba *in summ. q.64.casu 3.* Petr. Nauarr. *vbi supr.* post S.Thom. *vbi supr.2.2.q.70.art.1.*

Sylueſter Nauarr. Corduba. S. Thom.

Ad sigillũ secreti non tenemur, vbi interedit damnum Reip.

22 Ratio est,quia seruare secretum in hoc casu, est de iure naturali. Quod habet veritatem,nisi tractetur de damno Reipublicæ:nam tunc, secundùm omnes, promissio secreti cuiuscunque (excepto secreto confessionis sacramentalis) ac iuramentum non obligant,sed potest,& debet reuelare.

Quartus, quando potest probare,& cogeretur ad hoc.

23 Quartus est; quando cogendus esset probare,quod denuntiat, cùm re vera non possit, aut quando reuelare non possit, aut testificari absque graui periculo,& damno in honore,vita,vel rebus. Cum tanto enim detrimento non tenetur contra proximum testificari, aut denuntiare: solùm enim obedire tenetur, quando probare posset,& quando denuntiando damnum graue non incurreret. Sic Angel. *in summa*, verbo, *excommunicatio.3.§.20.* expressè docet,præceptum iudicis,denuntiare iubentis sub pœna excommunicationis: quod scimus, etiamsi

Angelica.

etiamsi id probare non possumus,esse nullum,cùm contineat errorem intollerabilem. Vnde præceptum, quo iubent, vt qui sciunt, denuntient, limitandum est; vt solùm procedat de ijs, qui quod sciunt,probare possunt. Sic Gloss. *in cap.plerumque, 2.quæst.7.* Nauarr. *in c.inter verba,11.quæst.3.concl.6. coroll.66.n.778.& in Man.c.17.n.134.* Corduba *in summa,q.64.cau.5.* & Pet.de Nauarr. *vbi suprà.*

Gloss. Nauarr. Corduba.

Limitatio Nauarri.

Quod dictum intelligit Nau. *vbi supr. coroll.66. num.780.* quando præcipitur, vt reuelemus, quod scimus,vt denũtiatores, non autem vt testes:quia si vt talibus nobis præciperetur, teneremur deponere,vt tales,quod scimus,etiamsi id probare nequeamus. Vnde in talibus edictis est opus magna discretione ad discernendum, quando iudex nobis præcipit; vt testibus,quando,vt denuntiatoribus.

Quintus, quando ex leuibus per sonis scit, denuntiare non tenetur.

24 Quintus est, quando quis ex leuibus personis res scit, quæ non sunt fide dignæ: tunc enim denuntiare non tenetur, quia, & sibi ipsi, qui ob id leuitatis notaretur & reo,qui ob id rigidiùs tractaretur, & fortassis iniustè damnum inferret: vnde tacere omnino debet, quandoquidem in hoc casu non censeretur delictum scire. Sic Nauarr. *in Man. ca.25. num.46.* & Cordub. *in summa,q.64. casu 6.*

Corduba.

Illud demum obseruandum est, quòd in his casibus,in quibus reuelare non tenemur,iurare etiam possumus nos nescire,intelligendo ad reuelandum; vt communiter omnes dicunt.

Nota.

Denuntiator non tenetur probare.

25 Denique in materia hac denuntiationis hoc quoque sciendum, quòd denuntians non tenetur probare,secundùm omnes: sed tantùm testes proponere, & ideo si deficit in probando, de iure non debet puniri.

26 Si

Denuntians omnino falsum, debet puniri. Nauarr.

26 Si verò non solùm deficiat: imò reperiatur omninò falsum denũtiasse, ad Superioris arbitrium puniri debet. Et Nau. *in lib.1. consil. de offic. iudicis, consil. 11. n. 4.* ait, quòd nemo debet denuntiare: nisi quod probari potest, & peccat, si aliud facit, *cap. placuit, 6. q. 2. & notatur in cap. qualiter, & quando, 1. de accusat.*

Prælatus aliquando nõ recipiat denuntiationem.

27 Prælatus verò denuntiationem non accipiat, nisi denuntians fuerit bonæ famæ; debet enim Prælatus non solùm denuntiati, verùm denuntiantis, & testium propositorum conditionem considerare, ex quorum conditione poterit iudicare; an etiam denuntians non bonæ famæ, admitti debeat.

Conspiratio cauenda, & puniendæ.

28 Insuper considerare debet, ne facta sit conspiratio contra reum, vt scilicet quando vnus dicit; ego denuntio, & tu testifica, vel è contra: nam tunc tales conspiratores puniri debent pœna priuationis, sicut præcipitur in iure, *cap. conspirationum, & cap. si quis. 11. q. 1.*

DE INQVISITIONE.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio duplex generalis, & specialis.*
2 *Inquisitio generalis non requirit infamiam præcedentem, aut accusatorem, aut denuntiatorem.*
3 *Prælatus debet inquirere in communi de obseruantia Regulæ, & statutorum.*
4 *Cautela à Superioribus adhibenda.*
5 *In inquisitione generali Iudex non potest interrogare de particulari.*
6 *Inquisitio generalis non est iudicium, sed est præambulum ad iudicium.*

1 HIc est secundus modus procedendi in iudiciis, scilicet, per viam inquisitionis: quando scilicet iudex ex officio: non ad instantiam alicuius inquirit. Inquisitio igitur duplex est, alia generalis, alia specialis. Generalis contingere potest tribus modis, aut ex parte criminis solùm, aut ex parte delinquentis solùm: alia quando quis interrogatur de crimine, & de delinquente, & eadem est distinctio de inquisitione speciali. Et notatur, quòd in generali inquisitione, tàm ex parte criminis, quàm ex parte delinquentis non inquiritur de aliquo crimine particulari, nec de aliquo delinquente determinato: sed de omnibus in generali, quia quamuis Prælatus faciat mentionem in ea de aliquibus criminibus particularibus, non possumus tamen non vocare eam inquisitionem generalem.

Inquisitio duplex. Generalis, quæ tribus modis contingere potest.

Inquisitio generalis ex parte criminis solùm est, quando inquiritur de aliquo crimine particulari, vt si interrogetur, qualiter obseruetur lex, quæ ponit pretium frumento? Inquisitio generalis ex parte delinquentis est, quando habetur notitia de delicto aliquo, & quæritur in generali, quisnam commisit illud.

2 Vt fiat hæc inquisitio generalis, non est necesse, quòd adsit infamia, nec quòd sit accusator, aut denuntiator; vt resoluit Sot. *de rat. teg. secr. memb. 2. quæst. 6.* Ratio est, quia illa non fit ad petitionem partis: sed ex mero officio iudicis. Tenentur enim Prælati Ecclesiastici, tàm sæculares, quàm Regulares, statis temporibus visitare Prouinciam, Diœcesim, aut Conuentum ad explorandum subditorum mores; vt iubetur *in cap. 1. de offic. ordin. & capit. cùm olim, de accusat. & cap. Romana. de cens. lib. 6.*

Inquisitio generalis non requirit infamiã præcedẽtem, aut accusatorẽ, aut denuntiatorem. Sotus.

Prælatus debet inquirere in cõmuni de obseruãtia Regulæ & statutorũ.

3 Hinc Prælati debent inquirere in communi, id, quod ad obseruantiam regulæ, & statutorum Religionis pertinet: & an sciant fratres de aliquo fratre particulari, quòd commiserit aliquod delictum, & peccatum intra tria vota essentialia, & cõtra præcepta Diuina, & Ecclesiastica, & Regulæ, capiens eorum depositiones in scriptis, interrogando de aliquibus delictis in particulari, licèt non sint pernicioſa Religioni, de quibus non est frater correctus, nec speratur corrigi.

Cautela à Superioribus adhibenda.

4 Animaduertere tamen debent Superiores, ne accipiant visitationem alicuius, quin visitatus manu sua eam scribat: & si aliqui reperiantur, qui dicant, se nolle dicere quicquam, præcipiant Superiores, vt illud subscribant: ne posteà peracto, & elapso tempore visitationis conqueratur.

In inquisitione generali index non potest interrogare de particulari.

5 In hac inquisitione generali non potest iudex quærere, & interrogare in particulari, an Petrus scilicet tale delictum fecerit: solùm poterit inquirere, an quis fecerit tale delictum. Quod intelligi debet, nisi aliqua persona particularis notata sit infamia talis delicti: nam si Titius scit aliqua peccata occulta à lucio patrata, licèt à Superiore moneatur, & ei præcipiatur, vt ea reuelet, non tenetur: potiùs enim peccaret, si ea reuelaret, nisi peccata Reipublicæ sint nociua. Rodriquez *in sua summa, tom. 1. cap. 79. n. 8.*

Rodriq.

Nota.

Hoc benè notandum est, quòd in hac inquisitione generali nemo tenetur declarare suũ peccatum, quod commisit, quantumlibet publicum sit, & notorium; nisi à Superiore iudice interrogetur.

6 Et ideò rectè dicunt communiter Doctores, & Sotus *in part. 2. in relect. de rat. teg. secr. memb. 2. quæst. 7. concl. 3. dub. 1.* quòd hæc Inquisitio generalis non

non est iudicium, sed præambulum ad iudicium, cùm in ipso primùm iudex inquirat; An sit aliquod vitium contra communitatem, & aliquis delinquens de tali vitio sit infamia notatus: & posteà inuentis testibus, ad iudicium peragendum procedit.

Inquisitio generalis non est iudicium, sed præambulum ad iudicium.

DE INQVISITIONE PARTICVLARI.

SVMMARIVM.

1 *Infamia, seu clamorosa insinuatio quæ.*
2 *Clamorosa insinuatio quæ.*
3 *Ad infamiam qui numerus hominum requiritur.*
4 *Indicia quæ.*
5 *Indicia qualia esse debent.*
6 *Indicia debent esse plura, nam vnum non sufficit.*
7 *Probatio semiplena quæ.*
8 *Testis iuridicus quis.*
9 *Notorium triplex, iuris, facti, & præsumptionis.*
10 *Inquisitio specialis fieri potest ad effectum punitionis personæ particularis.*
11 *Iudicis non est sine accusatore damnare.*
12 *Indicia grauia quæ.*
13 *Iudex non potest inquirere de crimine occulto alicuius personæ absque infamia.*
14 *Prælati regulares non debent subditos punire absque eo, quòd alius eos accuset.*
15 *Crimen quando est contra Rempublicam, cum vno teste potest iudex facere inquisitionem.*
16 *Inquisitio de persona occulta, quando crimen est publicum, quando possit fieri.*
17 *An si vnus tantùm sciat alicuius crimen, & à iudice*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rogetur, teneatur dicere veritatem.

18 *Infamatus de vno crimine, non potest de alio interrogari.*

19 *Inquisitio de persona particulari absque vlla infamia tunc potest fieri, quando tractatur de electione facienda, ne sit in ea aliquod impedimentum.*

AD maiorem intelligentiam dicendorum, notandi sunt priùs, & declarandi aliqui termini, ex quorum cognitione pendet intelligentia huius materiæ: qui etiam deseruient ad cognitionem materiæ de accusatione, de qua infrà.

Infamia, seu clamorosa insinuatio qua. Hostiens. Aretinus. *Clamorosa insinuatio qua.* Panorm. Sotus.

1 Primùm igitur explicandum est, quid sit infamia, seu clamorosa insinuatio. Hostiensis, & Aretinus *in cap. Inquisitiones, & cap. qualiter, & quando, 2. de accusat.* ita inter se hæc duo distinguunt, quòd infamia sit, quando viri probi iudicialiter testantur esse talem rumorem, & famam de tali crimine. Clamorosa verò insinuatio sit vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine, extra iudicium. Panorm. verò, & Sotus *in relect. de teg. secr. memb. 2. q. 6. dub. 3.* ista non distinguunt, sed pro eodem sumunt. Sed omissis his, dicam probabiliora ex Sot. & Caiet. *vbi supr* nempè quòd,

Ad infamiam duo requirũtur.

2 Ad infamiam duo requirantur. Vnum est frequens opinio, & vox bonorum. Alterum est, vt sit de tali crimine. Per primam particulam excluditur clamor, & opinio malorum: vox enim frequens discolorum, & hominum infimæ sortis legitimam infamiam non reddit.

Ad infamiam qui numerus hominũ requiritur.

3 Si quis verò quærat, quinam hominum numerus requiratur ad infamiam? Canonistæ aliqui *in cap. inquisitiones, de accus.* docent; denarium numerum necessarium esse ad faciendam infamiam.

At

At Sotus, *vbi supr.* & Michaël Salon. 2. 2. *quæst. 99. art. 2. contr. 1.* notant, quòd in iure nihil de tali denario numero habetur determinatum: nam in dict. cap. *inquisitiones, 1. §. tertiæ dubitationis, & §. quæsiuisti.* solùm habetur non sufficere duos, vel tres testes, etiamsi sub iuramento asserant, esse vocem publicam, vel famam talis delicti, à tali homine commissi: sed neque propter dicta paucorum reputari quis debet infamatus. Verius autem est, vt relinquatur arbitrio prudentis discernere, scilicet quænam infamia sufficiens sit, & quis rumor sit frequens, consideratis circumstantijs loci, temporis, personarum, &c. Sotus. Salon.

Illud tamen adnotandum est, non requiri ad infamiam testes oculatos: satis namque est, quòd à bonis viris fide dignis audierint, vel indicia, & coniecturas sufficientes habuerint. Nota.

Indicia qua.

4 Secundò quoad indicia, notandum est, quòd indicia propriè sunt circumstantiæ, & signa, ex quibus prudenter, & rationabiliter solemus de actionibus, & operibus aliorum iudicare.

Indicia qualia esse debent.

5 Igitur hæc indicia non qualiacumque esse debent: sed perfecta, quæ vehementem afferant suspicionem, & ex quibus, certitudine quadam morali, licet coniecturare: vt si nudus cum nuda inueniatur in eodem lecto, signum est concubitus. Item si quis euaginato gladio, & sanguine aspersо, deprehendatur iuxta occisum, maximè inimicum. Aut talia sint, vt duorum, vel plurium testium testimonio præstent; aut vnus saltem testis sit omni exceptione maior.

Indicia debent esse plura, nam vnum non sufficit.

6 Item plura indicia esse debent, vt loci, temporis, personæ: regulariter enim indicium vnum non sufficit. Dixi (*regulariter*) quia in hoc materia

Universidad de Deusto
Biblioteca

de indicijs multùm valet prudentia iudicis: posset enim aliquando vnum indicium esse loco plurium, consideratis conditionibus, & circumstantijs personæ, loci, temporis; quod proinde sufficeret, vt in exemplis allatis constat.

Demùm manifesta esse debent tùm respectu facti, cuius sunt indicium; ita vt manifestè indicent tale factum, tùm respectu personæ. Non enim satis est, vt indicia sint facti: nisi etiam sint indicia personæ delinquentis, sicut nec satis est infamia de crimine, nisi etiam sit personæ: atque adeò, quòd talis persona de tali crimine diffamata sit, vt diximus, tum etiam respectu processus, ita vt huiusmodi indicia manifestentur reo à iudice, vt hac ratione intelligat se iuridicè interrogari, ac proinde teneri ad respondendum.

Probatio semiplena quæ.

7 Tertiò explicandum est, quid sit semiplena probatio, quæ describi potest, esse dictum vnius testis oculati, & iurati, seu, quod idem: dictum vnius testis omni exceptione maioris, qui enim videt crimen commissum; putà homicidium, aut furtum, testis oculatus est, & si est omni exceptione maior, semiplenam probationem facit. Et idem de auditu dicendum est, quando crimen, de quo testis est ad sensum auditus pertinet: putà si quis testaretur se audisse, Petrum hæc, & illa loquentem, talis enim testis facit semiplenam probationem: duo verò testes integrarum conditionum plenè rem probant. Iuratus etiam esse debet: quia dictum testis sine iuramento, nullam vim habet in iudicio.

Testis iuridicus quis.

8 Præterea talis testis debet esse iuridicus, id est, præter, seu vltra accusatorem adsit testimonium alterius omni exceptione maius: scilicet qui viderit, & iuratus sit. Cùm enim in propria causa nullus sit idoneus testis: vt dicitur in *l. nullus, ff. de testib.* consequens est, accusatorem, vel actorem, criminisque participem, propriè locum testis non habere.

Notorium triplex est.

9 Præterea notandum est, quòd triplex est notorium, à iure, à facto, & à præsumptione iuris. Notorium à iure est illud, quod in iudicio est notum aut per sententiam iudicis, aut per confessionem partis, aut per claram probationem testium.

Notorium à iure.

Notorium facti.

Notorium facti est illud, quod ita est notum, vt negari non possit: vt si quis occidat alium coram multis. Notorium præsumptionis iuris est illud, quod ex se non est euidens: sed iudex procedit ad punitionem eius, ac si esset euidens propter præsumptiones, & indicia, quæ sunt de facto; sicut quãdo Clericus detinet mulierem, & cohabitat sub eodem tecto, quam omnes dicunt esse eius concubinam: talis punitur sicut concubinarius.

Notorium à præsumptione.

Ampliùs notandùm, quòd ad hoc, vt quis teneatur pro infamato de tali delicto, non sufficit, quòd illud tale sit notorium, quòd commiserit illud coram domesticis eius: quia quousque res extra domum non cognoscatur, pro secreta reputatur, nisi sit de rebus pertinentibus ad fidem: & ratio est, quia supponitur, quòd domestici tacebunt: & ideò non potest iudex procedere contra illum, qui hoc modo est infamatus, quia correctio non est commissa curæ eius: sed patri illius familiæ, & domus. His igitur annotatis, sit

Assertiones pro inquisit. specialis faciendæ.

10 Prima assertio. Inquisitio specialis alicuius personæ potest fieri ad effectum suæ punitionis: quando talis persona notata est infamia talis delicti, aut quando sunt indicia grauia, & notoria maiori parti communitatis contra dictam personam

ita vt si non procederet iudex contra hunc reum, scandalum in dicta communitate causaretur. Nauarr. *in Man. cap. 8. num. 38.*

Nauarrus.

11 Dixi, *notata infamia:* quia iudex contra neminem potest procedere ad condemnationem, nisi adsit aliquis accusator: vt docet S. Thom. *vbi suprà*, & colligitur ex cap. *si quis potestatem*, 23. *quæst. 4.* vbi dicitur; iudicis non est sine accusatore damnare, sicut nec Christus Iudam abiecit: quamuis enim furem eum esse sciret: quia tamen non erat accusatus, minimè eum abiecit. Et cap. 1. *de accusat.* ait Felix Papa: *Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus.* Sed quando iudex procedit per viam inquisitionis, nullus est accusator formalis: alioqui non esset via inquisitionis, sed accusationis: ergo saltem debet esse virtualis: talis autem est infamia, seu clamorosa insinuatio.

S. Thom.

Iudicis non est sine accusatore damnare.

Nota.

Hinc infertur, quòd licèt iudex sciat crimen subditi, sciátque etiam duos, vel tres, aut quatuor testes conscios criminis, per quos probari valeat delictum alicuius: non tamen procedere potest ad eum puniendum ex officio, per viam inquisitionis, antequàm eum accusent. Id quod disertis verbis docet Innoc. III. in cap. *inquisitionis*, §. *tertiæ dubitationis, de accusat.* vbi ait: Non sufficere ad inquirendum specialiter contra aliquem non infamatum, etiamsi duo, vel tres testes iurati, omni exceptione maiores asserant se vidisse hominem aliquem delictum illud commisisse.

Dixi, *indicia grauia:* quia si non sunt talia, quamuis sint manifesta, non sufficiunt vt contra talem sic diffamatum propter illam procedatur per viam inquisitionis: potest tamen procedere quando aliquis accusat, quia in hoc casu hæc indicia habentur

tur pro semiplena probatione; & ideò sufficiunt, vt iudex per viam accusationis procedat contra reum, & contra testes illud scientes, eos compellens, vt veritatem manifestent. Nauarr. *vbi supr.* & Sot. *lib. 5. de iust. & iur. q. 6. art. 1. & de rat. teg. secr. membr. 2. q. 6. concluf. 8. dub. 1.*

Nauarrus. Sotus.

12 Tunc autem erunt indicia grauia, vt possit iudex procedere contra reum per viam inquisitionis: quando, vt suprà dictum est, euidenter ex illis potest præsumi malum, non existente eis coniectura boni: vt sunt amplexus indebiti, & coniunctio aliquorum, de quibus suprà visum est. Leuia autem tunc erunt indicia, quando in illis est parua coniectura mali, & multa alicuius boni: & realiter non nascitur ex eis suspicio grauis, sed leuis: ita vt per illa nõ efficiatur Religiosus infamatus, sicut quando aliquis Religiosus bonæ famę loquitur cum aliqua muliere in loco suspecto, quia hoc non est sufficiens indicium pro infamia.

Indicia grauia qua.

13 Secunda assertio. Non est licitum iudici inquisitionem facere in crimine occulto de aliqua persona, si de ea non præcessit infamia, vt dictum est.

Iudex non potest inquirere de crimine occulto alicuius personæ absq; infamia.

Quod vt meliùs intelligatur, proponamus hîc exemplum. Est hîc Petrus, quem condemnant tres, aut plures testes, denuntiantes de eo, & dicentes se vidisse eum cum muliere aliqua in eodem lecto: de quo crimine Petrus non est infamatus, quia testes illud solum dixerunt Prælato secretè, vt remedium adhiberet. In hoc casu non potest Prælatus publicè punire delinquentem, nec vocare alios testes, vt inquirat de eius vita: sicut expressè determinatum est *in cap. inquisitionis, & cap. qualiter, & quando, 2. de accusationibus.*

Notèt Prælati Regulares.

14 Hinc colligitur, quàm malè faciunt aliqui Prælati Ecclesiastici, & Regulares, qui subditos suos publicè puniunt absque eo, quòd alius accuset eos, ob aliquot crimina occulta ab eis commissa; probata solùm per tres, aut quatuor testes, non præcedente contra eos infamia.

Bene verum est, quòd etsi de iure non debet eos publicè punire, vt tamen cum charitate procedant, animaduertant, quòd quando delictum cum testibus non potest probari, & subditus à Prælato monitus negat, non potest Prælatus vlteriùs progredi in causa, nec potest eum punire, donec aliquid accidat, quod faciat peccatum manifestum, aut sint indicia, vt inquiri de illo possit, aut testes, quibus reus possit conuinci. Et si non sit spes emendationis iudicialiter, melius est relinquere eum, & Deo commendare: ita Sot. *vbi supr. membr.* 2. *q.* 4.

Sotus.

Hoc autem debet intelligi, quando tanquàm iudex procedit ad eum puniendum: quia quando tanquàm pater, bene potest, & tenetur ad illud, probato illo delicto per duos testes, punire, & corrigere illum secretò: & si subditus post hanc secretam punitionem iterùm ceciderit: tunc potest Prælatus tanquàm iudex procedere contra illum, imponens ei per obedientiam, vt dicat veritatem, puniens illum cum aliis pœnis: si verò post dictam secretam monitionem subditus se correxerit, & eius correctio Prælato nota fuerit, non potest ampliùs contra eum procedere.

Nota.

Crimen, quando est contra Rẽpub. cũ vno teste iudex potest fateve inquisitionem.

15 Supradicta tamen habent veritatem, quando crimen non est contra Rempubl. nam quando est tale, sufficit, quòd adsit vnus testis: licèt non sit infamia, vt de ipso possint iudices facere inquisitionem contra aliquem: quo delicto probato, potest delin

delinquens publicè puniri. Sic Doctores præcitati, & alij in cap. *qualiter & quando, 2. de accusat.*

Inquisitio de persona occulta, quãdo crimen est publicũ, quãdo possit fieri.

16 Tertia assertio. Quando crimen est publicum, & notorium: auctor verò illius occultus omninò, nec aliqua laborans infamia, aliqui docent, non esse licitum iudici specialem inquisitionem facere delicti, quantumuis publici, nisi sit etiam infamia delinquentis. Sic Palud. *in* 4. *d.* 19. *q.* 4. Caiet. 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. Sot. *vbi supr. membr.* 2. *q.* 6. *dub.* 4. ea ratione ducti: quia in cap. *cùm oporteat, de accusat.* requiritur ad inquirendum infamia, non solùm delicti, sed etiam personæ.

Paludan. Caietan. Sotus.

Cæterùm, verior est aliorum opinio, qui docent, quòd in tali casu licebit regulariter inquirere in genere, non quis in particulari crimen commiserit: sed aliqua indicia, & circunstantias criminis: putà interrogari possunt homines, an sciant quis illac transierit, qua hora occisus sit, quibus armis: vt si forsan exinde aliqua indicia personę haberi possint ad inquisitionem personæ, quæ aliquo modo infamari cœpit: id quod tandem docet Sotus *vbi supr. q.* 6. *concl.* 1. *dub.* 4.

Quòd verò licitum sit in tali casu inquirere in genere, mihi certum esse videtur, & praxi consentaneum: quia quando crimen est notorium, etiamsi persona sit occulta, tenetur iudex ex officio, quantum potest seruato iuris ordine, talia delicta non relinquere impunita, ne Respublica inde damnum patiatur, & populus inde scandalizetur: dum irrequisita, & impunita crimina manere videt, iuxta ea, quæ habentur in cap. *cum sit, §. fin. de appell. cap. vestra, de cohabitat. cleric. & mul.* & cap. *Romana, §. notoria, de censib. in* 6. sic etiam Innocent. III. in cap. *bonæ memoriæ* 1. & ibi Panorm. *de elect.* vbi Innocentius ait;

Panorm. Innocent.

Angelica. Tabien. Corduba. Arragon. Salou. Valentia. Dubium.

hoc obseruari per totum mundum. Angelic.verbo, *denuntiatio.§.vlt.* Tabien.verb.*inquisitor.*§.8. Corduba *in summa,q.64 punct.*1. Arragon.& Sal.2.2.*q.69.* Valent.*tom.*3.*disp.*5.*q.*14.

17 Quòd si adhuc quæras ; An si vnus tantùm sciat,quis crimen illud notorium commiserit,& ille rogetur à iudice in generali inquirente, teneatur veritatem fateri ? Aliqui tenent quod sic.Sed negatiua est verior : quia licèt ex solo illo testimonio reus non possit damnari,attamen ex illo torquebitur : vnde graue detrimentum patietur. Solùm igitur iudex habet ius interrogandi , ita vt alter fateri teneatur,quando duo,aut tres nouerunt crimen:& tunc si aliquis eorum interrogetur, cùm sciat alios nosse crimen,veritatem confiteri tenetur,quia tunc iudex iuridicè interrogat , vnde respondere veritatem tenetur.

Respons.

Infamatus de vno crimine , non potest de alio interrogari.

18 Quarta assertio. Si delinquens est infamatus de aliquo crimine:de hoc solùm,& non de alio debet inquiri , nisi tale crimen alteri sit taliter coniunctum , & perfectè sine eo cognosci non possit. Vnde iudex qui particulariter inquirit de concubinarijs , inueniens aliquem habere concubinam Religiosam, potest incidenter inquirere de sacrilegio : licèt de eo non præcesserit vlla infamia. Nostra igitur assertio debet intelligi de criminibus disparatis:sic Caiet.& Sot.*vbi supr.* Et eadem ratione non potest inquiri de complicibus in crimine , nisi aliquo modo aliqua sint imposita contra eos , aut nisi peccatum,de quo fit inquisitio,sit præiudiciale Reipubl. vt dictum est suprà.

Caietan. Sotus.

Inquisitio de persona particulari absque vl-

19 Quinta assertio. Quando iudices faciunt, aut facere iubent inquisitionem contra aliquam personam,non ad punitionem,sed solùm,vt sciant,

an sit aliquod impedimentum secretum , aut inhabilitas,ob quam hæc persona non possit promoueri , aut promota confirmari ad aliquod officium: non est necesse,quòd præcedat aliqua infamia contra talem personam.

la infamia tunc potest fieri, quãdo tractatur de electione faciẽda, ne sit in ea aliquod impedimẽtum.

Nota.

Hinc sequitur , quòd possunt Ministri Generales, & Prouinciales , & eorum Commissarij inquirere de meritis , aut demeritis eorum, quos volunt eligere in Prælatos : quamuis de eis nulla præcesserit infamia.

Dixi, *coram multis :* quia si aliquis secretò coram vno,aut duobus testibus : imò coram Prælato,non coactus dixit , se commisisse aliquod crimen : non potest Prælatus illum punire iudicialiter,sed solùm fraternè : nisi crimen sit contra bonum publicum, quia tunc potest etiam procedere contra illum,qui contra eum fecit aliquod crimen.Potest etiam procedere per viam inquisitionis,quãdo crimen commissum est in præiudicium tertij : sicut si aliquis absque eo,quòd præcedat infamia,occidit fratrem, aut furatus est aliquid : vt resoluit Sot.*vbi supr.conclus.*3. Et in his criminibus possunt inquirere , & castigare publicè , absque eo , quòd præcedat infamia,& absque eo,quòd sit accusator,per solam denuntiationem:quia in his casibus denuntiatio gerit vicem accusationis:vt dixit Sot.*vbi supr.dub.*3.

Quòd si per inquisitionem factam contra infamatum aliquid legitimè probatum non fuerit : sed tantummodò ex deductis remaneat infamatus de delicto , ipso postulante ab infamia purgationem debet ei concedi. Et hæc de inquisitione.

DE

DE ACCVSATIONE.

SVMMARIVM.

1 *Accusatio tres solennitates habere debet.*
2 *An illæ sint de substantia accusationis.*
3 *An absque accusatore Prælati regulares possint punire delinquentem.*
4 *Casus, in quibus possunt iudices procedere contra reum, quamuis non sit accusator.*
5 *An accusationem præcedere debeat secreta correptio.*
6 *Accusare quis teneatur.*
7 *Ab accusatione repelluntur tria hominum genera.*
8 *Accusatio redditur vitiosa ex calumnia, præuaricatione, & tergiuersatione.*
9 *Errores iudicis, aduocati, & actuarij.*
10 *Iudex quando possit rumpere accusationes.*
11 *Accusans aliquem de falso, qua pœna dignus.*
12 *Pœna talionis non est in vsu.*

Accusatio tres solẽnitates habere debet. Prima, vt fiat in scriptis. D. Thom. Caietan. Bannes. Salon. Arragon. Syluester. Sotus. Valentia.

SVperest, vt de Accusatione dicamus, quæ est tertius modus procedendi in iudicio: de qua quatuor sunt videnda per ordinem: scilicet, forma, obligatio, iustitia, & pœna.

1 Quoad primum, sciendum, quòd de iure communi accusationis forma tres solennitates debet habere. Prima est, vt accusatio fiat in scriptis: hoc est, vt accusator libellum accusatorium in scriptis iudici porrigat. 2. *quæst.* 8 *per totum, & l. cui. ff. de accusat.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. & ibi Caietan. Bannes, Salon. Arragon. Syluest. verbo, *accusatio. quæst.* 1. Sot. *de rat. teg. in* 2. *quæst* 5. *concluſ.* 4. Valent. *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 12. *punct.* 2 & alij. Secunda est, quòd in libello accusatorio scribantur nomen accusatoris, *Secũda, vt in libello, accusatorio scribãtur nomina, locus, tẽpus, vbi, & quando.*

ris, & accusati, & iudicis, species delicti: & cum qua persona delictum est commissum, locus, tempus, vbi, & quando commissum est delictum; dies, mensis, annus, quo porrigitur iudici libellus, *cap. fin.* 2. *quæst.* 8. Tertia, quòd accusator inscribere se debet, & obligare ad pœnam talionis subeundam, si in probatione defecerit, & ad prosequendam litem vsque ad finem. *Tertia, vt accusator se obliget ad probandum.*

2 Si quæras, An hæc sint de substantia accusationis? Respon. quòd quantum est de iure communi, sunt de substantia: sed vsu, & consuetudine receptum est, vt ista non seruentur, vnde modò solùm in vsu est apud sæculares, vt accusator coram iudice crimen deferat per solam verbalem querelam, quam in scriptis ponet Notarius: neque subijcitur accusator pœnæ talionis. Nihilominùs apud Regulares seruantur illa tria prædicta, & in nostro modo procedendi assignantur in formula data ibi, *Circa tertium.* Hoc totum intelligendum est de delictis grauioribus: nam de delictis leuibus non est necesse, vt accusatio proponatur in scriptis, *l. leuia ff. de accusat.* Dubium. Respon.

3 Scisciteberis, An Prælati Regulares possint punire delinquentem, absque accusatore? Respon. quòd delicta vel sunt leuia, vel grauia: si leuia, possunt: si verò grauia sunt, minimè. Dubium. Respon.

4 Sunt tamen aliqui casus, in quibus possunt iudices procedere contra reum, quamuis non sit accusator. Primus est; quando iudex, stans simul cum alijs pluribus, videt committi delictum. Caietan. *vbi supr. quæst.* 67. *art.* 3. Secundus est, quando contra reũ est infamia, & indicia & tunc potest procedere per viã inquisitionis. Tertius est, quando præcessit denunciatio iuridica, posita ad supplicium: *Casus, in quibus possũt iudices procedere contra reũ, quãuis non sit accusator.*

cium, vt fit in Tribunali sanctæ Inquisitionis, quæ denuntiatio non est aliud; nisi declarare delictum coram Superiore.

Dubium.

5 Instabis, An accusationem debeat præcedere secreta correptio, sicut ante denuntiationem? Respon. quòd S. Thom. 3. *sent. dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. refert duas opiniones inter se contrarias. Vna est asserentium, esse de præcepto in foro interiori, & conscientiæ, vt præcedat correptio fraterna, vt si cessat ea via damnum commune, & resipiscat, non deferatur ad iudicem, quamuis in foro exteriori non sit necessaria, cùm iudex non quærat, vt admittat accusationem, an fraternè admonuerit accusator eum, quem accusat. Altera est eorum, qui absolutè, & in vniuersum negant requiri necessariò admonitionem ante accusationem: sic Angelica verbo, *accusatio. num.* 1. Tabien. *eod. num.* 2. Palud. *in* 4. *d.* 19. *qu.* 4. Nauar. *in cap. inter verba.* 11. *quæst.* 3. *concl.* 6. *coroll.* 61. *num.* 642. & fauet Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 12. *punct.* 1. *dub.* 3. quamuis hic auctor satis dubius, & anceps maneat in hac re.

Respon. S. Thom.

Angelica. Tabien. Paludan. Nauarr. Valentia.

Auctoris sententia.

Circa quam difficultatem dicam, quæ sentio, vtraque opinio probabilis est: nihilominùs, si solùm natura actus accusationis consideretur, non requiritur, vt admonitio eam præcedat, & hoc videtur esse ad mentem D. Thom. vnde in 2. 2. *qu.* 68. agens de accusatione, nequaquàm meminit fraternæ admonitionis, vt rectè Valentia, vbi suprà, annotauit: quòd si hoc solum voluerunt auctores, secundæ sententiæ verè locuti sunt, & patet ex iure canonico: nam in cap. *qualiter, & quando,* 2. *de accusat.* dicitur; sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem charitatiua

Valentia.

tatiua monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio præuenire. Ratio etiam id suadet, quia accusatio non habet pro fine, & scopo suo pœnitentiam, & emendationem fratris: sed punitionem delinquentis ad bonum commune, vt per vnius pœnam alij arceantur à peccatis. Præterea licèt correctio fraterna adhibita fuerit, nihil impedit, quò minùs quis communiter accusare possit: quia quamuis delinquens sit correctus, & emendatus, & per actus pœnitentiæ in foro animæ absolutus, adhuc tamen licitè accusatur: vt publicè puniatur ad continendum alios, & ipsum etiam delinquentem in posterum.

Accusare quis teneatur.

6 Quoad secundum de obligatione, quis scilicet obligetur accusare ex præcepto, & sub peccato mortali? Respon. quòd S. Thom. *vbi supr. art.* 1. Caietan. Salon. Arragon. Bannes, *ibidem* Alexander de Ales. *p.* 3. *quæst.* 42. *m.* 1. Sotus *in relect. de rat. teg. secr. mem.* 2. *quæst.* 5. *concl.* 1. Nauarr. *in c. inter verba.* 11. *quæst.* 3. *concl.* 6. *coroll.* 62. *num.* 638. & alij dicunt, quòd aliquando est in præcepto. Aliqui alij dicunt quòd non; sic Gloss. *in cap. quia propter.* 2. *qu.* 7. Ang. verbo, *accusatio*, §. 2. & alij aliter. Sed distinctione opus est: nam crimina vel sunt publica, vel priuata. Publica sunt illa, quæ directè, & immediatè veniunt in damnum publicum, vt v. g. hæresis, proditio ciuitatis, homicidia, furta, ambitio, subornatio, suffragiorum, &c. Priuata sunt illa, quæ contra bonum priuatum committuntur: vt v. g. adulterium, simplex fornicatio, concubinatus, & similia, vel contra propriam personam.

S. Thom. Caiet. Salon. Arragon. Bannes. Alens. Sotus. Nauar. Angelica.

Auctor.

Quando igitur crimen est publicum, seu contra bonum commune, & in fieri, seu in procinctu vt fiat, illúdque sufficienti testimonio, quis probare possit,

possit, tenetur quilibet sub peccato mortali illud per accusationem iudici deferre. Sic auctores primæ sententiæ, quia iure naturali vnicuique incumbit cura boni communis. Qui verò probare non potest, accusare non tenetur, quia cùm probatio sit necessaria, ne periculum sibi generet, vel pœnæ talionis, vel alterius grauis damni, si improbatione defecerit, nemo tenetur accusare; nisi sit crimen, quod probare possit. Benè animaduertit Sotus, *vbi suprà*, quando quis non potest crimen probare, & crimen illud est in perniciem communitatis: vt obuietur illi, quod tunc, qui hoc scit, debet illud deferre ad Iudicem, protestando se non accusare: sed solùm iuridicè denuntiare, vt hac ratione liberetur ab obligatione probandi: & iudex inde accipiat occasionem inquirendi, vt obuiet malo communi.

Sotus.

Quando crimen est contra bonum publicum, & nihilominùs in totum factum, & completum sit: ita vt nullo modo maneat in actu, non tenetur quis illud ampliùs accusare, vel denuntiare: sed solùm si ad iudicium vocatus fuerit, respondere tenetur veritatem, tanquàm testis.

Hoc tamen intelligitur, quando delinquens iam omninò cessat à tali crimine, & verè pœnitet: nam si quis ad id est consuetus, vel tale delictum contaminat, non solùm præsentia verùm, & futura; vt est subornatio in electionibus, tunc, qui hoc scit, tenetur accusare, si potest probare, vel saltem denuntiare.

Quando crimen est contra tertiam personam priuatam, & est in fieri, vel in procinctu vt fiat, si testes habeat, quibus probare possit, tenetur accusare; vt verbi gratia, si videam aliquem insidiantem

tem vitæ alterius, vel subornationibus suis impedientem, ne quis Religiosus, alioqui idoneus, & benemeritus promoueatur; debeo accusare, vel denuntiare saltem, si non possum probare: quia tenetur vnusquisque quantum potest, via licita, proximum ab omni damno, & iniuria illæsum tueri.

Quando verò crimen non est in alicuius tertij damnum, & præiudicium, etiamsi non sit iam inchoatum: sed in procinctu, vt inchoetur, & fiat, ad nihil tenetur, qui illud scit; nisi ad correptionem fraternam.

Ab accusatione repelluntur tria hominum genera.

7 Quæres hîc, quænam personæ ab accusatione repellantur? Et ad hoc breuiter dico, quòd in vniuersum tria hominum genera ab officio accusandi prohibentur. Primò repelluntur excommunicati, & infames, *cap. prohibentur. 2. quæst. 1. l. qui accusare. ff. de accusat.* S. Thomas, & alij Doctores *in locis supra citatis.* Hi tamen non repelluntur à denuntiatione, seu correctione fraterna, quæ fit ob fratris emendationem vt post alios rectè Sotus *in relect. de rat. teg. secr. vbi suprà.* Ratio autem, quare ab accusatione repellantur, est: quia cùm accusatio auctoritatem in accusante requirat, quam tales homines non habent: ideò eo munere repelluntur, nisi in crimine hæresis, cuius tanta est labes, vt ad eius accusationem omnes admittantur, serui aduersus dominum, criminosi, & infames aduersus quemlibet, *cap. in fidei fauorem, de hæreticis, cap. præsumunt. 2. q. 7.*

S. Thom.

Sotus.

Secundò, prohibentur aliqui ob decentiam, ne accusatio illa ex odio procedere videatur. Qua ratione subditi prohibentur accusare suos Prælatos, serui dominos, & filij parentes, *cap. prohibentur. 2. quæst. 1. & cap. ones, 2. quæst. 7.* Cæterùm, cùm bonum commu

Nota.

commune id postulauerit, possunt prædicti ex affectu charitatis illos accusare, aut potiùs denuntiare; vt notat S.Thom. 2.2.*q.*68.*art.*1.*ad* 2. S.Thom.

Tertiò prohibentur aliqui accusare ob reuerentiam sui status; qua ratione clerici prohibentur accusare laicos; & maximè in causa sanguinis, *cap. Sacerdotes.*2.*quæst.*7.*cap.his, à quibus*,23.*quæst.*3. licitum est tamen illis denuntiare crimina publica, & Reipublicæ damnosa: qualia sunt, verbi gratia, hæresis, crimen læsæ Maiestatis, etiam peccata; quibus vel tertiæ personæ imminet damnum, aut sibi ipsis, etiamsi sciant illum accusatum capite plectendum, præmissa protestatione citra pœnam sanguinis.

Accusatio quãdo redditur vitiosa.

8 Quoad tertium sciendum, quòd in accusatore requiritur etiam iustitia, quæ violatur in accusando tribus præcipuè modis; Calumnia scilicet, Præuaricatione, & Tergiuersatione, *can.si quem pœnituerit.*2. *qu.*3. *& l.accusatorum.ff. ad Senatusconsul. Turpillianum.* D.Thom. & reliqui *vbi suprà.*

Calumniator quis.

Primò igitur calumniari is dicitur in accusatione, qui alteri falsum crimen imponit ex malitia, & scienter, & talis in re graui non solùm peccat mortaliter: sed etiam tenetur ad restitutionem damni illati siue in fama, siue in persona, siue in bonis ad arbitrium boni viri.

Calumniator etiam quis.

Similiter calumniator est ille, qui verum crimen: sed occultum, quod in iudicio probare nequit, alteri scienter obijcit: & peccat mortaliter, & tenetur ad damnum: quia in iudicio sicut est iuridicè verum, quod idoneis testibus probatur, ita è contra est iuridicè falsum, quod iuridicè probari non potest.

Prætereà calumniator est, qui in ciuilibus rem sibi debitam petit modo indebito; quia scilicet vtitur falsis instrumentis, aut per falsos testes probat, peccat mortaliter, & absolui non potest, nisi desistat: si verò talibus falsis probationibus rem suam recuperat, non tenetur ad restitutionem quamuis peccauerit. Nauar. *in Man.cap.*25.*num.*32. Nauarr.

Secundò per præuaricationem etiam committitur iniustitia, quæ accidere potest duobus modis. Primò, quando quis in exteriori accusat reum, in secreto verò fauet illi, acceptans, & admittens debiles defensiones.

Præuaricatio qua.

9 Secundò quando tacet ea, quæ verè aggrauant, & sunt maximè contra accusatum, & allegat alia parui momenti. Quod quidem peccatum potest esse in Iudicibus, in Aduocatis, & Notarijs. Estque peccatum mortale, subditum restitutioni damni, quod ex hoc sequitur parti; vt colligitur ex Nau. *in Man.cap.*25.*num.*30. Nauarr.

Errores iudicu, aduocati & actuarij.

Tergiuersatio qua.

Tertiò per tergiuersationem potest peccare accusator, quando inordinatè, & absque iusta causa desistit ab accusatione obligante cum ratione communis, vel saltem præcepto iudicis ex officio in causa præcedentis: quia facit iniuriam bono communi S.Thom. *vbi suprà.* Dixi; *quando inordinatè, & sine causa desistit:* aliàs potest desistere vel in causa propria: quia potest renuntiare iuri suo. Vel quando initio bona fide incœpit, & posteà in processu cognouit errorem, & se deceptum fuisse vel ab aduocato, vel à testibus, aut aliis; vel quia videt iudicem non iustè iudicaturum: nam tunc desistere potest ab accusatione, & se componere cum reo, *cap. si quem pœnituerit.*2.*quæst.*3. Vel propter metum cadentem in constantem virum: nam tunc non debet prosequi causam cum tanto suo dispendio, Sot. *vbi supr.* Vel ad imperium, & auctoritatem S.Thom.

ritatem Principis, qui in legibus potest dispensare: dummodò parti læsæ alio modo damna restituantur.

Iudex quãdo possit rũpere accusationes.

10 Quin, quòd multoties iudex inferior potest rumpere accusationes, quas inuenerit deficientes, quia sicut potuit in principio eas non admittere: sic postquàm eas admisit, potest rumpere, si videat esse defectuosas: imò ex officio, etiam tenetur ad illud. Caueat tamen ne id faciat, quando accusatio posita est in Tribunali, & in Archiuio; quia tunc id non potest facere sine peccato, eo maximè quando talis accusatio est licita, & ordinata ad satisfaciendum alicui particulari, cùm ius præcipiat, ne alicui, quod sibi debitum est, auferatur.

Notent iudices, & actuary.

Accusans aliquem de falso qua pœna dignus.

11 Vltimum, quod in accusatore considerandum venit, est pœna: nam accusator, qui sciens, & prudens accusat aliquem de falso, aut occulto crimine, quod iuridicè probare non poterit, pœna talionis olim puniebatur: hoc est tali pœna afficiebatur, qualem ipse alteri intendebat. Exod. 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente* Et *cap. calumniator. & cap. qui non probauerit. 2. quæst. 3.*

Exod. 21. Pœna talionis.

Sed non est in vsu.

12 Sed quia pœna talionis admodum seuera, & dura visa est, propterea in plerisque locis est abrogata, & iudicis arbitrio punitur, qui falsò accusat proximum. Sotus verò, *vbi suprà*, & Couarr. *lib. variar. cap. 9. pag. 587. coroll. 1.* tenent, quòd hæc lex talionis non est in vsu, nisi respectu testis, qui contra proximum suum iurat falsum in criminali.

Sotus. Couarr.

Sed prosequamur hanc materiam, & dicamus aliqua de testibus, de reo, & de aduocatis, & alijs annexis; vt fiat posteà determinatio omnium illorum, qui ad casum reseruatum in principio positum incurrunt, & primò.

DE

DE TESTIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Testis quando tenetur dicere veritatem.*
2 *Testis quando peccat, & tenetur ad satisfactionem.*
3 *Testis falsus quando debet se retractare.*
4 *Qui fuit causa efficax, vt alij iurarent falsum, tenetur eos manifestare, vt se retractent.*
5 *Sciens aliquem innocentem condemnatum, si credit, suo testimonio illi posse prodesse, tenetur se offerre ad testificandum.*
6 *Testis qui iurauit tenere aliquid secretum, an teneatur illud reuelare, si iuridicè interrogetur.*
7 *Et quando ad hoc non tenetur.*
8 *Excipiuntur doctores, procuratores, tabelliones, aduocati, consiliarij, medici, chirurgi, obstetrices, qui secretum seruare debent.*
9 *Testis dubitans an legitimè interroget iudex, non tenetur obedire.*
10 *Testium numerus necessarius ad iudicium.*
11 *Testes debent esse contestes.*
12 *Testes de auditu sufficiunt ad probationẽ aliquando.*
13 *Testes singulares non sufficiunt. Et quis testis singularis.*
14 *Testes singulares non sufficiunt ad condemnationem, sufficiunt tamen ad indicandum reum. Et aliquando etiam sufficiunt ad torturam.*
15 *Modus procedendi apud Regulares, quid doceat de testibus singularibus.*
16 *Testis nolens dicere veritatem potest torqueri.*
17 *Testis quando incidit in casum reseruatum.*
18 *Testis multoties excusatur à dicenda veritate in iudicio regulari.*

19 *Subditus an teneatur testificari quando dubitat, an iure interrogetur.*
20 *Testis timens sibi malum imminere, à testificando excusatur.*
21 *Consultans, vt Confessarius excusatur.*
22 *Testes falsarij puniendi.*
23 *Testimonium aliquorum non recipitur.*
24 *Falsa crimina imponere semper est peccatũ mortale.*
25 *Testis non iuratus non facit probationem.*

INter præcipuas personas, quæ in iudicio ferendo euenire solent, est Testis, de quo hîc aliqua dicemus.

Testis quãdo tenetur dicere veritatem.

1 Primum; Testis legitimè interrogatus à iudice, tenetur dicere verum, quia non obediendo ei, impedit, quantum est ex se, executionem iustitiæ. Dicunt tamen aliqui, quòd si delinquens est occultus, contra quem non est infamia, quòd testis potest iudici respondere, se nihil scire: intelligens in corde suo, non esse obligatum ad testificandum contra illum. Sic Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 45.*

Nauarr.

Testis quãdo peccat, & tenetur ad satisfactionem.

2 Secundum; Testis si legitimè interrogatus contra aliquem iurauerit falsum, peccauit mortaliter, & tenetur ad satisfactionem, cùm committat euidentem iniustitiam. Quòd si eius dictum non fuit causa condemnationis rei, neque eius ratione fuit ei pœna inflicta: quia iam erat conuictus per alios testes, quamuis peccauerit mortaliter, non tenetur tamen ad restitutionem.

Testis falsus quando debet se retractare.

3 Tertium; Testis si postquàm iurauerit falsum, cuius dictum verè, & realiter est causa efficax, quòd aliquis sit punitus morte: si retractatio iuramenti nihil prodest, non debet Confessarius compellere testem, vt se retractet: solùm tenebitur restituere damna, quæ ex tali punitione prouenerunt. At si putat, quòd ex sua confessione poterit liberare reum, tenetur se retractare: quamuis sit cum suo periculo vitæ: vt dicunt Cordub. *lib. qq. quæst. 31. art. 3.* Sot. *de iust. & iur. l. 4. q. 6. art. 5. ad quartum.* Medin. *de restit. q. 3.* Nauarr. *in Man. cap. 15. num. 17.* Couarr. *in Reg. pecc. §. 3. num. 6. 1. part.* & ideò regula, quæ dicit, quòd non tenetur quis liberare fratrem suum cum periculo suæ vitę, debet intelligi, quando vterque est innocens.

Cordub. Sotus. Medina. Nauarrus. Couarr.

Si verò ille, contra quem latum est falsum testimonium, non est in periculo vitæ propter talem confessionem: & solùm in fama, vel honore illum offendit cum sua confessione, non tenetur tunc suam vitam periculo exponere: sed tenetur retractare se per literas, suo proprio nomine firmatas cum iuramento, ad hoc, vt faciant fidem publicam: & ipse potest se transferre in aliquem locum tutiorem, vbi à periculo imminenti animam suam liberet: & hoc etiam, quòd fiat cum iactura honoris, & bonorum suorum: quia ipse sibi fuit huius mali causa: imò tenetur, si potest sine periculo suæ vitæ restituere totum damnum, quod sua causa accusatus recepit, & petere ab eo veniam humiliter. Et si in vita sua hoc commodè non potest facere, ne contrahat inimicitias graues cum multis, & consequenter, ne vitam suam periculo exponat; aut non remanent ei bona, quibus decenter viuere possit: tunc in testamento clauso satisfaciat, & ad hoc tenetur, vt dicit Cordub. *latè vbi suprà.* & Nauarr. *cap. 18. num. 44.*

Notent hoc illi, qui alios inducunt ad testificãdum falsum.

4 Quartum; Ille, qui fuit causa efficax, vt alij iurarent falsum, tenetur eis manifestare, vt se retractent: imò etiam cum suo periculo tenetur id eis

manifestare, si sciat, quòd ob eorum confessiones ille contra quem iurauêre, condemnabitur. Si verò eos non induxit ad dictum iuramentum, nec fuit in causa, quòd iurarent: solùm tenetur ex charitate eos admonere, vt se retractent. Quòd si nolint facere, eadem lege charitatis tenetur illos manifestare, vt liberet innocentem: non tenetur tamen ad hoc ex lege iustitiæ, & per consequens non tenetur eos manifestare cum periculo suæ vitæ, quia lex charitatis cum tanto periculo non obligat.

5 Quintum; Qui scit esse innocentem hominem illum, quem ad suspendendũ deferunt, quamuis ipse ad iudicium non vocetur: si tamen scit, & credit, quòd suo dicto eum liberabit, quia est innocens, tenetur se offerre ad testificandum: quamuis sit cum præiudicio accusatoris, & aliorum testium. Hæc tamen obligatio non est de lege iustitiæ, sed charitatis: & ideò quamuis non testificetur, non tenetur ad vllam restitutionem: vt tenet S.Thom. 2.2. *q.*70. *art.*1. Gabr. *in* 4. *d.*15. *quæst.*6. *concl.*6. Nauarr. *in Man. cap.*15. *num.*17.

S.Thom. Gabriel. Nauarrus.

Dubium.

6 Sextum; Testis legitimè interrogatus à iudice, an teneatur dicere veritatem: quando iurauit tenere illud secretum? V.g. Titius commisit crimen, quod Lucio dixit sub secreto, & ille ei promisit sub iuramento, se secretum seruare: postea verò in aliorum notitiã venit, & accusatus fuit Petrus, & multi circa hoc examinati sunt; an Lucius debuit illud testificari?

Insuper, si solus Lucius scit illud crimen, an interrogatus iuridicè, vt dicat, quid de illo scit, teneatur reuelare?

Respons. *Qui iurauit tenere*

7 Respond. quòd secretum extra confessionem sacramentalem commissum, etiamsi sub iuramento factum

factum sit, reuelandum est: quando crimen est pendens in futurum, & contra bonum commune, vel contra innocentiam alicuius tertij: qualia sunt crimina latronum, prædonũ, coniuratorum in Rempublicam, vel Regem, vel hæresis, & eorum, qui falsificant monetam. Sic S.Thom. 2.2. *q.*70. *art.*1. Caietan. Bannes, Salon. Arragon. Innoc. *in cap. qualiter, & quando, 2. de accusat.* & Panormit. *ibidem.* Nauarr. *in cap. inter verba,* 11. *q.*3. Et ratio est, quia cùm ista crimina accusare, vel saltem denuntiare tenear: à fortiori teneor ad testificandum. Quando verò secretum nobis commissum est de delicto, quod non tenemur accusare, vel denuntiare: qualia sunt delicta iam facta, & nullo modo pendentia in futurum, & quæ solùm inquiruntur à iudice, vt puniantur, & non vt euitentur: si iudex iuridicè interrogat, tenemur reuelare, & testificari. Sot. *lib. de iust. q.*7. *art.*1. Vide etiam D.Bonau. *in* 4. *dist.*21. *part.*2. *dist. art.*2. *quæst.*3. vbi dicit, quòd qui acceptat aliquid secretò, non obligat se, nisi sub conditione, si videlicet Superior non interrogat: si autem Prælatus interrogat, tenetur ei reuelare.

Secretum, quando teneatur reuelare, & testificare.

8 Excipe ab hoc doctores, procuratores, tabelliones, aduocatos, consiliarios, medicos, chirurgos, obstetrices, & similes, quibus aliqui sua secreta litium, dubiorum, & morborum aperiunt: vt eorum consilio, auxilio, & opera iuuentur: qui omnes non tenentur reuelare secreta sibi commissa. Alioquin nullus auderet se eorum fidei committere: vt v.g. si puellæ partum ex fornicatione obstetrix reuelare posset: ita vt nec puella esset secura de secreto obstetricis, eligeret potiùs periclitari in suo partu, vel suffocare prolem, quàm illius auxilio vti: sic alij. Et ratio firma est, quia concurrentibus duobus

Excipiuntur doctores, procuratores, tabelliones, aduocati, consiliarij, medici, chirurgi, obstetrices, qui secretũ seruare debent.

præceptis sibi inuicem repugnantibus, seruandum est id,quod maius est:sed in hoc casu sunt duo præcepta,quæ sibi inuicem repugnant, quorum vnum est parere iudici legitimè interroganti: alterum est seruare secretum nobis commissum, quod est iuris naturalis, & maximè faciens pro fama, honore, & bonis proximi. Ergo seruandum est istud ius naturale de seruando secreto:non illud de parendo iudici,vel Superiori:cùm vt dicit S.Thom. nihil potest homini præcipi contra id, quod est de iure naturæ.

S. Thom.

Testis dubitans an legitimè interroget iudex, non tenetur obedire.

9 Septimum; Quando testis dubitat, an iudex legitimè interroget, & iuridicè in causa magnæ infamiæ,non tenetur obedire: quamuis iudex ille sit suus Prælatus, & illi præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ:quia maius peccatum est infamare proximum sine causa,& exponere illum periculo,quàm sit non obedire Prælato præcipienti, vt reueletur crimen:& ideò negotio existente dubio,maius peccatum est euitandum:sic tenet Sotus *de rat.teg.m.3.q.2.*contra Palud.& Sylvest.qui tenent,quod in dubio subditus tenetur obedire Prælato, quod ego probo. Tunc autem interrogat Prælatus non iuridicè,quando non est infamia probata contra reum cum duobus testibus, procedente iudice per viam inquisitionis:aut si non sit legitimus accusator,cum semiplena probatione,qualis est testis oculatus fide dignus, aut cum indiciis probatis per duos testes simul cum accusatione.

Testiũ numerus necessarius ad iudiciũ.

10 Octauum;Numerus testium necessarius est, vt in iudicio regulari faciant fidem:& licèt in rebus leuioribus sufficiens sit testimonium vnius: in rebus tamen grauioribus: maximè quando agitur de hominis condemnatione, aut alia re graui,necessarij sunt duo testes,aut tres.*cap.quod verò,2.quæst.5.& cap.*

*in omni negotio,de testib.*S.Thom.2.2.*q.*70.& omnes. Quando ergo duo, vel tres testes sunt fide digni,& omni exceptione maiores in aliqua causa,fidem faciunt,& plenè probant.

Testes debẽt esse cõtestes.

11 Benè verum est, quòd debent esse contestes; ad quod opus est,vt in testimonio deponendo non conueniant solùm in substantia delicti, sed etiam in circunstantiis principaliter illud declarantibus: scilicet in persona delinquentis, in loco, tempore, qualitate,& modo delicti. Addo tamen aliquando contingere, vt vnum delictum maiorem habeat continuationem: & tunc si plures testes vnus post alium viderit delictum tale, tunc sunt verè contestes ad illud: vt v.g. commisit quis adulterium, & adulterando visus est à tribus, seu quatuor eum aspicientibus per fenestram,vno post alterum: verè isti testes non sunt singulares,sed contestes, & delictum illud sufficienter probant. Tab.verb.*testes.* Tabien.

Dubium. Respons.

Testes de auditu sufficiunt ad probationẽ.

12 Dubitabis; An testes de auditu ad plenam probationem sufficiant? Respond. cum communi sententia Doctorum,quòd si delictum consistat in voce:qualia sunt blasphemia,contumelia,&c.quòd tũc testes de auditu sufficiunt ad plenam probationem:si verò delicta sunt de numero visibilium,tunc non sufficiunt testes de auditu, sed requiruntur testes de visu.Et denique ad hoc, vt testis concludat, reddere debet causam scientiæ per illum sensum corporis, quo percipitur actus, super quo deponitur:vnde si deponit de re perceptibili visu tantùm, dicit:quia vidi,si deponit, quia res amara erat, vel dulcis,dicet:quia gustaui.Si verò testes tantummodò sciunt rem: quia ab aliis audierunt, fidem non faciunt.

Testes singulares nõ sufficiunt.

13 Nonum;Testes singulares non sufficiunt ad plenam

Testis singularis quis.

plenam probationem contra reum. Quod vt intelligatur, sciendum, quòd testes singulares dicuntur illi, qui deponunt de diuersis numero delictis: vt v.g. si vnus dicat, se vidisse hoc furtum commissum esse à Petro: alius verò dicit, se vidisse aliud furtum alio tempore, à Petro commissum. Ad probandum ergo delictum in iudicio testes singulares non faciunt fidem, vt condemnetur ad mortem, sed requiruntur plures. In causis autem leuioribus, &, si agatur de condemnatione alicuius ad aliam pœnam, sufficit testimonium alicuius fide digni: maximè vbi apparet ita expedire bonæ gubernationi, vt patet ex praxi, & vsu omnium iudicum: damnant enim scindentes ligna in nemore alieno, vel vuas rapientes, solo testimonio custodis: aliter non possent esse ista tuta. Eadem ratione in causis grauioribus, dummodò non agatur de vltimo supplicio, sufficit vnicus testis eximię auctoritatis: vt Cardinalis, Princeps, & in Religionibus Generalis.

Testes singulares nõ sufficiũt ad condemnationẽ, sufficiũt tamen ad indicãdum reum: & aliquãdo etiã sufficiunt ad torturam.

14 Hìc bene notandum est, quòd testes singulares, etsi non sufficiant ad condemnationem rei: sufficiunt tamen ad indicandum ipsum: & si sint omni exceptione maiores, sufficiunt ad inducendum reum ad torturam: quia vnicus testis omni exceptione maior, cui nihil opponi potest, facit sufficiens iudicium ad torturam, cùm in criminalibus faciat etiam semiplenam probationem. Et quia qui dicto vnius talis testis vrgetur, est de crimine infamatus apud iudicem competentem, propterea, absque vllo erroris periculo potest torqueri. Glossa in *l. admonendi, ff. de iureiur.* & ibi Bartol. & Iason *in lectura 2. num. 92.* Anton. Gomez *tom. 3. part. resolut. cap. 12. num. 9.* Franciscus Pegna *in Comm. ad Director. Inquis. p. 3. q. 61. comm. 110. reg. 2. & reg. 7.* & alij.

Bartol. Iason. Gomez. Pegna.

15 Modus

Modus procedendi apud Regulares, quid doceat de testibus singularibus.

15 Modus procedendi apud Regulares dicit plura. Primò, quòd propter testes singulares, nemo condemnetur, nec alicui pœnæ infligantur: sed tantummodò reus ad veritatem dicendam arctetur. Secundò, quando numerus aliquis testium singularium fide dignorum, putà quinque, vel sex conueniunt in deponendo actus, numero quidem distinctos: sed tamen eiusdem speciei, vt diuersas sollicitationes, diuersas subornationes, cùm huiusmodi, saltem in genere probent denuntiatum tali vitio deditum, testes prædicti singulares sufficiunt Prælato ad excipiendum illum talem à dignitatibus Guardianatus, Diffinitoratus, Prouincialatus, & huiusmodi.

Testis nolens dicere veritatem potest torqueri.

16 Decimum; Si testis coram iudice competente cum iuramento interrogatus noluerit dicere veritatem, potest torqueri, non in quantum testis: sed in quantum habet rationem rei: vt v. g. si aliqui testantur, Petrum alicui negotio interfuisse, & posse testificari, tunc Petrus si noluerit testificari, poterit torqueri, vt dicat veritatem: quia meritò præsumitur ex malitia testificari nolle. Ratio autem quare testis, in quantum testis, torqueri non debet, ea est, quia vt sic non habet culpam: cùm tamen certum sit, torturam nemini inferri debere absque præsuppositа culpa; vt rectè Bann. 2. 2. *q.* 70. *art. 2. dub. 2. concl. 4.* annotauit.

Testis quãdo incidit in casũ reseruatum.

17 Vndecimum; Quantum facit ad præsens casum reseruatum, peccat mortaliter, & incidit in casum ille testis Regularis, qui à iudice suo competente interrogatus secundùm iuris ordinem iurat, & dicit falsum testimonium, tam asserendo ea, quæ vera non sunt, quàm tacendo ea, quæ vera noscuntur. Vnde, vt casus iste sit reseruatus, necesse

cesse est, vt iuramentum falsum factum sit à Religioso in iudicio coram Superiore, vel coram alio iudice competente, & ab ipso interrogatus sit cum iuramento: quia si ex se deponat coram iudice absque ipsius interrogatione, non incidit in casum, cùm non iuret dicere veritatem. Benè verum est, quòd comprehenditur sub litera tàm is, qui examinatur, vt principalis, quàm is, qui tanquàm testis, si falsum dixerit, cùm litera simpliciter loquatur de iuramento falso.

Includitur etiam ille, qui interrogatus cum iuramento, vt dicat veritatem illam occultat ex eo, quia præcesserat iuramentum de tenendo secretum, quia tale iuramentum non est seruandum: quando imminet rationabile nocumentum corporale, vel spirituale Reipublicæ, vel particulari personæ; ita text. adiuncta Gloss. *in cap. nerui.* verbo, *à transgressione, distinct.* 13. Innocent. *in cap. qualiter, & quando,* 1. *de accusat.* Nam interpretatur iuramentum hoc, nisi fuerit productus in testem: vnde hoc iuramentum seruari nequit absque interitu salutis æternæ, quia inducit mortale; scilicet taciturnitatem veritatis, vt dictum est suprà.

Testis quãdo excusatur à dicẽda veritate in iudicio regulari.

18 Duodecimum; testis excusatur à dicenda veritate in iudicio Regulari in multis casibus.

Primò, quando iudex non est competens.

Primò, quando iudex non est competens: nam tunc quia non habet iurisdictionem, & auctoritatem omninò, vel si habet, non tamen super eum, cùm sit exemptus propter aliquod priuilegium: ideò non tenetur ei respondere verum. In nostra Minoritana Religione iudices ordinarij sunt omnes Superiores per electionem electi, & in dignitate positi, & à Superiore confirmati: cuiusmodi sunt Generalis, Prouincialis, Guardiani, Commissarij

sarij Generales, & Commissarij Prouinciales, qui succedunt in locum Patris Generalis, & Patrum Prouincialium in officio decedentium, quoniam isti propriè non delegantur: sed sunt sic per Constitutiones nostras in Capitulo Generali editas, atque ita dici debent ab vniuersitate electi. Item Capitulum Generale, & Capitula Prouincialia toto illo tempore, quo celebrantur, habent iurisdictionem ordinariam: quoniam si ipsam alijs concedunt, necesse est, vt illam priùs habeant.

Delegatus autem est quilibet Commissarius à Patre Generali, & Commissarij constituti à Patribus Prouincialibus: & quando tales Commissarij possunt delegare alios ad causas, illi tales sunt iudices delegati. Quando ergo testis interrogatur ab alio, quàm suo iudice ordinario, non tenetur ei respondere.

Secundò, quando iudex nõ seruat ordinem iuris.

Secundò, quando iudex non seruat ordinem iuris; nempè quando interrogat de aliquo delicto, quod notorium non est: neque de eo habetur semiplena probatio, neque eius infamia præcessit, neque indicia approbata intercedunt, neque ex eius occultatione alteri deuenit notabile nocumentum: quamuis indirectè in damnum accusatoris redundet, non tenetur ille iudici respondere secundùm eius intentionem rei veritatem manifestando: satis enim est, eum, qui iurat, dicere veritatem iuxta intentionem suam. S. Thom. *secunda secundæ, quæst.* 70. *art.* 1. vbi Caietan. Bann. Salon. Arragon. Maior. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 8. Nauarr. *in Man. cap.* 12. *num.* 9.

S. Thom. Caiet. Bannes. Salon. Arragon. Maior. Nauar.

19 Dubitatur hîc, An teneatur subditus obedire, & testificari; quando dubitat, an iure interrogetur, nécne? Respond. quòd Petrus de Paludan. *in* 4. *dist.* 19.

Palud.

dist.19.quæst.4. tenet,quòd quotiescumque dubium est vel iuris, vel facti, an Prælatus iustè præcipiat subdito; vt prodat crimen occultum quod tunc debet subditus obedire, & dicere veritatem: quia præsumendum est de iustitia iudicis. Sic S. Antonin. *3.p.tit.9. cap.7.§.5.* & Sylvest.verb. *Inquisitio.* §. 3. Sotus autem, *de rat. teg. sec.m.2. quæst.9. concl.1.dub.3. & quæst.7. concl.1.* videtur dicere contrarium: sed non est recedendum à communi aliorum opinione: præsertim in casibus occurrentibus in nostra Religione,vbi non potest habere locum primum fundamentum Soti, quod est principale, quia regulariter non condemnantur fratres criminosi ad pœnam mortis.

Antonin. Sylvest. Sotus.

Reijcitur Soti opinio.

Sed quicquid sit de opinione Soti, frater Minor tenetur ex vi Regulæ suæ obedire Prælatis suis in omnibus, quæ non sunt contra animam suam, & regulam cap.10.Quæ verba exponentes nostri Doctores dicunt, quòd intelliguntur de his, quæ manifestè sunt contra animam,& regulam. Et in specie sanctus Bernardinus *in suo tractatu obedientiæ,* dum loquitur de triplici limite obedientiæ: quorum primum est manifestum peccatum: secundum manifestum periculum: & tertium, manifestum contagium, & impuritas,atque corruptio. Et subdit, quòd quando subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur, sit peccatum, an non: tunc profectò obedire debet, & allegat text. *in ca. quid culpatur. 23. quæst.1.* vide Angel. verb. *Relig. §. 29.* Sylvest. verb. *Relig.9.quæst.6.* & Caietan.*2.2.quæst. 88.art.8.*

Notet Frater Minor.

Sanctus Bernardinus.

Angelica. Sylvest. Caiet.

Stat ergo firma resolutio, quòd quando subditus dubius est de præcepto Prælati, debet petere: quando verò est certus, quòd interrogat, non seruato

uato ordine iuris, vt suprà dictum est, non tenetur dicere veritatem,& testificari.

20 Tertiò excusatur testis à dicenda veritate, & etiam à casu reseruato, quando probabiliter timet sibi ex hoc testimonio aliquod magnum damnum spirituale, aut temporale personæ, honoris, aut bonorum euenturum, secundùm Baldum receptum *in c.cùm nuntius, de test.* & Felinum *in c. delictorum, de testib. cogend.* licèt ex eo scandalum oriatur;iuxta Sylu. verb.*denuntiatio.quæst.1.*& verb. *correctio.quæst.7. sub finem.* Vt si testi immineat periculum vitæ ex sua testificatione, vt quia agitur de testimonio in causa capitali: & fortè consanguineus rei, aut alius de mandato suo, vel vt ei morem gerat, secretò, & occultè minatus est testi. Tunc enim si hoc periculum esset iudici notum, non deberet ipsum cogere ad testificandum: nam si non tenetur testificari in præiudicium cunctorum,*l.Iulianus,ff.de testibus,* multò minùs in præiudicium suiipsius, *l.Iulia.ff.de testibus.* Si autem non imminet magnum periculum, tunc debet eum compellere propter fauorem publicæ disciplinæ,ne delicta remaneant impunita: *c. vt famæ, de sent. excomm. l. si ita vulneratus, ff. ad legem Aquil.* Bald. & post eum Felin.*in cap.delictorum,de testib.cog.*

Tertiò, quando testis timet sibi magnũ damnum imminere.

Bald. Felin. Sylvest.

Hoc autem,quod dictum est, procedit, & habet locum etiam, quando testi comminatur censura Ecclesiastica, vt dicat veritatem: tunc enim non tenetur testificari cum probabili periculo proprij capitis,nec propterea incurrit in excommunicationem; vt dicit Nauarr. *in Man. cap.18.in fine.* Graff. *in consil. de testibus cog. sub memb. 26.* Sotus *de rat. teg.2. quæst.7.* Nec obstat textus *in cap. quisquis,11. quæst.3.* quia intelligitur textus ille, & omnes alij

similes, quando occultatio veritatis alicui nocet, & nulli prodest, tunc enim debent cogi testes: sed in casu prodest testi, qui euadit periculum mortis, aut aliud graue periculum. Et licèt Sylu. in verb. *restitutio.3.quæst.6. vers.9.* dicat; quòd productus in testem, & secundùm iuris ordinem interrogatus, tenetur sub peccato mortali respondere, etiamsi immineat periculum personæ, aut rerum. Tamen contra Sylueſtrum oppono eundem Sylu. verbo, *familia.quæst.7.* vbi docet, quòd non incurrit quis in excommunicationem sibi comminatam, si non denuntiat id, quod ei præcipitur: quia ei probabiliter ex tali denuntiatione, aut testificatione malum corporis imminet. Idem dicit Sot. *vbi supr.* Nauarr. *vbi supr. in fine.* Graff. *in consil. de cog. testib. sub num.16.*

Quartò, consultans, vel Cõfessarius.

21 Quartò, excusatur etiam, si interrogatus à iudice, an aliquid sciat, quod ipse vel audiuit, vel habuit in consultatione, & eò magis in confessione: tunc enim respondere debet se nescire, quia quod audit, nescire dicitur, *l.2. vbi Gloss. §. idem Labeo. ff. de aqua pluuiali arcenda.* Quod nota pro excommunicationibus, quæ aliquando fulminantur contra scientes talem, vel talem rem fuisse subreptam: scilicet quòd non teneantur reuelare ij, qui audiunt, neque aduocati, neque illi, qui, vt consulentes sciunt, prout apud omnes Summistas, & Doctores est in confesso, & nos latè suprà diximus.

Nota.

Testes falsarij puniẽdi.

22 Tertium decimum; Testes, qui in iudicio legitimo, & regulari falsum testimonium dicunt; præter peccatum mortale, & casum reseruatum, in quem incurrunt, sunt etiam puniendi. Vnde iuxta sacros Canones presbyteri, aut Diaconi dicentes

centes falsum testimonium, ab officij honore debent deponi, & detrudi in Monasterium. Ita censuit Concilium Agathense, prout tradit Gratianus *in c. Episcopus, 50. dist.* Vbi Præpositus intelligit id esse verum, quando Clericus est de hoc crimine directè accusatus, & conuictus, vel in iure confessus, secùs autem si non constat de illo, via directa: sed incidenter, scilicet quando contra Clericum in testem productum probatur exceptio falsitatis, quia tunc non debet deponi, nec etiam propter hoc debet infamari, sed tantum à testimonio repelli. Vide Hostiens. *in summa, de accusat. §. quis sit effectus, vers. & gratia exempli.* Hostiens.

Aduertant tamen iudices Ecclesiastici, & Regulares, quòd dicta pœna imponi non debet, quando falsitas sine dolo fuerit commissa: nempe per errorem, cùm falsitas, formaliter loquendo, sine dolo minimè committatur, *l. nec exemplum, l. si quis decurio. C. de fals.* & insuper aduertant, quòd supradicta pœna ordinaria imponenda est, quando iudicio ordinario, & mediante accusatione proceditur: secùs verò si per viam inquisitionis, quia tunc arbitraria pœna est infligenda, *iuxt. Gloss. in l. nullum, C. de testib.*

Testimoniũ aliquorum non recipitur.

23 Quartum decimum; Quia testes in iudicio adhibentur ad rem probandam: & non ita facilè quispiam aut admitti, aut reijci debet: statutum est in iure canonico, & ciuili, ne aliquorum testimonium in iudicio valeat. Sunt autem illi, in quibus reperiantur hæ qualitates:

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

De quibus vide S. Thom. 2.2. *qu.70. art.3.* Bannes, Caietan. Salon, Arragon. Alex. de Ales. Nauarr.

S. Thom. Bannes. Caiet. Salon. Arragon. Alens. Nauarr.

& omnes Summistas, quæ omnia ad quinque capita reduci possunt, ad mores, naturam, fortunam, animum, & statum; vt egregiè, & præ cæteris meliùs, & significantiùs explicarunt S. Thomas, & Alexander de Ales. *vbi supr.*

Excluduntur primò infideles.

Circa mores duo considerarunt, ob quæ fides non ita facilè testificandi adhiberi debet, errorem scilicet, & malitiam: vnde propter errorem infideles, propter malitiam autem infames à testimonio ferendo excluserunt.

Secundò, infames.

De infidelibus id habetur *cap. 1. de testib. & cap. alieni erroris, & c. non potest. 2. quæst. 7.* De infamibus idem habetur *in cap. alieni erroris, 2. quæst. 7. & cap. præterea de test. cog.*

Tertiò, pueri.

Circa naturam etiam duo considerarunt, ætatem, & sexum, quia enim in pueris ætatis defectus rationem obnubilat: ideò isti à testimonio ferendo excluduntur, *vt habetur in cap. 1. 4. quæst. 3.* Ad testimonium infra annum decimumquartum ætatis suæ constituti non admittantur, quod intelligendum est, quandiu sunt infrà illam ætatem: nam cùm illam pertranfierunt, testimonium ferre possunt in his, quæ in minori ætate viderunt; dummodò doli capaces erant, quando ea viderunt, *cap. relato. & ibi Gloss. dist. 17.*

Quartò, mulieres.

Quoad mulieres, id habetur cap. *ex eo. 15. quæst. 3. & cap. mulierem, 33. quæst. 5.* Id quod verum est regulariter: nam in quibusdam casibus permittitur etiam mulieri testem esse, & accusare, *cap. tanta, de simonia*, & in criminalibus admittitur etiam meretrix ad suam, & suorum iniuriam prosequendam, *cap. de crimine, 15. q. 3.* & in crimine læsæ maiestatis. *Ex Alex. de Ales.*

Alensis. Quintò, sexui.

Circa fortunam etiam duo considerarunt, scilicet

cet conditionem seruitutis, & aduersitatem paupertatis: vnde seruos, & pauperes à testimonio ferendo excluserunt.

Sextò, pauperes.

Circa animum duo principaliter considerarunt: intellectum scilicet, & affectum: ex quibus quatuor genera hominũ excluserunt à testimonio ferendo.

Furiosos, propter alienationem rationis.

Septimò, furiosi.

Octauò, inimici.

Inimicos, *cap. in primis, 2. q. 1.* vbi dicitur; de personis testificantium quærendum est, ne fortè aliquas inimicitias habuissent, *cap. accusatores, 3. q. 5.*

Nonò, domestici.

Domesticos, & familiares, *cap. si testes, 4. q. 3.* Et quisque prohibetur esse testis in re sua, *cap. si testes, vbi supr. §. in omnibus.*

Decimò, familiares.

Circa statum etiam personarum duo considerantur extra iudicium scilicet existentium, & in iudicio. Extra iudicium considerauerunt statum laicorum, & clericorum: cùm enim laici, vt plurimùm infesti sint clericis, ideò in criminalibus contra clericos laici testificari non possunt. *2. q. 7. per totum.*

Vndecimò, laici cõtra clericos.

In iudicio considerauerunt distinctionem personarum necessariam esse: vnde in *cap. 1. 4. q. 4.* dicitur: Nullus vnquam præsumat accusator simul esse, & iudex, & testis.

Duodecimò, qui est index, & testis.

24 Dubitatur hîc; An licitum sit allegare defectus contra testes?

Dubium.

Respond. quòd imponere falsa crimina testibus semper est peccatum mortale. Nec valet id, quod dicunt: scilicet quòd hoc faciunt ad redimendam vexationem: non inspicientes, quòd si redimunt vexationem temporalem, incidunt hac via in vexationem æternam: non enim licet redimere vexationem temporalem mendaciis, & falsitatibus.

Respons. *Falsa crimina imponere; sẽpẽ est peccatũ mortale.*

Potest bene ille, qui habet iustitiam in lite, ad suam defensionem imponere defectus testi falso: si

sunt veri defectus, quamuis occulti: dummodò illorum ratione illius depositio reddatur debilis, & parui momenti: alioquin si existimat, quòd si positis, & deductis talibus defectibus, ipse non reddetur talis, ei non licet tales defectus manifestare.

Vnde talis impositio necesse est, vt habeat tres conditiones.

Prima, quòd manifestare tales defectus sit necessarium ad litem.

Secunda, quòd aliter non possit reus defendi.

Tertia, quòd non prætendat hac via, illum reddere infamem: sed solùm se defendere, secundùm id, quod in simili casu resoluit Caietan. 2.2. *q.*95. *art.*8. Corduba *lib.*1.*qq.q.*38.*dub.*1. Sot.*lib.*1.*de iust. q.*8. Nauarr.*lib.*2.*de testib.cap.*3.*num.*343.

Caietan. Corduba. Sotus. Nauarrus.

Testis non iuratus.

25 Addam & hoc, scilicet quòd testis, cui non datur iuramentum, idest, qui sine iuramento præstito testificatur, potest repudiari, quia non facit fidem: & ideò aduertant Regulares, quòd quando qualificant aliquem processum, & causam, quæ coram illis agitur, non sufficit, quòd imponant per obedientiam suis subditis, vt dicant veritatem: sed debent illis præstare iuramentum: quia sine illo non substantiatur processus.

Sed hoc intelligitur de præcepto in communi scilicet quod non sufficit: nam si in particulari, quando examinatur, detur ei præceptum sanctæ obedientiæ, sufficit: æquiualet enim iuramento, Sacerdotes verò tangunt pectus, & sufficit. Et hæc de testibus: & circa ea, quæ sunt fidei, me remitto in cap.*in fidei fauorem, de hæret.in 6.* Nunc de Reo.

DE

DE REO.

SVMMARIVM.

1 *Reus quando tenetur dicere veritatem.*
2 *Indiciorum tres gradus.*
3 *Indicia quomodo dignoscenda.*
4 *Fama est sufficiens indicium ad inquirendum.*
5 *Testis vnus facit indicium ad inquirendum.*
6 *An validè testis deponat de auditu.*
7 *Dictum socij criminis facit indicium ad inquirendū.*
8 *Dictum corrupti, & sollicitati facit indicium ad torturam.*
9 *Solitus delinquere facit præsumptionem. Exceptionem patitur regula.*
10 *Solitus delinquere quis.*
11 *Fuga probata sufficit ad condemnationem.*
12 *Inimicitia capitalis quando facit indicium, & quando minimè.*
13 *Confessio extraiudicialis facit indicium ad torturam.*
14 *Minæ præcedentes faciunt indicium ad capiendam informationem.*
15 *Sequestratio facit indicium.*
16 *Pactum cum accusatore facit indicium ad informationem capiendam.*
17 *Variatio facit indicium ad inquirendum.*
18 *Acclamatio facit indicium ad torturam.*
19 *An per vim tormentorum confessus falsa, inciderit in casum.*
20 *Infamare seipsum aliquando est mortale.*
21 *Infamare seipsum in iudicio, quando sit casus reseruatus. Limitatur.*
22 *Reus, qui absque confessione damnatur, an teneatur postea confiteri veritatem.*

23 *An reo iuridicè interrogato, & respondere nolenti, possit iudex præcipere, vt respondeat.*
24 *Reus aliquando potest petere dilationem.*
25 *Reus tenetur respondere ad mentem iudicis.*
26 *Reus conuictus de vno crimine, non potest interrogari de alio, neque de socijs, nisi de eis sit infamia.*
27 *In iudicio regulari non omne mendacium facit, vt quis incurrat in casum.*
28 *Reus tenetur etiam declarare complices, quando confitetur delictum.*
29 *Iudex interrogans tanquàm pater, potest etiam interrogare de socio.*
30 *Iudex potest aliquando vti fraude ad interrogãdum: aliquando minimè.*
31 *Reus potest aliquando torqueri.*
32 *Iudex vt peccet comminando ipsi reo.*
33 *An reus cognitus à iudice innocens, possit condemnari secundùm allegata.*
34 *Iudex tenetur absoluere innocentem.*
35 *Iudex potest aliquando sententiam differre.*
36 *Iudex tenetur iudicare secundũ allegata, & probata.*
37 *Iudices possunt augere, & minuere pœnam iusta de causa.*
38 *Iudices possunt committere defectus in condemnandis reis, quatuordecim modis.*

OMnia, quæ de Reo in hac materia considerari solent, possunt reduci ad tria capita; nempe ad obligationem, ad obedientiam, & ad defensionem. Ad obligationem, quando scilicet tenetur veritatem dicere in iudicio. Ad obedientiam verò, quando tenetur exequi sententiam datam. Ad defensionem verò, quando sentit se grauatum: de quibus plura dicemus.

1 Reus

1 Reus ergo, iuridicè interrogatus à iudice competente, tenetur dicere veritatem, sub peccato mortali, etiam cum periculo vitæ: & dicere falsum, est peccatum mortale, & casus reseruatus; vt communiter omnes præallegati Doctores asserunt. Vbi nota, quòd, vt suprà dictum est, iudex debet esse competens, & legitimus: debet enim habere imperium, & iurisdictionem super reum: & quòd interrogatus respondere teneatur: scilicet vt circunstent merita causæ, & forma iuris obseruetur. Vt si processus fiat per denuntiationem, reus priùs admonitus à Prælato, sit rebellis, & sit alius testis, saltem præter denuntiantem: aliàs non potest eum interrogare Prælatus, tanquàm iudex. *Reus quãdo tenetur dicere veritatem.*

Si per viam inquisitionis specialis procedatur, requiritur, vt præcesserit infamia, quæ non à discolis: sed à viris bonis, & fide dignis emanauerit; vt dictum est suprà.

Si per viam accusationis procedatur, requiruntur, & sufficiunt vel semiplena probatio, vel expressa, & manifesta indicia. Et quia suprà diximus de infamia, de clamorosa insinuatione, & semiplena probatione: hîc agendum est de indiciis, ad hoc, vt quod dicamus de reo intelligatur.

2 Indiciorum tres sunt gradus: vt explicat Clarus *in sua practica quæst.* 20. aliqua enim sunt leuia, aliqua grauia, & aliqua grauissima. *Indiciorũ tres gradus.*

Leuia indicia sufficiunt ad capturam: non tamen, vt reus debeat statim examinari super delicto: ita vt eius nomen recipiatur inter reos, sed vt tollatur ei facultas fugiendi: sufficiunt etiam ad inquirendum, idest ad assumendas informationes ex officio contra aliquem de delicto: nõ tamen ad transmittendam ei citationem, quoniam ad assumendas *Leuia.*

informationes super delicto, sufficit aliqua probabilis suspicio, per quam iudex rationabiliter credat, delictum ab eo commissum, contra quem inquirere intendit. Dat exemplum Clarus *vbi supr.* in assertione vulnerati, in fama, etiam in graui inimicitia: & hæc eadem iudicis arbitrio sufficiunt ad capturam, & huiusmodi indicia leuia, si non sunt multùm vrgentia, appellari possunt suspiciones: si verò magis vrgent, dici possunt præsumptiones, siue argumenta.

Clarus.

Grauia. Grauia indicia sufficiunt ad transmittendam reo absenti citationem: vel si sit captus, ad examinandum eum super delicto, tanquam reum. Vel, vt apud nos obseruatur, ad eum vocandum, & interrogandum, tanquàm reum: & ista sufficiunt etiam ad torturam: quæ omnia in hac materia appellari possunt indicia, quæ sunt plusquàm simplex præsumptio: & minus, quàm semiplena probatio.

Grauissima. Grauissima verò indicia sufficiunt etiam ad condemnationem: non tamen ordinariam. Et hæc proculdubiò debent esse non solùm plusquàm semiplena probatio, sed etiam quasi plena probatio.

Nota. Obseruandum est tamen, quòd, secundùm omnes Doctores, non potest dari in materia indiciorum certa doctrina: sed totum relinquitur iudicis arbitrio, qui secundùm qualitatem personæ, loci, temporis, delicti, & demonstrationum, vel suspicionum iudicabit iudicium esse sufficiens, vel non.

Indicia quomodo dignoscenda. 3 Verùm, vt aliqua praxis habeatur pro indiciis ipsis dignoscendis, obseruandum est, quòd omnia possunt reduci ad infrà scripta.

Fama est sufficiès indicium ad inquirẽdũ. 4 Primò; Fama, quæ sit contra aliquem, quod delictum aliquod commiserit, est sufficiens indicium ad inquirendum modo, quo diximus: sed ipsa fama

fama sola absque aliis adminiculis, non est sufficiens indicium ad torquendum reum: neque in criminalibus sola fama facit semiplenam probationem. Posset tamen delictum adeò esse difficilis probationis, vt sola fama sufficeret ad torturam: ita docet Clarus *q.* 21. *in princip.*

Testis vnus facit indiciũ ad inquirẽdum. 5 Secundò; Testis vnus deponens de visu, si sit inhabilis, non facit semiplenam probationem: sed tantùm indicium, quod est sufficiens ad inquirendum contra reum, idest, ad assumendum contra eum specialiter informationes super delicto: quoniam ad hoc sufficit vnus testis, etiam inhabilis, & minùs idoneus.

Cæterùm, ad hoc, quòd vnus testis faciat semiplenam probationem, & indicium legitimum ad torquendum reum, requiritur, quòd sit integer, & omni exceptione maior. Clarus *d. quæst.* 21. *versic. vnus testis.*

6 Hîc verò dubitatur, si testis non viderit committi maleficium, sed deponat se audiuisse: nimirum nocte Petrum percutientem Antonium, & dicat, se eum cognouisse ad vocem; nunquid faciet contra Petrum indicium ad torturam? Respond. Clarus, quòd sic: dummodò testis ita deponens habeat vocem Petri verisimiliter adeò notam, vt decipi non possit: aliàs secùs, quoniam tale indicium vocis est multum fallax, & periculosum.

Respons. Clarus.

Dictũ socij criminis facit indiciũ ad inquirẽdum. 7 Tertiò; Dictum socij criminis facit indicium contra eum, qui pro socio nominatur ad inquirendum, idest ad assumendum contra eum informationes: sed non ad interrogandum reum, & multò minus ad torturam, nisi adsit aliquod aliud adminiculum. Si verò duo socij criminis deponant contra aliquem: iste non dicitur conuictus, ita vt possit

contra

contra eum sequi condemnatio: quoniam non sunt integri testes, sed bene faciũt contra eum indicium ad torturam: etiam quòd essent singulares.

Nota. Ad hoc autem, vt dictum socij criminis faciat indicium, requiritur, quòd illud deponat cum iuramento: quia licèt quoad seipsum sit reus, tamen dum deponit contra alium, fungitur iure testis, & meritò non est ei adhibenda fides: nisi cum iuramento, & sufficit quandocunque iuramentum interueniat, siue antequàm ponatur ad torturam, siue etiam iuret, præsente eo, contra quem deponit.

Dictũ corrupti, & sollicitati facit indiciũ ad torturam.

8 Dictum etiam corrupti, & sollicitati in crimine inhonesto facit indicium ad torturam contra corrumpentem, & sollicitantem, atque ad eum interrogandum: si tamen concurrat aliquod aliud adminiculum, indicium, vel præsumptio: quia tale dictum, est dictum socij criminis. Clarus *vbi suprà*, & Boss. *in titul. de indicijs, num.* 160. Qui numero sequenti, inquit, quòd quando aliter veritas haberi non posset: vt in his, quæ sunt difficilis probationis, admittuntur etiam testes inhabiles: qui etiam non propterea dici debent integri testes, & optima præsumptio contra corrumpentem, vel sollicitantem, nisi solitus esset talia agere.

Nota. Obseruandum est tamen, quòd dictum corrupti, vel sollicitati facit indicium contra corrumpentem, vel sollicitantem: quando ipse corruptus, vel sollicitatus examinatus fuerit, tanquàm testis, alio denuntiante crimen: quia si ipsimet denuntiator est, succedit loco accusatoris, & nullus potest esse accusator, & testis: vt dictum est suprà.

Solitus delinquere est præsũptio.

9 Quartò; Solitus delinquere in aliquo crimine, etsi non sit indicium perfectum: est tamen imperfectum, & præsumptionem facit ad torturam: sic

sic Bartol. & Salicetus *in l. finali Cod. de quæstion.* quia semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali, *cap. semel malus, de regulis iuris in sexto.* Bartol. Salicetus.

Solitus delinquere quis.

10 Et dicitur solitus, qui bis, vel ter reperitur deliquisse, vt tradit Innocent. *in cap. 1. ext. de fidei iussor.* Atque ita ex mala qualitate personæ oritur præsumptio, quæ quomodocumque adminiculata facit indicium sufficiens ad torturam; vt per Bald. *in l. qui de C. de accusat.* Baldus.

Exceptiones.

Bene verum est, quòd prædicta regula patitur multas exceptiones, quarum prima est, quòd intelligitur in eodẽ genere mali, non in diuerso genere.

Secunda, quòd quando malus factus est bonus, abstinens se à malo: saltem per triennium, non præsumitur de eo: ita probat text. *in §. hinc autem nobis, vers. Nam & si iurium, in Auth. de Monachis.*

Tertia, quòd non habet locum in delictis, quæ solo ipso temporis vsu, & ætate alterantur: sicuti vitium libidinis, quod etsi fuit vehemens in adolescentia, attamen extinctum præsumitur in senectute.

Quarta; quòd non habet locum in crimine occulto, nam tunc non præsumitur, quòd is aliud simile delictum debeat perpetrare. *Ita Alciat.*

Fuga probata sufficit ad condemnationem.

11 Quintò; Fuga delinquentis, quando opponitur, vt crimen contra fugientem, si fuerit probata, sufficit ad condemnationem: si autem fuga opponitur, tanquàm indicium, vtputà quando reus, admisso delicto, asseritur aufugisse, & à loco delicti se absentem fecit: tunc probat semiplenè illud crimen, ad quod probandum plena probatio requiritur. Clarus *vbi supr.* vers. *fuga delinquentis.* Clarus.

Quod intelligendum est de fuga, quæ fit ante Nota.

assumptas

assumptas informationes: quia talis fuga verè arguit conscientiam delicti commissi: secùs autem si fugiat post citationem,& assumptas informationes,vel apud nos,post interrogationem reo factam; quoniam talis fuga non est sufficiens ad torturam. Clarus *vbi supr.* qui dicit, hanc esse communem opinionem. Clarus.

Si autem ille, qui aufugit, posteà citatus sponte comparet: tunc fuga præcedens nullum contra eum facit indicium,nec etiam leue. Nota.

Si verò fuga fiat à carcere, in quo reus legitimè detinebatur, talis fuga facit contra eum plenam probationem: atque ita habetur pro confesso, & conuicto.

Quòd si post fugam capiatur, vel sponte reuertatur, non solet per solam fugam de carceribus factam condemnari:sed tantùm grauiùs torqueri.Sed si statim reuertatur, non est tanquàm fugitiuus, & fractor carceris puniendus.*Clarus.*

Inimicitia capitalis quando facit indiciũ, & quando non.

12 Sextò, Inimicitia capitalis vigens inter offensum, & eum, qui est de delicto suspectus, dixi; *Capitalis*, quia inimicitia, orta ex causa leui, non facit indicium: secùs verò si esset orta ex causa graui, & capitali: quia tunc facit indicium ad assumendas ex officio informationes specialiter contra eum, & etiam ad capturam, sed sola non facit indicium ad torturam, licèt sit grauis inimicitia. *Clarus.*

Cõfessio extraiudicialis facit indicium ad torturam.

13 Septimò, confessio extraiudicialis delicti non probat plenè delictum contra confitentem: sed facit sufficiens indicium ad torturam,quæ quidem confessio non potest reuocari à confitente, nisi de errore probauerit. Et idem dicendum,est de confessione facta in iudicio, sed coram iudice non compe

competente; quia hæc similiter facit indicium ad torturam.*Clarus.* Clarus.

Bene verum est, quòd si talis confessio extorta fuerit à reo per iudicem incompetentem vi, vel metu tormentorum, eo casu contra reum nullum faceret indicium.

Minæ præcedẽtes faciunt indicium ad capiendam informationem.

14 Octauò, Minæ præcedentes delictum faciunt indicium ad assumendas contra reum specialiter informationes: & si sint minæ prolatæ per virum potentem,& malæ famæ in eo genere mali, & solitum exequi minas factas, quíque de facili eas exequi potuisset, faciunt indicium ad torturam. *Clarus.*

Sequestratio facit indicium.

15 Nonò, Sequestratio in aliquo loco secreto apto ad delinquendum, facit indicium: veluti si duo adolescentes,vel vnus adolescens,& alter ætate prouectus reperiantur obseratis foribus in aliquo cubili inclusi, quod regulariter Patrum instituto cautum est ne fiat, erit indicium delicti inhonesti contra ipsos:atque eò magis,si nocturno tempore sine lumine, *arg.c.literis, extra de præsumptionibus.*Quare poterunt statim incarcerari.

Pactũ cum accusatore facit indiciũ ad informationẽ capiẽdam.

16 Decimò, Pactum cum accusatore, vt ab accusatione desistat, facit contra reum indicium ad omnes assumendas iuformationes: sed ad torturam non facit indicium: nisi in illis criminibus, in quibus de iure non est licita transactio.*Clarus.*

Variatio facit indiciũ ad inquirẽdum.

17 Vndecimò,Variatio,mendacium,seu inconstantia, & titubatio rei faciunt indicium contra eum ad inquirendum. Sed an etiam faciant indicium ad torturam, hoc relinquitur iudicis arbitrio, inquit Clarus, considerata qualitate personæ, & rei, super quam est mendacium, seu variatio: an scilicet sit talis, in qua verisimiliter cadere possit Clarus.

obliuio,

obliuiò, & an in incontinenti se correxerit: nam talis variatio diceretur potiùs correctio, quàm mendacium.

Acclamatio facit indicium ad torturam.

18 Duodecimò, Acclamatio facit indicium; vtputà si in aliqua domo audita fuerit puella, vel aliquis acclamare, Subuenite, succurrite, &c. Et visus fuerit aliquis exire de domo ense euaginato, & mulier, vel aliquis alius reperiatur mortuus, vel mulier stuprata, præsumitur contra exeuntem, & facit indicium ad torturam.

Sufficiât, quæ dicta sunt, prædicta indicia, quantum facit ad præsens institutum, in quibus omnibus arbitrium iudicis necessarium est; vt iudicet quæ leuia, quæ grauia, & quæ grauissima indicia sunt, considerata qualitate personæ, loci, temporis, conditionis, &c.

Quando igitur reus iuridicè interrogatur à iudice competente, siue per viam denuntiationis, siue per viam inquisitionis, siue per viam accusationis, tenetur dicere veritatem: alioquin peccat mortaliter, & incurrit in casum reseruatum. Non peccat autem mortaliter, neque in casum incurrit, quando iudex contra ius præcipit. Quo circa in cap. *Inquisitionis*, & cap. *qualiter & quando. 2. de accusat.* prohibetur Prælatis contra ius inquirere: & simul datur facultas subditis non respondendi, si contra ius aliquando fuerint interrogati.

Dubium.

19 Hîc verò dubitatur, primò, quidnam dicendum sit de illo reo, qui propter vim tormentorum confessus est de se aliquod crimen falsum: vel, ne patiatur tormenta à iudice ei comminata, dicit ea, quæ non fecit; An incidat in casum reseruatum?

Respon.

Respondeo, quòd cùm confiteri de se crimina falsa, regulariter non sit de se mortale: vt docet Nauarr. *in Manual. cap. 18. num. 29.* quòd neque incidit in casum reseruatum, nam detegere propria peccata vera, & secreta, & imponere sibi falsa, suo genere non est, nisi veniale: quamuis per illud fama notabiliter lædatur, aut omninò amittatur; sic Sotus *de rat. teg. memb. 1. quæst. 3.* Adrian. *in 4. de restitut. quæst. 35.* quos sequitur Nauarr. *vbi supr. num. 27.*

Sotus. Adrian. Nauarr.

Nota, quòd infamare seipsum aliquãdo est mortale.

20 Potuit tamen esse mortale in quatuor casibus, scilicet quando ex suiipsius infamia damnum animæ, aut vitæ propriæ, aut alienæ, aut honoris, aut bonorum alienorum sequeretur.

Animæ propriæ scilicet, vt quando indigens notabiliter fama ad se honestè continendum eam prodigit. Animæ alienæ, vt qui pro iusto habitus, hæreses, aut alia sua delicta detegit: quod probabile est, fore causam, vt alij in eandem incidant.

Vitæ propriæ, vt qui crimen aliquod detegit, ob quod eiusdem, aut alicuius membri iacturam mereatur. Infamiæ alienæ; vt qui Religiosus, aut Religiosa seipsam infamat peccatis, quæ ipsorum Ordini, aut Monasterio notabiliter infamiam inferũt.

Bonorum alienorum, vt cùm is, cuius opera ad sui gubernationem Respublica indiget, ob illam se facit ad id ineptum. In his quatuor casibus nemo negat esse mortale seipsum infamare; quia præiudicat alteri vel sibi in his, quæ iure renuntiare nemo potest: qualis est salus animæ, & ad illam necessaria. Sic Nau. *vbi suprà.*

Infamare seipsum in iudicio, quando est casus reseruatus.

21 Totum hoc verum est, sed propterea sequitur, quòd statim sit casus reseruatus: quia prædicta possunt fieri extra actum iudicij. Si verò quis iuridicè interrogatus, infamat se, vel alium,

vno ex ſupradictis quatuor modis : ſicut peccat mortaliter, ſic incidit in caſum.

Limitatur. Excuſatur benè talis à peccato mortali, & per conſequens à caſu reſeruato : quando detegit aliquod tale perſuaſus ſe torquendum eſſe, donec confiteatur, aut vitam amittat : vt ſingulariter dixit Sotus, *vbi ſuprà*, quem ſequitur Nauarrus *vbi ſuprà num.* 29. quia eo caſu non tam mortis ſuæ dat cauſam, quàm vna morte multas redimit, vt Sotus ait.

Confirmantur prædicta per ea, quæ habet Toletus *in ſua ſumma lib. 5. cap. 66.* vbi dicit duo.

Toletus.

Primum, quòd poteſt quis abſque peccato in tortura manifeſtare ſuum crimen verum, quamuis non interrogetur iuridicè, & conſequenter ſe infamare : nec enim tenetur famam ſuſtentare cum tanto labore, cùm ſit ipſius dominus. Sed hoc intellige, exceptis quatuor illis ſupradictis caſibus.

Secundum, quòd poteſt etiam ſine peccato mortali confiteri crimen falsò ſibi impoſitum, pro cuius confeſſione torquetur : nec hoc eſt mortale, quamuis ſit ob talem confeſſionem ſuſpendendus. Sed hoc intelligi debet citra iuramentum : nam periurium ſemper eſt peccatum mortale. Crederem tamen, quòd in tali caſu, licèt peccaret mortaliter propter periurium : tamen quia propter vim tormentorum id facit, non incurreret in caſum reſeruatum. Quamuis ſi iam commiſſum ſit tale peccatum, iurando : Confeſſarius non debet eum obligare vt iterùm verum dicat. Intelligendum eſt etiam, vt non noceat alteri, imponendo ei falſum : nam tunc contra iuſtitiam peccaret mortaliter, quia non eſt dominus famæ alterius,

rius, ſicut ſuæ, & propterea incideret in caſum.

Dubium. 22 Dubitatur ſecundò, An iuridicè interrogatus reus, ſi negat ſemel delictum : & hoc non obſtante, condemnetur morte, aut alia pœna, teneatur poſteà illud confiteri ? Reſpond. quòd talis, licèt peccauerit mortaliter, & inciderit in caſum, non tenetur tamen veritatem illam confiteri : niſi ex eius negatione reſultet graue damnum alicui. Sic Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 38.* Nec obſtat id, quod dicit Medina *in ſua ſumma*, ſcilicet quòd ſi non confitetur delictum, confeſſarius non debet eum abſoluere, ob grauem iniuriam, quam iudici facit, inſinuans per hoc, quòd ſine culpa illum condemnet : hæc quidem ratio nullius momenti eſt, quia quamuis reus ſit innocens, non eſt dedecus iudici illum condemnare, ſi ex proceſſu ſubſtantiato iuridicè inuenit eum delinquentem : & propterea cùm iudici nullum damnum veniat, non eſt cur affligamus delinquentem morte damnatum, negando ei conſolationem abſolutionis.

Reſpon. Nauarr. *Reſpon. ad Medinam.*

Dubium. 23 Dubitatur tertiò, An reo iuridicè interrogato & nolenti reſpondere, poſſit iudex præcipere, vt reſpondeat ? Reſpon. quòd ſic, & ſi non reſpondet, præſumitur in iure illud commiſiſſe delictum. Clarus *vbi ſuprà*, & ita ſtatim tenetur reſpondere, nec poteſt petere à iudice dilationem, aut tempus ad deliberandum, ſi reſpondere debeat, nécne ; vt affirmat Salzedus *in ſua Pract. crimin. cap. 126.*

Reſpon. *Teſti nolẽti reſpondere poteſt iudex præcipere, vt reſpondeat, & ſi noluerit, præſumitur illiũ commiſiſſe delictum.* Clarus. Salzedus.

Verum eſt tamen, quòd, vt ſit iuridicè interrogatus, neceſſe eſt, quòd ſit vnus teſtis oculatus ſine aliqua exceptione, aut indicia, quæ ſint illi æqualentia, de quibus ſuprà : & quòd talis probatio

Nota.

contineatur in processu, & detur copia patti, vt sciat, an teneatur respondere: quia si non datur, non tenetur ad illud, vt dicũt S.Th.2.2.*q.*69.*art.*1. & 2. Nau.*in Man.c.*25.*n.*36. Sot.*de iust.& iur.li.*5.*q.*9.*a.*2.

S.Thom. Nauarr. Sotus.

Reus aliquando potest petere dilationẽ, quid cõtra ipsum sit in processu vt videat.

24 Potest benè reus petere dilationem, non ad respondendum: sed ad videndum id, quod contra eum est in processu, & secundùm ea videre, an teneatur respondere. Non tamen debet dari Reo copia informationis: sed solùm debent iudices præcipere, vt coram illo legatur processus absque eo, quòd explicentur nomina testium. Sic Guttierrez *in qq.canon.c.*11.

Dubium. Respon.

Reus tenetur respondere ad mẽtẽ iudicis.

25 Dubitatur quartò; An reus teneatur respondere iudici ad mentem ipsius, an non? Resp. quòd sic, quia si iurat contra hanc intentionem, peccat mortaliter, & incurrit in casum. S.Thom. Caietan. *vbi supr.* Sotus, *lib.*8.*de iust.q.*1.*art.*7.

S.Thom. Caiet. Sotus.

Idem est dicendum de responsione cum verbis æquiuocis à Reo datis, quia cùm iudex licitè præstet reo iuramentum: non est licitum reo vti hac æquiuocatione, vel amphibologia: quia esset illi inferre magnam iniuriam. Sotus *vbi supr.*

Dubium.

Reus cõuictus de vno crimine, non potest interrogari de alio crimine, neque de socijs, nisi de eis sit infamia.

Sotus. Nauarr.

26 Dubitatur quintò; An reus, conuictus de vno crimine, possit interrogari de alio crimine? & respondeo quòd non, quod intelligitur non solùm de alio suo delicto: sed neque de alijs socijs, cùm tales de eo non sint infamia notati; vt dicit Sotus *vbi supr.* & Nau.

Potest benè reus, conuictus de vno crimine, interrogari: an commiserit alia eiusdem speciei, quod dicit Nau. *vbi suprà*, habet locum, quando hic ob infamiam, aut aliter per indicia clamorosa videtur frequentasse huiusmodi delicta: & ideò famosus latro, qui confessus est aliquod furtum, potest interrogare,

rogare, an commiserit plura furta: si verò solùm est infamatus de vno furto, & non est suspicio, quòd commiserit alia, non potest interrogari, an plura commiserit.

Dubium.

27 Dubitatur sextò; An reus, dicens mendacium in cõfessione facta in iudicio regulari peccet? Resp. quòd tam reus, quàm testis, qui legitimè interrogatus à suo iudice competente, mentitur in rebus parui momenti, non peccat mortaliter: etiam quòd iudex sit Prælatus regularis, & præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ subdito, vt illi manifestet veritatem alicuius rei parui momenti: quia talis non peccat mortaliter non obediendo, cùm Prælatus in rebus parui momenti non possit ei imponere præceptum sanctæ obedientiæ, quod obliget ad mortale.

Respons.

In iudicio regulari nõ omne mendacium facit, vt quis incurrat in casum reseruatum.

Si verò dubitat subditus, an sint res parui momenti, tenetur obedire: nisi graue damnum inde proximo sequatur. Arragon.2.2.*q.*69.*art.*2. supradictum autem intelligi debet, nisi mendacium confirmet cum iuramento: quia tunc peccaret mortaliter. Sotus *de rat.teg.m.*2.*quæst.*7. Nauarr. *in cap.inter cunct.num.*154.

Arragon. Sotus. Nauarr.

28 Dubitatur septimò; An reus, confitens crimina, teneatur etiam declarare complices? Respondeo, quòd si iuridicè de illis interrogetur, tenetur. Imò si complices sunt nociui Reipublicæ, vt hæretici, strigæ, & in Religione subornatores, etiã quòd iuridicè non interrogetur de illis, tenetur eos manifestare: vt resoluit Nauarr. *in cap.inter verba, cõnsil.*6. Sotus *vbi supr.m.*1.*q.*8. Et ideò tenentur Confessarij eum monere, vt de illis denuntiet: sicut monet Sotus *vbi supr.* & si eos absoluant, peccant: cùm impœnitentes absoluant; vt dicit Nauarr. *in Man.*

Dubium. Respons. Nauarr.

Reus tenetur etiã declarare cõplices, quãdo cõfitetur delictum.

Nauarrus.

Notent iudices.

Nauarrus. Limitatio.

cap.18.num.58. Est bene animaduertendum, quòd iudex declarare tenetur ipsi reo, quando complices manifestare teneatur, vel eis concedere licentiam, vt homines doctos consulere possit: quòd si talem licentiam concedere nolit: Nauarr. *vbi supr.* non liberat eos à mortali. Nisi peccatum à reo commissum, & in iuridica confessione propalatum esset talis conditionis, vt sine socio non possit fieri: sicut est peccatum Sodomiticum, fornicatio, &c. nam tunc potest iudex simpliciter interrogare de socio.

Iudex interrogans tanquàm pater, potest etiã interrogare de socio. Corduba. Sotus.

29 Et denique iudex potest de socio interrogare, quando interrogat, non vt iudex, sed vt pater ad finem corrigendi, non puniendi: sic tenet Cordub. & Sot. *de rat.teg. vbi supr. q.4. concl.7.*

Dubium. Respons. Couarr. Abbas.

30 Dubitatur octauò; An liceat iudici vti aliqua simulatione, quando reum examinat, ad hoc, vt verificetur negotium, quod inter reum, & actorem agitatur?

Respond. Couarr. & Abbas, quòd sic: si iudex dubitat de occultatione veritatis.

Iudex potest aliquã. do vti fraude ad interrogandum aliquãdo non.

Benè verum est, quòd, regulariter loquendo, iudex non potest quemquam denuntiatum solùm de certo crimine, cum sola depositione ipsius rei ad pœnam ordinariam condemnare: si modo prędicto ab eo talem depositionem extraxit, promittendo illi, quòd si veritatem dixerit, illum non puniet: cùm per fraudem id ab eo extraxerit, existimante reo, quòd iudex staret promissis sibi factis. Dixi, *regulariter loquendo*, quia si reus sciebat, iudicem non stare promissis: & nihilominùs in depositione sua perseuerauit confitendo ei suum delictum, absque dubio potest puniri pœna ordinaria: sed melius est eum punire pœna extraordinaria, si interuenit pactum, & promissum.

31 Dubi

Dubium. Respons. *Reus potest aliquando torqueri.*

31 Dubitatur nonò; An reus possit torqueri? Respond. quòd licitum est iudici adhibere torturam reis, concurrentibus his.

Primò, quòd præcedant indicia sufficientia, aut semiplena probatio: quia aliàs esset peccatum mortale cum obligatione restitutionis, non solùm eius, quod debetur iniuriæ, sed etiam damni inde secuti: & ideò confessio, quam sine talibus sufficientibus indiciis à Reo est facta, nulla est.

Secundò, quòd iudex non possit aliter scire veritatem: vnde si per aliam viam posset veritatem scire, peccaret mortaliter ipsum torquendo. Nauarr. *in Man.cap.18.num.58.* Nauarrus.

Tertiò, quòd torturæ non sint crudeles: præcipuè si iudex, qui eas dat, sit Ecclesiasticus: vt dicitur expresè *in cap.1.23.q.1.*

Corollar. *Iudex vt peccet cõminando ipsi reo.*

32 Ex quibus infertur, quòd iudex, qui minis, & torturis, non seruans ordinem, & terminos iuris, facit fateri reum crimen dignum morte, quod verè commisit, peccat contra iustitiam: & si est iudex superior, qui possit dispensare in pœna legis, tenetur illum dispensare: & si est inferior, & potest obtinere veniam à Superiore, debet id facere: quia aliter tenetur restituere omnia damna, quorum fuit causa efficax iniusta, secundùm quod debet intelligi Sotus *de rat.teg.* & Nauarr. *vbi suprà.*

Dubium. Respons. Caietan. Salon. Arragon. Bannes. D.Thom. *Iudex tenetur absoluere innocentem.*

33 Dubitatur decimò; An reus innocens, & taliter in conscientia à iudice cognitus, possit condemnari propter allegata, & probata? Respond. quòd multa super hoc disputant Doctores. Vide quæ habet Caiet. Salon. Arragon. Bannes, super D. Thom. *vbi supr.* & alios, tam Summistas, quàm criminalistas: nos breuitati studentes, selectiora ponamus.

34 Dico ergo, quòd iudex tenetur absoluere innocen

nocentem,sciens eum talem esse,si aliqua via possit illud facere,quamuis sit probatum, eum esse delinquentem. Vnde tenetur primò in limine causæ, & cumprimùm actor accusat, admonere & per se, & per alios,ne veniat ad iudicium,& significare illi de contraria veritate sibi nota, & quacunque via poterit accusationem illam non admittere.

Quòd si hac via id efficere nequeat,debet aliquo modo dicta testium infirmare, & falsitatis arguere; exactissimè, & diligentissimè eos examinando, interrogando vnumquemque seorsum, & multoties de circunstantiis loci,temporis,&c.Sicut fecit Daniel circa testes Susannæ, *Daniel.*13. hac enim via impossibile est, quin deprehendat eorum mendacium, vel saltem aliquam discrepantiam inter eos, qua non sint in omnibus contestes, nec admittendi.

Dan. 13.

Iudex potest aliquãdo sententiam differre.

35 Si nihil horum prosit, tenetur tunc coram omni populo innocentiam eius manifestare,vel potest sententiam eius differre,nisi à Superiore,vel ab actore iuxta iura,vel à populo, vel à parte læsa sententiam ferre cogatur: & nunquàm in illum sententiam dicere. *Salon.*Quòd si nullo horum modorum innocentem liberare possit:tunc si iudex inferior sit,remittat eum ad Superiorem. Sotus *lib.5.de iust.q.4.art.2.* protestans in hoc casu efficaciter eius innocentiam,deferendo pro tunc officium iudicis, vt pro teste possit deseruire:& iudex superior tenetur eum absoluere,si id sine scandalo facere potest: vt post Alex.de Ales,& Caietan.dixit Cordub.*lib.1. qq.quæst.37.* Sotus *vbi suprà,* dicit, quòd iudex non tenetur remittere reum ad Superiorem in hoc casu: Rodriquez verò tenet cum Corduba, scilicet quòd tenetur.

Salon.

Sotus.

Alens.
Caietan.
Corduba.
Sotus.

36 Quòd

Iudex tenetur iudicare secundũ allegata, & probata.

36 Quòd si ad Superiorem non potest fieri recursus: tunc in causa ciuili debet iudicare secundùm allegata,& probata,ne perturbetur ordo iuris: & reus tenetur patienter tolerare sententiam: in quo casu Rodriquez putat esse veram sententiam D.Thom. 2.2.*q.67.art.2.* dicentis, non teneri iudicem deserere officium suum. Vide Adrian.*quodl.2. punct.3.ad quintum,litera B.*Petr.Nauarr. *lib.2. de restit.cap.3.part.2. dub.4. num.160.* In causis verò criminalibus non potest iudex condemnare innocentem.*Sic præfati Auctores.*

Rodriq.
S. Thom.
Adrian.
Petr.Nau.

Communis tamen opinio est,& in praxi habita, quòd tàm in causis ciuilibus,quàm in criminalibus debet iudex sequi probationes publicas, & iudicare, & sententiare secundùm allegata, & probata, etiam contra veritatẽ sibi priuatim notã.D.Thom. Caietan.Bannes,Salon.Arragon.2.2.*quæst.67.art.2.* Alex.de Ales *p.3.q.34.m.1.art.4.* Riccard.*in 4. dist. 18.art.3.quæst.2.ad 1.* S.Antonin.*3.p.tit.9.cap.2.§.6.* Sylvest.verb.*iudex,2.q.7.*vbi ait, hanc esse communem sententiam. Tab.verb.*iudicare,§.5.* Sot.*lib.5.de iust.quæst.4.art.2.* Nauarr. *in Manual.cap.25.num.9.* & alij.

Iudices possunt augere, & minuere pœnã iusta de causa.

37 Hîc verò adnotandum est, quòd non solùm iudices superiores legislatores:sed etiam inferiores possunt augere,& minuere pœnam reo:si adsit causa iusta,ad id faciendum:vt dicit Accursius glossans leges, quæ id asserunt. Est autem iusta causa,quando delinquens est minor:& quando probatur,quòd peccauerit ignoranter: aut quando probantur magna seruitia Reipublicæ facta ab eo,aut à suis prædecessoribus: sic probat Nauarr. *in rubric. de iudic. num.99.*

Nauarr.

Iudices

38 Addam hîc (quia faciunt ad rem) defectus,

possunt cũ-

mittere defectus in condemnãdis reis, 14. modis.

quos committere possunt iudices in condemnandis reis positis à Nauarr. *in Man. cap. 25. sub num. 13.* in his verbis.

Peccat iudex, qui iudicat etiam rectè. Primò, sine tamen probatione sufficienti. Secundò, siue quia testes sunt suspecti. Tertiò, vel iniustè orti. Quartò, aut non vidit saltẽ mediocriter processum. Quintò, aut probationem legitimam non admisit. S. Thom. *vbi supr. q. 60. artic. 3. & 6.* addens peccare quoque eum. Sextò, qui probationem maiorem necessariò exigit, pro quibus omnibus sunt *cap. ira, 11. q. 3. & cap. 2. de probat. & cap. ad nostram, iuxta gloss. antepen. de iureiurando.* Et septimò, qui ordinem iuris non seruat, procedendo sine libello, aut sine contestatione litis, vbi sunt necessaria. Octauò, aut sine dilationibus necessariis. Nonò, aut superfluas concedendo. Decimò, non admittendo iustas exceptiones, aut iniustas admittendo. *Clem. sæpè, de verb. sign.* Vndecimò, interrogando ea, ad quæ pars respondere non tenetur. Gloss. magna, *cap. 2. de confess. lib. 6.* Duodecimò, & qui in sententia aliqua clausula obscura vtitur, qua condemnatus aliquo tempore se contra iustitiam defendere possit. Decimotertiò, & qui appellationem, aut recusationem, quam non debet, admittit, vel contra, quam debet, non admittit: præsertim propter preces, aut munera: quod est peccatum quotidianum. S. Anton. 1. *part. tit. 9. c. 14. §. 2.* aut decimoquartò, differt sine iusta causa expeditiones iudiciorum petitorum. Hæc sunt peccata, in quibus iudices cadere solent: non tamen incurrunt in casum reseruatum, quia propter prædicta non dicunt falsum testimonium.

DE

DE REI OBEDIENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Reus iustè condemnatus, etiam ad mortem, tenetur parere iudici.*
2 *An reus innocens damnatus tantùm secundùm allegata, licitè possit seipsum defendere.*
3 *Reus an possit frangere carceres.*
4 *Reus an licitè fugere possit è carcere.*
5 *Reo licet corrumpere custodes pecunia.*
6 *An licet reo decipere custodem carceris.*
7 *Reus ad mortem damnatus potest limare compedes, fores frangere, & fugere.*
8 *An liceat amicis tali reo consulere, vt fugiat, & ei instrumenta præbere.*

HOc est alterum, quod de reo proposuimus dicere: nempe, de eius obedientia: quomodo scilicet gerere se debeat post datam sententiam, an scilicet debeat eam acceptare, an verò appellare.

1 Reus igitur iustè condemnatus etiam ad mortem, tenetur parere iudici, & non per vim ei, vel ministro resistere. Sic S. Thom. cum sequacibus *vbi suprà*, sunt tamen hîc aliqua dubia elucidanda.

2 Primum dubium; An reus innocens, qui secundùm allegata, & probata nocens conuictus, & morti condemnatus, licitè possit seipsum defendere, & resistere, tam iudici, quàm ministris eius? Ratio difficultatis est, quia sentẽtia iniusta non habet vim, nec in conscientia obligat. Respondetur nihilominùs cum communi, quòd innocens sic condemnatus non potest se defendere per vim: ita saltem vt inferat mortem, aut vulnus iudici, aut ministris:

Dubium.

Respons. *Reus damnatus licèt innocẽs sit, non potest tamen se defendere per vim.*

nistris: potest tamen licitè se defendere vel fugiendo, si possit, vel recipiendo se in locum munitum: & dum capitur, connitendo se eripere à satellitibus.

Dubium. 3 Secundum dubium, An condemnatus iustè ad carceres, tanquàm ad pœnam, licitè possit exinde fugere? Respond. quòd communis opinio tenet, condemnatum iustè ad pœnam carceris, siue illa temporalis sit, siue perpetua, non posse absque reatu peccati mortalis fugere: etiamsi fugere posset absque carceris effractione. Per carcerem autem hoc loco intelligimus locum arctum, & reclusum: & non solùm locum amplum, in quo vagari quis potest: vt tota ciuitas, vel oppidum, vel palatium.

Respons. *Reus an possit frangere carceres, & fugere.*

Dubium. 4 Tertium dubium; An reus iustè damnatus ad mortem, & in carcerem coniectus ad custodiam, exinde licitè fugere possit, vt mortem euadat? Et idem de eo, qui condemnatus est ad aliquam mutilationem, vel ad flagella, vel in exilium. Intelligitur autem præsens dubium solùm, quando ex fuga custos carceris nullum damnum patitur: nec fugiens iudici, aut custodibus vim infert, aut carceres effringit, aut vincula rumpit: nam de non inferenda vi iudici, aut ministris, dictum est in primo dubio.

Respons. *Reus an licitè fugere possit è carcere.* Respond. quòd hîc sunt duæ opiniones. Prima docet non esse licitum fugere. Secunda verò dicit id licere, quando scilicet ostium est apertum, quæ est communis, cuius ratio est: quia iudex discussa iam causa, & pronuntiata sententia nullum prorsus actum interiorem, aut exteriorem faciendum reo præcipit, aut vllũ omninò actum ei prohibet. Ergo fugiendo à carcere ad vitam saluandam, non peccat contra aliquod iudicis præceptum: & de iure naturæ est, vt pro vita tuenda, vnusquisque facere possit

possit licitè, quæ alicui iusti iudicis præcepto non repugnant.

Dubium. 5 Quartum dubium; An liceat reo, vt pœnam corporis euadat, corrumpere custodes pecunia, aut dono? Respond. id licitum esse: sic Gloss. *in c. inter cætera. §. sed cum his hominibus, 22. quæst. 4.* Angel. in verbo, *fugere*, §. 1. & Tabien. in verbo, *accusatio*. §. 10. cuius ratio est; quia reus ius habet conseruandi vitam suam: ergo & corrumpere custodes, & periculum vitæ suæ redimere.

Respon. *Reo licet corrumpere custodes pecunia.* Glossa. Angelica. Tabien.

Dubium. 6 Quintum dubium; An sit licitum reo sic decipere custodem absque vi, & iniuria illi illata; scilicet cibum, & potum ei præbendo, vt dormiat: vel aliqua alia arte vtendo, vt tantisper custos absens sit, interim dum reus tempus, & locũ acquirit fugiendi? Resp. quòd in hac re certum est, nullam vim custodi inferri licitè posse, vt reus aufugiat, vt communiter omnes. Sic etiam, absque controuersia est, nullam fraudem ita componendam esse, vt per ignorantiam probabilis sit in custode. Solùm igitur difficultas est, quando delinquentium insidiæ, ita sint arte compositæ, vt custos probabiliter scire, & conijcere possit artem, & insidias: adeò vt si illas ignoret, negligens, & imperitus haberi possit, & debeat.

Respon.

Est ergo aliquorum sententia licitum esse reo talibus insidijs vti, dummodò non sit in verbis mendacium. Sed distinctione opus est: nam ex tali fuga vel imminet custodi damnum, vel non, si imminet, non licet, si verò non imminet, licet. Nec valet dicere, quòd reus vtitur iure suo ad vitam conseruandam, & quòd custos debet id præcauere: nam supponitur, quòd reus ipsum deluserit, & per consequens in causa fuerit.

7 Sextum

Dubium.

7 Sextum dubium; An reus ad mortem damnatus, ſicut licitè fugere poteſt: ita etiam compedes limare, ac fores infringere, & murum perforare? Reſpon. Reſpond. quòd circa hoc, duæ ſunt ſententiæ. Vna eſt, quæ negat. Altera eſt, quæ affirmat, quæ communior eſt, & ratio eſt in promptu: nam reo licet id, quod maius eſt, ergo & quod minus; cùm ergo ei liceat è carceribus fugere, quod eſt maius: non mirum ſi eidem liceat, & compedes limare, & portas effringere, & muros perforare, & cætera huiuſmodi.

Reus ad mortẽ dãnatus poteſt limare eõpedes, fores frangere, & fugere.

8 Sed an liceat amicis tali reo conſulere, vt fugiat, & ei inſtrumenta præbere ad id faciendum? Ad hoc etiam ſunt duæ ſententiæ. Vna dicit, licitum eſſe amicis id conſulere, non tamen licitum eſt dare inſtrumenta. Et ratio Soti eſt: quia præbendo ei inſtrumenta cooperarentur ad fugam, & carceris fractionem, quod aliis non licet niſi reo: & quia conſilium non eſt ita efficax medium ad fugam, ſicut miniſtrare inſtrumenta ad frangendum. Caietanus nihilominùs, Salon. Arragon. Bannes *in 2.2. quæſt. 69. art. 4.* & quàm plures alij veriùs docent, quòd etſi non ſit licitum alicui ab extra effringere carcerem, aut vincula alterius rumpere, vt vinctus fugiat, cùm hoc ſit inferre vim poteſtati publicæ: Attamen illi conſulere fugam, imò etiam limam conferre, aut clauem adulterinam, aut aliud aliquod inſtrumentum, quo reus ab intus incluſus, & detentus carcerem frangere, aut portas aperire, & fugere queat, non eſt illicitum. Quæ ſententia vera eſt, loquendo de reis ſecularibus; qui licèt fugiant, & carceres frangant nullum tamen ſcandalum in ciuitate ex hoc faciunt. Non ſic eſt in Religione, & in Regularibus: nam quando aliquis

Caiet. Salon. Arragon. Bannes.

Limitatio.

quis Regularis fugit, vel effracto carcere, vel non, omnes ſæculares ſcandalizantur, & propterea non licet cuiquam Religioſo id conſulere: neque ad hoc inſtrumentum præbere ſine peccato mortali: & ſtatuta Ordinis ſanctiſſimè id vetant, & hæc de reo, qui iuſtè damnatus eſt.

DE REI DEFENSIONE.

SVMMARIVM.

1 *De corpore delicti ante omnia conſtare debet.*
2 *De corpore delicti ſi non conſtet, non poteſt procedi ad inquiſitionem ſpecialem.*
3 *In delictis occultis proceditur ex coniecturis.*
4 *Reus confitens delictum, quod aliter non conſtat, non poteſt condemnari.*
5 *Ad inquirendum ſola denuntiatio ſufficit.*
6 *In delictis, quæ veſtigium non relinquunt, data querela poteſt iudex procedere.*
7 *In delictis, quæ veſtigium relinquunt, recognitio fiat anteà de corpore delicti.*
8 *Corpus delicti debet recognoſci per teſtes.*
9 *Occiſi nomen ſi ignoretur, nihil refert.*
10 *Vulnera omnia cum ſuis circumſtantijs debẽt notari.*
11 *In dubio ſi ſcelere, vel alia de cauſa commiſſum ſit aliquod delictum, quid agendum.*
12 *De corpore delicti ſi non conſtat, liber erit reus.*

SI verò reus ſentit ſe grauatum, poteſt ſe defendere: nam defenſio eſt de iure naturæ, *cap. paſtoralis, §. caterùm, de ſentent. & re iudic.* Farinac. *qu. 21. num. 18.* Lex enim naturalis, & diuina præbet homini facultatem ſe defendendi, non ſolùm corporaliter:

Defenſio eſt de iure naturæ.

Defensio nulli denegari potest.

raliter: sed etiam ciuiliter, *cap. pastoralis, eodem.* Quod cùm nulli denegari possit, multò minùs Regularibus; *vt in 3. part. 3. partis, num. 52. & in 1. part. 2. part. num. 8. & in pract. crim. canon. 2. part. titul. aut inquisit. formata, num. 48.* habet Foller. Imò multoties Regularis non potest defensionibus renuntiare: vt latè idem Follerius congerit *in 1. part. 2. part. num. 71.* Religiosus ergo reus potest multipliciter se defendere, prout in sequentibus decem paragraphis fiet manifestum. Benè verum est, quòd huiusmodi defensiones debent habere solummodò in illis casibus, in quibus Regulares iniustè essent conuicti, vel indebitè condemnati. Non enim nostræ intentionis est, vt nocentes, & improbi Religiosi his nostris scriptis se tueantur, & pœnas debitas effugiant: sed tantum vt innocentes, & probi tueri se possint, ne iniustè condemnentur.

Nota.

PARAGRAPHI AVTEM, seu capita defensionum hæc sunt.

Primò, excipiendo, quòd non constet de corpore delicti.
Secundò, excipiendo, quòd illud tale delictum nullo pacto poterat ab eo committi.
Tertiò, excipiẽdo, & probãdo se esse innocẽtem.
Quartò, excipiendo contra iudicem.
Quintò, excipiendo contra testes.
Sextò, excipiendo cõtra processus actitationem.
Septimò, excipiendo contra propriam confessionem factam.
Octauò, excipiendo contra delictum.
Nonò, excipiendo contra sententiam.
Decimò, appellando.

§. I.

§. I.

Quòd non constet de corpore delicti.

1 REus igitur, coram iudice competente constitutus, si probare poterit, quòd non constet de corpore delicti; liber, & immunis erit ab omni imputatione, & querela. Imò si non constat de corpore delicti, ligatæ sunt manus iudicis, vt reum interrogare non possit. Marsil. *cons. 12. num. 34. & cons. 14. num. 15.* Quinimò nec ad capturam rei iudex progredi debet, si de eius fuga non suspicatur: nisi priùs de corpore delicti constet, Bossi. *in tract. crim. caus. de delicto in fin.* Licèt generalis consuetudo sit, quòd iudex retinet reum accusatum, etiam quòd nulla præcedant indicia, quando pœna sanguinis imponenda esset pro crimine, de quo ille imputatur; vt dicit Paul. de Castro *cons. 328. num. 1. lib. 2.* & ita Romæ seruant iudices, habita relatione alicuius exploratoris de aliquo graui delicto commisso per aliquem; vt dicit Anton. Scapul. *lib. 5. iur. non scripti cap. 53. num. 3.*

De corpore delicti ante omnia debet constare.

2 Nisi constet de corpore delicti, non potest procedi ad inquisitionem specialem, & ita nec ad citationem: quinimò, constito etiam de corpore delicti, non potest procedi de iure ad interrogandum reum: nisi etiam præcedant indicia; vt dicit Bossi. *in tit. de examin. reorum, num. 6.* Subdens, quòd ipse nunquàm vidit aliquem citari, vt examinaretur sine aliquibus indicijs, vel suspicionibus. Quando enim non præcedunt indicia, curia, & fiscus videtur de domo rei, id est, ex eius ore confessionem extorquendo, sumere probationem ad fundandam

De corpore delicti si nõ constet, non potest procedi ad inquisitionẽ specialem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuam intentionem, quod eſt iure prohibitum, *l. de minore*, §. *tormenta. ff. de quæſt.* Quando verò præcedunt indicia, non eſt ſumere initium probationis de domo rei: ſed eſt interrogando reum, præcedentem fiſci probationem coadiuuare ex ore rei, quod licitum eſt. *leg. fin.* & ibi Gloſſ. & Doctores, maximè Bald. *Cod. de edend.* & probat text. *in d.* §. *tormenta*, ſecundùm Boſſ. *vbi ſupr.* Et iniuſtè, id eſt, non præcedentibus indicijs, reus à iudice interrogatus reſpondere non tenetur; vt dicit S. Th. receptus, 2. 2. *q. 69. a. 2.* Nec ille tenetur detegere ſeipſum, iuréque poteſt, verborum obſcuritate, & amphibologia interrogantem eludere; vt latè per Sotum *in tract. de rat. teg. vel detcg. ſecr. m. 3. q. 1. 2. 3.*

In omnem igitur caſum nunquàm iudex procedere debet ad aliquem actum: niſi priùs illi conſtet delictum ipſum fuiſſe commiſſum. Et debet conſtare plenè adeò quòd non ſufficeret probare delictum per coniecturas; vt de omnibus tradit Crauet. *conſ. 244. col. 1.*

In delictis occultis proceditur ex coniecturis.

3 Verùm eſt tamen, quòd in delictis occultis proceditur ex coniecturis, ſeu præſumptionibus, & indicijs, & alijs leuioribus probationibus, etiam ad condemnandum; vt habetur, & plenè per Oſaſc. *deciſ. 72. ſub num. 1.* At in delictis externis, & quæ probari poſſunt, ſemper debet conſtare delictum ipſum fuiſſe commiſſum. Et ita ſemper faciunt practici aſſeſſores; vt dicit Catus *inter conſil. crimin. diuerſorum. conſil. 99. poſt num. 7. verſic. 2. etiam lib. 1.* Eſt enim vulgaris, & trita concluſio, quod ante omnia debet iudici conſtare de delicto, quæ colligitur ex text. vulg. *l. 1. §. item illud, ff. ad Syllan.* quem textum ſciunt omnes; vt dicit Boſſ. *in tit. de delicto. num. 2.*

4 Quod

Reus confitens delictum, quod aliter non conſtat, non poteſt condemnari.

4 Quod adeò verum eſt, vt etiamſi reus confiteretur delictum aliquod commiſiſſe, non poteſt condemnari de ipſo delicto; niſi aliter, quàm ex eius confeſſione appareat, de quo vide infr. *in* §. 7. *ſub num. 5.*

At quia Doctores de hac materia ſatis intricatè loquuntur, ſciendum, quòd aliter debet conſtare de delicto ad effectum torquendi, ſeu condemnandi, de quo tractat Clarus *in quæſt. 55. verſ. Poteſt etiam, & in q. 64. verſ. Debet autem, & in q. 66. circa principium.*

Ad inquirendum ſola denũtiatio ſufficit.

5 Et aliter quoad effectum inquirendi, ſeu procedendi: nam quoad inquirendum, ſola querela, vel denuntiatio ſufficit: quinimò habita querela, ſeu denuntiatione tenetur iudex procedere, & inquirere: & ſi id non faciat, poterit puniri tàm ex diſpoſitione iuris communis, quàm particularis.

Sunt tamen aliqua delicta, in quibus iudex tenetur, priuſquàm inquirat contra delinquentem, inquirere de veritate delicti. Aliqua verò, in quibus non requiritur alia inueſtigatio ſuper veritate criminis: ſed immediatè procedi poteſt contra delinquentem.

In delictis, quæ veſtigium non relinquunt, data querela poteſt iudex procedere.

6 Et ideò nota, quòd quando delictum eſt tale, quod ſolo animo perficitur; vt hæreſis, vel etiam tale, quod licèt facto committatur, eius tamen facti nulla ſolent remanere veſtigia: vt eſt adulterium, & alij coïtus, qui ſine fractura committuntur, furtum pariter ſine fractura, percuſſiones, quæ fiunt alapa, vel baculo ſine liuore, iniuriæ verbales, vel ſimilia, in iſtis criminibus non requiritur ad procedendum alia inueſtigatio delicti: ſed ſtatim porrecta querela, poteſt, & debet iudex

Universidad de Deusto Biblioteca

inquirere contra delinquentem, assumendo con-
tra eum informationes: & habitis indiciis, illum
carcerari, vel citari facere, prout qualitas deli-
cti requiret: aliàs infinita delicta impunita per-
transirent, & super hoc in practica nulla solet fi-
ri difficultas.

In delictis, quæ vestigiũ relinquunt, recognitio fiat anteà de corpore delicti.

7 Quando verò est delictum facti permanenti
cuius scilicet certa manent vestigia; putà homicid
ipsum cadauer, incendij, locus combustus, vener
ipsum corpus veneno affectum, & similia: tu
etiã porrecta querela, vel denuntiatione, nõ dicit
legitimè cõstare de delicto, nisi priùs iudex, seu C
ria corpus ipsum, seu locũ incẽdij oculis subijci

Statim igitur, quòd ad iudicis notitiam peru
nerit delictum aliquod tale fuisse commissum, p
hominem fuisse occisum, debet iudex ipse acce
re ad eius cadauer visendum, & inspiciendu
Vel mittere notarium, qui cadauer ipsum inspic
& vulnera describat. Et ita seruat consuetudo;
ait Nouel. *in pract. criminal. fol. 59. num. 2.*

Corpus delicti debet recognosci per testes.

8 Et debet recognosci cadauer per testes, c
dum interfectus in humanis esset, illum cognor
runt, si id fieri potest, si verò, cuius esset, ignorar
debet per vestes, & signa describi, & particulari
annotari omnia vulnera. Et hoc modo dicetur co
stare de delicto, & ita docent omnes; vt ait Foll
in pract. criminal. fol. 15. num. 4.

Occisi nomẽ si ignoretur, nihil refert.

9 Vnde licèt ignoretur nomen occisi, dumm
dò constet de corpore: satis dicetur constare
delicto, & proceditur etiam ad condemnationem

Vulnera omnia cum suis circũstantijs debẽt notari.

10 Aduertat autem notarius, vel iudex, vt d
scribat, vel describi faciat omnia vulnera partic
lariter cum omnibus qualitatibus suis, & cum q
genere armorum illata videãtur, & an punctim, v
cæsi

cæsim, &c. Hæc enim quandóque sunt magni mo-
menti ad cognoscendum, à quo illata sint vulnera,
putà ex genere armorum. Vide Clar. §. *homicidium, vers. alia est etiam.*

Et hæc, quæ dicta sunt de homicidio, intelligen-
da sunt etiam de similibus delictis, quorum rema-
nent vestigia: putà in incendio, vt visitetur locus
incendij, & reliquiæ combustionis: in furto, vt vi-
deatur fractura facta in arca, ostio, vel pariete: in
stupro illato puero, vel vi illata puellæ; vt inspician-
tur partes per obstetrices, vel chirurgos, vel alias
personas, vt quotidie fit. Et vbi tales personæ refe-
rant cum iuramento, se credere stuprum illatum,
vel puellam corruptam fuisse: satis dicetur consta-
re de delicto, quoad hoc, vt contra delinquentem
procedi possit.

In dubio, si scelere, vel alia de causa commissum sit aliquod delictum, quid agendum.

11 Sed quid si dubium sit, an scelere, an verò
alia de causa talia euenerint? Vt putà si quis reper-
tus sit mortuus in puteo: vt in casu, in quo consuluit
Decius *consil.* 438. potest enim esse, quòd quis se
ipsum præcipitauerit, & quòd ab aliis præcipitatus
fuerit, & etiam quòd casu ceciderit: sic etiam in eo,
qui dicitur habere signa veneni: potest enim esse
venenum in corpore generatum, & ab aliis propi-
natum, & etiam ex aëris corruptione contractum:
vt eleganter in facti contingentia declarat Gram.
voto 31. *num.* 1. Ad hoc dico, quòd in his casibus
iudex debet omnino inquirere, & informationes
assumere: non quidem tanquàm de maleficio, sed vt
veritatem facti intelligat: ex qua deinde apparere
possit, an sit delictum, nécne, adhibendum etiam,
vbi opus sit, iudicium medicorum, vel aliorum pe-
ritorum. Et vbi ex informationibus assumptis con-
stabit scelus non interuenisse, silebit processus. Vbi

verò resultat aliquod indicium, poterit ad vlteriora procedere: & hanc practicam seruant cauti iudices & assessores. Vide Clarum *q.4.in fin.*

De corpore delicti si nō cōstat, liber erit reus.

12 Debet ergo ante omnia constare de delicti corpore: nam si hoc non constat, liberabitur reus sua imputatione. Refert Bald. *in l.si quos testibus, fin.Cod.de testib.* semel contigisse de facto, quòd fu exhumatum corpus cuiusdam, qui dicebatur vulne ratus: & cùm repertum fuisset, quòd ille non fuer vulneratus, reus fuit absolutus, non obstante, quò contra eum plenè probatum fuisset delictum. Ne quoque paucis ab hinc annis accidisse audiuimus quod quidam Regulares de propinatione venen inquisiti fuerunt, & illum sic propinatum mo tuum fuisse, & ex processu illos tale delictum com misisse constabat: verùm quia in actitatione pr cessus non fuit adhibita prædicta diligentia: vt sc licet statim post mortem illius fieret recognitio corpore delicti: de corpore illo sic veneno infect data hac exceptione in fauorem reorum, absolut & liberati fuerunt illi, qui pœnam grauissimam meruissent, si de corpore delicti constitum fuisse Ad hoc ergo attendat reus, & qui ipsius causam p trocinatur: nempe si possit apponere hāc exceptio nem, quòd non constet de corpore delicti, & libe erit à delicto sibi imputato. Vide etiā *infr.in §.7.n.*

§. II.

Quòd tale delictum non poterat ab eo committi.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua coarctata loco, & tempore multis modi probari potest.*

2 *Per absentiam à loco delicti.*

3 *Quod delictum ex sua natura erat impossibile.*

4 *Si testes deponant de negatiua, & probent impossibilitatem.*

5 *Per confessionem offensi. Limitatur in re dubia.*

6 *Testes deponentes super negatiua sunt suspecti de falso.*

7 *Talis repertus falsus, punitur pœna extraordinaria.*

1 SEcundo modo poterit se defendere reus, quòd delictum sibi impositum nullo pacto poterat à se committi: probando scilicet negatiuam coarctatam loco, & tempore: quæ multipliciter probari potest. *Negatiua coarctata loco, & tēpore multis modis probari potest.*

2 Primò, probando suam absentiam à loco delicti. Sic, delictum impositum non commisi: quia tali die, & hora, in qua commissum fuit tale delictum, ego absens eram, & per multa miliaria: exempli gratia, Titius est imputatus, quòd tali die, & hora commiserit furtum in tali loco certo, nempe Neapoli: si Titius poterit probare, quòd in tali die, & tempore ipse aberat ab illo loco, & reperiebatur Romæ, vel quid simile; probabit vtique se nullo pacto illi prætenso furto interfuisse. *1. Per absentiam à loco delicti.*

3 Secundò, probando, quòd delictum commissum, seu prætensum est natura sua impossibile: pro- vt Iulius Clarus *in q.*52. refert contigisse in quodam Ioanne Zanetto caupone, contra quem processum fuit per curiam Papiæ, tanquàm quòd præpostera venere fregisset cuidam fœminæ rectū intestinum, ex qua parte ipsa posteà peperisset: de quo processu valde miratus est Senatus, & ipsum Zanettum tanquàm de re incredibili accusatum absoluit. *2. Quòd delictum ex sua natura erat impossibile.*

4 Tertiò, idem probabitur, si testes deponant ipsam negatiuam, & reddant rationem, quòd non *3. Si testes deponāt de negatiua,*

& probent impossibilitatem.

potuerit esse,vel fieri: quia ipsi vidissent,vel sciuissent,vel quòd tali die non fuerit in eo loco,vbi dicitur fuisse commissum delictum, sed quòd fuerit alibi. Et, vt testes concludant, non sufficit dicere, quòd Titius non commiserit tale delictum tali die, & loco:quia ipsi fuerunt præsentes, & tamen non viderunt,nec audierunt illud fieri:sed addant,quòd non potuisset illud committi, quin ipsi vidissent, vel audiuissent : & quòd continuè per totum id tempus, de quo deponunt testes accusatoris, ipse fuit in alio loco : aliàs non concluderent, vt de se patet : quia, ipsis non aduertentibus, potuisset illud committere : atque etiam potuisset ire, & redire:secùs autem si tantùm distaret, vt nullo modo fieri posset, quòd esset ibi,& in loco, vbi dicitur commissum fuisse delictum per eum à testibus accusatoris.

4. Per confessionem offensi.

5 Quartò,potest hæc negatiua probari per confessionem,& dictum ipsius offensi : nam licèt assertio vulnerati contra aliquem non probet, neque faciat indicium ad torturam:tamen è conuerso dictum defuncti exculpantis imputatum de homicidio, tollit omnia indicia,quæ sunt contra illum, vt ex eis non possit torqueri. Ita dicit Bald.*in l.1.n.33. C.commun. deleg.* Et est communis opinio, vt dicit Plottus *consil.*110. *num.*1 *lib.*1. *inter consilia criminalia diuers.*

Limitatur in re dubia.

Quam tamen intellige,vt procedat, quando res est dubia:sed si appareret de veritate in cõtrarium, vel essent contra reum indicia valde vrgentia, & proxima delicto, non esset standum huiusmodi assertioni, saltem ad euitandam torturam. Et ita inquit Clarus *quæst.*53.*versic.potest etiam,*teste Blanc.*in practic.crim.fol.*28.*num.*101.

Plerum

Plerumque enim videmus,quòd offensi,siue propter remissionem, quam fecerunt vulnerati, siue propter persuasionem amicorum, faciunt huiusmodi protestationes veritati contrarias : propterea in hoc maximè versabitur iudicis arbitrium,qui inspecta qualitate facti, considerabit,an talis excusatio verisimilis videatur,vel non: & an ei standũ sit. *Iudicis arbitrium.*

6 Caueant tamen testes, quia eo ipso,quòd deponunt super negatiua, dicuntur suspecti de falso: nam regulariter negatiua est improbabilis secundùm omnes:vt dicit Igneus *in repet.*§.*non aliàs,n.*77. *ff.ad Syllan.*relatus à Claro, *vbi supr.vers.scias autem.* Bene verum est,quòd testis ex eo solo, quòd deponat super negatiua,non potest puniri de falso:& est communis opinio, vt dicit Boss. *titul. de defens.reor. num.*34. Quod intellige, nisi per alias probationes conuincatur,falsum deposuisse. *Testes deponẽtes super negatiua,sunt suspecti de falso.*

7 Potest tamen puniri pœna extraordinaria ob temerariam assertionem:& ita tenent communiter scribentes,vt dicit Cagnol.*in l.vnic.num.*38.*ff.si quis iudic.non obtemp.* *Talis repertus falsus punitur pœna extraordinaria.*

Hoc tamen scias, quòd in dubio, verba testis sunt intelligenda,vt talis falsitas,quam incurrit testis deponens super negatiua, euitetur. Ita colligitur ex gloss.*in l.iuris gentium,*§.*quod ferè.*in verb.*contrarium probetur, ff.de pact.* quam dicit communiter esse approbatam Curt.Iun.*in d.l.vnic.in princ.nu.*9.

§. III.

Quòd reus est innocens à delicto.

SVMMARIVM.

1 *Innocentiæ magna vis.*

2 *Innocentiæ multæ coniecturæ.*
3 *An quis sit dominus suæ famæ, ne curet de propria infamia.*
4 *Dubium ex D. Augustino proponitur, & soluitur.*
5 *An Princeps, seu Superior sit dominus famæ subditorũ.*
6 *Neque vitæ subditorum Superior est dominus.*

Innocentiæ magna vis.

1 MAgna est vis innocentiæ, & adeò fauorabilis eius natura, & conditio: vt illius causa multa sint, ac reperiantur sancita: vt pulchrè tradit Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 49.* Nam, vt illa detegatur, semper admitti debent probationes, *l. si non defendatur, ff. de pœnis.* & tradit Iason *consil. 175. lib. 2.* Imò iudex non debet exequi sententiam aduersus quem ipse innocentem esse certò cognoscit: licèt aliter secundùm acta, & probata appareat, vt tradit Innoc. *in cap. significasti, in fi. extr. de purg. vulg.* Bald. *in l. vnic. C. de confess.* Vide suprà de reo, *dub. 10.* Accedit, quòd etsi statutum tollat omnes exceptiones: non tamen dicitur reiicere exceptionem innocentiæ: ita Bald. *in l. 1. §. Offilius, ff. ne quis eum, qui in ius voc. est vi exim.* Habet & hoc commodum incocentia, quòd probari potest per testes domesticos, & sanguine coniunctos, *cap. tam literis, & cap. veniens, extr. de testib. & l. 5. §. ad quæst. ff. de quæst.*

Innocentiæ multæ coniecturæ.

2 Multæ autem coniecturæ, & præsumptiones ipsius innocentiæ traduntur à Doctoribus, quarum nonnullas enumerat Menoch. *vbi supr. num. 7.*

Prima est, quando accusatus fugam facilè arripere potuit, & non fugit: ita tradit Alciat. *respons. 453. nu. 5.* post Bald. *in l. si quis fugitiuus, §. 1. ff. de ædil. edic.*

Secunda, & validior coniectura innocentiæ est, quando accusatus sua sponte se iudici repræsentat: ita inquit Cæpol. *cent. 31. nu. 8. in crim.* Blanc. *in pract. crim.*

crim. in 1. part. defensionis, num. 151. Marsil. *in practic. crim. §. diligenter, num. 204.*

Tertia coniectura innocentiæ supradictis validior est, quando accusatus sua sponte carcerem ingreditur: ita tradit Gram. *cons. 29. num. 32. & cons. 61. num. 4. in crim.* Et idem quando quæstionibus, & torturæ se subiicit: vt tradit Lucas de Penna *in l. 5. vers. 107. C. de desertoribus, & occultatoribus, lib. 12.*

Quarta coniectura innocentiæ est, quæ sumitur ex exculpatione socij, cùm moriturus esset: cùm & is fuit, qui accusauit. Ita inquit Marsil. *vbi supr. §. restat.* & Blanc. *præcit. num. 136.* quam quidem coniecturam veram esse existimarunt, nisi pro crimine alia sit coniectura.

Quinta coniectura est, quando damnatus ad mortem protestatus fuit se innocentem esse, & dum laqueo fuisset suspensus, vel gladio percussus, mori non potuit, sed fracto laqueo incolumis cecidit in terram: ita tenet Lucas de Penna *in l. 1. col. 7. vers. sed pone, damnatus est aliquis. C. de desertoribus, & occult. lib. 12.* Quam sequitur Paris de Puteo, *de syndicatu*, verbo, *pœna*, in cap. *an si iudex, post medium*, ver. *si tamen iste.* Decius *in l. fauorabiliores, in fin. ff. de reg. iur.* & alij relati per Menochium *vbi supr. num. 19.* Qui *num. 20.* subdit, quòd istud intelligitur secundùm aliquos, quando damnatus iste condemnatus fuisset ex solis coniecturis, & præsumptionibus, quod iure permissum est, secùs si clarè constaret de delicto morte digno: nam tunc non præsumitur miraculosè, sed per incantationes, & præstigia: iuxta doctrin. Bald. *in cap. venerabili, extr. de testib.* Quando ergo reus aliquo modo ex dictis potest probare suam innocentiam, magnum argumentum habet ad sui defensam. *Limitatu*

3 Quærunt

An quis sit dominus suæ famæ.

3 Quærunt doctores, an quis sit dominus suæ famæ, ita vt non possit curare de propria infamia: & de hoc loquuti sumus suprà, *de reo, dub.* 1. Breuiter hîc dico, quòd Caietan. 2.2.*q.*73.*art.*2. negat: sed vera sententia est, hominem esse verè dominum suæ famæ, sicut rerum externarum: colligitur ex S.Thom.*ead.q.*73.*art.*4.*ad* 1. vbi docet, in cuiusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ: nisi hoc vergat in detrimentum aliorum. Sot. *de iust. lib.*4. *q.*2.*art.*3. Adrian.*in* 4.*q.de restit.circa finem.* Couarr. *lib.var.cap.*2.*num.*8.& alij recentiores.

4 Contra hoc tamen videtur esse id, quod habet D.August.lib.*de bono viduitatis, cap.*22. vbi dicit conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse, qui famam negligit. Respond. Fama nostra tripliciter potest esse proximis necessaria. Primò, quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia sequatur: sicuti ex infamia Monachi sequitur infamia quædam Monasterij. Secundò, quando fama nostra est necessaria, vt proximo præstemus officium, ei stricto iure debitum: sicuti fama personæ publicæ, Episcopi, Parochi, Abbatis, necessaria est, vt bene regat subditos: & in his duobus euentis, multorum iudicio, contra iustitiam peccat, qui se infamat: non quia præcipuè seipsum fama priuat: sed quia ex consequenti proximo nocet vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum. Tertiò, quando non ex officio: sed solùm ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti: tunc solùm contra charitatem peccat, qui se infamat: sicut contra charitatem peccat, qui pecuniam, qua prodesse poterat, abiicit.

5 Petes;

Princeps, vel Superior an sit dominus famæ subditorum.

5 Petes; An Princeps, seu Superior sit dominus famæ subditorum? Respon. negatiuè: vnde subditus potest tueri suam famam, & innocentiam, non solùm contra cæteros subditos, verùm & contra Superiores, si contra eam quicquam intentare præsumpserint.

An sit dominus vitæ subditorũ.

6 Et non solùm famæ, & honoris subditi non est dominus Superior, & Princeps: sed neque vitæ subditorum. Et probatur 1. ex Exodo *cap.*21. *Qui percusserit virga seruum, vel ancillam, & in manibus eius mortui fuerint, criminis reus erit:* nempè homicidij. 2. Proprium veri dominij est, rem pro arbitratu suo perimere posse; etiam voluptatis causa: atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem Princeps; ergo. Exod.21.

Nec obstat, quòd Principes possint interficere malefactores, & exponere subditorum vitam in bello, quia id faciunt, non vt illorum domini: sed vt custodes tranquillitatis, & boni publici, sicut homo, vt custos vitæ suæ, resecat membrum putridum, & exponit partem pro salute totius.

---

§. IV.

De exceptionibus contra iudicem.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest obijcere suo clerico crimen, quod scit eum commisisse, si non potest illud probare.*

2 *Plus nocet exemplum, quod ex delicto reuelato per punitionem præbetur, quàm condonatio delicti secreti præteriti facta pœnitenti.*

3 *Iudex potest multipliciter recusari.*

4 Iudex

4 *Iudex facilius recusatur, quàm testis, & cur.*
5 *Iudex excommunicatus an peccet exercens iudicia.*
6 *Iudex occultè excommunicatus non est vitandus.*
7 *Iudex etiam publicè excommunicatus, si non est denuntiatus, non est vitandus.*
8 *An hoc habeat locum etiam in iudicibus secularibus.*
9 *An si suspensus est Iudex, eius acta sint irrita.*
10 *Excommunicatus ab vno Episcopo, vbique vitandus.*
11 *Communicans cum excommunicato in multis casibus excommunicationem non incurrit.*
12 *Subditi ipsius an peccent coram ipso comparentes, si sint ab eo vocati.*
13 *Iudex priuatus officio an peccet exercendo illud.*
14 *Quid importent verba illa*; Sit priuatus ipso facto absque alia declaratione.
15 *Quid efficiant Bullæ, quæ sic prohibent.*
16 *Inimicitia capitalis etiam inquisitorem repellit.*
17 *Facilius inueniuntur iudices, quàm testes.*
18 *Inimicus quis.*
19 *Infamis criminosus, perpetuò furiosus, &c. recusatur.*
20 *Iudex accipiens aliquid à parte an peccet, & an teneatur ad restitutionem, si accipit pro iusta sententia ferenda.*
21 *Iudex accipiens aliquid pro iniusta sententia, an teneatur ad restitutionem.*
22 *Authoris opinio.*
23 *Contraria opinio probabilis.*
24 *Restitutio cui facienda.*
25 *Iudices Regulares aliquando accipiunt munera.*
26 *Ciceronis notabile dictum pro iudicibus, vt rectè iudicent.*
27 *Psalmus 81. totus applicatur ad iudices.*
28 *Verba illa*, De vultu tuo iudicium meum prodeat,

deat, *quid importent.*
29 *Iudex recusatus, in causa non debet procedere.*
30 *Friuola appellatio quæ.*
31 *Si Iudex ausus fuerit procedere, acta sequentia sunt nulla.*

1 TErtium caput se defendendi est dare exceptionem contra iudicem, siue ille ordinarius sit, siue delegatus: quod antequàm ostendam, dicam, quòd iudex circa defectus subditorum occupatus scire debet adeò vetari iudices lege naturali, & diuina, *ne inquirant iniquitatem in domo aliena*; vt dicitur in Prouerb. *cap.* 24. & vt bona fama proximi conseruetur, quòd etiam Episcopus non potest obijcere suo Clerico crimen, quod scit eum commisisse: si non potest illud probare, per text. sing. *in cap. placuit, & cap. si in tantum, 6. quæst. 2.* & Innoc. III. *in c. inquisitioni de accusat.* ait; non posse à Prælato inquiri contra clericum, etiamsi duo, vel tres testes de visu ei dixerint, si nulla infamia laboret. *Longè enim vtilius censet Ecclesia Christiana seruare bonam famam Clerici, qui deliquit, quàm punire delictum dissipando eius famam.* Prou. 24.

2 Plus enim nocet exemplũ delinquendi, quod ex delicto reuelato per punitionem præbetur, quàm condonatio delicti secreti præteriti facta pœnitenti. Quod multi iudices parum considerantes nihil non agunt, quò per fas, & nefas, crimina vera, vel falsa, iustè, vel iniustè sciantur, & puniantur: quò sibi famam crudelis quæsitoris acquirant contra id, quod cauetur in *l. respiciendum, ff. de pœnis*, vbi sic dicit Imperator; *Respiciendum est iudicanti, ne quid durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcat. Neque enim seueritatis, aut clementiæ gratia affectanda* *Notabile dictum.*

fectanda est: sed perpenso iudicio, prout quæque res postulat statuendum est.

Index multipliciter potest recusari.

3 Regularis igitur coram iudice constitutus, si contra personam ipsius iudicis vult se defendere, potest ipsum excipere multipliciter; prout tradit Specul. *tit. de accusat.* Hostiensis, *tit. de appellat. §. quæ sunt iustæ causæ.* Io. Andr. & Panorm. *in cap. cùm speciali. de appellat.* Nau. *in capit. cùm speciali. de appellat. & in cap. cùm contingat. m. 10. caus. nullis de rescrip.* & alij.

1. Suspectus.

Primò, si habet eum suspectum, nam naturale est suspectorum iudicum insidias declinare, eorúmque iudicium refugere, *cap. cùm inter. §. de excep.* & ad legitimas defensiones recusatio iudicis spectat, *c. eod.*

Index facilius recusatur, quàm testis.

4 Imò facilius recusari potest iudex, quàm testis, cuius ratio firma est: quia facilius inueniuntur iudices, quàm testes; vt dicit Gloss. *in cap. cùm R. Canonicus, de offic. deleg.* & Pan. *ibid.* non sic autem in teste, qui de facili non inuenitur. Quod verum est tam si causa suspicionis, & recusationis præcesserit iudicium; Villagut. *lib. 1. practicæ criminalis, tit. de accusat. concl. 6.* quàm si post causæ initium, *c. insinuante, de offic. deleg.* Gloss. *in c. sciscitatus, de rescrip.* verb. *infamem*, quàm etiam si ante causæ initium orta quidem fuerit: sed posteà ad recusantis notitiam peruenerit: nam in quacumque litis parte proponi poterit recusatio, Couar. *lib. pract. quæst. c. 26. n. 2.*

2. Excommunicatus.

Secundò, recusatur iudex excommunicatus, *cap. ad probandum. §. innodatus, de sentent. & re iudic.* & omnia eius acta sunt irrita; vt ibi communiter Doctores.

Iudex excommunicatus an peccet exercès iudicia.

5 Sed an peccet iudex excommunicatus exercens iudicia? Respon. & dico,

Primò, si excõmunicatio est occulta, non peccat vsurpa

vsurpatione iudicij: & sententia, cæteráque eius acta publica sunt valida: vt communiter Doctores asserunt; gloss. *in cap. ad probandum §. innodatus vbi sup.* Ric. *in 4. dist. 18. q. 1.* Palud. *ibid. quæst. 4.* Sylvest. *excommunicatio 3. num. 3 & 5.* Couarr. *in cap. alma mater. 1. par. §. septimo, num. 9.* Sot. *distinct. 22. q. 2. art. 1. & 4.*

Et probatur primò. Quia non est priuatus, nec suspensus ab officio: Soli enim publicè excommunicati suspenduntur per Canones, vt colligunt Doct. *dict. cap. ad probandũ.* Secundò, Quia cùm eius excommunicatio ignoretur, sequerentur grauissima incommoda tum in Ecclesia, tum in Republica, quæ nullo modo possent vitari: innumeræ enim sententiæ, præsentationes, electiones, & collationes beneficiorum, & officiorum deberent rescindi cum magno damno, & perturbatione innocentum.

Iudex occultè excõmunicatus non est vitandus.

6 Tertiò, quando excommunicatio iudicis est occulta, ipse non est publicè vitandus, sed solùm occultè: vt colligitur ex c. *cùm non ab homine de sentent. excom.* imò fieret ei iniuria si quis in publico detrectaret eius communionem propter infamiam, quæ inde sequeretur: ergo cùm partes non possint ipsius iudicium propter excommunicationem occultam recusare: nisi fortè velint suscipere onus probandi, ipsum esse excommunicatum, ad quod non tenentur, oportet vt ipsius quoque sententia valida sit: absurdum est enim, vt partes teneantur sese sistere tribunali iudicis, à quo nisi irritam sententiam referre non possunt: denique idem probari potest ex l. *Barbarius. ff. de offic. prætor. & c. infamis. 3. q. 7.*

Iudex etiã publicè ex-

7 Dico secundò, si excommunicatio iudicis

communicatus, si non est denuntiatus: vt percussor clerici, non est vitandus.

sit publica, seu notoria, ante quidem Concilium Constantiense peccabat vsurpatione iudicij iudicando, & sententia erat irrita: post tamen illud Concilium, verius est non sic peccare, nec sententiam, reliquáque eius acta publica esse irrita: nisi sit denuntiatus nominatim, vel notorius percussor Clerici. Vide de hac re Nauar. *in Man. cap. 27. num. 7.* Sot. *distinct. 22. quæst. 2. art. 1.* D. Anton. *3. p. tit. 27. cap. 2.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 9. sect. 2. sub num. 2. ad finem.*

Dubium. Respon.

8 Petes, vtrùm hoc etiam habeat locum in iudicibus sæcularibus? Resp. habere: ita enim passim Doctores, & probatur primò ex ca. *exceptionem de except.* vbi in fine dicitur; *excommunicatus publicè.* Et si huiusmodi exceptio non opponitur: nihilominùs est ab officio iudicis repellendus, vbi loquitur in genere de cuiusuis iudicis officio.

Secundò, quia omnes excommunicati sunt priuati vsu iurisdictionis in suos subditos: vt colligitur ex cap. *nos sanctorum. 15. q. 6.* vbi dicitur; Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicati fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant. Si subditi non tenentur eis obedire: ergo suspensa est eorum iurisdictio; ac proinde sententia non obligabit, sed erit irrita.

Tertiò, ex cap. *deuenimus de sent. excom. in 6.* vbi excluditur excommunicatus à munere actoris, patroni, & testis: ergo multò magis censetur exclusus à functione iudicis: absurdum enim esset iudicis

dicis excommunicati acta valere: actoris verò, aduocati, & testis non valere.

Si tamen aliquis excommunicatus conferret se in aliam vrbem, vel prouinciam, vbi eius censura esset ignota, fieretque iudex; vel si in loco suæ iurisdictionis non haberetur pro denuntiato, vel publico Clerici percussore, acta eius fore valida. Ratio est: quia eo loco verè est excommunicatus occultè, & ab Ecclesia consequenter toleratus: eadémque incommoda sequerentur, si eius acta essent irrita, quæ ex actis alterius, qui vbique occultus: vnde eodem modo de illo sentiendum, & iisdem rationibus probari potest. Limitatur.

Dubium. Respon.

9 Dices, si est suspensus, quomodo eius acta non sunt irrita? Resp. quia Ecclesia ob communem vtilitatem, vel tacitè, hanc suspensionem ad singulos actus in hoc casu ei relaxat: & si velit ipsum, secundùm se manere suspensum: vel certè nouam ei potestatem ad singulos actus extraordinariè tribuit; supplendo defectum, qui ex parte ipsius erat, ne cum damno aliorum actus sit irritus: qui duo modi parùm in re differunt.

Excommunicatus ab vno Episcopo, vbique vitandus.

10 Interrogabis, num excommunicatus ab vno Episcopo, vbique sit vitandus? Scotus in 4. *dist. 19. q. 1. art. 5.* dicit, non est vbique vitandus talis excommunicatus propter limitatam excommunicantis iurisdictionem. Sed profectò hoc alienum est ab vsu Ecclesiæ: vnde fatendum est, excommunicatum vbique esse vitandum, non quia iure Diuino cautum sit, aliàs etiam de externa & ciuili communicatione idem dicèdum esset: quod Couar. non concedit: nec propter solam iurisdictionem particularis Episcopi: sed propter institutionem talis censuræ; quæ auctoritate totius

Ecclesiæ ita facta est, vt in Conc. Nicæno *cap.* 5. apertè dicitur, & in c. *sicut Apostoli*, cum duobus seqq. insinuatur. 11. *q.* 3. & est ferè aperta declaratio Innoc. III. in c. *ad reprimendam de off. ord.* Videatur Sot. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 1.

Cõmunicãs cum excõmunicato in multis casibus excommunicationem non incurrit.

11 An peccent subditi tractantes in iudicio cum reo excommunicato? Resp. quòd multi sunt casus, in quibus communicans cum excommunicato non incurrit minorem excommunicationem: vt not. per Felinum post alios in c. *quod in dubiis & seq. de sent. excom.* & per Nau. *in Man. c.* 27. *num.* 26. & comprehenduntur in his versibus.

Vtile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse
Hæc anathema faciunt, ne possint obesse.

12 Et ideò homines, qui sunt de iurisdictione iudicis excommunicati, si comparent coram ipso, vocati ab ipso, non peccant; quia licitè tenentur venire vocati ab eo; cùm videatur esse casus necessitatis: Sylu. in v. *excom.* 5. *num.* 19. sic licèt vasalli eo ipso sint absoluti, hoc est suspensi à sacramento fidelitatis, quando dominus eorum est nominatim excommunicatus per sententiam; *c. nos sanctorum.* 15. *q.* 6. *c. grauem.* verbo, *denuncietis. De pœnis*, & per fidelitatis sacramentum intelligitur, vt non teneantur domino. Dum est in excommunicatione, eum visitare, vel ei facere curiam, vel cum eo conuersari in equitando, in eundo, in cibo, in potu, non ire cum eo ad bellum, non defendere eum in bello, non ei auxiliari: vt dixit Turrecremata in d. c. *nos sanctorum, num.* 2. & hoc in fauorem Fidei, & in fauorem animarum ipsorum excommunicatorum: vt sic rubore suffusi, & à consortio suorum vasallorum segregati, ad Deum conuertantur, & resipiscant: tamen tenentur vasalli

salli in tali casu reddere eis debita, & respondere de censibus, & tributis: quia hic est casus pertinens ad necessitatem: sic etiam si subditi vocant iniuriatores suos coram iudice excommunicato, excusantur, quia etiam in hoc casu non solùm est necessitas, sed etiam communicatur cum eis in spectantibus ad salutem animarum suarum, scilicet vt reddant vnicuique suum.

3. Amotus ab officio. Iudex priuatus officio, an peccet exercẽs illud.

13 Tertiò recusatur iudex amotus ab officio. Vbi statim quæritur; Vtrùm iudex, qui propter crimen est ipso iure priuatus titulo, vel solùm habet titulum putatiuum, peccet vsurpatione iudicij iudicando, ita vt eius sententia sit irrita: Prior pars fusè tractatur à scholasticis *in* 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *sub tit. Vtrùm leges humanæ, quæ statuunt priuationem beneficij, vel officij, aut confiscationem bonorum eam vim habeant, vt commisso crimine, beneficium, vel officium statim vacet, & bona ad fiscum pertineant; ita vt reus ipse teneatur ea dimittere ante sententiam.* De hoc aliqua dixi suprà in explicatione tertij casus, ibi, *Dubitatur octauo.* Nunc autem etiam dico, quòd propriè loquendo, non vacant, nec tenentur ea dimittere ante sententiam, etiam si in lege dicatur *ipso facto sit priuatus*, nisi apertè constet, illam fuisse legislatoris mentem: vt si addat, *teneri in conscientia dimittere*, vel *non posse absolui, nisi dimittat*, vel, *beneficium eo ipso vacare, ita vt alteri liberè possit conferri*: vt in casu in *c. dudum* 2. *de elect.* cùm quis accipit beneficium incompatibile. Idem etiam dicunt Doctores, D. Thom. *vbi sup. q.* 62. *art.* 3. *& ibi* Caiet. Sot. *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. Adr. *quodlib.* 6. *quæst.* 1. & alij.

Dubium.

14 Vtrùm autem vacent, quando in lege dicitur;

Respons. tur: *sit priuatus ipso facto, absque alia declaratione* dubium est. Couar. *de matrim. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8.* & Sotus *in loco cit.* multíque alij recentiores tenent non vacare: sed requiri sententiam declaratoriam criminis. Illam autem clausulam, *sit priuatus ipso facto, absque vlla declaratione*, intelligendam de declaratione, qua declaretur, pœnam esse incursam: non autem qua declaretur crimen commissum. Qua expositio etsi nonnihil videatur violenta: vsus tamen ipse eam confirmat: ita enim sunt vsu receptæ leges huiusmodi, vt ante declarationem criminis, possessores non teneantur resignare. Imò vsus habet, vt nisi executio fiat per sententiam, ita vt per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam ipse reus priuetur beneficio, vel officio, non censeatur omnino priuatus, vt patet ex Couar. *vbi suprà.* Vnde & leges illæ, quæ statuunt, vt beneficium ipso iure vacet, vt in extrauag. *ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* non videntur recepta in illo rigore; vt sponte teneatur se reus spoliare.

Dubium. 15 Dices, quam ergo vim habent huiusmodi constitutiones, quibus aliquis ipso iure priuatur officio, vel beneficio, siue propter crimen siue propter adeptionem alterius incompatibilis?

Respons. Respondeo, hoc efficere, vt statim amittat titulum ipsum; ita vt non sit ampliùs dominus beneficij: retinet tamen possessionem, qua priuari non potest: nisi causa cognita: vt docet gloss. *cap. licet Episcop. de præbendis in 6.* Vnde permittitur possessio, & vsus, donec secuta sententia declaratoria, hæc quoque auferantur.

Ex his sequitur, sententiam, aliáque acta talis iudicis non esse irritam, neque iudicium vsurpatum:

patum: cùm re vera adhuc iurisdictionem suam retineat, neque ab ea sit suspensus: etsi enim ius illud priùs, quo iurisdictionem obtinebat, amiserit: habet tamen adhuc ius possidendi, & vtendi eadem, donec per sententiam auferatur.

Quoad alteram partem dubitationis attinet, omissis opinionibus, quas recenset Paludan. *in 4. distinct. quæst. 6. art. 2.* Respondeo, si habet titulum coloratum, & communi errore putetur legitimus superior, eius sententiæ, & alij actus iurisdictionis sunt validi. Ita passim Doctores *in cap. nihil de electione & in l. Barbarius ff. de offic. præt.* Palud. *vbi sup.* Nauarrus *in cap. placuit. de pœnit. distinct. 6. num.* 180. Medina *cap. de confess. quæst.* 22. Arragon. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 6. & alij multi recentiores, qui id docent, non solùm de sententia, & actis fori externi: sed etiam fori sacramentalis: de quo tamen longè maius dubitari poterat.

Quartò, recusatur iudex inimicus; *cap. quod suspecti* 3. *quæst.* 5. *c. sciscitatus de rescript. cap. suspicionis de offic. deleg. cap. cum speciali de appellation. cap. cùm oporteat de accusat. iuncta gloss. ibid.* verbo, *inimicus l. apertissimi* Co. *de iudicijs.* Nauar. *in cap. si quando num.* 2. *de rescr.* Couar. *lib.* 6. *practic. quæst. cap.* 26. *in princ. specul. tit. de accusat. §. causa.* Lites enim sine suspicione procedere debent, ideóque modica causa iudicem ipsum repellit, *capit. accedens.* 1. *vt lit. non contest. §. cùm scitur.* 4. Inimicus.

16 Et verò, cùm inimicitia capitalis est, vel saltem grauis, etiam inquisitor in causa fidei recusari potest, vt probat Pegna *in dir. inquis.* 3. *par. com.* 30. *vers. Non quæuis inimicitia*; ex Speculo, Felino, Ioan. Andr. & alijs. In cæteris verò cau- *Inimicitia capitalis etiam inquisitorem repellit.*

sis, & criminibus etiam propter inimicitiam non capitalem, aut non ita grauem iudex recusari potest : & licèt in teste fiat distinctio de inimicitia capitali, & de reconciliatione de recenti, in iudice tamen non procedit: nam etiam è leui inimicitia dari potest suspectus, vt dicit Ioan. Andreas *in cap. 2. num. 1. de appellat. in 6.* & Crauet. *cons. 6. num 31.* etiam post reconciliationem Maranta *in specul. 6. part. de appellat. num. 64.*

Facilius inuenitur iudex, quàm testis.

17 Cuius ratio firma est, quam paulò ante diximus : nempè quia faciliùs inueniuntur iudices, quàm testes. Vnde consultiùs ageret iudex, vt in tali casu negotium ad superiorem deferret, vel causam alteri Religioso delegaret, iuxta not. *in cap. si quis contra de foro comp.*

Inimicus quis.

18 Inimicus autem ex Pegna *in 3. par. dir. inquis. com. 116.* & ex Far. *q. 49. n. 1. & seqq.* dicitur. Primò, qui occidit consanguineum alicuius. Secundò, qui conatus est occidere aliquem. Tertiò, qui minatus est occidere aliquem. Quartò, qui alicui parauit insidias. Quintò, qui aliquem accusauit in causa criminali. Sextò, qui deposuit contra aliquem, aut deponere voluit in causa criminali. Septimò, qui detinuit aliquẽ in vinculis. Octauò, qui iniurias graues in aliquem protulit. Nonò, qui adulterium cum alicuius vxore commisit, viro ipso reclamante: idem dicas de sorore, matre, filiáque, vel nepte. Decimò, qui mouit quęstionem de statu, vel bonis, vel magna pecuniarum quantitate. Idem de illo, qui aliquem talibus spoliauit. Vndecimò, qui offendit aliquem in persona, vel rebus. Duodecimò, qui vulnerauit aliquem, maximè in facie. Decimotertiò, Descendẽtes ab inimico capitali. Decimoquartò, qui

qui commoratur, & admodum familiariter conuersatur cum inimicis. Decimoquintò, qui contraxit amicitiam cum inimicis.

5. Infamis criminosus, perpetuò furiosus, &c. recusatur.

19 Quintò, recusatur iudex infamis, criminosus, perpetuò furiosus, impubes, fœmina, seruus, dominus aduersarij, illiúsque consanguineus, vel affinis. Armill. verb. *iudex num. 1.*

6. Qui non seruat ordinem iuris.

Sextò, recusatur iudex, qui ordinem iuris nequaquam seruando, reum ipsum grauari veritus non est : aut iuris defensiones illi negando : aut exceptiones non admittendo : aut aliquid illi necessarium minimè concedendo : etiam in crimine violatæ Religionis. Dir. Inquis. *vbi sup. de recusatione Inquisitoris,* & ibi Pegna.

7. Fauens nimium alteri parti.

Septimò, recusatur iudex alteri parti nimiùm fauens, *cap. accedens secund. vt lit. non contest.* Nauar. *in cap. cùm contingat, de rescr. caus. null. 10. n. 5.*

Iudex accipiẽs aliquid à parte, an peccet, & an teneatur, ad restitutionem, si accipit pro iusta sententia ferenda.

20 Dubitatur hîc ; An iudex accipiens aliquid pro sententia iustè ferenda, peccet, & ad restitutionem teneatur? Quidam putant generatim id esse restituendum. Ita Medin. *quæst. 26.* Nauar. *cap. 17. num. 34.* Couarr. *ad reg. peccatum p. 1. §. 3.* vnde si alicui detur aliquid, ne fornicetur, ne blasphemet, ne peieret, ne sententiam iniustam ferat, id esse restituendum. Sed verius est, non esse restituendum : nisi actio, vel omissio debita fuerit ex charitate erga proximum: & sine vllo sumptu, vel labore, possit præstari. Quod vt distinctè explicetur;

Dico primò, si opus, vel omissio ex iustitia sint debita proximo, non potest pro illis quidquam exigi, & quod acceptum fuerit, est restituendum. Est communis Doctorum sententia: vide Couarr. *vbi supra.* Medin. *vbi supr.* & Sot. *lib. 4.*

quæst.7.art.2. Probatur primò, quia manifestè violatur æqualitas, si pro eo, quod iam ex iustitia absolutum est debitum, aliquid amplius exigatur, vel accipiatur? Secundò, quia id, quod datur pro iustitia obtinenda, vel iniuria vitanda, non censetur dari sponte; sed coactè, ex metu iniuriæ proueniente ab eo, cui datur: ergo necessariò est restituendum, quia censetur per tacitam quandam iniuriam extortum: hæc est vera ratio, cur sit restituendum.

Hinc sequitur, iudicem teneri restituere id, quod accepit, vt iustam sententiam ferret: Intellige, si datum est timore iniuriæ, aliàs non dandum: secùs si instar muneris liberalis, vt maiorem, quàm solet, quàmque tenetur, diligentiam in causa adhibeat. Vbi aduerte in sententia iudicis duo considerari posse. Prius, quòd sit actio maximè vtilis, & necessaria Reipublicæ, egens multo labore, & examine actorum, & probationum, & magna authoritate personæ. Alterum, quòd sit iusta. Ratione prioris aliquid pro sententia à partibus accipi potest, si aliàs iustum stipendium non est assignatum: sic enim debita est ei merces lege iustitiæ; sicut & labori Aduocatorum, & iurisconsultorum. Ratione alterius, nullum ei debetur stipendium: sed supposito officio iudicis, gratis hanc qualitatem in sua actione procurare debet. Quod etiam locum habet, cùm ea est varietas sententiarum, vt ei liberum sit, vtramlibet partem in iudicando sequi: vt enim sententia sit iusta, semper gratis curandum est iudici iudicare, sententiámque ferre.

Verùm, quia tunc vtraque pars iusta censetur, dubitari potest, vtrùm contra iustitiam peccet, si

si aliquid accipiat, vt hanc potiùs, quàm illam in iudicando sequatur. Videtur non ita peccare. Primò, quia rationes prædictæ, hîc cessant. Secundò, quia non tenetur ad alteram determinatè; sed libitum est ei sequi quam maluerit: ergo si aliquid accipiat, vt hanc sequatur potiùs, quàm illam, non facit vlli iniuriam. Tertiò, quia non accipit pretium pro iustitia sententiæ; sed quia in hac causa hanc opinionem præfert isti, ad quod nullo modo tenebatur. Hoc autem est pretio æstimabile, tùm quia vtilissimum parti, tùm quia sequendo hanc opinionem, amittit fauorem alterius partis, quæ potuisset gratificari. Quartò, quia nemo dixerit, illi parti, à qua iudex aliquid in hoc casu acceperit, factam esse iniuriam: imò passim hac mente dantur à partibus, & accipiuntur munera à iudicibus; vt quantum intra limites iustitiæ possunt, iudices suum fauorem impendant: quamuis hoc sit valde reprehensibile, & meritò legibus vindicandum.

Idem sæpè fit in collatione officiorũ sæculariũ. In beneficiis tamen erit simonia, quamuis fortè iure naturæ non sit obligatio restituendi. Hæc argumenta, si solùm ius naturæ spectetur, faciunt hanc sententiam satis probabilem: nihilominùs, legibus id vetitum est, quæ etiam possunt ad restitutionem obligare: imò etiam incapaces reddere dominij rei, hoc titulo datæ acquirendi.

Iudex accipiens aliquid pro iniusta sententia ferenda.

21 Sed an iudex aliquid accipiens pro sententia iniustè ferenda, teneatur ad restitutionem? Est vna sententia affirmans, quòd pro nullo opere, quod per se turpe, seu peccatum sit; vt est sententia iniustè lata, fornicatio, adulterium, homicidium, possit aliquid accipi. Et si quid acceptum

ceptum est, id necessariò restituendum, nisi videatur gratis donatum. Ita Ioannes de Medina. *Cod. de restit. quæst.* 20. & 28. Idem aliquando sensit Nauarr. *cap.* 17. *num.* 38.

Secunda sententia est, Pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra iustitiam, non esse restituendum: secus verò si sit contra iustitiam. Ita Sot. *lib.* 4. *quæst.* 7 *art.* 1. *ad* 2. Tertia sententia; Acceptum pro omni opere prauo, quod legibus punitur, est restituendum: secus verò de accepto opere, quod leges non puniunt. Ita ferè omnes vtriusque iuris Doctores relati à Couarr. *ad reg. peccatum. p.* 2. §. 1. Pro resolutione dico,

Auth. opin. 22 Primò, si solùm ius naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus, quod est peccatum, opere impleto, non est necessariò restituendum, siue illud opus sit contra iustitiam, siue non colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *in cap.* & *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. vbi docet, posse retineri id, quod propter opus malum est acceptum. Nec distinguit, sitne opus illud contra iustitiam; an non, idem docet Caiet. *ibid.* & Cou. *ad reg. peccatum.* §. 2.

Probatur primò, quia si iure naturæ esset restituendum, deberet restitui ei, qui dedit: atqui huic non debet restitui, quia in accipiendo nulla huic facta est iniuria: libenter enim, & liberè dedit pro opere, quod tu facere non tenebaris. Secundò, quia si opus malum, pro quo dedit, non sit æstimabile pretio; quia malum: tamen quia delectabile, vel vtile vni & alteri detrimentum periculosum, laboriosum inter homines pretio æstimatur: ergo quod hac ratione pro eo est acceptum, non est restituendum; nisi fortè quis commu

communem æstimationem excesserit; vt si meretrix, quæ vsuram sui concedere solet vno aureo, ab aliquo iuuene extorserit quinquaginta, tanquàm pretium. Hoc tamen locum non habet in ea, quæ putatur honesta: vt si matrona aliqua, vel filia centum aureos pro vsura sui corporis accipiat ab eo, qui dare poterat, retinere potest: nam tanti, & pluris potest suam pudicitiam æstimare. Res enim, quæ certum pretium non habet, nec ad vitam sunt necessaria: sed voluptatis causa quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari, vt probabiliter docet Petrus Nauarrus & alij.

Notandum tamen est, Cou. & Caiet. excipere id, quod acceptum est à iudice; vt iniustam sententiam ferat, hoc enim putant, iure naturæ esse restituendum: quia iniusta sententia, & peruersio iudicij non est res vendibilis. Sed hæc ratio non est firma, nulla enim est causa; cur magis debeat iure naturæ restitui, quod acceptum fuerit pro iniqua sententia, quàm quod pro iniqua occisione quod tamen etiam illorum iudicio non est necessariò restituendum.

Dices D. August. *epist.* 54. *ad Macedonium*, ait, sceleratiùs accipi pecuniam pro sententia iniusta, quàm pro iusta: pro testimonio falso, quàm pro testimonio vero. Atqui pecunia accepta pro sententia iusta, est restituenda: ergo & pro sententia iniusta. Ita Sotus. Respond. negando consequentiam. Non enim quia aliquid sceleratius est; ideò magis, vel æquè obligat ad restitutionem. Hæc enim obligatio non sequitur magnitudinem sceleris, sed damnum per iniuriam datum. At qui accipit pro sententia iniusta, nullam

lam infert iniuriam danti, ſicut is, qui pro iuſta.

Secundò dico, veriùs etiam videtur neque iure poſitiuo id neceſſariò reſtituendum: ita D. Anton. *p. 2. tit. 2. cap. 6. in princip.* Angel. verb. *reſtitutio. §. turpe.* Sylu. v. *reſtitutio* 2. & verb. *eleemoſyna, quæſt.* 4. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 30. & 36. Couarruuias & Caietan. *vbi ſuprà*, qui tamen excipiunt id, quod acceptum eſt à iudice pro ſententia iniqua ferenda: innixi non iuri poſitiuo, ſed naturali: quod ſuprà refutatum eſt.

Contraria opinio probabilis.

23 Tertiò dico, etſi hæc ſententia verior ſit: contraria tamen, quæ cenſet, id quod acceptum fuerit ob crimen legibus punibile, (niſi cenſeatur donatum) eſſe reſtituendum, non eſt improbabilis. Patet, quia eſt ferè communis omnium iuris peritorum, vt docet Couarru. *vbi ſuprà n. 6.* Item Medin. & Nauarr. olim (licèt poſtea mutarit) & aliorum: habétque rationes ex legibus petitas vtcunque probabiles.

Reſtitutio cui facienda.

24 Sed tunc difficultas eſt, cui reſtitutio ſit facienda: Sotus, & Couarru. putant, ſi reſtituendum eſt, eſſe potiùs reſtituendum ei, qui dedit. Couarru. docet, quòd communior ſententia determinat eſſe reſtituendum pauperibus: nam cùm leges non velint reſtitui illi, qui dedit, & induxit ad maleficium: neque poſſit retineri, iuxta hanc ſententiam, conſequens eſſe videtur, eò quòd pactum fuit irritum, vt in pias cauſas ſit expendendum. Sed re vera hoc potius eſt ſalutare conſilium, quàm præceptum, vt rectè docent Anton. Nauarr. & alij.

Iudices regul. aliquando accipiũt munera.

25 Quod dicimus de muneribus à iudice acceptis, poteſt etiam applicari modo ſuo, ad iudices regulares, quando à ſubditis ſuis accipiunt

piunt vel munera realia, & formalia; vel munera pretio æſtimabilia, inter quæ connumerari poſſunt Quadrageſimalia, & alia huiuſmodi manuſcripta: reliquiaria magni pretij, & huiuſmodi: tales enim iudices de hoc conuicti poſſunt à reo recuſari, tanquàm ſuſpecti.

8. *Familiaris & amicus nimiũ partis.*

Octauò, accuſatur iudex parti, ſiue aduerſario nimiùm familiaris, & amicus *capit. ad hæc de reſcr. cap. cùm R. de offic. deleg.* Nauarr. *in cap. cùm contingit, de reſcr. cauſa* 10. *nullit. num.* 3. & hoc tam ante, quàm poſt litis conteſtationem, dummodò fiat ante cauſæ concluſionem. *cap. inſinuandæ. de offic. deleg.*

9. *Non habens iuris peritiam.*

Nonò, qui non habet iuris peritiam, arg. *cap. ex literis de conſang. & affin. cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 6. verb. *iudiciaria poteſtas* gloſſ. *c. ſciſcitatus de reſcr. v. impedimento l. ad probandum ff. de offic. Prætor.* Quod in Eccleſiaſticis maximè cauſis obſeruandum fore aduertit gloſſ. in cap. *cùm nobis de elect.* Illum verò peritiſſimum eſſe minimè dicimus, ſed ſufficit, competentem habere ſcientiam: *arg. cap. cùm nobis de elect.*

Limitatio.

Quòd ſi illiteratus quiſquam exiſtat; peritiam tamen iudicandi habeat, cauſa illi committi poterit *l. certi iuris. C. de iudicijs.* Talibus poſteà Aſſeſſor datur, etiam ex expenſis partium *cap. ſtatutum §. aſſeſſorem. de reſcr. in 6.* Sylueſt. 11. *iudex* 1. *quæſt.* 4. D. Anton. 3. *par. tit.* 9.

10. *Modum excedens in exequendo.*

26 Decimò, recuſatur iudex, qui modum excedit in exequendo. *cap. ſuper quæſtionum. §. 2. iuncta gloſſ. ibid. de offic. deleg.* Stephan. *in lib. de recuſat. caſ.* 73. ſed audiant iſti Ciceronem, qui licèt Ethnicus, dicit tamen quædam verè aurea verba in oratione pro Cluentio; *Eſt ſapientis iudi-*

Ciceronis notabile dictum.

cis,

eis, inquit, *meminisse se hominem cogitare sibi tantum esse permissum; quantum commissum sit, & creditum: & non solùm sibi potestatem esse datam; verùm & fidem habitam esse, meminisse posse quem oderit, absoluere, quem non oderit, condemnare: & semper, non quæ vult ipse, sed quid lex, & religio cogat cogitare: animaduertere, qua lege reus citetur: de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cùm hæc sit videnda, tamen illud est hominis magni, iudicis, atque sapientis, habere in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere, maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quàm à diis immortalibus accipimus, quæ à nobis diuelli non potest.*

Psalm. 81. totus applicatur ad iudices.

27 Audiant denique id, quod dicit Dauid in Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum, &c.* vbi ad literam loquitur de iudicio ferendo, nam ibi introducit iudices assessores, qui vocantur Dij in synagoga Deorum. Introducitur reus, cum quo simul stat ipse Deus in iudicio. In medio autem Deos diiudicat: quia quando reus vel bene, vel malè; iustè, vel iniustè iudicatur, Deus ibi stat, approbando scilicet, vel reprobando sententiam, & eos tanquàm iniquos iudices condemnando.

Verba illa, De vultu tuo iudicium meum prodeat, quid importent.

28 Hinc solent iudices, quando dant sententiam, dicere in principio: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem.* Quæ verba si rectè ponderarent iudices, oculatiores essent in danda sententia: talia enim verba tria insinuant. Primum, *De vultu tuo iudicium meum prodeat:* id est, hæc sententia adeò iusta est, ac si ore Dei ipsius lata sit, & quod ipsi iudices voce tantùm illam exprimunt. Alterum est: *De vultu tuo, &c.* id est, ego profero hanc sententiam cum rectitu

rectitudine tali, ac si præsentem Deum habeam: vnde sicut coram Principe aliquem iniustè sententiare non auderem: sic nec in conspectu Dei. Postremum, *de vultu tuo, &c.* id est, ego inuoco Deum ipsum in testem pro rectitudine sententiæ.

Sed proh dolor! vereor, ne quamplurimis iudicibus quàm rectissimè accommodentur ea, quæ in eodem psalmo sequuntur: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis. Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iustificate: eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

At quomodo hoc præstabunt, qui cum praua voluntate habent etiam id, quod prosequitur Propheta dicere; *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Nam iniquis eorum iudiciis mouentur omnia iura, & leges, quibus imperia, & principatus firmantur. Vel ad literam; imperia ipsa, & principatus, quæ iniquis subuerti iudiciis nemo non cognoscit, funditùs euertuntur. Gaudent quamplures, & lætantur de loco, de gradu, de dignitate, & quòd velut terreni Dij à subditis reuerentur; *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Sed ni rectè iudicent, sciant quòd ad ipsos conuenit id, quod sequitur; *Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.*

11. Qui aliàs fuit recusatus.

Vndecimò, recusatur iudex, à quo in alia causa fuit appellatum, vel quia aliàs fuit recusatus ab eo, qui appellauit, aut recusauit. *c. ad hæc el primo, & cap. proposuit de appellat.* Glos. *c. accusatores 3. q. 5.* Nauarr. *in 10. caus. null. num. 7.* cuius ratio firma est illa, quam tradit Nauarr. *ibid. sub num. 6.* nempè quòd, qui me grauauit in vno, meritò dici potest suspectus in alio. Et confirmatur conclusio per

c.conſ.de reſtitut.ſpol. quod habet, poſſe quem recuſare iudicem, qui extraiudicialiter grauauit, ſi poſteà iudicialiter procedere voluerit?

12. *Qui ſimilem cauſam habet.*

Duodecimò, recuſatur ſimilem cauſam habens, *cap.cauſam 2.de iudic.iuncta gloſ.* parti enim nimiùm fauorabilis eſſet.

13. *Qui habet commẽſalem aduocatum partis aduerſæ.*

Tertiodecimò, Qui commenſalem habet aduerſæ partis aduocatum, *cap.ex inſinuatione de appell.* Gloſſ.*cap.accuſatores 3.q.5.*

14. *Suffraganeus aduerſarij.*

Quartodecimò, Qui aduerſarius ſuffraganeus eſt, vel de terra illius: cùm partes extra patriam: vel altera ſaltem ſit, *cap.accedens 2. vt lit. non conſtet. iuncta gloſ.ibid.* Nauarr. *in cap.cùm contingat, de reſcr. cauſ.null.10.num.4.*

15. *Si accuſator de domo illius progreditur.*

Quintodecimò, ſi accuſator, vel teſtis de domo illius egreditur, ſeu producitur. *cap. contra ſitum, 4. q.4.cap.cauſam, de offic.deleg.l.qui iuriſdictioni.ff.de iuriſdict.omnium iudicum.*

16. *Propalãs votum.*

Sextodecimò, ſi iudex propalauerit votum ſuum ad fauorem partis aduerſæ, vel minatus fuerit recuſantem. Cæſar. de Graſſis *deciſ. 39. num.5.& 9.*

17. *Si eſt eiuſdem patriæ.*

Decimoſeptimò, recuſari poteſt iudex, eò quòd eiuſdem patriæ, atque ciuitatis ſunt ipſe, & aduerſarius, & in eadem patria longè ab hac ciuitate tempore huius proceſſus morabantur. Quod iuxta Nauarr. *cap.cùm contingat.de reſcr.num.10.cauſ. null.ſub num.4.* ſufficit ad recuſationem: quia extra patriam conterranei plus debito ſe diligere ſolẽt, ſecundùm Ioan. Andr. & Dom. *in cap. legitima, de appellat.in 6.* & ſpecul. *in tit. de deleg. §. ſupereſt.verſ. Item*, & Panorm.cum Felin.& communi, *c.accedens 2.vt lit.non conteſt.*

Reus igitur ſiue ſæcularis ſit, ſiue regularis iudicem

iudicem aliquo ex ſupradictis modis ſibi ſuſpectum recuſare poteſt. Nec quia regularis eſt quis, hoc Priuilegio debet priuari, cùm hoc ſit de iure naturæ; &, vt diximus, *in principio huius* §. ad legitimas pertineat defenſiones, vt docet victoria, *cap.26.num.4.* Vide de hoc *infra in* §.10.*ſub num.21.*

Iudex recuſatus, in cauſa non debet procedere.

29 Cùm autem iudex recuſatur, in cauſa procedere minimè debet; niſi friuola recuſatio ſit.

Friuola appellatio quæ.

30 Illa autem eſt friuola appellatio (dicunt Iuriſtæ) quæ ſine cauſa legitima interponitur; vt quando quis appellat, vbi non eſt grauatus iniuſtè: & ſic idem eſt dicere, friuolam appellationem, quòd vanam, & inanem, & ſine iuſta cauſa interpoſitam, quæ nullum poterit ſortiri iuris effectum: vt declarat Gemin. *in c.cùm appellationibus col.2. verſ. Quaro quid importet, de appellat. in 6.* Ioan.Andr.& Hoſtienſ.*in c.vt debitus, de appell. poſt gloſ.in c.paſtoralis de offic.deleg.*

31 Quòd ſi fuerit auſus procedere, acta quæuis poſt recuſationem huiuſmodi ſunt nulla ipſo iure, vt dicit Nauarr. *vbi ſupra,num.10.* Quod intelligendum eſſe, & aſſerendum poſt iuſtam appellationem, docet, ac probat idem Nau.*loco cit.in fine.* Achilles de Graſſis, *deciſ. 205. num.1.* Vide etiam *infrà in* §.10.*per totum.*

---

§. V.

De exceptionibus contra teſtes.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes quomodo excipiantur.*
2 *Infames, & periuri refelluntur.*

3 *Non probantes crimina opposita, tenentur actione iniuriarum.*
4 *Testes non iurati repelluntur.*
5 *Reus potest capitulare contrarium.*
6 *Testibus pro reo quando stabitur.*
7 *Iudicis arbitrium requiritur.*
8 *Probationes imperfectæ quid probent.*
9 *Testium excipiendorum qualitates. Mulier non potest esse testis: nisi, &c.*
10 *Minor 20. annorum non potest esse testis.*
11 *Inimicus non potest esse testis.*
12 *Consanguinei non possunt esse testes.*
13 *Domestici, neque infames, neque, &c.*
14 *Periuri non possunt esse testes.*
15 *Socij criminis non possunt esse testes.*
16 *Pauper non potest esse testis.*
17 *Conspiratores non possunt esse testes.*
18 *Laïci contra clericos non possunt esse testes.*
19 *Mente captus, aut furiosus non potest esse testis.*
20 *Pupillus non potest esse testis.*
21 *Testes inhabiles quando possunt, & debent admitti.*
22 *Probationes quando sunt difficiles, admittuntur probationes minus legitimæ.*
23 *Prælati possunt admittere testes aliàs inhabiles.*
24 *Testes inhabiles si in Religione non admitterentur, infinita religiosorum crimina remanerent impunita.*
25 *Falsarius non potest esse testis.*
26 *Testis quum in vno falsum dixit, an totum eius dictum vitietur.*
27 *Plures casus notandi.*
28 *Testes plures quando dissentiunt, quid agendum.*
29 *Testes vt plenè probent, quatuor requiruntur.*
30 *Testis inhabilis facit indicium.*
31 *Testium*

31 *Testium crimina occulta licet aliquando reo propalare.*
32 *Reus si testem aliter repellere potest, an sit contra iustitiam eius secreta delicta propalare.*
33 *Reus an peccet impingendo testi aliquod crimen.*
34 *Quid de eo, qui extra iudicium negat.*

1 MAgna pars defensionis est, inquit Clarus q. 54. exceptio, quæ fit contra testes, à quibus reus grauatur: potéstque hæc exceptio ex triplici capite proponi. *Testes quomodo excipiantur.*

2 Primum quorum respicit personam ipsorum testium; quia scilicet non essent in causa criminali examinandi: sunt enim infames, periuri, & similes. Benè verum est, quòd non sufficit opponere generaliter, quòd testes sint periuri, infames, &c. Sed opus est specificare locum, & tempus commissi delicti, & circunstantias. Sunt qui dicant, quòd excipiens teneatur etiam probare, quòd ille testis, quem dicit esse infamem, communi omnium opinione esset tentus, & reputatus pro tali, sic Bart. *in l. 1. num. 4. C. de testibus* sed opinio in contrarium est magis communis: nempe quòd sufficiat probare, quòd est infamis ex tali causa, vel tali crimine, absque eo, quòd dicatur, quòd pro tali reputabatur. Et ita attestatur Alex. *cons. 52. num. 16. lib. 5.* quem refert Crottus. *de testib. num. 4 in fine.* *Infames, & periuri repelluntur.*

3 Caueant tamen illi, inquit Clarus *vbi suprà*, qui opponunt contra testes, & non habent in promptu probationes criminum oppositorum: quia si non probant crimina opposita tenentur actione iniuriarum: & est communis opinio, vt dicit Boss. *in tit. de iniur. num. 21.* Nam generali- *Non probantes crimina opposita tenentur actione iniuriarũ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter obiiciens aliquod crimẽ in iudicio siue agendo, siue excipiendo : si illud probat, non tenetur : & in hoc conueniunt omnes, vt dicit Boërius *consil.*4. *num.*37. si verò non probat, non tenetur : etiamsi excipiendo illud proposuerit : & est communis opinio, vt dicit Boërius *vbi suprà, in fine.*

Dicit tamen ibi post *num.*49. quòd de generali consuetudine Regni Franciæ, ille, qui opponit, excipiendo contra testes, non tenetur, etiamsi probet. Et Clarus ipse dixit, quòd ipse nunquàm vidit super hoc procedi. Semper autem aduocati in exceptionibus, quas faciunt contra ipsos testes, apponi faciunt protestationem, *quod citra animum iniuriandi, &c.* prout etiam communiter fiere solere attestatur Boërius *in consil. prælleg. num.* 23.

Testes non iurati repelluntur.

4 Secundum caput exceptionum contra testes respicit processum istarum attestationum : quia scilicet testes ipsi minùs legitimè recepti sint; putà quia sine iuramento deposuerunt. Vel aliàs minùs legitimè examinati fuerint : non seruatis seruandis, vel quia fortè recepti fuerint super generali inquisitione, quo casu fidem non faciunt: nisi repetantur, vt dicit Iulius Clarus *in quæst.* 11. *vers. item quæro.*

Tertium caput exceptionum respicit dicta, seu depositiones ipsorum testium, putà quia sunt falsi, contrarij, singulares, & quòd non concludenter deponant, vel huiusmodi, de quibus infrà *in hoc eod.* §. *sub num.*9.

Reus potest capitulare contrariũ.

5. & 6. Reus igitur potest se defendere excipiendo testes, ne capitulando contrarium, & pro viribus probare intentionẽ suam, & stabitur posteà testibus

testibus suis, si erunt digniores, & verisimiliora deponant, vel etiam si erunt plures, *cap. in nostra, de testib. vbi etiam gloss. & Doctores*, aliàs stabitur testibus accusatoris, seu actoris dignioribus, & verisimiliora deponentibus contra reum, & vbi sit paritas, in dubio iudicandum est pro reo, prævalentibus eius testibus, vt docet Boss. *tit. de defens. reor. num.*7. *Testibus pro reo quando stabitur.*

Imò ampliùs, etiam quòd præualeant testes actoris, adhuc pro reo iudicandum esset : vt habetur per gloss. notab. *in cap. clerici* 81. *distinct.* vbi duo laici, qui deponunt ad fauorem rei præferuntur duobus clericis, qui stabant pro accusatore, atque ita qualitas clericatus non tollit reo prærogatiuam absolutionis, & ita inquit Abbas *in cap. ex literis. & in cap. ad nostram ext. de probat.* Boss. *loc. prox. cit. num.*8. & 9.

7 Qui tamen subdit, esse in facultate iudicis etiam in hoc casu magis credere testibus actoris, exprimendo causam maioris credulitatis, & maximè quando atrocitas delicti, qualitas accusatoris, & natura testium faceret eum inclinare pro accusatore. *Iudicis arbitrium.*

8 Dubitatur verò, si reus non probat plenè intentionem suam, quid operabitur eius imperfecta probatio? Respondeo, quòd quando probationes sunt de directo contrariæ, plena probatio actoris confundit minus plenam ipsius rei, secùs autem si inuicem admittantur, atque adeò vbi reus diceret : Non occidi, aut furtum feci, & ita probaret debiliùs, nihil faceret. *Probationes imperfectæ quid probent.*

Sed si diceret, occidi, sed id feci ad meam defensionem : vel vulneraui, sed ipse decessit è vita ex malo regimine : aut diceret, rem alienam subtraxi,

traxi, sed cum voluntate domini, vel quia in extrema necessitate eram constitutus: tunc vnus testis integer redderet rem accusatoris, vel iudicis inquirentis ita dubiam, quod reus absolueretur.

Testium exceipiendorum qualitates.

Verùm, vt plenior cognitio de qualitate testium hîc habeatur, sciendum, quòd multi secundùm iura testificari prohibentur.

Mulier non potest esse testis.

9 Primò, in causis criminalibus iure canonico repellitur mulier ob fragilitatem sexus, & ingenij mutabilitatem, *cap. forus sub fin. de verb. sig. & cap. mulierem 33. quæst. 5.* Iure tamen ciuili in omni causa admittitur, *l. ex eo ff. de test.* præterquàm in testamento, *l. qui testamento. §. mulier. ff. qui testam. facere possunt.* Hoc autem limitatur, vt procedat quoad probationem, scilicet vt quis condemnetur: nam quoad inquisitionem possunt assumi mulieres in testes contra clericos quando sumuntur informationes contra ipsos, vt inquit gloss. per illum text. *in cap. quoniam ex. de test. & ibi* Doctores: licèt posteà eorum dicta non habeant vim ad illos condemnandos.

Limitatur.

Minor 20. annis non potest esse testis.

10 Secundò, repellitur minor viginti annis, *l. in testimonium. ff. de testibus:* dictum tamen eius facit indicium ad capiendam informationem: non tamen ad torturam, vt docet Gomezius vnde non est verum, quod tradit Sylu. verbo, *testis, q. 1.* dictum scilicet impuberis facere indicium ad torturam, si tamen sit puber (id est quatuordecim annorumin masculo, duodecim in fœmina) admittitur in ciuilibus.

Inimicus non potest esse testis.

11 Tertiò, inimicus eius, contra quem testimonium dicitur, si inimicitia est capitalis, secundùm Clarum *in q. 4. ver. item quæro.* aliàs secùs, *cap. accu*

accusatores, el primo, & duobus seqq. 3. q. 5. Etiam in criminibus exceptis, *cap. per tuas de simonia.* Crauet. *cons. 9. num. 60.* Etiam in crimine violatæ religionis. Paris. *cons. 2. num. 61.* Et ne dum inimici veri, sed etiam præsumpti. Ias. *cons. 167. num. 8. lib. 4.* Licèt inimicitia publica minimè sit: Marsil. *sing. 178. post Bart. in lib. 1. ff. de his, quibus vt ind.* Farinac. *q. 53. num. 15.* Etiamsi reconciliati sint, *cap. accusatores, el primo, 3. q. 5.*

Consanguinei non possunt esse testes.

12 Quartò, ascendentes, & descendentes accusatoris: item collaterales, sed hi tantùm vsque ad tertium gradum, vt docet Gomezius. Aduerte tamen, consanguineos, & affines rei interdum admitti posse ad reum defendendum, eiúsque innocentiam probandam; sic enim habet vsus, teste Claro *q. 24. num. 12.*

Domestici, neque infames nò possunt esse testes.

13 Quintò, domesticus ipsius producentis.

Sextò, infamis infamia iuris; qualis est omnis, qui de crimine aliquo est damnatus. Infamis autem facto, etiam regulariter repellitur: potest tamen interdum admitti in subsidium; quando aliter veritas cognosci nequit; sed cum tortura, vt docet Clarus, *vbi supra, num. 13.*

Periuri non possunt esse testes.

14 Septimò, periurus, qui in aliqua causa falsum cum iuramento deposuit: qui enim semel peierauit, putatur facilè secundò peieraturus.

Socij criminis non possunt esse testes.

15 Octauò, socius criminis, *l. fin. C. de accusat. & cap. veniens, de testib.* Ratio est; quia hîc facilè alium nominabit: vel quia eius priuilegio veniam sperat, vel quia odio cupit illum eodem supplicio perire, vt habetur *in d. l. fin.*

Limitatur.

In criminibus autem exceptis admittitur socius vt idoneus testis, vt in hæresi, in crimine læsæ Maiestatis, falsæ monetæ, maleficio, sortilegio,

sodomia, & furto famoso. Addit Gomezius, *num.*16.idem dicendum in delictis, quæ non possunt sine socio committi. Itaque in huiusmodi, depositio socij non solùm erit sufficiens indicium ad torturam; sed etiam erit semiplena probatio; & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari, vt docet Cynus *in d.l.vlt.C.de accusat.* & Panorm. *cap.* 1.*de confessis.*

Debet tamen hæc depositio fieri tanquam à teste; nempè cum iuramento, & citata parte: cui etiam danda est copia depositionis, vt possit se defendere.

Pauper non potest esse testis. Limitatur.

16 Nonò, persona vilis, & inops, de qua suspicio est facilè posse pecunia corrumpi, & est communis opinio. Clar. *q.* 24. *vers. Quæro etiam.* Quòd tamen intelligitur de paupere, & turpi persona: secùs autem si sit persona honestæ vitæ, & bonæ conditionis, & famæ. Vide *lib.*3. *&* 4.*ff. de testib.* Quis autem dicatur pauper, statur iudicio iudicis.

Nota.

Hæc autem exceptio, licèt prima facie non videatur posse habere locum inter Regulares, qui paupertatis votum emiserunt, aliquando tamen posset habere locum respectu parentum, & consanguineorum egenorum: quando fortasse ab aduersario notabiliter fuissent adiuti: ex quo posteà motus consanguineus regularis testificatur in fauorem accusantis. Sed hoc arbitrio iudicis stat.

Conspiratores non possunt esse testes.

17 Decimò, conspiratores etiam repelluntur, & sunt illi, qui ex pacto conuenerunt, vt vnus accuset, seu denuntiet, & reliqui sint testes: quorum accusatio, & testimonium non solùm admittenda

tenda non sunt: verùm & Prælatus tales debet grauiter punire, tanquam impostores, & Reipublicæ perturbatores. Vnde ex sacris sanctionibus tales priuandi, & deponendi sunt. Vide, *cap. cum I.& A.de sent. & re iudic.cap.per tuas de simonia, cum glos.c.conspirationum, cap.coniurationum.c.si qui Clerici, vel Monachi,cap.si cleric.& c.si qui Clericorum* 11. *quæst.*1.

Laïci contra Clericos non possunt esse testes.

18 Vndecimò, laïci contra clericos repelluntur, *cap.nullus* 2.*q.*7.*cap.beatus* 6.*q.*1.*cap.Sacerdos eod. q.cap.de cætero, de testib.* quamuis sint tantùm in minoribus. Felin. *in cap.de cætero, vbi suprà.* Neque clericus contra laïcum in criminalibus. Farinac. *q.*61. *num.*59.

Mente captus, aut furiosus repellitur.

19 Duodecimò, mente captus, aut furiosus repellitur: nisi habeat lucida interualla. Sylu. verbo, *testis*, vers. *dicitur.*

Pupillus non potest esse testis.

20 Decimotertiò, pupillus etiam repellitur, secundùm Clarum *in q.*24. vers. *vidi quandoque*, qui tamen, licèt non possit esse testis ad condemnandum, potest tamen esse testis ad inquirendum, & facit indicium, maximè in criminalibus atrocibus ad veritatem indicandam: dummodò deponat de rebus, quas vidit proximus pubertati, & de illis, quæ eo tempore intelligere poterat, aliàs secùs. Est autem indubitatum apud omnes, quòd factus pubes potest testificari de his, quæ vidit in pupillari ætate, & est communis opinio, vt dicit Calcan. *cons.*110. *post num.*8. vers. *nec obstat.*

Testes inhabiles quãdo possunt, & debent admitti.

21 Circa tamen testes aduertenda sunt tria: Primum, quòd testes inhabiles possunt, & debent admitti in criminalibus ad defensam rei, vt per Specul. *in titulo, de testibus.* §. 1. vers. *sed nunquid.* Quod tamen intelligitur, vt non probent plenè:

sed

sed vt deinde, inspecta facti,& personarum qualitate, iudicis ipsius arbitrio relinquatur, quanta sit eis adhibenda fides. Secundum est, quòd in rebus difficilis probationis, quando veritas delicti aliter haberi non potest, admittuntur testes inhabiles, ne delicta defectu probationum impunita remaneant. Et est regula, quòd quando ex natura facti alij testes haberi non possunt, admittantur testes, qui aliàs prohibentur, vt tradit Decius, *cons.* 342. *num.* 9. Clar. *q.* 24. vers. *sciendum est tamen*, & Carer. *fol.* 63. *num.* 45.

Probationes quãdo sunt difficiles, admittũtur probationes minus legitimæ.

22 Quoniam in his, quæ sunt difficilis probationis, admittuntur probationes minus legitimæ, & præsumptiones, & tales probationes dicuntur claræ, & legitimæ: vt dicit Alex. *cons.* 24. & *cons.* 69. *in* 2. *vol.* Cacer. *vbi suprà, num.* 32.

Quod intelligitur, quando res, & factum de sui natura actu, & habitu esset talis, quòd per alios testes, quàm inhabiles probari non possit: ita quòd veri similiter alij testes adesse nõ possent, vt inquit Ant. de Butr. *in cap.* 3. *ext. de probat.* Marsil. *sing.* 33. Roland. *cons.* 24. *num.* 67. Nam vbi de natura actus potuissent regulariter adesse testes habiles; si non interfuerunt, non per hoc inhabiles, qui interfuerunt, admitti non debent. Facit ad hoc id, quod tradit Abbas *in cap. de cætero ext. de testibus*, qui inquit, quòd quando delictum, de quo clericus accusatur, commissum esset in loco, in quo non essent Clerici, tunc laïci possent esse testes contra Clericum, sequitur Iason. *in l. fin. in fin. Cod. de his, quibus vt indignis.* Decius *cons.* 133. *col. vlt. cum aliis.*

Tertium est, quòd cùm huiusmodi inhabilitates sint, vt plurimùm, inductæ à iure ciuili, & canonico,

canonico; sícque sint iuris solennitates, & iuris apices, huiusmodi, solennitates in puniendis Regularium excessibus non sunt obseruandæ, sicut concedit Bonifacius VIII. Ordini fratrũ Minorum, in hæc verba; *Nos vestris pijs supplicationibus inclinati vobis auctoritate Apostolica indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas, Prælati ordinis supradicti, ad quos ea spectare noscuntur, rimulis iuris, & apicibus eius postpositis liberè procedere valeant secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda Ordinis statuta, & ne huiusmodi priuilegium aditum maiorem, vt aiunt, præbeat admittendi crimina, in totum erit iudicis arbitrio relinquendum.*

23 Vt in simili inquit Panorm. *in cap. de cætero ext. de test.* & maximè cum S. Antonin. & Sylu. velint, quòd Prælati possint admittere testes aliàs inhabiles.

Prælati possunt admittere testes, aliàs inhabiles.

24 Et certè si in Religionibus non admitterentur huiusmodi testium inhabilitates, & maximè mulierum, & laicorum, infinita Religiosorum crimina remanerẽt impunita. Quinimò animum sumerent quamplurimi regulares perpetrandi multa crimina præsertim carnalia, & inhonesta, in grauissimam perniciem tum Religionis, tum animarum ipsorum regularium. Omnia ergo prædicta ponderet reus, si non vult errare in exceptionibus faciendis.

Testes inhabiles si in religione nõ admitterẽtur, infinita religiosorũ crimina remanerent impunita.

25 Potest etiam repelli testis, si in sua depositione conuincitur falsum dixisset vnde tanquàm periuro, nulla fides est ei adhibenda, vt tradit Alex. *cons.* 152. *n.* 10. *lib.* 7. qui attestatur hanc esse communem.

Falsarius non poterit esse testis.

26 Dubium tamen est, quando testis in vno falsum

Dubium.

falsum dixit, nunquid eius depositio vitiabitur in totum, ita vt nullam prorsus fidem faciat? Respon. cum Alex. *in l.1. si ex falsis. Cod. de transact.* quod sic, & dicit hanc esse communem Doctorum sententiam, cuius ratio est, quia iuramentum indiuisibile est, vnde meritò vbi testis in vno est suspectus, totum eius testimonium redditur suspectum: & quando eius dictum in vno reprobatur, non creditur ei neque in aliis, vt tradit Clarus *in quæst.* 53. vers. *sed quæro*, qui plures allegat, dicentes hanc esse communem opinionem. Quam conclusionem ipse Clarus extendit, vt procedat, siue capitula, super quibus tales testes deponunt sint separata, siue sint coniuncta, & connexa: nam vtroque casu eius testimonium tanquam vnicum, & super vnico iuramento fundatum, nihil valet.

Respon.

Limitatur. Limitatur hæc conclusio, vt intelligatur, quando testis falsum deposuit circa factum principale, vel qualitates substantiales, secùs autem si circa alia extrinseca, & accessoria: nam eo casu non dicitur falsus, nec vitiatur eius dictum, vt dicit Alex. *in cons.* 88. *num.* 19. *lib.*5. Decius *in cons.* 105. *num.* 2. quos refert, & sequitur Clarus *vbi suprà* vers. *scias tamen* qui in versu sequenti dicit, quòd prædicta omnia locum habent, quando vnus testis ab aliis de falso cõuincitur, sed quando ipsemet testis vnum dixit aliquando, & modò totum oppositum testificatur, magna est altercatio inter scribentes, an ei sit credendum, & an standum sit primæ, vel secundæ depositioni: & quia Doctores confusè circa hoc loquuntur, propterea ipse Clarus distinguit plures casus, quos hîc libui transcribere.

27 Pri

Plures casus notãdi.

27 Primus casus est, quando testis vnum dixit extra iudicium, deinde in iudicio contrarium deposuit, & in hoc casu standum est secundæ depositioni factæ in iudicio. Et hanc dicit esse communem opinionem, & allegat plures eam tenentes, & in specie Felinum *in cap. cùm in tua. num.* 10. *ext. de testibus.* qui attestatur, quòd hæc pars est communior, & verior.

1. *Casus.*

Benè verum est, quòd si testis illud, quod dixit extraiudicialiter, dixisset cum iuramento, deinde contrarium etiam deposuisset in iudicio cum iuramento, tunc fortè procederet opinio, quam tenuit Bart. *in l. eos. ff. de falsis*, quòd scil. possit de periurio condemnari, ex quo reperitur positus inter duo iuramenta contraria. Quam opinionem esse communem dicit Camerata *in suo consil. matrimoniali, post cons. Zabarellæ num.*5. quam etiam se vidisse in practica obseruari attestatur Boss. *in tit. de oppos. contra testes num.*3.

2. *Casus.*

Secundus casus est, quando testis deposuit vnum in iudicio cum iuramento, deinde extraiudicialiter illud dictum reuocauit, & tunc standum est eius primo dicto iudiciali. Et hanc inquit Boss. esse cõmunem opinionem, plures allegando eam tenentes. Quod etiam procedit etiãsi talem reuocationem faceret testis iste in articulo mortis constitutus, vt videtur tenere Bart. *in l. si quis in graui. §. si quis moriens in vltim. vers. ff. de Senatusconsul. Syllan.* qui in hoc communiter probatur, vt inquit in *l. sciendum, num.* 53. *in fin. ff. de verb. obligat.*

3. *Casus.*

Tertius casus est, quando testis in vno iudicio deponit contrarium eius, quod deposuerat in alio iudicio, & in hoc casu, cùm vtrumque di-

Cùm

ctum sit iuramentum : certum est,quod tanquàm falsarius puniri potest. Et hæc est cõmunis opinio, vt inquit Camerata *in cons.*3. *num.*5.Et in hoc

Dubium. nulla est difficultas.Sed difficultas est, quòd nam dictum attendi debet primum, an secundum ? Et

Respon. in hoc variæ sunt opiniones. Aliqui dicunt,quòd ex quo apparet, quòd in altero dicto est falsus, ei nó creditur neque in vna,neque in alia causa.Alij verò dicunt , quòd etsi testis reuocet primum dictum in iudicio , statur primo dicto : & hanc dicit esse communem opinionem Alciatus *de præsumpt. in* 2. *reg. præsumpt.* 29. *num.* 7. Quæ opinio placet Claro , quia cùm ex primo dicto iudicialiiurato , quæsitum sit ius parti : non debet illud sine eius culpa , vel facto auferri. Debilitatur tamen primum dictum quoad fidem probationis: & hanc dicit esse communem opinionem Decius *in cons.*189. *col.*3. prout illum refert Boss. *tit. de oppos it. cont. testes.*

Sed quid si testis in primo iudicio dixerit , se nihil scire ; deinde in secundo iudicio deponat de veritate facti ? Resp. Clarus *in quæst.* 53. vers. *sed quid si testis*,quod nihil probat,quod ita tenent Doctores , nullo discrepante.

4. Casus. Quartus casus est , quando testis eadem instantia, & inter easdem partes,siue personas contraria testimonia deposuit. In hoc puncto est distinguendum : nam aut testis est sibi contrarius in eadem depositione , aut in alia depositione contradicit primæ suæ depositioni. Si est contrarius in eadem depositione , dic , quòd aut testis contraria deposuit in eadem depositione, & examine sine iusta correctionis causa , & tunc illi prorsus non creditur. Et hoc omnes passim fatentur.

tur. Neque etiam reducitur ad concordiam , vt per hoc non solùm si sit manifesta contrarietas,& non de facili concordabilis ; sed etiam si sit aliquando compatibilis. Et hanc inquit , esse communem opinionem Crotus,*de testibus,num.*328. & Alex.*cons.*20.*num.*3.*lib.*4. Et ipse Clarus attestatur hanc esse opinionem tutiorem , & magis communem. Aut verò deposuit contraria in diuersis examinibus , & tunc aut deposuit contrarium secundo loco , non dicendo in specie , se errasse in prima depositione ; sed simpliciter loquendo , & tunc , si secundum dictum compatitur cum primo , debet , quantum fieri potest , reduci ad concordiam : & in hoc conueniunt communiter Doctores. Aut ipsemet testis dicit , se velle , suum primum dictum corrigere : & tunc si illud vult facere incontinenti,est admittendus,*capit.præterea, ext.de testib.cog.*

Et dicitur hoc casu incontinenti , antequàm testis ipse alloquatur partem , & hoc communiter attestatur obseruari Felin. *d. capit. præterea,num.*9. quem refert Capicius *decis.* 142. si verò vult illud corrigere ex interuallo , non auditur : sed tanquàm periurus,& falsarius puniri debet.Et in hoc conueniunt omnes Doctores : standum tamen est primæ eius depositioni.

Subdit tamen Clarus *vbi supra*,in vers.*Ego etiam puto* , quòd in huiusmodi reuocationibus multum tribuendum est arbitrio iudicis , qui considerare poterit ex illis depositionibus contrariis , quæ videatur magis verisimilis , & cum qua concurrant plura adminicula , & illi adhærere:præsertim vbi subesset aliqua species subornationis.

Scias tamen,quòd si testis primo loco deposuit

per verbum, *credo*; & secundo loco deponit per verbum *assertiuum veritatis*, eo casu semper standum est secundo dicto: ita inquit Gloss. *in l. de tutela*, vers. *proba. Cod. de integr. restitut. minor.* quæ communiter approbatur, vt inquit Clarus *in dict. q.* 53. vers. *verùm etiam volo.*

Quintus casus est, quando testis non contrariatur de directo suæ depositioni; sed negat ita se deposuisse, prout à notario scriptum reperitur, & tunc distinguendum est: nam aut tractatur de puniendo testem de falso, & hoc casu tantùm creditur testi, quantum notario: aut tractatur, cui plus crèdendum sit, an notario, qui dicit, ita testem deposuisse, vt scriptum est, an testi id neganti, & tunc plus creditur notario.

Cautela 2. Ad euitandas tamen omnes controuersias bonum esset, quòd iudices assisterent notariis recipientibus dicta testium: nam eo casu non auditur posteà testis, dicens se non ita deposuisse: sicut à notario scriptum est, præsente iudice. Imò si contrarium posteà deponit, potest de falso puniri, vt inquit Clarus ibi.

Hinc optima cautela traditur à Doctoribus, vt testi relegatur eius depositio, quam si confirmat, scribatur à notario, sic; *& relectum confirmauit*, & faciat testem subscribere propria manu, si scit scribere: sed si nescit scribere, faciat aliquod signum; putà Crucem, & dicat signum N. testis scribere nescientis: nam tunc testi neganti se non deposuisse, prout scriptum est à notario, non ita de facili creditur.

Testes plures quando dissentiunt, quid agendum.

28 Sed quid, si plures testes inter se dissenserint? S. Thom. vt refert Sot. *lib. 5. de iust. quæst. 2. art. 2.* constituit hanc regulam. Si testes actoris, &

& testes rei adinuicem fuerint discrepantes: tunc, cæteris paribus, standum est à parte rei: quoniam cùm melior sit conditio possidentis, iudex propensior esse debet ad absoluendum, quàm ad condemnandum: nisi testis pro actore faciens aliqua magna auctoritate, & dignitate, vel probitate emineret.

Si verò testes eiusdem partis inter se dissenserint, & pariter testes alterius partis inter se: tunc iudex vtri partium assentiri debeat, ex multis potest perpendere, vel ex numero testium, vel ex dignitate, vel ex fauore causæ: aut si agatur de libertate alicuius, & de aliis negotiorum qualitatibus. *Hæc S. Thom.*

Et quando testes sunt contrarij, creditur testibus verisimiliora, & aptiora deponentibus. Et de hac materia videatur etiam sanct. Anton. 3. *part. tit. 9. §. 20.* Cæpol. *cõs. 1. & cons. 62.* Marsil. *in sing. 278.* Carer. *in tract. fol. 38. num. 6.*

At verò quando testes discrepant in aliquibus circunstantiis, quæ ad substantiam causæ parùm afferunt momenti: tunc inquit S. Thom. & Sot. *vbi supra*, quòd non ideò testimonium eorum infirmatur: vt putà si vnus dicat; commisisse vna hora, veluti hora tertia, & alius dicat, hora quarta, vel quòd tempus erat obnebulosum, & alius, quod erat subclarum: aut quòd domus erat depicta, aut secùs, ad quas circunstantias non solent homines esse attenti. Secùs verò esset, si testes discreparent in substantia actus, vt putà quia vnus dicit, quòd percussit alapa, & alius quòd percussit fuste: vel in loco, & tempore, quæ sunt proximæ actionum; quia vnus dicit, quòd fuit mane, & alius quòd fuit serò, aut in agro, tunc

enim, aut testimonium refutatur, aut non satis ad sententiam facere censetur: quandoquidem iudicantur, vt testes singulares, hoc est, de diuersis actibus loqui, maximè si assertiuè loquantur tanquàm de rebus certis: nam si vnus dicat se non meminisse, non vsque adeò inficiatur eius testimonium.

Testes vt plenè probent quatuor requiruntur.

29 Pro maiori autem intelligentia eorum, quæ vltimo loco dicta sunt, sciendum, quòd, vt testes plenè probent, requiritur: Primò, vt deponant iurati. Secundò, de eodem facto. Tertiò, quòd sensu externo illud perceperint: verbi gratia, quòd viderint occidentem, furantem, audierint blasphemantem, & quartò, vt sint omni exceptione maiores.

Primum, vt sint iurati, *cap. nuper, de testib.* Ratio est, quia absque iuramento faciliùs est mentiri, quàm cum iuramento: diuini enim numinis reuerentia prohibet mentiri iuratum.

Secundum, vt de eodem facto; quia alioquin non erunt contestes, sed testes singulares, quorum alter alterius dictum non confirmat; sed vterque suum tantùm, & sic erit probatio tantùm per vnum testem: vnde debent conuenire in tempore, loco, & delicti specie: nam ex diuerso tempore, & loco colligitur, non esse idem factum, de quo deponunt.

Si tamen alter exprimat certum diem; alter verò dicat, se non meminisse, valet: secùs tamen, si alium diem exprimeret: tunc enim putaretur aliud factum, nisi id sit tale, vt non possit bis fieri. Vnde sequitur, si vnus deponat de vna propositione hæretica asserta à reo, & alius de alia, non plenè probari, hunc esse hæreticum; quia

quia neutra hæresis est plenè probata. Quare fallitur Gomezius, & Iurisperiti, quos ipse citat *in cap. 12. num. 12.* contrarium absque firma ratione, vel textu tenentes: nam quòd ipsi dicunt, hæresim continere multas species; ac proinde si vnus testis deponat de vna hæresi, & alius de alia, plenè probari delictum in genere, quod ex speciebus resultat: idem dici potest de furto, & reliquis delictis. Fatendum est tamen huiusmodi probationem esse plusquàm semiplenam; nam vtraque est semiplena: sed quia sunt de factis diuersis, non possunt vnam plenè conficere, altera tamen alteri dat nouum indicium, seu suspicionem. Vide Lessium *de accusatore, & teste, dub. 4.* Quòd si duo de eadem hæresi deponant, & solùm in tempore discrepent, plenè probant; quia in substantia delicti conueniunt, & quamuis non sit idem numero significatum, habetur pro eodem actu: imò discrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem.

Tertium est, vt sensu externo perceperint, *l. sola. Cod. de testib.* vbi Gloss. & Doctores, *capit. si testes. §. solam. 4. quæst. 3.* Ratio est; quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum: vnde si solùm ab aliis audierint, non probant plenè: sed solùm faciunt indicium ad inquirendum.

Quartum est, vt sit omni exceptione maior; quales sunt illi, contra quos nihil potest iure opponi.

Testis inhabilis facit indicium.

30 Est tamen benè notandum, quòd etsi testis minus idoneus non probet semiplenè: facit tamen aliquod indicium, quod cum aliis coniunctum sufficiat ad torturam: nisi repellatur ob subie-

ctionem, vel reuerentiam, quam debet accusatori: vt si sit seruus, vel libertus, vel filius: tunc enim nullum facit indicium; similiter si ob grauem inimicitiam.

Denique si repellatur, eò quòd sit receptus ante litem contestatam, vel parte non citata: hoc enim casu attestationes non valent, *cap. quoniam, vt lite non contest.* præterquàm in casibus ibidem, & in Gloss. exceptis. Quidam tamen dicunt, testes minùs idoneos non facere vllum indicium; si tempore depositionis pars opposuit exceptionem inhabilitatis: idque probat Gomezius, *vbi supra num.* 20. sed non puto receptum in praxi.

Aduertendum est etiam id, quod diximus suprà *in hoc eodem* §. *num.* 8. quòd testes minùs idonei admittuntur tanquàm idonei; quando delictum est commissum eo loco, & tempore; vbi copia testium haberi nequit, vt in campo, sylua, cubiculo, monte, vel nocturno tempore: cui modo; *Et nisi alter testium sit valde dignus fide*: tunc enim potest supplere defectum, qui est in altero minus idoneo; ita vt simul efficiant plenam probationem, vt tenet Bald. *in l. si quis ex argentariis.* §. 1. *Cod. de edendo.* & Doctores alij *ibidem.*

Testium crimina occulta licet aliquando reo propalare.

31 Interrogabis, an licitum sit reo occulta crimina testium detegere ad labefactandum eorum testimonium? Ad hoc dico plura.

Primò, quòd si illa crimina valeant ad infirmandum testimonium, non est contra iustitiam eam aperire: maximè si alius modus illius repellendi sit incommodus: est communis Doctorum sententia. Vide Sot. *lib.* 5. *de iust. quæst.* 7. *art.* 3. & Clarum *quæst.* 24. Ratio est, quia quisque potest seipsum tueri cum iusto moderamine eodem genere

nere armorum, quo oppugnatur: nec alter potest conqueri de iniuria, cùm sit inuasor, & sponte huic periculo se exponat, hoc ipso, quòd testatur, vel accusat.

Talia crimina sunt, periurium, crimen falsi, & omnia, ob quæ incurritur ipso facto excommunicatio, si nondum est absolutus: denique omnia, ob quæ incurritur infamia iuris, vel facti.

Secundò dico, quòd fieri potest, vt sit contra charitatem talia crimina patefacere. Primò, si testis sponte non se ingessit: sed coactus à iudice, & crimen, quod ei obiicitur, est graue, ob quod capite est plectendus; vel huiusmodi: causa verò rei non sit magni momenti. Quòd si spontè se obtulisset ad testificandum, non esset tanta ratio habenda istius incommodi: sibi enim imputare debet illud detrimentum, quod per alterius exceptionem incurrit. Secundò, si alia ratione minùs noxia poterit eum repellere, vt si sit consanguineus, vel affinis actoris, vel de eius familia: si testis sit tibi inimicus, vel pauper: si mente non firma, si impuber, & in causa criminali, si nondum est viginti annorum, de quibus supra dictum est.

32 Dices, quando reus testem aliter repellere potest, videtur esse contra iustitiam, si occulta eius crimina pandat: quia si ratione minùs noxia se possit tueri; non habet ius vtendi defensione nocentiore: sicut qui inuasorem minore incommodo potest repellere, nõ potest ei grauem læsionem irrogare. Resp. reum habere ius repellendi testem quocunque modo magis idoneo: cùm testis hoc ipso, quòd vult testari, videatur cedere iuri suo, & permittere reo, vt omni modo qui ipsi erit commodior, se tueatur. In illo tamen modo tenetur

Dubium.

Respons.

non excedere debitam moderationem: sicut is, qui inuaditur armis, non tenetur ex iustitia fugere, aut terrere inuasorem clamoribus: præsertim quando hæc decorè facere non potest, sed potest se armis tueri, faciendo id, quod necessarium est ad euasionem, quamuis aliquando ex charitate possit obligari, vt alio modo vtatur.

Reus an peccet impingendo testi aliquod crimen.

33 Petes, an si reus impingat accusatori crimen mendacij, seu calumniæ, an peccet, & teneatur ad restitutionem? Ad hoc dico primò, quòd reus saltem ex charitate tenetur ita respondere, & se defendere, vt quàm minimùm accusatorem lædat: vt si de occulto accusetur, sufficit vt simpliciter neget. Quare abstinendum est ab illa verborum asperitate, qua calumniæ, vel mendacij crimen accusatori ingeritur: nam contra charitatem est, si proximo maius malum inferas, quàm ad tui defensionem sit necessarium.

Secundò dico, reus accusatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iustitiam, etiamsi neget crimen: imò etiam si dicat accusatorem mentiri & calumniari: ita Sylu. verb. *rest.* 3. *quæst.* 3. Nauarr. *cap.* 18. *num.* 49. Petr. Nau. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 348. & colligitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. vbi dicit, *reum se posse tueri quacunque via, modò non dicat mendacium:* atqui, dum dicit talem accusatorem mentiri, & calumniari, non dicit mendacium: nam qui accusat de eo, quod probare non potest, calumniator præsumitur, vt dicit Glossa *in capit.* 2. *de calumniator.* Ac proinde etiam censetur mentiri. Præterea, quia contra mentem, seu contra dictamen conscientiæ suæ loquitur: tùm quia falsum præsumitur in iudicio, quod probari nequit.

34 Idem

34 Idem quoque dicendum esse docent Doctores de eo, qui etiam extra iudicium negat se dixisse, aut fecisse quippiam, vel tanquam amico ex confidentia tibi patefeci, & tu id alteri referas, qui inde grauiter offendetur: tunc enim si ille mecum de eo expostulet, possum negare me dixisse, conuenienti modo, intelligendo, vt mendacium vitetur: negando enim vtor iure meo, quisque enim ius habet sua occulta delicta & facta vnde nasceretur offensio, tegendi quantum potest. Quòd si iniquo delatori inde aliquid obueniat incommodi: id sibi ipse imputet, vt rectè docet Petr. de Nauarr. *libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 348. secùs quando alter poterat licitè patefacere, tunc enim fieret ei iniuria, si negaretur: nam sine sua culpa infamaretur, vt mendax.

§. VI.

De exceptionibus contra processum.

SVMMARIVM.

1 *Iudicij, seu processus quædam sunt de solemnitate, quædam de essentia.*
2 *De essentia iudicij quatuor.*
3 *Ad accusationem necessaria sex.*
4 *Exceptiones in processu facto ad instantiam partis.*
5 *Infamia iuris quæ.*
6 *Infamia facti quæ.*
7 *Inter regulares quando incurritur infamia.*
8 *Infamiæ facti quis effectus.*
9 *Infamia facti quomodo tollitur.*
10 *Infamia iuris quomodo tollitur.*

11 *Accusare qui prohibeantur ex lege.*
12 *Inimicus quando possit accusare.*
13 *In criminibus exceptis omnes admittuntur ad accusandum.*
14 *Accusare tenetur quilibet pro bono Reipublicæ.*
15 *Processus ex officio requirit, vt præcedat infamia.*
16 *Infamia ortum debet habere à fide dignis.*
17 *Infamia debet probari per duos testes.*
18 *Processus factus de mandato Principis non requirit diffamationem.*
19 *Delegatus à Principe quando teneatur cognoscere de infamia.*
20 *Alciatus reijcitur.*
21 *Alciatus iterùm reijcitur.*
22 *Praxis iudicum sæcularium an probanda.*
23 *Praxis illa non est omnino damnanda.*
24 *Fiscales curiæ denuntiant.*
25 *Iudex ex se nunquam potest incipere inquisitionem, sed semper debet aliquid præcedere.*
26 *Theologi, & Canonistæ, qui aliter sentire videntur, interpretantur.*
27 *Ad canones respondetur.*
28 *Rationibus fit satis.*

SExtò potest reus excipere contra actitationem processus, circa quam multæ nullitates occurrere possunt, de quibus loquitur Clarus *in q.* 50. *per totum*, & alij consimiles Criminalistæ. Nos claritatis gratia disseremus primò de substantialibus, seu essentialibus processus, vel iudicij: nam ex illorum defectu vnusquisque poterit iudicare de nullitatibus.

Iudicij seu processus quædam de solennitate, quædam de essentia.

1 Vnde sciendum, quòd in iudicio quædam ad solennitatem spectant, quædam verò ad substantiam,

stantiam, & essentiam ipsius. Ea dicuntur ad iudicij solennitatem pertinere, quæ sunt iuris positiui ciuilis, vel etiam canonici, vt sunt citationum interualla, contestatio litis, dilationes, interlocutoria, & cætera huiusmodi. Ea dicuntur substantialia, & essentialia iudicij, quæ sunt de iure Diuino, naturali, vel gentium, vt declarat Panorm. *in cap. delicti, extr. de iudic.* & Sylu. *verbo, iudex* 2. *q.* 7. D. Anton. *in* 3. *p. tit.* 9. *cap.* 15. §. 6. & Nauarr. *cons.* 1. *in fine de sent. & re iudic.* vbi inquit, quòd fratres Minores in iudiciis suis debent seruare ea, quæ sunt iure naturali, & Diuino necessaria, & sufficientia ad inquisitionem, & inuentionem iustitiæ. Idem etiam docet *in cons.* 5. *num.* 10. *de appellat. in fine.*

De solennitate quæ. *De essentia quæ.*

2 Hæc verò in genere sunt quatuor. Primum, vt contra aliquem non procedatur: nisi accusatum, denuntiatum, aut infamatum iuxta tres modos procedendi à iure statutos, per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem, de quibus suprà in principio huius tractatus. Secundum, vt testes examinentur cum iuramento. Tertium, vt absens vocetur. Quartum, vt indefensus non condemnetur, nisi fuerit contumax.

De essentia iudicij quatuor.

3 Sunt autem ad accusationẽ hæc omnia necessaria, vt dictum est suprà. Primò, fiat in scriptis. Secundò vt exprimatur dies, & annus quo intentatur. Tertiò, nomen accusatoris, & accusati. Quartò, species delicti. Quintò locus, & tempus: nempe annus, & mensis, quo delictum commissum est. Sextò, inscriptio accusantis. Vide suprà in hoc eod. tractat. de iudic. regul. *De accusatione, in princip.* si ergo deficiat processus in aliquo istorum, reus habebit exceptionem.

Ad accusationem necessaria sex.

4 Præ

Exceptiones in processu facto ad instantiam partis.

4 Præterea sciendum, quòd processus vel factus est ad instantiam partis, vel iudex fecit illum ex officio. Si ad instantiam partis, possunt in eo reperiri multæ exceptiones.

Primò enim non admittitur accusare inimicus, vt suprà dictum est: nisi quando agit de proprio interesse, si arbitrio iudicis talis iudicatur, & quis sit inimicus diximus suprà ex Pegna *in* §. 4. *num.* 5.

Secundò, neque admittitur infamis *l. quia accusatorem. ff. de accusat. cap. prohibentur*, & gloss. *in cap. pri. de accusat.* quæ sentit, quòd etiam infamis infamia facti repellitur ab accusando: quam gloss. esse seruandam iure Pontificio, tenet Panorm. communiter receptus *ibid.* & Nauar. *cons.* 3. *num.* 2. *tit. de accusat.*

Infamia iuris quæ.

5 Quis autem dicatur infamis infamia iuris, vel facti, dicam breuiter. Infamia iuris ea vocatur, quæ à iure introducta est: & cùm duplex sit ius ciuile scilicet, & canonicum, duplex quoque erit infamia iuris ciuilis nempe, & canonici.

Infamia iuris ciuilis, siue à iure ciuili introducta incurritur. Primò, per sententiam diffinitiuam (non tamen per interlocutoriam, vel arbitri) iudicis propter crimen publicum, vel priuatum, vt furti, homicidij stupri, falsi, & aliorum quorumcunque criminum, siue delictorum. *cap. infames* 3. *q.* 7. §. *porrò cap. cùm te, de re iudic. l. quid ergo.* §. *ex compromisso & seq. ff. de ijs, qui notantur infamia.* Innoc. *in cap. qualiter, & quando* 2. *de accusat.* Secundò, incurritur ipso facto in casibus, in quibus iure tale quid operanti irrogatur infamia, vtputà qui pugnat in arena text. ex gloss. *cap. infames vbi suprà* vsurarius improbum fœnus exercens *cap. vsurarum* 3. *q.* 7. in adulterio deprehensus *l. palam.* §. *quæ in adulterio. ff. de ritu nupt.* qui cum duabus viuentibus nupsit. *l. quod igitur. ff. de his, qui not. infamia cap. nuper à nobis de bigamis.* conuictus de furto. gloss. *in cap. infames.* §. *porrò* 3. *q.* 7.

Infamia facti quæ.

6 Infamia verò facti dicitur illa, quæ propter aliquod turpe factum incurritur, siue per homicidium, siue per lenocinium, siue per adulterium, & huiusmodi: quæ quidem infamia incurritur non solùm propter crimina, verùm & quandoque propterea quòd iustè quis ad pœnam carceratus est, vel à testimonio ferendo repulsus, *cap. testimonium, de test.* aliisque modis, & casibus, de quibus vide apud Summistas verbo, *infamia.*

Inter regulares quãdo incurritur infamia.

7 Inter regulares incurritur infamia in omnibus casibus supradictis, ex sententia videlicet, aut facto ipso iure infamia notato, & etiam ex publica pœnitentia, ex deiectione à gradu professionis, ex priuatione actiuæ, & passiuæ vocis, ex priuatione officij, & dignitatis, ex mancipatione alicuius carceribus. Vide Victorinum Auersanum in modo procedendi in causis Regularium, *cap.* 23. *num.* 13. & Hostiens. *in summa tit. de maledicis.*

Infamia facti quis effectus.

8 Infamia facti repellit quemcunque illa notatum à dignitatibus, *cap. inter dilectos. de excess. prælatorum, & cap. infamibus de reg. iur. in* 6. à testimonio quoque ferendo, *cap. null.* 3. *quæst.* 4. à promotione quoque ad ordines, *cap. tantis Daniel* 81. *dist. & cap. omnipotens Deus. de accusat.* Vide Sylu. verbo, infamia *num.* 6. *Tab. eod. num.* 4. Ang. *eod. num.* 3.

Infamia facti quomodo tollitur.

9 Infamia facti tollitur per contrarium factũ Panorm. *in cap. diligenti, de simon.* vel per emendationem

dationem vitæ. Armilla verbo, *infamia num.* 10. Nauarr. *conſ.* 3. *de rapt. num.* 2. vel per ipſiuſmet Principis, alteriuſque ſuperioris ad illud iuriſdictionem habentis diſpenſationem, Panorm. *in cap. cùm te de ſent. & re iudic.*

Infamia iuris quomodo tollitur.

10 Iuris infamiam tollit ſolus Princeps cum ſibi ſubiectis. *cap. cùm te, vbi ſuprà.* Nauarr. *vbi ſuprà num.* 3. Farinac. *q.* 6. *num.* 45. Et verò infamiam, quam regulares iucurrunt propter ſuperiùs dicta, quæ iure communi nequaquàm incurritur, tollere, ac diſpenſare valet Capitulum Generale, ſiue etiam Generalis cum diffinitoribus Capituli Generalis. Victorinus *vbi ſupra, num.* 4. & Panorm. *in præced. c. cùm te.*

Accuſare qui prohibeantur ex lege.

11 Tertiò, neque conſpiratores admittuntur ad accuſandum 1. *cap. cùm oporteat, & cap. cùm dilectus. de accuſat. cap. per tuas de ſimonia.* Panorm. *in cap. cum l. & A. de re iudic.* Specul. 3. *part. tit. de accuſat. §. tertiò videndum & nota.* Verùm & reus exceptiones inuenire poſſit, ſi quæ fuerint ex hoc capite ad ſe defendendum, nota quòd per leges, & canones plures vetantur accuſare. Primò, inimici. Secundò, ſuſpecti. Tertiò, de domo inimici prodeuntes. Quartò, qui cum inimicis commorantur familiariter. Quintò, conſanguinei inimicorum. Sextò, laici contra clericos. Septimò, excommunicati. Octauò criminoſi. Nonò, infames. Decimò calumniatores. Vndecimò, inopes. Duodecimò, dominus aduerſarij. Decimotertiò, accuſatus nequit accuſatorem reaccuſare. Decimoquartò, impubes. Decimoquintò, mulier, de quibus dictum eſt *in præced.* §.

Inimicus quãdo poſſit accuſare.

12 Notandum eſt tamen primò, quòd ſi ſuam, vel ſuorum iniuriam quis proſequatur, quiſquis ille

ille ſit, etiam inimicus capitalis, accuſare quemlibet poteſt; modò ſit iudicij capax, vt omnes præcitati Doctores fatentur, & probat Farinac. *in quæſt.* 12. *num.* 57. Idque ratio ipſa naturalis dictat vt qui offenſus eſt vel in ſe ipſo, vel in ſuis, tueri ſe, ſuóſque mediante iuſtitia queat.

In criminibus exceptis omnes admittũtur ad accuſandum.

13 Notandum ſecundò, quòd in criminibus exceptis, quæ in Reipublicæ ſunt detrimentum, qualia ſunt hæreſis, ſimoniæ, perduellionis, læſæ Maieſtatis, ſacrilegij, dilapidationis bonorum Eccleſiæ, & Reipublicæ, omnes ad accuſationem admittuntur. Et à ſimili quoque regulares, quando relaxationes publicas viderent contra eorum regulas, vel ſtatuta: ſolùm excipiuntur inimici, ſuſpecti, & conſpiratores, vt dictum eſt ſuprà.

Accuſare tenetur quilibet pro bono Reipublicæ.

14 Notandum tertiò, quòd quilibet accuſare tenetur: quando crimen eiuſmodi eſt, quod in Reipublicæ detrimentum redundat: ſeu quando delictum eſt publicum, & ſufficienter probatum ſit. *de iuſt. lib.* 5. *quæſt.* 5. *art.* 1. Vbi verò de priuato delicto agitur, quod eſt, cùm in priuatarum tantùm perſonarum vergit detrimentum, vel etiam cùm tractatur de publico delicto, ſi deſint probationes, nullus accuſare tenetur *cap. plerúmque* 2. *quæſt.* 7. Bart. *in l. eum. ff. de accuſat. num.* 2. & Doctores ſupra citati. Ex prædictis ergo ſciet reus quando, & quomodo poterit excipere contra accuſatorem, quando proceſſus factus eſt ad inſtantiam partis.

Proceſſus ex officio requirit, vt præcedat infamia.

15 Quando verò proceſſus fit ex officio, tunc neceſſe eſt, vt præcedat infamia, & clamoroſa inſinuatio, quæ famam ipſam ad aures iudicis referat: non vna vice tantùm; ſed pluribus, ac ſæpiùs;

sæpiùs, vt expresè inquit text. *in cap. qualiter, & quando 2. de excusat.* Non est autem determinatum, quoties requiratur, quòd clamor, & infamia ad aures iudicis perueniant ad hoc, quòd possit ex officio contra aliquem inquirere, vnde hoc erit ad arbitrium iudicis, & ita tenent communiter Doctores, vt inquit Marianus *in d. cap. quàliter, & quando.*

Nota. Est tamen obseruandum, quòd prædicta procedere debent, quando inquisitio fit contra Prælatum; in eo enim casu non sufficit simplex fama, sed requiritur, quòd sit talis, quæ non possit sine scandalo, & periculo tolerari, secùs autem, quando inquisitio fit contra subditum: tunc enim sufficit, quòd fama præcedat, etiam quòd non sit scandalosa, & periculosa, atque ita tenent communiter Doctores, vt inquit Clarus *quæst. 7.* vers. *Item quæro.* Sot. *de rat. teg. membr. 2. quæst. 6. concluſ. 1. dub. 3.*

Infamia ortum habere debet à fide dignis. 16 Debet autem hæc fama habere ortum à personis fide dignis, & probis: non autem à maleuolis, & indignis: vt omnes fatentur, & est text. *in d. cap. qualiter & quando.*

Infamia debet probari per duos testes. 17 Et insuper debet probari, saltem per duos testes, & nõ per pauciores, & in hoc omnes concordant, inquit Clar. *vbi supra* vers. *sciendum est tamen* & tales testes debent rationem reddere sufficientem scientiæ de tali fama, aliàs non probant, vt dicit Bart. *in l. de minore. §. plurimum. ff. de quæst.* atque adeò, si fuerint interrogati, debent nominare à quibus audierint, vt sciatur, famam habuisse originem ab honestis, & probis, & testes non fingere, vnde si eos non nominarent: non probarent in criminalibus, vt dicit Bart. *vbi supra*

supra, & ante eum Innoc. *in d. cap. qualiter, & quando.* Animaduertat ergo reus, & ponderet, si fama contra ipsum habuerit ortum à maleuolis, & debito studio à talibus sit disseminata, & habebit exceptionem.

Processus factus de mandato Principis nõ requirit diffamationem. Limitatio. 18 Dubitatur hîc; An ea, quæ dicta sunt de infamiæ præcessione ante processus inceptionem, habeant locum, quando inquisitio, seu processus formatur de mandato, aut cum scientia Principis. Ad hoc respondeo cum Claro *in q. 6.* vers. *Præterea scias*, quòd in tali casu non requiritur, quòd præcedat aliqua diffamatio, hoc autem intelligitur, quando tale mandatum emanauit motu proprio: secùs verò si ad instantiam partis: nam eo casu adhuc præcedere debet diffamatio, ita tenet Glos. *in cap. 2.* in verbo, *fuerat, de accusat. in 6* quæ in hoc communiter à scribentibus approbatur, vt dicit Marsi. *in pract. crimin. in §. constante post num. 22.* vers. *sed hanc tantùm.*

Delegatus, à Principe quando teneatur cognoscere de infamia. 19 Ex dictis infertur, quòd Commissarius simpliciter deputatus à principe, vel à superiore ad inquirendum, tenetur priùs cognoscere de infamia: vt rectè Salic. *in l. ea quidem, num. 44. C. de accusat.* & ante illum Bald. *in l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de dam. infe.* quòd etiam statuto, vt super quolibet crimine, liceret inquirere; non tamen licet, nisi præcedente infamia, & id seruat consuetudo vbique terrarum recepta, secundùm Ioan. Fabr. *in d. l. ea quidem*, & meritò; quia inferior principe statutorum auctore, non potest limitare legem naturæ, etiam cum causa, per illa multa, quæ tradit in hoc Felinus *in cap. quod in Ecclesiarum, de constit. num. 32.* Et licèt Bald. contrarium teneat *in l. nullus 6. ad leg. Iuliam Maiestatis*, nihilominùs Alex.

in conſ. 179. in cauſa Anglorum, probatus à Decio *in conſ.* 120. reſpondet, debere limitari, vt tantùm procedat, quando exprimitur in commiſſione, conſtare principi de fama. Et idem habet Innoc. *in cap. cùm oporteat, de accuſat.* in hæc verba; *Si non fiat mentio in literis de aliquo denunciante; ſed tantùm dictum ſit, Ad audientiam noſtram peruenit; tunc poterit procedere ſine aliqua inquiſitione famæ.* Sic ille.

Inquiſiturus ergo ſpecialiter virtute infamiæ, vel alicuius ei æquipollentis, debet in primis ſuper ipſa informationem accipere: quod tenuit Aug. contra Angelum *in lib. de malefic. col.* 18. verſ. *tu autem:* probatum ab Alex. *in cap.* 1. *de offic. ordin.*

Alciatus reiicitur.

20 Nec aſſentiendum eſt Alciato, quatenùs dixit *in d. c.* 1. *de offic. ordin.* poſſe contra Regulares inquiri, non præcedente infamia, tum quia, eodem præcepto decalogi octauo vetatur infamatio eorum, quo reliquorum; imò magis, quia cæteris paribus eorum fama magis ſeruanda, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. relato à Nauar. *in cap. inter verba, concl.* 6. *& in cap.* 18. *Man. num.* 43. Tùm quia licèt Ioan. Andr. *in cap. olim. col.* 2. *de accuſat.* id dixerit; non tamen probauit, quia textus *cap. in ſingulis, de ſtat. Monach.* quem in id citat, loquitur de generali inquiſitione, de qua nemo dubitat, non prærequirere infamiam, nos autem de ſpeciali inquiſitione agimus. Tum quia, licèt ordo procedendi contra Regulares non ſeruetur adeò ſtrictè, ac contra ſæculares, ad alia, *cap. qualiter, & quando* 2. *ſub finẽ de accuſ.* quoad hoc tamen ſic, vt clarè ſentit S. Tho. 2. 2. *q.* 33. vbi etiam Caiet. & Sot. *de rat. teg. membr.* 2. *q.* 6. §. 15.

Alciatus iterum reiicitur.

21 Sed neque ſequendus eſt idem Alciatus, qui paulò pòſt dixit, poſſe in omnibus criminibus

bus atrocibus abſque infamia inquiri: quod & ante ipſum dixerat Angel. *in l. ſi vacantia. C. de bon. vacan.* efficaciter ab Aret. *in d. c. qualiter, & quando confutatus.* Sed neque quod poſteà (cum dubitatione tamen) tenuit, quòd toties poteſt iudex inquirere ſine infamia, quoties non præſumitur calumniosè id facere: tum ob ea, quæ dicit Salicet. *in l. ea quidem, col.* 8. *C. de accuſat.* & Aretin. *in d. cap. qualiter, & quando, num* 59. tum quia ratio, cur vetatur iudex inquirere, non eſt; quia præſumitur calumniari, vt Bart. quem ipſe citat, ait *in* §. *ſi publico, in l.* 2. *ff. de adult.* ſed quia iure naturali incluſo in octauo præcepto decalogi prohibetur. Vide Nau. *in rubr. de iudic. ſub num* 91.

Praxis iudicum ſæcularium an probanda.

22 Sed vtrùm probanda ſit praxis iudicum ſæcularium, qui ex denuntiatione publici officialis ad id muneris deputati, vulgò dicitur, *Fiſcale*, vel alicuius priuati, aut ad querelam partis offenſæ; quæ tamen onus probandi in ſe ſuſcipere non vult, procedunt ad capiendas informationes, & indicia, quibus habitis firmant libellum inquiſitionis. Ex doctrina enim Theologorum, & Canoniſtarum videri poſſet alicui hæc praxis damnanda, qui docent ſine præuia infamia, vel æquipollenti, non poſſe procedi ad inquiſitionem, *cap. inquiſitionis.* §. 3. *de accuſat. cap. qualiter, & quando, de accuſat.*

Et ratio videtur fauere, quia licèt regulariter vtilis ſit Reipublicæ criminum punitio, id tamen verum non eſt, quando crimina ſunt occulta: & non eſt accuſator verus, vel fictus, tunc enim vtilior eſt Reipublicę quieta conſeruatio famæ, & honoris ſubditorum, quàm punitio, qua turbatur Reſpublica, & illi priuantur maximis

suis bonis, honore,& fama. Hinc infert Nauarr. legem de non damnando sine infamia, vel alio æquipollenti, esse naturalem, & Diuinam: ac proinde nulla contraria consuetudine posse abrogari.

Praxis illa omninò non est damnãda.

23 Verius tamen existimo, illam praxim non esse damnandam, si circumspectè, & secundùm leges, vel consuetudines in prouinciis receptas, fiat: idque in grauibus causis, (vt in furtis,homicidiis, sacrilegiis, incestibus, aliisve criminibus rempublicam turbantibus) & non ad nudam punitionem;sed quia censetur necessarium bono reipublicæ.Probatur verò intentum.

Primò, quia est praxis iudicum sæcularium timentium Deum in omnibus penè prouinciis,& maximè per Italiam recepta, vt testatur Clarus *q.3.*neque tamen à summo Pontifice, vel Episcopis idcircò reprehenduntur, aut censentur in malo statu.

Secundò, vt fiat inquisitio sine infamia auctoris præuia, non est iuris Diuini, aut naturalis, sed est iuris positiui humani, vt fatetur Sot.*de rat. teg.m.2.q.6.dub.2.* inde infert, Papam in Ecclesia, & Principem in suo foro posse ex causa rationabili in eo dispensare. Vnde etiamsi esset iuris naturalis, vt non fiat inquisitio absque præuia infamia, id tamen esset intelligendum: nisi Respublica, vel ipse inquirendus cesserit iuri suo:quod enim illud sit illicitum, prouenit ex iure, quod quisque habet ad famam suam: cui iuri si cesserit, non erit illicitum: atqui Respublica videtur cessisse iuri suo, dum probat tales inquisitiones,eásque cupit fieri;ergo non sunt illicitæ.

24 Præterea hic modus videtur necessarius ad plurimas

plurimas iniurias, maleficiáque prohibenda, & ad innocentiam illæsam præstandam: cùm enim pauci sint, qui velint accusare, & sæpè ex maleficio non sequatur infamia, sine metu improbi viris probis, & religiosis iniurias, & damna inferrent,quam ob causam multis locis constituuntur officiales publici, (*Fiscales*) qui denuntient iudicibus ea, quæ viderunt, vel audierunt, & iudicant à quibus pleniorem informationem habere possint: quæ res mirificè maleficos terret, & coërcet: etsi enim sibi persuadeant, eos, qui iniuria affecti sunt, aut alios, qui interfuerint,non accusatos;tamen valde metuunt, ne per hunc officialem ad iudicem res deferatur: qui deinde pleniorem informationem à testibus oculatis accipiet.

Fiscales curiæ denuntiant.

Iudex ex se nunquam potest incipere inquisitionem,sed semper debet aliquid præcedere.

25 Aduerte tamen primò, iudicem non posse vnquàm ex se ipso incipere inquisitionem; sed semper debere aliquid præcedere, quod inquisitioni viam aperiat, & iudicem cogat, vt ex officio procedat, vt notitia publica, infamia,suspicio communis, querela partis, denuntiatio officialis, aut simile quiddam: alioquin totus processus esset iure nullus.Clar.*quæst.5. num.4.* Vnde non potest procedere ex delatione facta ei,non vt iudici; sed vt priuato, vel in certo auctore, vel suppresso nomine: etiam si in schedula nominarentur testes, qui nossent factum, vt idem docet, & exemplis declarat: quòd ideò statutum est, ne iudices possint pro arbitrio impetere quos volent: & quia illis casibus idem esset accusator,& iudex, quod iure gentium reprobatur. Secundò, antequàm iudex inquirat de persona, priuatas informationes capiendo, debere aliquo modo ei constare

ſtare de crimine ; an ſit commiſſum, vnde ſi crimen relinquat veſtigium, debet id priùs inſpici, vel curare inſpici, prout fert rei conditio: ſi autem non relinquit, ſufficit denuntiatio, vel querela ad capiendam informationem, vt dictum eſt *in* §. *primo*.

Vbi iam conſtat de delicto commiſſo, ſi nihil ſciatur de auctore, poteſt de eo generatim inquirere, & habito aliquo indicio, vocare illum ad ſe defendendum, inſtituturus contra eum inquiſitionem particularem, vt docet Clar. *quæſt.* 5. ex Innoc. III. & aliis.

Theologi, & Canoniſtæ, qui aliter ſentire videntur, interpretantur.

26 Neque prædictis obſtat communis Theologorum, & Canoniſtarum doctrina, (à qua in re tanti momenti non eſt recedendum) qui docent non eſſe procedendum ad inquiſitionem ſpecialem ; niſi præuia infamia : quia id intelligendum eſt, quando ſolùm intenditur punitio criminis: neque inquiſitio putatur neceſſaria ad bonum Reipublicæ, & mali repreſſionem : hoc autem prædicta ſententia non negat, & hoc modo videntur iſtæ ſententiæ poſſe conciliari.

Ad canones reſpondetur.

27 Ad Canones autem in principio citatos reſponderi poteſt. Primò canones illos loqui de iudice Eccleſiaſtico, qui non debet procedere ad inquiſitionem abſque præuia infamia, & clamoroſa inſinuatione, qua reus ſæpiùs ad aures ipſius deferatur : horum enim infamia plus ſcandalizat ſæculares, quàm caſtigatio ædificat, & quia faciliùs correptione fraterna emendari ſolent, & quia denique Prælatorum potiùs eſt in ſpiritu lenitatis ſubditos quoſuis, etiam ſæculares corripere, quàm aſperitate pœnarum ſæuire ; vnde Canones iubent, vt non ad primam famæ inſinuationem inquirant;

quirant; ſed tum demùm, quando ſæpiùs eorum aures pulſauerit: quod tamen minimè neceſſarium videtur in iudicibus ſæcularibus. Rurſus iubent, vt depoſitiones contra eum, qui infamia non laborat, minimè recipiantur, etiamſi tres, vel plures iurati affirment, ſe vidiſſe illum, crimen committentem, vt patet per *c. inquiſitionis de accuſat.* quod etiam minimè locum habet in iudice ſæculari: hic enim ſtatim per ſuum fiſcalé debet cauſam proſequi, etiamſi tantùm eſſent duo teſtes iurati, alioquin à Principe punietur. Denique iubent, vt accuſationem præcedat legitima inſcriptio, & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio: at ſi hoc in foro externo ſeruaretur, rarò poſſent delicta puniri : rariſſimè enim ſunt, qui ſe velint inſcribere, id eſt ſub pœna talionis ſuſcipere onus probandi. Imò in multis regnis non permittitur ; niſi in ſuis, & ſuorum iniuriis, vel in cauſa ciuili.

Rationibus ſit ſatis.

28 Ad rationes adductas dicó, quòd verè prohibemur iure naturæ inordinatè aliquem infamare, aut dare cauſam infamandi : ſed negamus illos iudices inordinatè id facere, ſicut enim qui accuſat aliquem de crimine occulto, quod teſtibus, vel ſufficientibus indiciis probare poteſt, non infamat illum inordinatè : ſic neque iudex, qui ex denuntiatione informationes capit : nam habet cauſam iuſtam id faciendi; nempè vt criminoſi non inualeſcant : vt innocentia in Republica ſit tuta, vt omnes ſecurè, & tranquillè degant. Debet tamen iudex vti magna prudentia, & habere rationem perſonarum, & donec videat, an res probari poſſit, eo modo capere informationes, vt quàm minimùm fama lædatur: vnde ſi videt, eam probari non poſſe, debet deſiſtere. Idem dicēdum eſt de fiſcali,

qui grauiter peccat, si accusationem suscipiat, cuius probationem putat sibi defecturam.

§. VII.

De exceptionibus contra propriam Confessionem.

SVMMARIVM.

1 *Contra propriam confessionem potest excipi, quòd facta sit extraiudicialiter.*
2 *Quòd iudex non erat competens.*
3 *Quòd non sit seruatus iuris ordo; ad quod tria concurrere debent.*
4 *Ad iudicium tria requiruntur.*
5 *Iudices quando peccant.*
6 *Quinque modis potest quis alteri esse subiectus.*
7 *Iudices sæculares peccant iudicando clericos.*
8 *Clerici non possunt eorum priuilegio renuntiare.*
9 *Clerici possunt in ciuilibus subiici iudici sæculari, tanquam arbitro.*
10 *Iudex extrahens eum, qui ad Ecclesiam confugit, peccat.*
11 *Iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere.*
12 *Potest excipere quòd iudex non sederit pro tribunali.*
13 *Quòd confessio fuerit extorta cum promissionibus.*
14 *Iudex an possit facere tales promissiones.*
15 *Iudex an teneatur seruare tales promissiones.*
16 *Potest excipere quòd non constat de corpore delicti.*
17 *Quòd non fuerit seruatus iuris ordo.*
18 *Quòd id fecerit ad sui defensionem.*
19 *Moderamen inculpatæ tutelæ circa tria consistit.*
20 *Pro defensione pudicitiæ licet inuasorem occidere.*
21 *Pro defensione proprij honoris licet inuasorem occidere.*
22 *Pro defensione consanguineorum licet aliũ occidere.*
23 *Quomodo poterit probare, quod fecerit ad sui defensionem.*
24 *Potest reus reuocare suam confessionem.*
25 *Explicatur de qua confessione intelligantur prædicta.*

SEptimò, potest reus se defendere etiam contra propriam confessionem excipiendo contra ipsam: & hoc multis modis, de quibus abundè Clarus *in q. 55. vsque ad 60. inclusiuè.* Aretin. *in sua pract. crimin. fol. 273.* & alij communiter: nos selectiora hîc breuiter tangemus. *Contra propriam confessionẽ exceptiones.*

1 Primò, potest dicere, quòd talis confessio fuit extraiudicialis, quæ non sufficit ad probationem delicti. Et ita communiter dicitur, vt ait Paris de Puteo, *de syndic. fol. 439. cap. 3. in primis verbis.* Bene verum est, quòd talis confessio extraiudicialis sufficit ad torturam, vt dicit Clar. *in q. 21. vers. confessio extraiudic.* *1. Quòd extraiudicialis.*

2 Potest dicere etiam, quòd iudex non erat competens, etenim confessio facta coram iudice non competente, nõ valet in vim iudicialis confessionis, sed tantùm valet, vt extraiudicialis. Et hæc est communis opinio, vt dicit Aret. *cons. 26. cir. fin.* & ideò non sufficit ad probationem delicti, sed bene sufficit ad torturam. *2. Quòd iudex nõ erat competens.*

3 Tunc autem secundùm iuris ordinem interrogatur reus, vt dicit Nauar. *in Man. cap. 25. n. 36.* cùm tria concurrunt. Primùm, vt delictum sit notorium, famosum, aut semiprobatum, quod contingit, *3. Quòd nõ sit seruatus iuris ordo, ad quod tria concurrere debent.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tingit, quando vnus est testis oculatus, & omni exceptione maior, aut vnum indicium, vel plura æquipollentia, vt sentit Bart. *in l. fin. num. 7. ff. de quæst.* Secundùm, vt posita sit probatio iam in processu. Tertiùm, vt sic reo notificata, quòd videat, se ad obediendum mandato iudicis teneri, secundùm vtrumque Thomam *in 2.2.q. 69. art. 1.*

Ad iudiciũ tria requiruntur.

4 Notandum est etiam, quòd tria requiruntur ad iustum iudicium ex D. Thom. *q. 60. art. 2.* Primò, certitudo in cognitione causæ, & defectu huius iudicium dicitur temerarium. Secundò, iustitia in ipso actu iudicij, id est, vt seruetur æqualitas in iure suum cuique reddendo, ad hoc requiritur, tum vt iudicetur secundùm leges, tum vt seruetur ordo iuris, id est, ordinata ratio procedendi à iure iudicibus præscripta, & defectu huius, iudicium dicitur peruersum, & iniquum. Tertiò, auctoritas in iudicante: qui enim auctoritate caret, siue in personas iudicandas, siue in causam, (vt si sit exempta) iniuriam facit, tum partibus causæ illarum se ingerendo, tum legitimo iudici, cuius potestatem, & officium sibi assumit, huius defectu iudicium dicitur vsurpatum, vel præsumptum.

Iudices quando peccant.

5 Dico igitur, omnes eos peccare vsurpatione iudicij, qui iudicant eum, qui vel absolutè non est ipsis subditus, vel non in iis causis, in quibus eum iudicant: ac proinde sententia illorum est irrita. Ratio est, quia in his iudiciis deest potestas in eum, qui iudicatur, quæ ante omnia requiritur, quia iudex debet habere auctoritatem & obligandi conscientiam, (sententia enim est veluti lex quædam particularis imposita alteri, quam ille tenetur subire) & cogendi ad executionem

nem eius, ad quod obligauit: alioquin sententia esset inefficax.

Quinque modis quis potest alteri esse subiectus.

6 Quinque autem modis potest quispiam alteri esse subiectus, ita vt ab eo iudicari queat. Primò, ratione potestatis ordinariæ, sic fideles summo Pontifici, & Episcopis suis, & ciues Regibus sunt subiecti.

Secundò, ratione potestatis delegatæ, sic legato Apostolico subsunt prouinciæ, ad quas ipsius delegatio pertinet, & cuiuis Proregi, vel Gubernatori.

Tertiò, ex consensu partium, vt quando partes ex compromisso se alicui subiiciunt, siue vt iudici, (vt si ille aliàs auctoritatem iudicandi habebat, etsi non in illos) siue vt arbitro, de quo vide Sylvest. verbo, *arbiter.*

Quartò, ratione delicti in alieno loco perpetrati: nam ratione delicti sortitur quis forum. *cap. postulasti, & cap. fin. de for. comp.* vbi gloss. verb. *Ratione delicti*, simili modo sortitur quis forum ratione contractus, domicilij, & rei, de qua contra possessorem causa mouetur, vt eodem cap. dicitur.

Quintò, ratione iniuriæ, subdito alterius Principis illatæ: si enim superior eius, qui iniuriam fecit, interpellatus nolit illam vindicare: poterit id facere Princeps eius, qui iniuriã accepit. Quicunque igitur iudicat aliquem, qui aliquo horum quinque modorum non est ei subiectus, peccat vsurpatione iudicij, quia vsurpat sibi auctoritatem iudiciariam in eum, in quem non habet.

Iudices seculares peccant iudicando clericos.

7 Sic peccant iudices sæculares iudicantes clericos, quia sunt exempti ab eorum iurisdictione, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt patet

patet tota *distinct. 66. & 11. quæst. 1. per totum*, & in decretalibus, *de immunitate Ecclesiarum.* & in Conc. Trident. *sess. 23. cap. 20. de reform.* vbi renouantur omnes Canones, qui de hac re agũt. Idem patet de iure ciuili, Authent. *vt cler. proprios iudices conueniant coll. 6.*

Clerici non possunt eorũ priuilegio renuntiare.

8 Adde, nec posse clericos huic exemptioni renunciare vt à iudice sæculari validè possint iudicari, etiam in ciuilibus, vt patet *c. inolita 11. quæst. 1. cap. placuit ibid. cap. diligent. ext. de foro comp.* vbi etiam redditur hæc ratio, quia non est beneficium hoc personale, cui renunciare valeat, sed potiùs toti collegio Ecclesiastico publicè indultum, cui priuatorum pacto derogare non potest.

Clerici possunt in ciuilibus subiici iudici sæculari. tanquàm arbitro.

9 Possunt tamen in ciuilibus se subiicere iudici sæculari: vt arbitro, qui tamen nolentem stare sententiæ, non potest per se cogere. Item potest clericus, vt actor, laicum pertrahere ad iudicem sæcularem: non autem vt reus pertrahi: in casu tamen conuentionis potest à iudice sæculari iudicari, vt si dum laicum pertrahit ad iudicem, laicus vicissim illum in causa ciuili reconueniat, vt expressè docet Gloss. communiter recepta *in cap. 2. de mutuis petitionibus*, & colligitur tum ex illo *capit.* tum ex *cap. 1. 3. quæst. 8.*

Iudex extrahens eũ, qui ad Ecclesiam cõfugit, peccat.

10 Simili modo censetur vsurpatio iudicij, & irrita est sententia, si eum, qui ad Ecclesiam tanquàm ad asylum confugit, vi, vel fraude extrahat, & ad mortem, vel mutilationem condemnet: saltem quò ad hanc pœnam irrogandam, & iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere, vt colligitur ex *capit. inter alia, de immun. Eccles.* & ea multis canonib. 17. *quæst.* 4. de quo vide Clarum *quæst.* 30. & Salon. *quæst. 60. art. 4. controuers. 2.*

11 Dici

Iudex tenetur eum Ecclesiæ restituere.

11 Dici etiam potest vsurpatio iudicij, si iudex iudicium exerceat, vel sententiam ferat in Ecclesia: nam eo loco id faciendi potestatem non habet, cùm quicquid ibi actum fuerit, sit irritum, vt statuitur *cap. decet. §. ordinarij, de immunitate Eccles. in 6.* vbi dicitur, Processus iudicum sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis (Ecclesiis) omni careant robore firmitatis.

Denique vsurpatione iudicij peccant ordinarij, dum exemptorum causas discutere præsumunt, in quibus Concilium Tridentinum eos non subiicit.

4. Quòd iudex non sederit pro tribunali.

12 Potest etiam dicere reus, quòd licèt iudex fuerit competens, nihilominùs talis confessio facta fuit coram ipso iudice non sedente pro tribunali, & sic tanquàm priuato, talis enim confessio non dicitur iudicialis, vt reus ex illa possit condemnari, sed tantùm facit indicium ad torturam.

5. Quòd cõfessio fuerit extorta eũ promissionibus.

13 Potest etiam allegare, quòd talis confessio fuit extorta à iudice cum promissione impunitatis, quo casu non videtur, quòd ex ea possit condemnari, & ita refert Clarus *in q. 55. vers. allegare.* quòd quædam Catharina Candolia quæ coram Prætore Vogoniæ confessa fuerat, se partum necasse, cùm deinde assereret illam confessionem à se per ipsum Prætorem blandis verbis, minisque extortam fuisse, idque probasse coram prætore per senatum ad id delegato, fuit tantùm torturæ subiecta: & cùm perstitisset in negatiua, fuit absoluta.

Iudex an possit facere tales promissiones.

14 Dubitatur verò hîc, an iudex, vt verum eliciat à reo, possit, aut debeat huiusmodi promissiones facere? Ad quod breuiter respondetur, quod

quod licet, & est communis opinio, vt dicit Apost. ad Deci. *in l. ea est natura sub num. 7. ff. de regul. iuris.* Certum est enim, quòd licet iudicibus indagandæ veritatis gratia aliquid simulare, vt colligitur ex Salomonis exemplo, de quo *in cap. afferte de præsumpt.* At si reus sic allectus confiteatur: non potest ex tali confessione condemnari, tanquàm dolo extorta. Ita Carer. *in pract. crim. in §. homicidium vlt. num.* 43. quod etiam placet Iulio Claro, *vbi suprà*, qui prædictum modum eruendi veritatem non probat, cùm sit illaqueare reum fraude, & mendacio, quòd iudicem probum, maximè regularem non decet: consultiùs enim tales agent, si ab huiusmodi promissionibus, quantum fieri potest, studeant, atque aliis iustioribus modis studeant veritatem delictorum inuenire prout etiam dicit Dynus *in tract. de quæst.* quem refert Paris. de Put. *de synd. fol.* 485. *cap.* 7. *circa principium.*

Iudex an teneatur seruare tales promissiones.

15 Sed quid si iudex faciat tales promissiones, an teneatur, aut debeat illas obseruare. Resp. quòd circa hoc variæ fuerunt scribentium opiniones. Imola *consil.* 109. consuluit, quòd reus virtute talis confessionis extortæ, vt ipse dicit, per dolum, & fraudem, non possit condemnari. Contrariam verò sententiam; scilicet quòd imò possit, & debeat reus non obstante tali permissione condemnari, tenuit Cyn. *in l. præsenti. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* & in hanc sententiam frequentiùs itum esse dicit Alciat. *in l. natur. in fin. ff. de verb. sign.* Hanc etiam dicit esse commun. opin. ea est Apost. ad Dec. *in d. l. ea est natura. sub numero præalleg.* quem refert Viuius *in lib. commun. opinion.* in verbo *Iudex promittens.* Clarus, *vbi suprà*,

suprà, licèt asserat, opinionem Imolæ esse æquiorem; præsertim vbi promittens impunitatem delicti, poterat etiam de ipso delicto gratiam, seu indulgentiam concedere: putà quia esset Princeps, vel ab eo auctoritatem habens, tales gratias delictorum concedendi, & apud regulares Generalis, vel eius Commissar. Gener. tunc enim omnino dicerem, seruandam esse ab eo promissionem impunitatis; turpe est enim fidem fallere, maximè regulares, Boss. in tit. *de confess. per torturam*, dicit, quòd ita semper vidit seruari. Si verò permissa est impunitas ab eo, qui non potest illam concedere, tunc sibi imputet, qui tali promissioni credidit. Benè verum est, quòd nunquam huiusmodi reum condemnarem ex tali confessione ad pœnam ordinariam delicti: nisi esset etiam aliis indiciis grauatus.

6. Quòd nõ constet de corpore delicti.

16 Potest etiam cõtra confessionem allegare, quòd non constat de corpore delicti, vt dictum est *suprà in primo §. per totum*: nam vbi aliter non apparet de crimine, quàm per confessionẽ ipsius rei, non debet reus cum sola sua confessione condemnari. Et licèt Ioann. Andr. *in addit. ad specul. in tit. de accusat. §. fin. vers. sed pone*, dicat, quòd contrarium seruatur de facto: Clar. tamen *vbi suprà* vers. *potest etiam* dicit, quòd Ioan. Andr. malè dixit: quia imò seruatur, quòd nisi constet de delicto, nunquàm reus cõdemnatur ex sola sua confessione. Et ideò Ponzinib. de lamb. *post n.* 60. dicit quòd iudex debet inquirere de veritate confessionis, quia aliquando aliqui confessi sunt delictum, & postea reperti non deliquisse.

Nota.

Sed adnotanda est doctrina, quam tradit Clarus *vbi suprà*, sic dicens; Ad effectum vt aliquis possit

Universidad de Deusto
Biblioteca

possit condemnari ex sola confessione, ego ita distinguerem. Aut delictum, quod reus confitetur, est tale, quod solo animo perfici possit, vt est hæresis, & similia. Et tunc ex quo tale delictum vix aliter probari potest, quàm per propriam confessionem, crederem quòd sola confessio (modò esset verisimilis) sufficeret. Aut verò delictum, quod etiam facto committitur, & tunc si quidem reus confiteatur in genere se aliquod delictum commisisse putà vnum, aut plura domicilia vel multa furta, non exprimendo in specie, quos homines interfecerit, aut cuius res furto subtraxerit: certè non debet ex tali confessione condemnari, & hic casus nullam habet difficultatem apud Doctores, vt dicit Boss. *in tit. de delict. num.* 15.

Si verò confiteatur in specie aliquod delictum, putà se aliquem certum hominem interfecisse, aut alicui furto certa bona subtraxisse: tunc est distinguendum: nam aut est delictum facti transeuntis, cuius scilicet nulla solent remanere vestigia putà adulterium, furtum, & similia: & tunc vbi cum querela partis, si concurrat etiam confessio rei, vtique erit sufficiens ad condemnandum: & ita quotidie seruatur, teste Boss. *vbi suprà num.* 19. *Et in num.* 21. subdit, quòd in furto practica est, quòd sufficiat querela partis. Vbi verò non adsit querela partis, aut aliqua alia informatio, sola confessio non sufficeret. Et ideò iudices quando fures confitentur coram eis maria, & montes, & plura furta se alibi commisisse, debent mittere nuncios ad habendam informationem, aliàs sæpè innocentes condemnarentur, vt dicit Angel. *de malef.* in verb. *& vestem*

stem cœlestem, num. 25. quem refert Bruno. *de indic. & tortura. fol.* 183. *num.* 10.

17 Potest etiam reus allegare, quòd talis confessio fuit facta super processu formato per iudicem, nõ seruato iuris ordine. Clarus *vbi supra*, vers. *item posset*, animaduertit, quòd hæc defensio non ita absolutè procedit. Sed est distinguendum, an confessio ipsa sponte manauerit; an verò in tormentis: nam primo modo facta, etiam quòd fuerit facta super processu nullo: adhuc potest reus ex illa condemnari, & est doctrina Innocent. *capit. qualiter, & quando* 2. *de accusat.* quam dicit communiter esse approbatam Alexand. *in l. inter stipulantem.* §. 1. *circ. fin. ff. de verb. oblig.* vbi etiam Iason, *n.* 15. idem attestatur. Quod tamen intelligendum est, vt locum habeat, quàndo nullitas non procedit ex defectu iurisdictionis; sed ex aliqua alia causa, & ita colligitur ex mente omnium Doctorum, vt attestatur Gomezius *cap.* 12. *delict. num.* 8. dicit tamen Angel. *cons.* 178. *circa fin.* quòd quando confessio emanat super processu nullo, tutior est via, quòd reus absoluatur ab obseruatione iudicij, & de nouo procedatur: & iudex, qui ita faceret, non erraret. Si verò confessio facta sit in tormentis; tunc si legitima indicia non præcesserint, & seruata non fuerint seruanda: talis confessio est ipso iure nulla: nec potest confessus ex ea condemnari, etiam quòd in illa perseueret. Ita sensisse videtur Gloss. vnica *in l. quæstionis habendæ. ff. de quæst.* quam sequuntur communiter Doctores, vt ait Follerius *in pract. crim. fol.* 307. *num.* 1.

7. Quòd nõ fuerit seruatus iuris ordo.

18 Potest etiam reus, qui alium ad sui defensionem interfecit, se defendere, negando se homicidium commisisse, subiiciendo, *& si id feci. feci*

8. Quòd ad sui defensionem.

ad meam defensam: quæ quidem responsio admittitur,& pro negatiua habetur.

Est enim indubitata iuris conclusio, quòd homicidium factum ad sui defensionem,non est punibile: cùm licitum sit vnicuique vim vi repellere, quod quidem est vulgatissimum, ita vt etiam sacrificans inuasus ab inimico, iustè potest,armis assumptis,se se defendere,& cum moderamine inculpatæ tutelæ, occiso eo, continenter Missam continuare,secundùm Ioan.de Signano.*de iusto bello*,probatum à Panorm.*in cap.Clerici,num.2.de vit.& hon.cler.*& à Nau.*com.3.de regular. sub num.51*. Benè verum est,quòd talis defensio debet fieri incontinenti, non ex interuallo, vt docet Carer.*in pract. crim.§.homicidium 6. cum limit. à num.* 107. *vsque ad num.*112.*&* 124.

Limitatio. Limitatur tamen conclusio, vt in tali defensione seruetur moderamen inculpatæ tutelæ, vt scilicet id faciat solùm cum eo, sine quo iniuria non posset vitari, vt dicit Nauarr. *capit.*15. *num.* 3.*&* 4.

Moderamẽ inculpatæ tutelæ circa tria consistit.

19 Moderamen autem inculpatæ tutelæ circa tria consistit; scilicet modum,tempus,& causam, & ita dicunt omnes Doctores, vt dicit Blanc. *in pract. crim. fol.*146. *num.* 2. vbi ea omnia declarat. Proinde, inquit Nauar. *vbi supr.* non licet se defendere maiori vi, quàm sit ad propulsandam iniuriam necessaria: nec consequenter armis ab eo, qui sine illis inuadit,nisi quando pugio inuasoris est ita, aut paulò minùs fortis,quàm ensis inuasi. Aliàs si excessit modum in se defendendo;vtique peccat, & venit puniendus. Verum est tamen, quòd in hoc casu non debet puniri pœna ordinaria homicidij; sed solùm de excessu, pœna extraordinaria,

ordinaria, & mitiore, arbitrio iudicis. Et hoc non solùm quando excessisset modum ex culpa, sed etiam si excessisset modum ex dolo. Sic communiter Doctores,vt dicit Carer.*fol.*409.*num.*152. Hinc, si aliquis insultet me cum baculo, non licet mihi illum percutere cum gladio, si aliter me defendere possim: sic etiam, si post sedatam rixam, vulneratus ex interuallo insultum faciat in vulnerantem, non videtur id fecisse causa defensionis,sed vindictæ.

Quod verò ait Sotus *lib.*5.*de iust.quæst.prim.art.*8. si inuasor sit Princeps, vel persona admodùm vtilis Reipublicæ, ego verò parùm vtilis: teneri me perpeti mortem: solùm verum est eo euentu,quo ex interitu alterius sequeretur magnum Reipublicæ damnum, vt bella ciuilia ob successionem. In reliquis verò vnicuique licet vim vi repellere. *Sot.explicatur.*

20 Dubitatur; An pro defensione pudicitiæ liceat occidere eum,qui tentat violare?Resp.quòd licitum est mulieri, adolescenti, & cuiuis alteri pro defensione pudicitiæ occidere inuasorem. Est communis sententia Doctorum;quamuis D.Aug. *lib.*1.*de lib.arb.cap.*5. videatur dubitare. Ratio est; quia pudicitia pluris merito æstimatur, quàm multæ opes. Idem ethnici senserunt:nam,vt scribit Cicero *oratione pro Milone*,adolescens, qui Tribunum occiderat, volentem vim inferre eius pudicitiæ,à Mario eius exercitus Imperatore absolutus fuit. *Pro defensione pudicitiæ licet inuasorem occidere.*

21 Idem quoque dicendum,quòd liceat alicui alterum occidere pro defensione proprij honoris: nam periculum famæ æquiparatur periculo vitæ, *l.iusta.ff.de man.vindic.*& ita si immineat periculum alicuius iniuriæ personalis, poterit quis licitè aggresso *Pro defensione proprij honoris licet inuasorem occidere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gressorem interficere ; ita dicit Bartolus *in l. 1. num. 9. Cod. vnde vi.* sed præstat hîc audire Nauarr. de hac re disserentem *in Man. vbi supr. Idem*, inquit, *nobis videtur, quando nisi armis se defenderet, iniuriam maximam honoris, aut personæ pateretur: siquidem rectè quis potest ob suarum rerum custodiam alterum occidere: at honor pluris valet, quàm alia bona fortunæ, & iniuria personæ maior est, quàm fortunarum.* Ex quo infertur, quòd si ille, quem alius aggreditur, non potest absque suo dedecore fugere, non tenetur id facere, & si non potest vitare vulnus, aut alapam, quam sibi alter molitur impingere, nisi ipsum occidendo, poterit occidere. Contra verò, qui iam est vulneratus, vel quem iam aggressor reliquit, & fugit, non potest absque peccato illum occidere: quoniam iam illud est vindictam sumere, & limites defensionis transgredi.

Limitatio. Quod limitandum existimo, quando affectus iniuria vulneris, aut alapæ, vel alia, magnam sui honoris iacturam faceret, si fugientem non persequeretur: nam talis posset eum persequi, & percutere tantùm, quantùm ad sui honoris defensionem opus esset: nam licèt illud non esset defendere personam, neque fortunas: esset tamen defendere honorem, quem licet defendere, etiam occidendo, si eo ad id opus esset. Vide Nauar. *vbi sup.* vbi multos allegat.

Pro defensione consanguineorum licet alium occidere. 22 Idem quoque habet locum in defensione eorum, qui sunt sanguine coniuncti, vt communiter Doctores probati per Gomezium *cons. 68. num. 4.* & in facti contingentia quidam Antoninus Perticus, qui, vt auxiliaretur fratri suo, interfecerat alium cum eo rixantem, fuit absolutus.

Imò pro defensione alterius extranei secundùm Bartolum

Bartolum *in l. vt vim. num. 7. & in l. si quis in seruitute, num. 3. ff. de furtis.*

Quibus adde, quòd conclusio habet locum, vt & licitum sit occidere alium non offendentem, si ab illo insultante se aliter defendere non poterat; nisi istum interficeret; ita dicit Glos. *in l. si familia*, verbo *ff. si famil. fur. feciss. dicatur.* Et est communis opinio: vt dicit Decius *in d. l. vt vim. post n. 9. v. & quòd dictum.* Quod benè perpendant, qui de facili se interponunt rixantibus, vt diuidant: multi enim ipsorum remanent vulnerati. *Limitatio.*

Quod adeò verum est, vt etiam si insultatus posset se fugiendo saluare, potest nihilominùs ipsum insultantem impunè interficere. Et est communis opinio; vt dicit Iason *in d. l. vt vim*, & quòd insultatus ab aliquo, non tenetur fugere, etiam quòd posset sine periculo illud facere, dicit esse communem opinionem Alex. *cons. 109. num. 4. lib. 1.* Felin. *in cap. suscepimus, de homicidio:* siue insultatus sit persona, cui sit dedecori fugere; siue non: Quæ omnia dicta sunt quantùm ad forum fori: sed quantum ad forum conscientiæ, omnia regulanda sunt iuxta doctrinam Nauarri suprapositam. *Notandum hoc.*

23 Interrogabis, qui poterit probare, quòd fecerit ad sui defensionem? Respondeo, quòd non est necesse, vt probetur in specie ista necessitas defensionis: sed satis est, vt probet simpliciter, quòd fecerit ad sui defensionem; ita sentit Bald. *in l. solùm. post num. 11. C. de testibus.* *Dubium. Respon.*

Hinc infertur, quòd ad probandum, aliquem fuisse in periculo vitæ, sufficit probare, quòd eius aduersarius veniebat armatus contra ipsum: ita tenet Glos. *in lib. 1.* in verbo, *moderatæ. C. vnde vi.*

Non enim tenetur quis expectare, vt priùs ab altero percutiatur, vel offendatur; sed si ille sibi mortem minetur, potest ipse statim illum percutere; ita allegatur tenere Bald. *in d.l.*1. *num.*18. *C. vnde vi:* Et ante eum tenuit Glos.*ibid.* Vide Clar. §.*homicidium,sub num.*26.

Potest reus reuocare suam confessionem.

24 Potest denique reus reuocare, si velit, confessionem à se sponte factam, & probare contrarium, docendo quòd prior confessio facta fuerit per errorem, & quòd teneatur probare, sic communiter omnes; vt dicit Aret.*in cap. cùm dilecti, in vltimis verbis,de accusat.*

Potest bene reus se excusare, & aliquid deducere contra propriam confessionem;quod tamen possit stare simul cum ipsa confessione,absque eo, quòd illam perimat & prorsus eneruet, & ita dicunt omnes,vt ait Boss.*in tit. de defens.reorum,num.* 35.Clarus autem, *vbi supra,*dicit, quòd nunquàm admittitur reuocatio confessionis sponte factæ; nisi probato errore.

25 Hæc autem omnia, quæ hùc vsque diximus, intelliguntur de confessione sponte facta: quia si sit sermo de confessione facta in tormentis, vel metu tormentorum, præcedentibus legitimis indiciis, cùm non sit sufficiens ad condemnationem; nisi ratificetur extra tormenta: si eam ratificet, non videtur,quòd habeat posteà,quod contra eam opponat: si verò esset confessio facta in tormentis, non præcedentibus legitimis indiciis, & iuris ordine non seruato; cùm talis confessio sit ipso iure nulla,non potest confessus ex ea condemnari,etiam quòd perseueraret in ea. Clarus *in d.q.*55.

§. VIII.

§. VIII.

De exceptionibus contra sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Sententia diffinitiua triplex.*
2 *Prælati regulares non tenentur seruare rimulas, & apices iuris: sed procedunt de plano, & sine strepitu iudicij.*
3 *Sententia de nocte lata, vel diebus feriatis, valet apud regulares.*
4 *Sententiæ latæ multæ possunt esse nullitates.*
5 *Princeps an possit damnare quenquam ex priuata scientia,duæ sententiæ recensentur. Vna affirmat: Altera vt verior amplectitur.*
6 *Sententia affirmans probabilis etiam est.*
7 *Magnus Monarcha capite fecit plecti quendam suum Ducem sine citatione.*
8 *Quid faciet iudex,ne excedat.*
9 *Pœnæ à statutis assignatæ.*
10 *Pœnæ ex arbitrio.*
11 *Arbitrium à iure regulandum.*
12 *In arbitrandis pœnis quæ considerare debet iudex.*
13 *In criminalibus non punitur quis corporaliter: nisi dolus intercedat.*
14 *Regula generalis ad dignoscendum quando dolus non præsumitur.*
15 *Coniecturæ doli commissi plures.*
16 *Iudex an possit minuere pœnam.*
17 *Iudex pœnas statutarias potest mutare ex causa.*
18 *Iudex cum causa potest commutare pœnam.*
19 *Pœna statuti vt infligatur, omnes circunstantiæ in statuto expressæ concurrere debent.*

20 *In punitionibus lenibus ad correptionem seruandæ sunt leges Religionis.*

21 *Superior regularis potest amoueri, seu prohiberi ab officio, & dignitate absque strepitu iudicij.*

22 *Regulares cum causa facilius, & liberius possunt ab administrationibus amoueri.*

1 OCtauò, potest reus se defendere excipiendo contra sententiam aduersus se latam.

Sententia diffinitiua triplex.

Pro quo sciendum, quòd triplex est sententia diffinitiua; Absolutoria, declaratoria, & condemnatoria. Absolutoria sententia tunc à iudice ferenda est; quando nihil contra accusatum, vel denuntiatum, vel inquisitum fuerit in processu probatum. Declaratoria tunc ferenda erit, cùm exceptus habilis, aut inhabilis ad beneficia, dignitatésve per sententiam iudicandus est. Condemnatoria verò, cùm de crimine, de quo accusatus est, vel inquisitus ipse reus conuictus extiterit, aut illud ipse confessus fuerit.

Prælati regulares non tenentur obseruare rimulas & apices iuris: sed procedũt de plano, & sine strepitu iudicij.

2 In proferenda verò tali sententia, ex indulto Bonifacij VIII. de quo *suprà*, Prælati Regulares non obseruant rimulas, & apices iuris, seu solennitates iuris: sed ex cap. *olim. ext. de accusat.* procedunt de plano, & sine strepitu iudicij: ideò non erit necessarium, quòd iudex ore proprio eam pronuntiet, & sedendo in tribunali, & stando.

Sententia de nocte lata, vel diebus feriatis, valet apud regulares.

3 Prætereà valebit, etiam si sit lata de nocte, vel diebus feriatis: Nec similiter est necessarium, vt iudex exprimat causam, vt inquit Clarus *in q.* 93. vers. *fuit aliquando.*

Est benè necessarium, vt reus citetur, vel saltẽ admoneatur, si vult aliquid dicere ad sui defensam: cùm defensio sit de iure naturæ, vt dictũ est.

4 Circa

4 Circa quam sententiam reus potest se defendere multipliciter.

Sententiæ latæ multæ possunt esse nullitates.

Primò, quòd lata sit à iudice non competente, & propterea ipso iure est nulla. *toto tit. C. si non à compet. iudic. & cap. cùm super. de offic. deleg.*

Secundò, si contra se non confessum, neque conuictum *cap. 1. & 2. 2. q. 1. & cap. nos in quenquam 2. q. 1.* nam sic esset contra ius.

Tertiò, si præcipitanter, & festinatò lata sit sine causæ discussione, & cognitione: nam talis sententia, inquit Menochius *lib. 1. quæst. 42.* etiam quod feratur ab Imperatore, vel à Papa nulla est. Hoc autem verum est, quando est proferenda sententia declaratoria pœnæ incursæ: nam tunc debet præcedere citatio, vel monitio. At quando proceditur ad modum belli, aliter seruatur; vt praxis docet.

Quartò, quòd in ipsa ferenda non sit seruatus ordo iuris, qui de ipsius iudicij substantia est, vt diximus *suprà in §. 6. num. 1.*

Quintò, quòd lata sit super aliis quæ in processu non continentur, nec in eo probata sunt: sententia enim ferri debet super his, quæ in processu continentur, atque in eo probata sunt, dicti processus limites nequaquàm excedendo. Et si sententia ex actis non iustificatur, dicitur notoriè iniusta. Cæsar de Grassis *decis. 347. num. 6. & 10.*

Sextò, quòd ante sententiæ prolationem non fuerit citata pars: *clem. sæpè §. fin. de verb. sign.* nam sententia data, non citata parte, est ipso iure nulla: ita optimus text. *in clem. præsenti.* verbo, *constiterit. de censib.* vbi pulchrè Abbas, Imola *in cap. extirpandæ. num. 15. de præbend.* Ratio est, quia multæ

defensiones possunt subesse, quæ non debent auferri. Et etiam quòd factum sit notorium, pars est citanda, & vocanda, quia sæpè multa dicuntur notoria, quæ non sunt. Vide Bald. *in l. fin. C. de legibus.* Io. Andr. *in cap. olim. de re iudic.* Felin. *cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut. num. 66.* Clar. *q. 31. vers. vlterius quæro.* Nauarrus *consil. 5. de appellat. num. 3.*

Princeps an possit damnare aliquẽ ex priuata scientia, aut ipsa non citata, aut inaudita parte sententiæ.

5 Hoc quod dictum est, habet veritatem de iudice inferiori: sed difficultas magna est de supremo Principe: an scilicet possit aliquem ex priuata scientia, aut certè non citatum, & auditum condemnare. Quidam tenent partem affirmatiuam, ita Couar. *lib. 1. var. cap. 1. num. 7.* Cyn. Bart. & alij *in l. 1. C. vt quæ desunt aduocatis partium, iudex suppleat.* Felin. *in cap. pastoralis. §. quia verò de off. & pot. iud. deleg.* Quia supremus Princeps potest dispensare in illo iure, quo statuitur, vt ex allegatis, & probatis sententia feratur, cùm non sit naturale, sed positiuum. Secundò, quia Principi supremo non minùs credendum est, quàm duobus, vel tribus testibus, ac proinde eius iudicium, & scientia æquiualet scientiæ publicæ, quæ censetur esse in duobus, vel tribus testibus.

Secunda sententia verior.

Sed contrarium est verius; ita Caiet. *in summa* verbo *homicidium in principio.* Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 9.* Sot. *lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 3.* & colligitur ex D. Thom. *2. 2. q. 67. art. 3.* vbi dicit eundem hominem non posse esse simul accusatorem, & testem. Quia, quod solus iudex vidit, censetur adhuc occultum in iudiciis humanis, vnde reus potest negare, (*in sensu tamen vero,*) si de tali crimine rogetur, ad hoc enim ius habet, vt omnes passim fatentur: non enim tenetur ad mentem iudi

iudicis respondere, nisi quando iuridicè interrogatur. Itaque grauis ei iniuria fieret, si de tali crimine puniretur.

Nec quia Princeps est, id ei fauet: nam Princeps non habet maiorem potestatem, quàm sit ea, quam Respublica in illum transtulit, quæ nunquàm Principi dedit talem potestatem, vt pro suo iudicio reos posset absoluere tanquàm innocentes, vel damnare tanquàm nocentes contra publicas probationes, id enim esset, ei licentiam exercendæ tyrannidis, & omnia pro sua libidine exercendi, dare.

Ad aliud verò respondeo, quòd etsi Principis assertio in testamentis, & contractibus possit æquiualere pluribus testibus: non tamen in causis criminalibus, quando agitur de aliquo condemnando, maximè si probationes sunt in contrarium.

6 Addo tamen, sententiam oppositam non esse improbabilem in atrocibus, ita vt valdè expediat auctorem puniri: & tum non conueniat rem vulgari ob infamiam coniunctam, vt si aliquis vim Reginæ, vel filiæ Regis intulerit, solúsque Rex id sciat; tali enim casu videri possit Respublica consentire. Prætereà quando non agitur de puniendo crimine, sed de auertendo in posterum malo, quod Reipublicæ, vel innocenti intentatur, potest Princeps ex priuata scientia, si alia ratio non suppetit, iubere interfici auctorem, quia hîc non agit, vt iudex auctoritate publica puniens, sed vt quiuis priuatus se, aut rem sibi commissam defendens.

Vnde licèt, ordinariè loquendo, Princeps ex certa scientia, inaudita parte, non possit reum con

condemnare, vt dictum est, in quibusdam tamen casibus id non est necesse seruare.

Primò, si crimen est publicum, vt rectè Nau. *cap.25.num.10.* sic latrones reperti in crimine, interdum è vestigio suspenduntur sine vlla defensione. Ratio est: quia factum notorium, seu publicum, est loco accusatoris, & testium: nec relinquit reo ius vllum defendendi se in iudicio.

7 Secundò, quando esset periculũ rebellionis, vel alterius grauis turbationis, si iuridicè procederetur: vt si esset valde potens: tunc tamen debet eius causa priuatim discuti, nisi sit omnino euidens. Vide Nau. *vbi sup. num.9.* vbi subdit, *Per quod excusauimus magnum quendam Monarcham, qui virtute processus in absentia facti, & sententiæ sine citatione latæ, fecit capite plecti quendam suorum militum Ducem, sibi in alio regno militantem: quia nec capi, nec sine metu rebellionis illius, & magnæ partis exercitus occidi poterat.* Sic Nauarrus *vbi suprà.* Vide etiam eundem *in cons. 1. num. 16. de for. compet.*

Magnus Monarcha capite fecit plecti quẽdam suum Ducem sine citatione. Nota, & pondera de quo id narretur.

Tertiò, quando quis machinatur Reipublicæ, vel priuatis perniciem, quæ aliter auerti nequit, vt ante dictum est. Sed hoc non tam est punire crimen commissum, quàm impedire malum impendens.

Quartò, si crimen soli Principi, & tribus aliis notum sit, ita vt iuridicè probari possit: tunc enim posset occultè interfici reus sine citatione, & probationibus, si publicè absque graui aliquo incommodo puniri non possit. Ratio est, quia quando crimen sic est probabile, manifestum est reum non habere iustam vllam defensionem in iudicio. Ita Per. de Nau. *num.* 192. & Arragon. *quæst.67.art.* 2. qui pro eadem sententia citat Lopez.

pez. Idem sentit Couarruuias *lib. 1.var. cap.1. n.7. & alij.*

Septimò, sententia in scriptis ferenda est *l. vltima.C. de sent. ex breu. reci. ca. & si sententia de re iudic.in 6.* Etiam in iudicio summario.d.Clement. sæpè. *de verb.signific.*

Octauò, si in sententia, & pœnis assignatis sit excessus: nam tunc quando iudex excedit dispositionem iuris, vel statuti, sententia est nulla, vt dicit Ioannes de Cane mortuo, *cons.33. n.2. inter consilia criminalia diuersorum lib. 1.* Quinimò multi tenuerunt, quòd etiam in totum vitietur. Et hanc opinionem communiter probari attestatur idem Ioannes de Cane mortuo *in loco præalleg.* & iudex, qui malè iudicauit, tenebitur ad interesse. Vide Clarum *quæst.93.vers. Quæro si iudex.*

8 Vt autem iudex non excedat in taxandis pœnis, dicam, quòd iudex regularis imponat pœnas iuxta delictorum grauitatem, ita vt pro mensura delicti sit plagarum modus. Pro leuibus criminibus non imponat pœnas grauiores: nec pro grauibus pœnas leues, sed quantum doli, & malitiæ inesse in crimine potuerit intelligere: sic digna pœna punire nocentes debet, vt nec ipsi rei, qui iustitiæ seueritatem experiuntur, de eius excessu iustè conqueri possint: nec alij, qui zelo iustitiæ æstuant, tenuitatem pœnæ reprehendant.

Quid facit iudex ne excedat.

9 Debet autem in primis imponere illas pœnas, quæ singulis delictis per statuta Religionis ordinatæ sunt: & si non adsint aliquæ pœnæ per statuta decretæ, recurrat ad constitutiones antiquas, quòd si nec in illis pœnæ statutæ sint; tunc recurrat ad pœnas canonicas: scilicet ad sacros canones, si regularibus conuenire possunt.

Pœna à statutis assignata.

10 Om

Pœnæ ex arbitrio.

10 Omnibus autem deficientibus, Prælatus imponat pœnas ex arbitrio suo: nam cùm non tam specificè omnibus clericorum excessibus statutæ pœnæ legantur: nec etiam statui possint: tunc, inquit Innoc. *in cap. qualiter, & quando el 2. col. fin.* vers. *item nota ex. de accusat.* procedendum est de similibus ad similia.

Arbitrium à iure regulandum.

11 Et licèt in imponendis pœnis arbitrariis sit æquitas à iudicibus amplectenda: ea tamen non à capite, nec imaginaria esse debet, sed à iure regulata, vt tradit Bald. *in rubr. C. de constit. pecun.* Romanus *cons.* 149. & Lopez *in addit. ad Diaz. cap.* 149. *in v. cons.*

In arbitrãdis pœnis quæ considerare debet iudex.

12 In arbitrandis autem huiusmodi pœnis discretus iudex plura debet considerare: videlicet delinquentis conditionem, an soleat delicta sæpiùs perpetrare, an casu ceciderit, lubénsne an coactus, vel lacessitus: & an scandalum ortum fuerit à delicto, vel non. Attendere præterea debet qualitatem loci, vbi delictum commissum fuit: an scilicet fuerit commissum in Ecclesia, vel extra: in foro, aut via publica, vel in domo: delicti insuper grauitatem, & diuturnitatem: iniuriæque illatæ modum, atque atrocitatem, aut damni illati magnitudinem examinare conuenit: personæ insuper offensæ qualitates ponderandæ sunt: cùm ipsæ sint, quæ augere, vel minuere soleant quodcunque facinus, videlicet an vilis fuerit, an dignitate prædita, an superior, an laicus, vel clericus; & alia multa, quæ considerat Diaz *in d. pract. cap.* 138.

In criminalibus nõ punitur quis corporaliter: nisi dolus intercedat.

13 Sciendum est etiam, quòd regulariter in pœnis criminalibus nunquàm quis puniri potest corporaliter, nisi dolus interueniat, ita tenet Bart. *in l.* 1. §. 1. *num.* 1. *ff. si quis testam. liber.* & est communis opinio Doctorum: vt inquit Cæpolla *cons. crim.* 33. *col.* 2. vers. *quod sic probatur.* Nec sufficit lata culpa: nam in criminalibus lata culpa, non æquiparatur dolo: & hanc esse communem opinionem inquit Iason *in l. in actionibus num.* 23. *&* 26. *ff. de in litem iuran.* quam sequitur Blanc. *in pract. crim. fol.* 56. *num.* 137. cum aliis allegatis per Clarum *in quæst.* 84. *in principio* qui subdit ex hac conclusione inferri vt si statutum disponat, quòd homicida sit decapitandus, debet intelligi, dummodò homicidium sit commissum dolo: non autem lata culpa: & inquit, hanc esse communiorem opinionem, pluréque congerit hoc attestantes. Pro culpa verò punitur delinquens, quando culpa præcessit delictum, & ita dicunt communiter Doctores, vt ait Ioan. de Anan. *in cap. de infamibus num.* 4. *ex. de his, qui filios occid.* quem refert Clarus, *vbi suprà* qui tamen subdit, se reperire aliquos etiam tenuisse, quòd etiam pro lata culpa potest quis corporaliter puniri, licèt non eadem pœna qua pro dolo, sed alia leuiore, quam opinionem dicit esse communem Maranta *in suo speculo fol.* 26. *num.* 59. *in fin.* Et quòd aliquando ita vidit obseruari in senatu Mediol. scilicet quòd regulariter pro culpa non solet quis corporaliter puniri. Quæ conclusio non solùm procedit, quando imponenda esset pœna mortis, vel mutilationis membri, verùm etiam si agitur de imponenda qualicunque pœna corporali, secundùm gloss. *in l. in actionibus in v. Nec etiam ff. de in lit. iur.* quæ simpliciter loquitur, quam Doctores communiter sequuntur, vt inquit Clarus *vbi suprà.*

14 Et

Regula generalis ad dignoscendum quando dolus nō præsumitur.

14 Et regula generalis est, quòd dolus non præsumitur. *l.dolum. C.de dolo. & l. si creditor. C. de pignorat. act.* & ibi Doctores cum aliis, quæ allegat Menochius *de præsump. lib.5. præsumpt.3.* Et ratio huius conclusionis est, quia quilibet à natura bonus præsumitur, *cap.1.ext.de scrut. in ord. fac. cap. dudum, & cap.vlt. de præsumpt.* & ibi Doctor. *l.cùm pater. §.rogo.ff.de lega. 2. cum suis similibus.* Si ergo præsumitur bonus, cessat præsumptio doli, cùm bonus non sit, qui alterum dolo circumierit, vt inquit Bald. *in l. 1. §. vlt. C. si quis omissa caus. testam.* Et dolus est delictum, vt tradit Soc. Iun. *in cons.113. num.8. lib. 3.* Et hæc præsumptio multò magis locum habet, quàm doli, & fraudis causa excogitari non potest. Ita respondent Aret. *cons.61.col.3.* vers. *In contrarium,* & Cornelius *cons. 89. ad fin. liber. 2.* quos sequitur Crauet. *consilio 6. num.22. & consil.8.num. 15.* Ita quoque dolus minus præsumitur, quando alioquin dolus ille nullum ei affert lucrum, & commodum: ita respondet Bald. *in consilio 250.incip. Inquisitione col.2.lib.1.* Menochius *vbi sup. num.18.* Et multò minùs præsumitur, quando ei resultaret odium, & damnum, vt inquit Crauet. *d. cons.8.num.4.* & Menochius *vbi sup. num. 19.* Et procedit etiam, vt non præsumatur dolus commissus aduersus hominem frugem, & beneuolum; neque aduersus sanguine coniunctum, vt per Crauet. *d. cons. 319. num.6.* & Menoch. *vbi sup.num.21.& 22.*

Et multò minùs præsumitur dolus in eo, qui facit id, ad quod faciendum incitabat amor, & fama, cùm fama à dolo excusare soleat in multis, vt tradit Crau. *d.cons.319.num.4.* & Menoch. *ibi num.26.& 27.*

Et

Et multò minùs præsumitur ex qualitate personæ; vt in muliere, & rustico, in quibus simplicitas potiùs præsumitur, quàm dolus; vt inquit Decius *cons.180.col.2.* cum aliis allegatis per Men. *vbi sup.num.28.*

Et in tantum est vera supra dicta conclusio, vt potiùs præsumatur error in iure, quàm dolus: vt tradit Alciatus *in tract.præsumpt.reg.3. præsumpt.30.* & magis præsumitur error in facto, quàm dolus: vt per Bart. *in l.si librarius, num.7.ff. de reg.iur.* & Menoch. *vbi supra, num.31.& 35.*

Limitatur.

Fallit tamen supradicta Regula, qua diximus, dolum non præsumi, vt locum non habeat, quando extant coniecturæ, & probationes commissi doli: etenim dolus coniecturis detegi, & probari potest, *l. dolum. C.de dolo.* Paul.de Cast. *in l.quod Nerua.num.3.ff.de deposit.* Curtius sen. *cons.44. col.7. v. dolus.* cum aliis allegatis per eundem Menoch. *vbi supra num.42.* qui subdit, quòd ratio huius sententiæ est; quia dolus est quid latens in animo, atque consistens; qui sanè animus non potest aliter probari. Et subdit etiam, quòd hæ præsumptiones debent esse vrgentes, & concludentes, secundùm Paulum de Castro *in d.l.dolum. C.de dolo.* & duas sufficere dixit Decianus *in cons. 32.num.4.lib.3.*

Coniectura doli commissi plures.

15 Et quamuis multæ coniecturæ enumerentur ab ipso Menochio, & ab aliis per eum allegatis: hîc tamen solùm illas apponere statui, quæ ad Regulares spectare possunt.

Prima ergo coniectura doli commissi est; quando quis aliquando graue perpetrauit delictum, siue homicidium, vel aliquem vulnerauit, vel grauem intulit iniuriam. Hoc sanè casu lex do-

lum præsumit; nempè quòd dolo occiderit, vulnerauerit, vel iniuriam fecerit: ita probat tex. *l.1.C. ad legem Corn.de sicariis.* quo in loco Imperator Antoninus statuit, quòd homicida probare debet, hominem à se percussum, non occidendi animo percussum fuisse: cùm alioquin dolo, & occidendi animo percussus præsumatur. Sic & in *l.si non conuitij.C.de iniuriis*, habetur, eum, qui iniuria aliquem affecerit, animo iniuriandi fecisse: atque ita dolus expresè præsumitur: & in specie ita notarunt Angel. *in d.l.si non conuitij, & in l.plagij. C. ad legem Flauiam, de plag.* Aretin. *in cap. in præsentia in 8. not. extrauag. de probat.* & Dec. *in eodemmet cap. n.14. v. difficilè videtur*, cum pluribus allegatis per Menoch. *in d.præsumpt.3.num.45.*

Secunda coniectura, qua lex dolum præsumit, est, quando quis mendacium dixit, *l.si quis affirmauerit.§.1.& l.quod venditur, & l.eleganti, §. Pomponius ff. de dolo. & l.falsus, §.si quis ff. de furtis*, & manifestè scripsit Paul. de Castr. *in cons.136. visis, & consideratis, in fine, lib.1.* & Ancharan. *cons.226.col.2.* cum plurimis aliis congestis per eundem Menochium, *vbi supra num.53.*

Tertia coniectura, qua lex facit dolum esse commissum, est quando quis promissa non seruat; vt inquit tex. *in l.dolus, & in l.si procuratorem, §.dolo. ff. mandati, & in l.1.§.est autem ff. depositi*, & ita manifestè responderunt Alex. *in cons. 2. col.1. & in cons.84.col.2.l.6.* & alij relati per Men. *vbi sup.n.63.*

Quarta coniectura est, quando quis non facit id, quod pro suo officio, & munere facere tenetur, *l.dolus ff. mandati, & l.dolo.C. ad leg. Falcidiam*, & tradit Bart. *in l.tutor, qui repertorium ff. de administr. tut.* & Menoch. *vbi suprà.*

Quinta

Quinta coniectura est, quando quis contractu secum inito contrahentem decipit, *l. si superstite, C. de dolo. l. in summa, ff. de peculio.* Menoch. *vbi supra, num.69.*

Sexta coniectura, qua lex facit dolum esse commissum, est quando quis non obtemperat magistratibus, *l.non potest dolo carere ff. de reg. iur.* Menoch. *vbi sup. num.86.*

Septima coniectura est, quando quis facit, quod sibi non prodest, & alteri nocet, vt responderunt Alex. *cons.174.n.4.lib.2.* Corn. *cons.35.n.10.* Menoch. *vbi sup.n.97.*

Octaua coniectura est, & colligitur ex materiali effectu subsecuto, vt docuit Bald. *in l.1. ad fin. Cod. si quis omissa causa testa.* & sequutus est Crauet. *cons.162.num.8.vers.3.arguitur*, & Menoch. *vbi supra, num.99.*

Nona coniectura doli est, quando quis vsus est nimia cautela, & diligentia: atque ita plus fecit, quàm fieri consueuit. *l.si quis sub conditione ff. de condit. institut.* vbi notat Bald. & idem Bald. *in l.rogasti, §.si tibi, col.2. ff. si certum.* Cornel. *in cons.205.num.7. lib.2.* Menoch. *vbi sup.n.102.*

Decima coniectura doli est, quando sine suo commodo, vel alio proprio interesse accusat aliquem: ita responderunt Alex. *d. consil. 174. col. penul. lib.2.* & Crau. *cons.35.num.10. & in cons.75.n.10.* Menoch. *vbi sup. num.106.*

Vndecima coniectura est, quando quis clàm, & occultè facit, quod palàm fieri solet, *l.vlt. ff. de ritu nuptiarum*, & tradit Crauet. *in cons.34. n.11.* & Menoch. *vbi suprà, num.107.*

Duodecima, & vltima coniectura doli, quæ colligitur ex præcedenti tractatu: ita tradit De-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cius *conſ.4.num.10.lib.1.*Crauet.*conſ.2.col.2.* & Menoch.*vbi ſuprà,num.10.*

Iudex an poſſit minuere pœnam.

16 Sed quia paulò ante dictum eſt, quòd iudex non debet excedere in aſſignanda pœnitentia,dubitatur hîc; an poſſit ex cauſa minuere pœnam ordinariam impoſitam, à iure pro aliquo delicto? Ad quod reſpondetur,quòd ſic;ſiue agatur de pœna impoſita per ius commune, in quo omnes ferè conueniunt, vt atteſtatur Dec. *in capit. de cauſis,num.8.ext.de offic.deleg.*ſiue etiam agatur de pœna impoſita à ſtatuto.

Iudex pœnas ſtatutarias poteſt minuere ex cauſa.

17 Quo caſu licèt aliqui tenuerint contrarium: opinio tamen magis communis eſt, quòd iudex pœnas etiam ſtatutas poteſt ex cauſa minuere, vt atteſtatur Aret.*in cap.qualiter,& quando, el 2. num.34. ex. de accuſ.* quem refert Couarruu. *lib.2. var.reſolut.cap. 9. num.8.* & Clarus *quæſt. 84.* verſ.*Vlteriùs quæro.*

Concluſ.declaratur dupl.

Hæc concluſio recipit duplicem declarationem. Prima,vt procedat ante ſententiam; prout loquitur Gloſ.*in l.quid ergo,§.pœna grauior.*verſ. *oneraſſet,circa princip.ff.de infam.* quam dicit etiam eſſe communem Didacus *in pract. quæſt. 35. circa princ.* ſecùs autem poſt ſententiam, vt inquit Clarus *loco alleg.*qui ſũbdit, quòd debent cauere iudices, ne id ſine iuſta cauſa, & à iure approbata faciant, ne aliquid ei deteriùs contingat: nam iudex, qui in cauſis criminalibus minorem pœnam imponit, quàm de iure imponere debet, efficitur infamis, *l.ſeruus.Cod.ad leg.Iuliam.de vi publ.* & prætereà debet puniri eadem pœna, qua erat puniendus reus, vt colligitur ex text.*in l.3.in fine,Cod.ne ſanct.baptiſ. reiteret,* tradit Paris de Puteo *de ſyndic. fol.338. poſt num.3.*

Secunda

Secunda declaratio eſt, quòd iudex,qui minuit pœnam à iure, vel ſtatuto impoſitam, exprimere debet in ſententia cauſam, propter quam mouetur ad illam minuendam; prout ſe frequenter de facto fieri vidiſſe atteſtatur Iacob. de Beluiſio *in practic.crimin.fol.40.in rubr.de fuga reorum,num.62.*& refert Clarus,*loco prox. alleg.* qui tamen ſubdit, ſe putare ſufficere, quòd iudex dicat,ex iuſtis cauſis animum ſuum mouentibus id facere, abſque eo, quòd in ſpecie cauſam ipſam exprimat: quam ſententiam eſſe communem inquit Menoch.*controuerſ.illuſt.cap.decimoquart.num.5.* Idem tenet Lopez,*in add.ad Diaz.ca.147.in* verſ.*cauſam exprimere,* qui paulò ante inquit, quòd illud, quod dictum eſt, iudicem minuentem pœnam debere exprimere cauſam, eſſe intelligendum, vt procedat ad ipſius iudicis excuſationem; non autem ad ſententiæ firmitatem. Nam ſi ſine cauſa facit, lex ſupplet id, quod deeſt, *l.4.§.ſi quis condemnatus, ff.de re iudic.* & allegat Bald. ita dicentem *in l. quid ergo.§. pœna grauior. ff. de his, qui notant.infamia,* & Bart.*in l.relegatum,§.ad tempus,in fine,ff.de interdictis,* & multos alios.

Iudex cum cauſa poteſt commutare pœnam.

18 Aduertendum eſt etiam circa hanc pœnarum impoſitionem,quòd quando delinquens non eſt capax pœnæ impoſitæ à lege pro delicto: tunc poteſt iudex illam in aliam commutare, & ita dicunt Doctores,vt atteſtatur Anan.*in cap.1.n.2.ext. de calumniator.* quos refert,& ſequitur Clarus *dict. quæſt.85.*verſ.*vltimo.*

Pœna ſtatuti vt infligatur,omnes circunſtantiæ in

19 Similiter eſt aduertendum, quòd vbi agitur de pœna imponenda alicuius ſtatuti, oportet quòd in illo caſu verificentur omnes qualitates, & circunſtantiæ in ipſo ſtatuto expreſſæ, aliàs

Statuta expressa concurrere debent.

pœna non incurritur; vt est doctrina Ioan. Andr. *in cap.2.de homicid.in 6.*quam dicit esse singularem, & ab omnibus approbatam. Tortus *inter consilia Ant.de Bad. cons.vltim.num.1.in fine,*quem refert,& probat Clarus,*q.85.vers.vbi agitur.*

In punitionibus leuibus ad correptionem seruanda sunt leges Relig.

20 Vltimo loco aduertendum est,quòd ea,quæ dicta sunt, procedunt, quando iudex procedit in criminibus grauibus, in quibus proceditur ad punitionem;quia in leuibus seruandæ sunt leges, & consuetudines cuiusque Religionis.

Superior regularis potest amouere.seu prohiberi ab officio & dignitate absque strepitu iudicij.

21 Quando non proceditur ad punitionem,sed vel ad priuandum officio,vel ad mutandum loco, ne aliis noceat: tunc enim non requiritur tanta probatio, vel infamia; sed relinquitur prudentiæ superioris.Sic Salon. *2.2.q.69.art.2.in fin.* Nauarr. *cons.70.aliàs 78.de simonia,cap.qualiter,& quando.2.de accusat.* vbi postquàm tractauit de triplici modo procedendi in iudicio,concludit:

Regulares cum causa, facilius, & liberius possunt ab administrationibus amoueri.

22 *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas nõ credimus vsquequaque seruandum:quæ,cùm causa requirit,facilius,& liberius possũt administrationibus amoueri.*

Cõc. Trid. Sess.12.c.1.

Ponderentur ad hoc verba Conc. Trident. *sess. 12.cap.1.de reform.*quæ sic habent;*In causis visitationis, & correctionis;siue habilitatis,& inhabilitatis,nec non criminalibus ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario Generali ante definitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque grauamine non appelletur.* Quod quidem Decretum est conforme iuri antiquo, quoad causas visitationis, correctionis,habilitatis, & inhabilitatis, *per cap.licet,de offic.ordin. cap.reprehensibilis. De appellat, cum eis annot.* Vide Nauarr.*in Man.cap.25.sub num.15.* Et ratio huius assignatur à Ghislerio *in cap. 10. sub num. 19.* quia scilicet titulum ita fixum, & firmum, quemadmodum

modum sæculares,Prælati Regulares minimè habent: quare & liberiùs, & leuioribus de causis à Prælatura queunt amoueri, *d.cap.qualiter,& quando,& cap.per tuas, de simonia.§.fin.* Vel etiam; quia cùm studere humilitati Religiosorum Prælati debeant:non est illis valde curandum,vt ab administratione remoueantur.

§. IX.

De exceptionibus contra delictum confessum.

SVMMARIVM.

1 *Contra delictum confessum potest reus se defendere multis modis.*
2 *Præscriptio delicti excusat reum.*
3 *Si res fuerit iudicata,excusatur reus.*
4 *Furor excusat reum.*
5 *Furiosus pro absente semper habetur.*
6 *Ira quandóque excusat reum.*
7 *Ebrietas aliquando excusat.*
8 *Dormiens excusatur.*
9 *Excusatur reus si mortuus erat iam in insidiis contra ipsum.*
10 *Si ex alia causa quàm ex vulnere illato, quis moritur,excusatur reus.*
11 *Præsumptio,quòd ex vulnere illato mortuus sit.*
12 *Longum interuallum quantum.*
13 *Credulitas aliquando excusat.*
14 *Bona fama præcedens quando excusat.*
15 *Fama hæc quando operatur,& quando minimè.*
16 *Nobilitas,& dignitas prodest plurimùm.*

17 *Insignis peritia in literis,& in armis prodest.*
18 *Merita in Principem, vel in Rempublicam iuuant.*
19 *Multitudo reorum excusat.*
20 *Spontanea confessio excusat.*

Contra delictum confessũ potest reus se defendere multis modis. 1. Præscriptio delicti excusat reum.

1 NOnò, potest se defendere reus contra delictum commissum; licèt illud in foro fori sit sufficienter probatum.

2 Primò, ostendendo præscriptionem delicti; quia scilicet à die commissi criminis lapsum sit tempus viginti annorum: nam eo temporis spatio omnis accusatio criminalis præscribitur. *l. querelam, Cod. de falsis.* Et ita tenent communiter Doctores, vt dicit Abbas *in capit. cùm haberet, num. 4. de eo, qui duxit in matrimonium.* Cardin. Alexandr. *in capit. de accusatione, col. 48.* vers. *Item opponi potest, 2. q. 8.* & alij relati per Clarum, *q. 51.*

Potest etiam hæc exceptio in aliquibus oriri non solùm ex cursu viginti annorum: sed etiam ex minori spatio temporis; putà in adulterij crimine, cuius accusatio quinquennij spatio præscribitur, *l. mariti. §. hoc quinquennium. ff. ad leg. Iuliam de adul. & stup.* In simplicibus fornicationibus spatio annorum trium præscribitur. Gram. *consil. 50. in ciuil. num. 6.* Aret. *in sua pract. criminali, folio mihi 286. in prima exceptione, in fine.* Clarus *vbi supra* vers. *Potest autem.*

2. Quòd res fuerit iudicata.

3 Opponitur etiam contra delictum exceptio rei iudicatæ; vt potè si aliàs super eisdem fuerit absolutus, vel condemnatus: nam denuò super eisdem condemnari non debet, *capit. de his, de accusationib.* Antonin. *de malefic.* in verbo, *ad querelam, num. 9.* Est enim conclusio communis, quòd de his criminibus,

criminibus, de quibus quis semel fuit absolutus, non potest accusatio, vel inquisitio replicari: & & ita tenent communiter Doctores, vt inquit Iulius Clarus *in sua pract. crim. quæst. 57. in princ.* Quæ conclusio de plano procedit; quando quis fuit absolutus, eò quòd non commisit delictum: nam eo casu proculdubio ei competit huiusmodi exceptio rei iudicatæ. Et Follerius *in sua pract. crimin. fol. 302. num. 3.* inquit, quòd hæc est vera conclusio ab omnibus approbata, tam secundùm Legistas, quàm secundùm Canonistas.

Sed si fuisset absolutus, eò quòd delictum probatum non fuisset, tunc vtique posset iterum accusari, & puniri: vt inquit Clarus *vbi suprà.*

Sed quid de eo, qui fuit de delicto punitus, poteritne iterum puniri? Respond. quòd si fuit punitus ea pœna, quàm requirebat qualitas delicti, nulla est difficultas, quòd non potest ampliùs contra ipsum procedi. Ita consuluit Bald. *in cons. 31. lib. 4.* & Paulus de Castro *in cons. 18. lib. 1.* At si fuit condemnatus minori pœna, quàm qualitas delicti requirebat: fortè posset dubitari: sed veritas est, quòd ne isto casu poterit iterùm puniri; vt docet Clar. *vbi suprà.* vers. *Dictum est.*

4 Potest etiam allegari furor, & insania: nam si delinquens tempore delicti commissi erat furiosus, aut mente captus, non potest propter illum puniri: text. *in l. infans. ff. ad leg. Corneliam. de siccar.* si etiam tempore delicti erat sanæ mentis, & postea est effectus furiosus, puniri non potest de his, quæ ante furorem perpetrauit: & ita tenet Bald. *in l. furiosum circ. fin. Cod. qui test. facere poss.* Quæ conclusio intelligenda est, quòd puniri non potest pœna ordinaria: sed benè puniri debet pœ-

3. Quod furiosus.

na extraordinaria arbitrio iudicis: vt inquit Bald. *in dicta l. furiosum.* Cuius opinio communiter probatur, vt inquit Clar. *vbi sup.* Qui subdit hoc dictum Baldi sibi placere, quando furor superueniſſet iam perfecto proceſſu ſuarum defenſionum, & non quando ſuperueniſſet ante: quia diceretur indefenſus condemnari, ex quo furioſus ſemper pro abſente habetur.

Furioſus pro abſente ſemper habetur.

5 Si etiam furioſus effectus eſt poſt ſententiam condemnatoriam, ita quòd iſte delinquens perſeuerauit ſanæ mentis vſque ad ſententiam, & poſt condemnationem effectus fuerit furioſus, non poteſt contra eum ſententia executioni mandari: vt docet idem Clar. *quæſt.* 60. verſ. *ſed quæro*: & eſt communis opinio.

4. *Quòd ira motus.*

6 Præterea, ira quandoque delictum excuſat, & interdum minimè: nam aut ira prouenit ex iuſta cauſa, & tunc non excuſat in totum, ſed vt delinquens mitiùs puniatur, vt in viro occidente vxorem in adulterio deprehenſam. Aut prouenit ex iniuſta cauſa, & tunc in nihilo excuſat, & hæc eſt communis opinio.

5. *Quòd ebrius.*

7 Ebrietas etiam excuſat à dolo, ſed non à culpa, atque adeò committens delictum tempore, quo eſt ebrius, puniendus non eſt pœna ordinaria delicti, ſed extraordinaria: atque ita tenent communi conſenſu Doctores. Cæterùm, ſi ſine culpa fuiſſet factus ebrius, putà ſi ſocij, ipſo inſcio, ſal in vino appoſuiſſent inquit Clar. ipſum eſſe à culpa, & à dolo prorſus excuſandum.

6. *Quòd dormiens.*

8 Dormiens itidem habet excuſationem, putà ſi aliquis dormiendo vulnerauit, vel interfecit quempiam, excuſandus eſt: quoniam tempore dejecti non erat compos mentis, & ita tanquàm pro furioſo

furioſo habendus eſt. Ita Clarus *vbi ſuprà.* Quod tamen intelligit, vt locum habeat, quando aliàs ei dormienti talia euenire non ſolent: ſed ſi aliquando ei contingere ſolent, vt ſcilicet à lecto ſurgat, & enſem euaginet, & ſimilia faceret, vt de multis auditur: tunc ſi ipſe non præcauiſſet, claudendo oſtium, diceretur eſſe in culpa: atque adeò deberet pœna extraordinaria puniri: ita Bartol. *in l. penult. ff. ad leg. Pompeiam de parricid.* & eſt communis opinio, vt inquit Clarus.

7. *Quòd mortuus erat iam in inſidijs contra ipſum.*

9 Aliter etiam poteſt ſe defendere reus, ſi probet illum, qui ab ipſo interfectus eſt, fuiſſe in inſidiis poſitum, & ipſum expectaſſe, vt interficeret: nam licitum eſt, tales inſidiatores præuenire, & eos interficere: ita colligitur ex Gloſſ. *in l.* 1. in verbo, *moderatione. Cod. vnde vi.* Et hanc ſententiam approbant communi conſenſu Doct. dicit Planc. *lib.* 1. *delict. cap.* 21. *num.* 12.

Quod tamen debet intelligi, vt procedat, dummodò ex huiuſmodi inſidiis tale periculum adeò præſens immineret: vt non ſatis tutò vitari poſſet: niſi inſidiator occideretur, ſed ſi aut ipſe inſidiator comprehendi, aut vitari potuiſſet, crederem non eſſe homicidium ab aliqua pœna extraordinaria excuſandum.

8. *Quòd ex alia cauſa mortuus ſit. Tres caſus diſtinguuntur.*

10 Alia etiam defenſio ſolet adduci ad excuſandum eum, qui de homicidio imputatur, ſcilicet quòd vulneratus, non ex ipſo vulnere, ſed ex aliâ cauſa deceſſerit. Vide Carer. *in pract. crim.* §. *homicidium*, 6. *num.* 322. Et vt in hoc habeas perfectam reſolutionem, debes diſtinguere tres caſus. Primus caſus eſt, quando vulnus illatum certum eſt fuiſſe mortale. Et tunc ſi mors ſuperueniat, procul dubiò vulnerans tenetur de occiſo, punien

& puniendus est pœna ordinarij homicidij, iuxta text. *in l. ait lex. §. quod si mortifero. ff. ad leg. Aquil.* & ita communiter tenent vbique Doctores, vt attestatur. Sot. *cons.* 178. *col.* 2. vers. *Pro cuius conclusionis fundamento lib.* 2.

Secundus casus est, quando certum est, quòd vulnus non erat mortale, & tunc ex quo constat, vulneratum mortuum fuisse ex alia causa, quàm ex ipso vulnere: non tenetur vulnerans de occiso, ita dicit Bald. *in leg. qui occidit. §. fin. ff. ad leg. Aquil.*

Tertius casus est, quando sumus in dubio, an vulnus esset lethale, vel non, & tunc aut non apparet de aliqua negligentia, seu culpa vulnerati, & eo casu ex euentu secuto præsumitur decessisse ex vulnere, & punitur vulnerans de homicidio. Aut apparet negligentia, seu culpa, & tunc vulneratus non tenetur de occiso: iux. tex. *in leg. si ex plagis. in princ. ff. ad leg. Aquil.* Ita tenet Gandin. *de malefic. in tit. de homicid. post num.* 24. vers. *sed pone, quòd aliquis.* Et ponit exemplum de rustico; qui in capite vulneratus iuit ad laborandum cum bobus ad Solem. Hanc etiam opinionem dicit esse communem Blanc. *in pract. crim. fol.* 135. *post num.* 96. Ex quo itaque talis vulnerans non tenetur de occiso: non debet puniri pœna ordinaria homicidij, sed alia pœna extraordinaria.

De vulnere autem an fuerit lethale, nécne, standum est iudicio medicorum, id est chirurgorum expertorum: non tamen oportet, quòd sint Doctores. Sed sufficit esse practicos tantùm, per Carer. *in pract. crim. tractat. de homicid. §. 6. n.* 327.

Præsumptio quòd ex vulnere mortuus est.

11 Verùm si vulneratus post illatum vulnus processit de malo in peius, & intra breue spatium tium mortuus est: eo casu præsumitur mortuus ex vulnere, & vulnerans tenetur de occiso: & hanc sententiam videntur sequi omnes Canonistæ, & Legistæ: vt dicit Bologn. *cons.* 5. *col.* 2. vers. 2. *pro eadem.*

Lõgum interuallum quantum.

12 Sed in hoc proposito quantum dicetur longum interuallum? Respondet Angel. *in l. vnic. Cod. de emend. seruor.* quòd secundùm sententiam medicorum, nullus lethaliter vulneratus potest viuere vltra 40. dies. Vide Blanc. *in pract. crimin. diuers. fol.* 135. *num.* 121. Si tamen vulneratus post illatum vulnus ambulauit per triduum, eo casu etiam si posteà moriatur, non præsumitur ex vulnere decessisse, secundùm Gloss. *in d. l. vnica*, in verbo, *depulsa. Cod. de emend. seruor.* quam approbant, & sequuntur omnes Doctores, vt ait Mars. *in l. si in rixa. num.* 56. *ff. ad leg. Cornel. de siccar. & in pract. crimin. §. & quia num.* 16.

9. Credulitas aliquando excusat.

13 Credulitas quandoque excusat à delicto: verbi gratia, quis credebat habere iustam causam illud faciendi, vel credebat, non esse delictum. Sed distinguendum est, quia aut loquimur in delictis, in quibus dolus est de substantia, vt periurium, & similia, & tunc siue sit iusta, siue iniusta excusat: nam videtur cessare animus delinquendi, & de hoc vera est communis opinio, quæ tradit, quamlibet iustam credulitatem excusare, vt inquit Curtius iunior *cons.* 132. *num.* 1. Aut loquimur in delictis, in quibus dolus non est de substantia: & tunc causa, si est iniusta, excusat quidem à dolo, sed non à culpa, & ideò punitur pro culpa: non autem pro dolo. Sed si causa est iusta, excusat à dolo, & à culpa. Et ita distingui debet secundùm omnes:

omnes, atteſtatur Bald. *in l. plagij, nun .. Cod. ad leg. Flauiam, de plag.*

10. *Bona fama præcedens.*

14 Frequens in criminalibus iudiciis eſt defenſio, quam rei faciunt, probando bonam vocem, qualitatem,& famam; probatam maximè à iuuentute, talis enim veriſimile non eſt, vt in ſenectute deliquerit, vt eſt text. clar. *in cap. cùm in iuuentute*, adiuncta Gloſſ. ibi. *Ad ſimilem. de præſumpt.* Vnde talis defenſio poteſt eis eſſe vtilis ad multa: nam licèt aliàs fama publica alicuius maleficij contra aliquem ſit contra eum ſufficiens indicium ad torturam, vt dixi *in explicat. quinti caſus reſeruati.* ſi tamen ille, contra quem probata eſt talis fama, probet in ſuis defenſionibus, ſe eſſe bonæ vocis,conditionis,& famæ: non poterit torqueri, ſecundùm omnium Doctorum opinionem, vt ait Gandin. *de malefic. in titul. de præſumpt. el primo.n.*15. Quinimò dici ſolet, quòd per probationem bonæ famæ expurgantur, & tolluntur indicia, quantumuis vrgentia contra accuſatum,vel inquiſitum. Et hanc dicit eſſe communem omnium Doctorum ſententiam Io. Arno. *ſoliloq.*37. licèt communis.

Fama hæc quãdo operatur, & quando non.

15 Aduerto tamen, quòd fama, quando ortum habuit à parte, in cuius fauorem tendit, nihil operatur. Natt. *conſ.*473. *num.*17. Et quando duæ famæ ſunt probatæ,poſterior elidit priorem, & ſi eodem tempore concurrant, ſtatur illi famæ, quæ proceſſit ex veroſimilioribus probationibus; per Natt. *vbi ſup. num.* 20. & 21.

Item fauore rei bona fama præualet malę. Boſſ. *pract. crimin. tit. de fauo. defer. num.* 13. Item quando probantur duæ famæ contrariæ, ſtatur teſtibus deponentibus de bona fama. Crau. *conſil.* 275. *num.*12.

num. 12. Item ſi ſit probata fama affirmatiua in caſtro, vbi delictum eſt commiſſum, & negatiua in ciuitate, tunc ſi qualitates teſtium,& cauſæ, ex quibus fama proceſſit,ſunt æquales, tales probationes ſibi inuicem derogant,adeò vt neutri fides adhibenda ſit, ſed ſi eſſent inæquales, illis ſtabitur, in quibus concurrunt meliores, & validiores cauſæ, & meliores teſtes, per Foller. *in pract. crim.* §. *dentur capitula, num.*24.

Limitatur.

Hoc autem, quod dictum eſt de bona fama,limitatur, vt procedat, quando contra reum nihil aliud eſt probatum, quàm ſola fama: ſecus autem, ſi vltra famam, eſſet etiam aliquod aliud indicium ſuper delicto: nam eo caſu non obſtante tali probatione, vtique poſſet torqueri. Clarus *in quæſt.*60. verſ. *Frequens etiam in fin.*

11. *Nobilitas, & dignitas prodeſt.*

16 Prodeſt etiã probatio nobilitatis,vel dignitatis: nam licèt, quando tractatur de pœna pecuniaria imponenda, grauiùs puniendi ſint nobiles, quàm ignobiles: tamen quando agitur de imponenda pœna corporali, ſeueriùs puniendi ſunt plebei, quàm nobiles, aut viri in dignitate conſtituti. Ita dixit Gloſſ. *in cap. cùm quidam in Gloſſ. de iureiur.* quam dicit eſſe communiter receptam Didac. *lib.*2. *reſol. cap.* 9. *num.*3. ſic etiam in ipſis pœnis corporalibus imponendis, magis ignominioſo mortis genere puniuntur plebei, quàm nobiles, quod fusè probat Clar. *vbi ſuprà* verſ. *Prodeſt*, &c.

12. *Inſignis peritia in literis, & in armis prodeſt.*

17 Prodeſt quoque probare inſignem peritiam ipſius imputati, vel excellentiam in aliquo artificio: nam etiam ea cauſa pœna remitti, aut minui poteſt. Et ad hoc ſolet allegari *l. ad beſtias. ff. de pœnis.* Et ita communiter receptum eſſe atteſtatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatur Didac.*lib.2. reſolut.cap.9.* Placa *lib.1. delictorum, cap.33. num.1. & ſeqq.* & refert Paris de Puteo *de ſynd.* in verb. *pœna c.1. in fin.* quòd ita ſemel obtentum fuit in conſilio regis in quodam bombardario, ipſo Paride patrocinante. Refert etiam pract. Carer. *fol.14. num.72.* quòd Dynus euaſit quendam inſignem fabrum, cui erat amputanda manus, & propter eius peritiam fuit ei mitigata pœna. Ego quoque audiui quendam commiſiſſe peccatum nefandum, & conſtito de delicto in ſui defenſionem ipſemet adduxit ſuam peritiam, quæ reuera erat magna, & mitigata fuit ei pœna, atque dimiſſus. Quod etiam ad regulares rectè poteſt accommodari.

13. *Merita in principē, vel in Rē-publicam.*

18 Vtilis eſt etiam probatio meritorum ipſius rei in principem, vel rempublicā: nam quandoque remittitur pœna ei, qui in multis, & arduis negotiis Principi ſeruiuit, & Reipublicę: vt dicit gloſſ. *in §. planè*, in verbo, *ob meritum. inſtit. de iure natur. gent. & ciu.* quæ in hoc ab omnibus approbatur, vt ait Gram. *conſ.29. num. poſt* 40. verſ. *Quod maximè.*

14. *Multitudo reorū excuſat.*

19 Quandoque etiam propter multitudinem reorum, maleficium non eſt ſecurè puniendum: hinc eſt, quòd in vniuerſitatem non fertur ſententia excommunicationis, & ita tenet, & ſeruat Curia, vt ait Cardin. Alex. *in cap. Epiſcopus, quæſt.2.*

15. *Spontanea confeſſio.*

20 Spontanea quoque confeſſio meretur, vt mitiùs cum reo procedatur, quàm contra eum, qui probationibus eſt conuictus, *arg. in l.vni. C. de his, qui ſe defer.* & hanc ſententiam dicit eſſe communiter approbatam Simanc. *de hæret. cap.55. n.6.* quam etiam communem appellat Bero. *in cap. & ſi clerici in princ. num.88. de iud.* & in Religionibus paſſim practicatur.

§. X.

§. X.

De vltima rei defenſione, quæ eſt Appellatio.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio eſt de iure naturæ.*
2 *Appellare non poteſt reus conuictus & confeſſus.*
3 *Appellans ſic reus, non eſt audiendus.*
4 *Appellatio friuola quæ.*
5 *Appellans talis, & cauſam aſſignans probabilem contra ſuam confeſſionem, debet audiri.*
6 *Appellans qui iuſtè damnatus eſt, peccat mortaliter.*
7 *Appellans talis ad reſtitutionem tenetur.*
8 *Appellans non admittitur in notoriis.*
9 *A ſententia declarante poteſt appellari.*
10 *Limitatur de notorio facti.*
11 *Limitatur etiam, vt delictum ſit probatum eſſe notorium.*
12 *Condemnatus ex præſumptione iuris, & de iure, non auditur.*
13 *Hæreticus damnatus appellans, non eſt audiendus.*
14 *Ampliatur aſſertio ad fautores.*
15 *Limitatur, quando appellat ante ſententiā ferendam.*
16 *In correctionibus non appellant Regulares: niſi ſit exceſſus.*
17 *Ab omni ſententia poteſt appellari.*
18 *A diffinitiua appellatur.*
19 *Ab interlocutoria poſt Concilium Trid. minimè: niſi in caſibus, &c.*
20 *In appellatione modus, & an in ſcriptis fieri debeat.*
21 *Appellationem inſtam admittere debet iudex, alioquin punitur.*

22 *Appellatio aliquando fit coram honesta persona.*
23 *Appellatio in dubiis est admittenda.*
24 *Appellatio dupliciter fit, voce, & factis.*
25 *Appellatione iusta interposita, nequit procedere iudex.*
26 *A declaratione ab excommunicatione licet appellare, quamuis non ab excommunicatione.*
27 *Concilium Trid.* in cap. 4. de regul. sess. 25. *declaratur.*
28 *Appellationis ordo.*
29 *Appellans extra Ordinem est excommunicatus.*
30 *Sacræ Congregationis tribunal intra Ordinem censetur.*

Appellatio est de iure naturæ.

1 VLtimum Reorum refugium, est appellatio, quæ vna est ex legitimis defensionibus, vt dicit Dom. Sotus, *l. 5. de iust. & iur. q. 6. art. 3.* Nauar. *cons. de appell. num. 6. Sayrus in Clavi regia, lib. 12. cap. 17. num. 3.* Nisi enim de iure naturali esset; D. Paulus, vt habetur *Act. 29.* minimè appellasset: quod intelligitur quantùm ad appellationis substantiam attinet: nam quantùm ad illius formalitatem spectat, siue modum, ac tempus, iure positiuo fuit constituta. *l. vna, C. de sent. præfect. prætor.* Abb. *in rubr. de appellat.* Sylu. Tabien. verbo, *appellatio, num. 2.*

Vt autem Reus sciat, quando ad hanc defensionem recurrere possit, & quando minimè, sciendum, quòd,

Appellare non potest reus conuictus, & confessus.

2 Reus, aut est de ipso delicto plenè conuictus, & illud etiam sponte confessus, & tunc ei non licet ampliùs appellare, vt est tex. clarus *in l. 2. Cod. quorum appellat. non recip.* quæ non solùm habet locum in illis quinque criminibus exceptis, de

de quibus loquitur illa lex, videlicet homicidij, veneficij, adulterij, maleficij, & viæ publicæ: sed generaliter etiam habet locum conclusio in omnibus aliis delictis, & ita hanc esse communem opinionem attestatur Imola *in c. fin. §. porrò, num. 4. ext. de appellat.*

Appellans sic Reus, non est audiendus.

3 Si verò talis Reus conuictus, ac sponte confessus appellauerit, reiicienda est appellatio: neque debet ab executione supersederi, & ita de consuetudine seruatur, vt inquit Bart. *in leg. qui vltimo*, vers. *fin. ff. de pœnis*, quem refert Clarus *q. 94. in princ. cum aliis per eum ibi allegatis.* Ratio autem istius conclusionis, vt ait Carer. *in sua pract.* est; quia talis est præsumptæ calumniæ malitia: nam ex quo est conuictus per testes, & alias probationes congruas, & legitimas, & sponte confessus est: appellans censetur facere animo differendi executionem pœnæ, cùm in causa appellationis contrarium etiam de errore, probare non possit: nam conuictus per claras probationes non dicitur errare; sed veritas cum confessione consonat, vt per Bald. *in d. l. 2. & in l. addictos, C. de Episcop. audien.*

Appellatio friuola.

4 Cùm itaque contrarium probare non possit, sequitur, quòd talis appellatio friuola censeatur, & ideò non debet audiri: nam appellatio notoriè calumniosa non impedit executionem, vt per Bald. *in lib. 1. v. modò quæro, Cod. ne ex delicto defunct.* & alios allegatos per Carer. *loco prox. citat. num. 9.*

Aut Reus confessus est tantùm, & non conuictus, & tunc si non reuocauit suam sententiam, non auditur appellans, text. est *in cap. cùm speciali, §. porrò, ex. de appellat. in 6.* quem sequitur communis

pract.assessorum, vt inquit Bald.*in d.l.*1. *post num.* 10.vers.*Interdum autem,C.ne ex dele.defunct.* Hanc autem dicit esse communem opinionem Didacus *in prac.quæst.*23.*fol.*16.*allegato versu,concl.*2.& Carer. *pract. crim.*1.*par.*§.*tertius casus est,num.*1.*fol.*8. quem refert,& sequitur Clarus *d.quæst.*54. & alij plures per eum relati, & hanc esse communem opinionem tam de iure ciuili, quàm canonico attestatur Boss.*in tit.de appellat.num.*25.

Appellans talis,& assignans causam probabilem cõtra suam confessionem, debet audiri.

5 Si tamen Reus non simpliciter appellaret à sententia; sed in appellatione allegaret causam probabilem contra suam confessionem: tunc audiretur appellans,& supersedendum esset ab executione,Boss.Carer.Clar.*vbi sup.*

Si Reus est tantùm conuictus,& non confessus: tunc potest appellare, quia conceditur appellatio etiam in causis criminalibus, tam de iure ciuili, quàm canonico.De iure ciuili, *l.litigatoribus, C.de appellat.& in l.addictos,C.de Episc.audient.*de iure canonico *in cap.cùm sit Romana*, & ibi Decius *ext. de appell.* Quod etiam procedit in crimine læsæ Maiestatis, vt *ibi* per Decium,& Boss.*tit.de appellat. in princ.*

Appellans, qui iustè damnatus est,peccat mortaliter.

6 Nota tamen, quòd ille, qui conuictus, & iustè condemnatus est si appellat, peccat mortaliter: quoniam appellationes conceduntur ad tollendum grauamen, vt habetur *extr. de appell. cap. vt debitus.* Sed qui iustè est condemnatus, nullum patitur grauamen, & ideò si appellat, non vult seruare iudicis sententiam: sicque offendit iudicem, illíque facit iniuriam, & nemini iustè, ac iuridicè condemnato licitum est se à legitimo iudice defendere: nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, vt habetur *Rom.*12.appellare

Rom.12.

autem

autem est resistere. Confirmatur hæc conclusio argumento *cap.quicunque* 2.*quæst.*6.vbi dicitur, quòd quicunque non confidentia iustæ causæ, sed causa differendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellauerit: vel si de facto suo confisus, ne abiiciatur, appellare voluerit, huiusmodi appellationes non recipiantur. Et *in c. omnino,ead. caus. & quæst.* appellatores huiusmodi puniri iubentur.

7 Hanc conclusionem tenet S.Thom.2.2.*q.*62. *art.*3.&4.Caiet.*ibi* Sylu.verb.*accusatio.q.*14.Tabien. eod.verbo, *accusatio.*§.9. Sotus, *lib.*5.*de iust.& iur. q.*6.*art.* 3. & Nauarrus *in Man. cap.* 25.*in tit.de delictis rei,num.* 39. qui inquit, quòd talis appellans obligatus est ad restituenda omnia damna, & interesse, quæ ex sua iniusta appellatione proueniunt. Nec per consequens absolui potest à Confessore,nisi appellationi renuntiauerit.

Appellans talis tenetur ad omnia damna.

Appellatio non admittitur in notoriis.

8 Alius est casus, in quo non admittitur appellatio in criminalibus,quando scilicet delictum est notorium: nam criminosus manifestus non auditur appellans, vt est tex. *in cap.cùm sit Romana in fin.cap.peruenit,& c. cùm speciali.*§. *porrò ext. de appellat.* Et hanc conclusionem tenent communiter Anania *in c.quàm pernicioſum,post num.*1.*extr.de vsuris.* Carer. latè,*in d.l.*2.*quæ est pract.sua,*§.2.qui incipit,*secundus erit casus,in* 1.*col.fol.*1.& Clar. *in d.q.*94. vers.*solet etiam dici.*

A sententia declarante potest appellari.

9 A sententia tamen iudicis declarantis aliquid esse notorium, potest appellari, cùm iudex possit iniustè declarasse: vt inquit Nau.*lib.*5.*consil. tit.de sent.excom.cons.*20.*num.*5.

Limitatur de notorio facti.

10 Quod intellige de notorio facti, siue per euidentiam, siue quòd delictum notorium fuerit

Universidad de Deusto
Biblioteca

toti populo, vt putà factum in conſpectu populi, vel per vehemens indicium, quia interfector viſus eſt fugere per plateam in conſpectu populi cum enſe euaginato, & ſanguinolento: vel commiſſum eſt delictum in præſentia audientium, vt per Specul. *in tit. de notorio crim.* Non autem in notorio per famam publicam: nam tunc admittitur appellatio, vt habetur *in d. cap. cùm ſit Romana.* Nec in notorio iuris tantùm, quod reſultat per confeſſionem, vt per Gram. *in deciſ. 36. numero 6. dub.* & declarat Carer. *loco prox. alleg. num. 3. & 4.*

Limitatur etiam, vt delictum ſit probatum eſſe notorium.

11 Secundò, intellige, dummodò probatum ſit ipſum delictum, quod præſupponitur notorium, notoriè fuiſſe commiſſum, id eſt in conſpectu populi, vel iudicis: vt ſuprà; ita quòd nulla tergiuerſatione celari poſſit. Non autem ſufficeret, quòd de eo notoriè appareret: nam poteſt eſſe, quòd vel per teſtes de viſu, vel per confeſſionem ipſiuſmet Rei, ex quibus dicitur notoriè conſtare de delicto, probaretur ipſum delictum, & tamen nullus ſani capitis diceret, delictum ita probatum dici poſſe notorium, ad effectum, vt ſuper eo, tanquam ſuper notorio non poſſit appellari, vt benè declarat Clar. *quæſt. 9.* verſ. *Item quæro.*

Condemnatus ex præſumptione iuris, & de iure, non auditur.

12 Eſt etiam alius caſus, in quo non admittitur appellatio in criminalibus, ſed ſtatim fit executio; quando ſcilicet quis eſſet condemnatus ex præſumptione iuris, & de iure, cùm tunc habeatur pro conuicto, & confeſſo, qui non appellat, vt dictum eſt: ita tradit Bald. *in l. ſi quis adulter. ff. de adult. in 2. not.* Marſil. *in l. 1.* verſ. *Item condemnatus, C. de raptu virgin.* & *in rubr. de probat. ſub num. 249.* verſ.

verſ. *teneas mente,* & alij relati per Carer. *vbi ſuprà in §. 4.* qui incipit, *Quartus caſus eſt. fol. 9.*

Hæreticus damnatus, & appellãs non eſt audiendus.

13 Alius quoque caſus eſt, in quo non admittitur appellatio, nempè in hæreticis: nam hæretici condemnati ab Inquiſitoribus non poſſunt appellare, & eſt tex. clarus *in cap. vt inquiſitionis, §. vtque, de hæreticis in 6.* Et licèt *cap. ad abolendam, §. illos, ext. de hæret.* diſponat, quòd tantùm relapſi non poſſint appellare, attamen dictum *cap. vt inquiſitionis,* quod eſt poſterius, loquitur generaliter in omnibus hæreticis.

Ampliatur concluſio ad fautores.

14 Non ſolùm in hæreticis ipſis; ſed etiam in eis credentibus, receptatoribus, & eorum fautoribus, vt ibi dicitur, vt non appellent, declarat Carer. *vbi ſupra, §. 9.* qui incipit: *Nonus caſus, fol. 81.*

Limitatur.

15 Quam tamen concluſionem ipſe limitat in duobus caſibus. Primus eſt; quando appellaret ante ſententiam ferendam: tunc enim poſſet: nam prohibita appellatione à diffinitiua, ante poteſt appellare, vt tradunt Philippus, & Archidiaconus, & alij in dicto *c. inquiſitionis,* vt per Decium *in l. ſi quis in conſcribendo, C. de pactis.*

Secundus caſus eſt; quando iudex, ad quem fit appellatio, cognito de iuſtitia, adhæret iudici à quo; qui quidem poteſt inhibere, vt per Panorm. *in cap. Paſtoralis, in fin.* verſ. *quantum autem, ext. de appell.* Gloſſ. *in cap. Romana, §. ſi autem de appell. in 6.* Idem Carer. extendit ſupradictam concluſionem, vt habeat locum etiam in ſimonia; quòd ſcilicet non detur appellatio; cùm crimen ſimoniæ æquiparetur hereſi, vt per Felin. *in c. olim. 1. ext. de ſimonia.*

In correctionibus non appellant Regulares.

16 Poſtremò, eſt alius caſus, in quo non admittitur appellatio in Religioſis: nam Religioſus non poteſt appellare à correctione ſuorum

nisi sit excessus.

Prælatorum; si fiat secundùm statutum Regulæ, vel Ordinis, vt inquit tex. *in cap. ad nostram, cap. reprehensibilis, & cap. cum speciali, ext. de appellat.* Quod tamen procedit; nisi Prælatus excedat modum in corrigendo, vt declarat Gloss. *in fin. d. ca. ad nostram.* quam refert, & sequitur Sylu. verb. *appellatio*, §. 3. *in quæst. 7. per tex. in C. de priore eod. tit. de appellat. & in c. super quæstionem, §. nos autem, extr. de offic. iudic. deleg.* Vide Nauarr. *lib. 2. consil. tit. de appell. consil. 4.* vbi ex Gloss & Decio colligit, quòd non solùm potest appellare Religiosus in alia causa ciuili, vel criminali; sed etiam in causa correctionis, in qua regulariter etiam sæcularis prohibetur appellare; si modus correctionis excedatur. Cui gloss. est alia similis in *d. c. licet, de off. ord.* & notat Panorm. communiter receptus vtrobique: nam moderata debet esse correctio; aliàs ad superiorem recurri potest, vt Bal. dicit *per illum tex. in l. 2. §. dominorum. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, per quam dicit etiam Bald. *in d. cap. ad nostram, de stat. monach.* quòd Abbate nimis sæuiente in Monachos, eis licet fugere de Monasterio; nec dicuntur Apostatæ: quin & Abbate odio grauante Monachum potest pro defensione sua arma accipere, vt notabiliter Cardin. tradit *in clem. 1. §. præfata, de stat. monach.* Denique in cap. *ad Romanam 2. quæst. 6.* conceditur omnibus oppressis appellare ad sanctam sedem Apostolicam: nec ab hac concessione reperitur vsquàm Religiosus excluſus: Sic Nauarr. *vbi sup.* Naturalis etenim ratio cuique suadere videtur, vt seipsum eo, quo meliori potest, modo tueatur: quare se grauatum, vel grauandum sentiens quis, ad superiorem iudicem prouocare potest, vt hoc pacto se, suáque seruare queat.

17 A qua

17 A quauis autem prouocatur sententia, siue definitiua sit, siue interlocutoria. Definitiua sententia dicitur illa, qua iudicium ipsum terminatur; qua videlicet condemnatur quis, vel absoluitur. Interlocutoria verò illa nuncupatur, quæ causæ ipsi interponitur: vt cùm iudex iustas, & rationabiles rei exceptiones neqüaquam admitti: Reum iniustè torqueri, vel non audiri, legitimas defensiones eidem non esse tribuendas, & è conuerso, decernit, cùm accusatorem legitimum, illegitimúmve, testes idoneos, vel non idoneos, huiusmodíque alia in causæ progressu contingentia, determinat, siue declarat.

Ab omni sententia potest appellari.
Definitiua, quæ.
Interlocutoria, quæ.

18 A sententia igitur definitiua, si quam iniustitiam in se ipsa contineat, aut præ se ferat, appellari posse, omnibus est in confesso. Valent. *to. 3. disp. 5. q. 13. punct. 3.* præterquàm à sententia diffinitiua violatæ religionis, à qua non admittitur appellatio propter fidei fauorem, ac odium hæreticorum: ne iudicium protrahatur. Pegna *in direct. inquisit. cons. 35. vers. sed hæc dubitatio.*

A definitiua appellatur.

19 A sententia verò interlocutoria, si ratio, causáque iusta, vel probabilis adsit, de iure canonico potest appellari. *cap. significauerunt de test. cap. vt debitus cap. cùm speciali & cap. cùm cessante de appellat.* sed necesse est, vt in appellatione ab interlocutoria exprimatur iusta causa appellandi, vt docet Nau. *lib. 2. cons. tit. de appell. cons. 1.* licèt in appellatione à diffinitiua hoc non requiratur. Post Concil. verò Trident. *cap. 2. de reform. sess. 13.* non licet nec ab interlocutoria appellare: nisi quando grauamen illatum per illam non possit tolli per appellationem à definitiua, vel nisi quando interlocutoria habet vim diffinitiuæ Nau. *vbi sup. in fin.*

Ab interlocutoria post Concilium Trid. minimè, nisi, &c.

Cõc. Trid.

In appellatione modus.

20 Modus autem in appellatione seruandus est; vt prouocatio fiat aut viua voce, si in continenti grauamine illato prouocetur, eodémque die, iudice in eadem iudicij existente figura *l. 1. ff. de appellat. l. litigatoribus C. eod.* Aut in scriptis, si in continenti minimè fiat. Achil. de Grass. *decis. 8. num. 1. & 2.* Tunc enim intra decem dierum spatium appellationis libellus in scriptis prouocantis iudicium à quo, & ad quem, ac aduersarij nomina continens, porrigendus est iudici à quo: *vt l. 1. §. fi. ff. de appell.* sic de iure ciuili. De iure verò canonico debet addi in libello expressio grauaminis, à quo appellatur. *cap. cùm sit Romana. de appellat.*

Appellatio in scriptis fieri debet, an voce.

Nauarr. in relect. *cap. cùm contingat. de rescr. in 6. cons. nullit. sub num. 9.* tenet, quòd non voce, sed scripto fieri debeat appellatio, sic enim ait, Putauit enim, vt arbitror, eius patronus, in quo etiam aliàs vidi errantes, appellationem in scriptis censeri factam, si quis coram Notario dicat se appellare, & roget eum, vt id scribat, cùm tamen id longè alienissimum à vero sit: iuxta sent. Ang. communiter recept. *in l. à sententiâ. §. 1. ff. de appell.* vbi concludit, quòd vt quis dicatur appellare in scriptis, debet offerre libellum continentem scripta: nec sufficit, quòd quis viua voce appellet, licèt in continenti faciat eam scribi per Notarium, etiam cum expressione causarum grauaminum. Imò secundùm eum oportet addere verba, *in scriptis*: quod tamen non esse necessarium affirmat Imola ibi communiter contr. Ang. in hoc receptus.

Facit, quòd sententiam diffinitiuam: non dicitur in scriptis ferre, qui eam verbo fert, & latam

tam statim scribit, vel dum eam fert, facit in scriptis per Notarium redigi, secundùm omnes *in fin. de re iudic. in 6.* Aliud enim est aliquid in scriptis fieri, aliud factum in scriptis redigi, secundùm gloss. receptam, quæ est in illo *c. fin.* sic Nauarrus *vbi suprà.*

Sed quia hæc sunt apices iuris, ad quæ ex concessione Bonifac. VIII. Regulares non tenentur: propterea, quocunque modo fiat appellatio siue in voce, siue in scripto, admitti debet in iudicio regulari.

Appellationem iustã admittere debet iudex, alioquin punitur.

21 Appellationem, si iusta, vel rationabili causa, & ratione fulciatur, admittere debet ipse iudex, & non admittens punitur, *cap. decreto. 2. q. 6. cap. de priore, de appell. & cap. 1. eod. tit. in 6.* Nauarr. *cons. 1. tit. de appell. in fin. & cons. 4. num. 6.* Menoch. *de arb. iudic. cent. 4. casu 368.*

Appellatio aliquando fit coram honesta persona.

22 Si appellatio iusta à iudice non admittitur, vel à reo ipsius iudicis timetur violentia: tunc pro appellatione reputatur, dummodò publicè protestetur; vel coram aliqua honesta persona appellet. *l. cùm quidam. ff. de appell. cap. fin. eod. tit.* à qua honesta persona tribui debent Apostoli testimoniales ipsi appellanti. Sylu. verb. *appellatio. num. 13. in fin.*

Id etiam fieri potest, quando copia iudicis haberi non potest. *l. 1. §. dies. ff. quando appellandum & cap. biduum. §. 1. 2. q. 6.* & tradit Ægidius *in decis. 381.* in hæc verba, si post sententiam iudex se absentet à loco iudicij, sufficit appellare coram persona authentica: nec tenetur alibi iudicem quærere ad appellationem intimandã, & ad Apostolos petendos. *ff. quemadmodum appellandum sit. l. 1. §. dices.* Sed sufficit adire iudicem ad quem.

Ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ita ait Rot. in nou. decis. 266. *si appelletur, quæ in nou.rub.est de appell. in nou.* Quæ addit sufficere coram Notario causæ appellare, quãdo iudex abest: adeò vt non oporteat eum adire absentem; etiam si possit, & sciat, vbi sit intra decendium appellandum, neque ad petendum Apostolos intra 30. *iuxta cap. ab eo, de appell. in 6.* Cassad. item *in decis. 8. tit. de appellat. num. 6. in fine.* testatur, quando 1519. fuisse in prætorio Romæ iudicatum nihil nocuisse cuidam, qui appellauerat biduo ante cursum decendij coram honesta persona, quæsito iudice à quo, & non inuento; nec curauerat posteà redire ad ipsum pro Apostolis, nec probare, quòd fuisset in momento impeditus: quod est singulariſſimum, & quotidianum, quod ipsum repetit posteà *in decis. 3. eiusdem tituli.*

Appellatio in dubijs est admittenda.

23 Si autem appellantis ratio dubia sit, quare anceps ipse fiat iudex, an admittenda, necne prouocatio sit, illam vtique admittere debet. Io. Andr. *in cap. vt debitus de appellat.* Specul. *eod. tit. §. nunc dicamus.* Archid. *cap. 1. & si à iudice, eod. tit.* Felin. *cap. significamus. de testa. num. 1.* Cuius illa ratio esse potest: quia existente opinionum varietate, (dummodò probabiles sint) iudex in rei fauorem iudicare debet: *argument. cap. cùm sunt de regulis iuris in 6. leg. fauorabiliores. ff. eod. tit.*

Appellatio dupliciter fit, voce, & factis.

24 Duplex est autem appellatio, qua grauati vti possunt, altera, quæ fit, & proponitur verbis, & communiter fit, altera, quæ fit facto per arreptionem itineris ad superiorem, vt habetur *in cap. dilecti. 2. de appellat.* vbi post alios, resoluendo Decius probat etiam hodie arreptionem itineris ad superiorem seruatis seruandis in appellatione verbali, habere locum, & effectum appellationis verba

verbalis. Nauarr. *in consil. 5. num. 7. tit. de appellat. & in com. 2. de reg. num. 16.*

Appellatione iusta interposita nequit procedere iudex.

25 Appellatione probabili ratione fulta interposita, nequit ampliùs procedere iudex, aut aliquid innouare. *c. post appellat. 2. q. 6. l. 1. ff. nihil nouari appell. interp.* Nau. *consil. 1. de appell. n. 13.* Vnde pẽdẽte appellatione, integer, ac illæsus seruari debet dãnati status. Cou. *l. 1. var. resol. c. 16. n. 11. circa fin.*

A declaratione ab excommunicatione licet appellare.

26 Quamuis autem à sententia excommunicationis non possit appellari ad effectum eam suspendendi. *cap. 15. qui §. fin. de sent. excom. in 6.* à declaratione tamen, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellari, etiam ad effectum eam suspendendi, ita quod appellatione pendente nihil ei obsit, *iuxta gloss. receptam in cap. capientes. §. quòd si per viginti* vers. *priuatos de elect. in 6.* & latiùs tradit Felin. *in c. Rodulphus n. 43. de rescr.* vbi adducit illud Panorm. *in cons. 100.* quòd quamuis in facto verè notorio non possit appellari, vt dictũ est suprà, à sententia tamen iudicis declarantis factũ esse notoriũ posset appellari, cùm iudex possit iniustè declarasse, sicut in simili dixit gloss. *in d. §. quod si per viginti*, quòd licèt à sententia iuris non appelletur, *vt c. quia nos de appell.* à sententia tamen iudicis declarantis, quẽ incidisse in pœnam legis, benè potest appellari. Nauarr. *cõs. 9. de sent. excõ n. 5.*

Regularis igitur non solùm de publicis delictis, verùm etiam quando de occultis delictis grauioribus, atque grauissimis ad illorum infamiam, aut officiorum, siue etiam actiuæ, ac passiuæ vocis priuationem, aut carcerationem, aut aliam grauiorem vel grauissimam pœnam contra eosdem agitur, si grauentur, quemadmodum alij quicunque mortalium & ipsi appellare

pellare, siue prouocare queunt. Id efficacissimis, atque verissimis rationibus probat Sayrus *in claui regia. lib.12. c.17. num.38. & seq.* ac Rodriquez *in q.29. art.2. tom.1.quæst.regul. post* Nauarr.*cons.5. de appellat.num.6.*

27 Nec obstat, quòd vox vulgaris habet inter probos regulares (nec appellari, nec appellationes admitti debere) & quòd Conc.Trident. *cap.4. de reg. sess.25.* sic habet; *Nec liceat regularibus à suis conuentibus recedere etiam prætextu ad superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinarijs locorum tanquàm desertor sui instituti puniatur.* Et quòd *cap. ad nostram de appellat.*sic habet, remedium appellationis non ideò inuẽtum, vt alicui à religionis obseruantia exorbitanti debet sua nequitia patrocinium exhibere, *cap. reprehensibilis eod. tit.*habet, Nec subiecti contra Ecclesiasticam disciplinam in vocem appellationis erumpant. Et quòd vulgus ait, statutis religiosorum prohiberi appellationes, & appellantes à suis superioribus in carceres coniici, grauíque pœnitentia, & pœna purgari, & puniri. Non,inquam, obstant prædicta, vt optimè Nauarr. omninò videndus *in com.3. de regul. sub n.51. & cons.4. de appell. per totum :* quia vox illa vulgi intelligenda est de appellatione à correctione, & mandatis regularibus legitimè factis. Concilium non vetat appellare, sed ire ad superiorem sine licentia *cap. ad nostram* solùm prohibet appellare ad defendendam nequitiam, & ita de non oppresso,& appellante iniusta de causa.Nos verò loquimur de oppresso, & appellante iusta de causa, ob quam dicimus religiosum ritè posse appellare.

Cõc.Trid.

28 Ordo

28 Ordo verò appellationis assignatur à S. Congregatione, nempè à priore, vel Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad illustrissimum Protectorem, à Protectore ad sacram Congregationem. *Appellationis ordo.*

29 Nec quia regularibus sit vetitum, ne extra ordinem appellent, alioquin pœnam excommunicationis incurrunt, vt habetur per multa priuilegia, quæ possunt videri in comp. priuil.*tit.appellatio :* vt est illud præcipuum Innoc. VIII. Ordini Cistercienſi concessum, in quo motu proprio declarauit, huiusmodi appellantes, censuram, & pœnam excommunicationis ipso facto incurrere, ac pro talibus ab omnibus publicari debere, appellationésque nullas, & inanes fuisse & esse, & propterea ipsis iudicibus, ad quos appellatum esset, inhibet,*&c.* *Appellans extra ordinem est excommunicatus.*

30 Non inquam, propter hoc aliquam censuram incurrunt, qui ad sacram congregationem super regulares appellant:nam tribunal istiusmodi sacræ Cõgregationis, tanquàm Tribunal intra ordinem existimatur,ad hoc enim institutũ est;vt causas regularium, quando opus fuerit, cognoscant. Et hæc de defensione rei, & de tota hac materia de iudicio regulari dicta sufficiant, in qua prolixiores fuimus, quàm institutũ nostrum requirebat, sed ad solatium regularium præcipuè id fecimus, quibus labor noster desudat, à multis enim obnixè rogati fuimus, vt de tali materia aliquid scriberemus,quod factum est. Nunc verò ad explicationem reliquorum casuum, qui supersunt,reuertamur. *Sacræ Congregationis Tribunal intra ordinem censetur.*

SEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEXTVS CASVS.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

SVMMARIVM.

1 *Abortus quando fiat.*
2 *Abortus grauissimum peccatum.*
3 *Qui occidit fœtum animatum, verè homicida est.*
4 *Si dubitatur de animatione, an dans, seu procurans potionem pro abortu, incidat in irregularitatem.*
5 *Animatus fœtus quando.*
6 *Opus consummatum quando.*
7 *Nesciens mulierem esse grauidam, eique potionem dans, an incidat.*
8 *Pro abortu quando irregularitas incurratur.*
9 *An iocans, siue saltans cum prægnante, si abortiatur, incidat.*
10 *Declarantur illa verba,* auxilium seu consilium.
11 *Sixti V. constitutio contra abortum procurantes, moderata à Greg. XIV.*

Abortus quando fiat.

PAuca de hoc casu dicenda veniunt, quia rarò occurrit, & etiam quia cognitis terminis non habet difficultatem.

1 Primò igitur videndum est, quot modis fiat, & procuretur abortus, & dicimus breuiter, quòd pluribus viis id potest procurari, scilicet potione, baculo, onere, vel alio modo; sed vt plurimùm potione, quando post animatum fœtum talis potio datur, quæ mulierem grauidam abortiri faciat, vt frequentissimè accidit illis fœminis, quæ ex fornicatione clàm concipiunt, & procurant abortum; ne ex vteri tumore, aut partu sequenti infamentur ipsæ, & qui eas prægnantes fecerunt. Aliquando etiam id procuratur per Magiam, & sortilegia: & tunc peius est: nam præter peccatum procurandi abortum, committitur aliud grauissimum; nempe sortilegij, veneficij, aut incantationis, de quibus in primo casu.

2 Talis autem procuratio abortus grauissimum peccatum est: nam, vt rectè Sylvester ait, verbo, *abortus, num.* 1. Abortum, & sterilitatis venena procurans homicida est, & mortaliter peccat. *cap. aliquando, cum seqq. 32. quæst. 3.* Et si fœtus inanimatus est, & nobilis est sceleris auctor, parte bonorum amissa relegatur: si verò ignobilis, damnatur in metallum, *ff. de pœnis, leg. siquis aliquid, §. qui abortionis.* *Abortus grauissimũ peccatum.* Sylu.

Si verò erat animatus, debet capite puniri, quia verus est homicida. Sic enim præcepit *l. si quis necandi. Cod. ad leg. Corneliam de sicariis,* cuius hæc sunt verba; *Si quis necandi infantis piaculum aggressus, aggressaue sit; sciat se capitali supplicio esse puniendum.* Cuius ratio est: quia fœtus post animationem animа rationali, est homo, *cap. sicut. 2. de homicidio.* Nam sicut nihil est homo, quod non sit compositum ex corpore, & anima rationali: ita omne compositum ex illis est homo, *cap. in quadam, de celebr. Miss.*

3 Vnde qui occidit huiusmodi fœtum, verè occidit hominem, & verè dici potest homicida, vt dicit Panorm. *in d. c. sicut, num.* 1. Et errant, qui contrarium leuiter dicunt. Præterea huiusmodi Panorm.

fœtus, antequàm naſcatur, habetur pro nato, quò ad ea, quæ ſibi proſunt, *per l.qui in vtero,ff.de ſtat. hom.* quamuis non quò ad ea, quæ aliis proſunt; *iuxta l.quod dicimus,ff.de verb.ſignif.* Prætereà lex ſuprà poſita includit occidentem fœtum anima rationali animatum, ea firma ratione, quòd diſpoſitio quantumliber odioſa, & pœnalis includit omnia, quæ ſua verba propria ſignificant, *l.cum lege,* adiunct. gl. & doctrina Aretini communiter recepta, *ff.de teſtam.* & per prædicta huiuſmodi fœtus eſt verus homo, & occidens eum, verè occidit hominem, & ita propriè eſt homicida: ergo includitur ſub lege diſponente de homicida, etiamſi ſit odioſa, & reſtringenda.

Hinc ſequitur, quòd talis, qui id procurat, non ſolùm incidit in caſum reſeruatum; verùm, & incurrit in irregularitatem; quia cùm fœtus ille ſit animatus anima rationali, procurans abortum, homicida eſt, vt ſuprà probatum eſt. Et propterea
D.Thom. fit etiam irregularis. Vide D. Thom. *in 4.diſt.31. in litera,* quem ſequitur Sylueſt. *vbi ſupra.* Si verò fœtus nondum eſt animatus anima rationali, qui dat potum ad abortum faciendum, licèt peccet mortaliter: non tamen eſt irregularis, neque incidit in caſum reſeruatum.

Dubium. 4 Quòd ſi dubitatur de fœtus animatione; An Religioſus dans; ſeu procurans potionem pro abortu; ſeu conſulens, vel auxilium præſtans incurrat in irregularitatem?
Reſp. Reſp. quòd in foro contentioſo, vbi agitur de pœna, interpretatio fieri debet in partem mitiorem, *l.interpretatione,ff. de pœnis:* ſed in foro animæ; vbi agitur ad placandum Deum, & emendationem, debet quis ſe reputare homicidam, quia in talibus tutior via eſt eligenda,

eligenda, vt in *c.iuuenis de ſponſ.* & bonarum mentium eſt, ibi culpam timere, vbi culpa non eſt, *cap.ad eius in fine,diſtinct.5.argum.cap. ad audientiam, de homicid.* Vide Nauarr. *in Manuali, capite 27.* Nauar. *num.223.*

Animatus fœtus quãdo. 5 Secundò, videndum eſt, quando dicatur animatus fœtus, & circa hoc dicimus breuiter, quòd in maſculis eſt poſt quadraginta dies; & in fœminis poſt dies octuaginta: vnde hîc non agimus de qualibet animatione pro caſu reſeruato; ſed de animatione anima rationali: nam licèt quando eſt ibi anima vegetatiua, & quando etiam eſt ſenſitiua in embrione, ſi quis procuret abortum, peccet mortaliter: non tamen incidit in caſum; ſed benè quando factus eſt animatus anima rationali; ſic enim intelliguntur verba illa textus; *poſt animatum fœtum.*

Opus conſummatum quando. 6 Tertiò, ponderanda ſunt verba illa textus, *etiam effectu non ſecuto:* ex quibus infertur, tunc dici opus conſummatum in caſu noſtro; quando mulier acceperit id, ob quod poterat ſequi abortus, quamuis poſteà ille non fuerit ſecutus. Itaque religioſus ille, qui id procurat quocunque modo: vt dictum eſt, & facit, vt mulier potionem ſumat ad hoc ordinatam; licèt poſteà effectus non ſequatur propter aliquod impedimentum, nihilominùs ipſe incurrit in caſum.

Quartò, dum dicit textus, *ad abortum faciendum,* intelligi debet etiam ſi illud procurauerit ad bonum finem; ſcilicet ad præſeruandam mulierem à morte. Facit ad hoc id, quod habet Sylu. verbo, Sylueſt. *Medicus,* §.4.

Dubium. 7 Dubitatur hîc quid dicendum ſit de illo Religioſo, qui neſciens mulierem eſſe grauidam, daret

ret ei potionem quandam, propter quam posteà illa facit abortum, num incidat in casum reseruatum? Resp. quòd non, quia copulatiuè omnia debent simul concurrere; scilicet quòd mulier verè sit grauida, quòd fœtus sit animatus anima rationali, quòd detur potio, & quòd detur tali fine, & intentione: alioquin non incurreret in casum reseruatum.

Resp.

Pro abortu quando irregularitas incurratur. Nauarr.

8 Duo casus ponit Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 235. & 236.* quando in hac materia incurratur irregularitas.

Vnus est de Clerico introducente meretricem per tecta in domum suam, quæ si decidens moriatur, vel abortiat, fit irregularis: si verò introducat per viam planam, & idem contingat, minimè: quia licèt vtrumque opus sit illicitum, & ex vtroque sit secuta deformatio casualis; priùs tamen est sufficienter ordinatum ad eam, & posterius nō. Et à simili si Religiosus introducit mulierem grauidam in Monasterium per tecta, vel per muros, vel per sepes, & illa decidens moriatur, vel abortiatur: tunc incidit in casum, & fit irregularis præter alias pœnas de iure sibi debitas: si verò introducat per viam planam, & idem contingat, non incidit in hunc casum, neque fit irregularis, ratione dicta.

9 Alter casus est de eo, qui iocatur, aut saltat cum grauida muliere, quæ ob id abortit, non est irregularis, si licitè id facit, vt frater, propinquus, aut amicus honestus: secùs si illicitè, vt amator obscœnus, aut clericus, aut monachus, cui eiusmodi saltatio esset prohibita, *c. sicut ex tuarum, cum ibi annot. per Pan. de homicid.*

10 Quintò, ponderanda sunt illa verba textus,

tus, *auxilium, seu consilium*, per quæ verba patet, quòd non solùm ille, qui hoc procurat: verùm & qui auxilium, quoquo modo præbet, siue circa potionem conficiendam, siue circa portationem ipsius potionis, siue persuadeat mulierem, & adiuuet ipsam ad tale facinus, siue etiam ad hoc præstet consilium: nam semper peccat mortaliter, incidit in casum reseruatum, & in irregularitatem incurrit.

11 Sextò & vltimò, aduertendum est circa hanc materiam, quòd Sixtus V. Romæ anno 1588. quarto Cal. Decem. Pontificatus sui anno 4. edidit quandam constitutionem, in qua definiuit aduersus quascunque personas sæculares, ecclesiasticas, & quorumcunque Ordinum Regulares, qui venenosis medicamentis, potionibus, vel aliis modis, abortus maturi, siue immaturi; animati, siue inanimati fœtus eiectionem procurauerint: vel venena, aut potiones, ne mulieres concipiant, propinauerint, vel consilium præstiterint deponendi, & degradandi sunt à iudicibus ecclesiasticis, ac curiæ sæculari postea tradendi: vt capitalem pœnam patiantur, & ipso facto excommunicauit reseruando absolutionem sedi Apostolicæ.

Constitutio Sixti V.

Circa quam constitutionem est notandum, quòd Gregorius XIV. anno 1591. pridie Calendas Iulij Pontificatus sui anno primo, constitutionem prædictam in hunc modum moderauit, vt dictā excommunicationē sibi, & successoribus reseruatā, quilibet confessor ab ordinario approbatus, & ad hoc deputatus, possit ab ea in foro conscientiæ tantùm absoluere. Prælati verò Regulares per eorum priuilegia etiam in foro exteriori possunt suos Religiosos de hoc crimine conui-

Gregorij XIV. moderatio.

Nota.

Rodriquez ctos absoluere. Vide Rodriquez *in 2. tom. quæst. trigesima tertia, articulo quarto.*

SEPTIMVS CASVS.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij aut Conuentus.

SVMMARIVM.

1 Officialium *nomine qui veniant.*
2 *Patris Graffij sententia reiicitur.*
3 *An vtens falsificatione literarum, vel literis falsificatis incurrat in casum.*

Officialium nomine qui veniant.

1 PRo declaratione huius casus sciendum, quòd nomine *Officialium* Monasterij, seu Conuentus multi, & diuersi veniunt iuxta varietatem Religionum: nam apud Monachos sunt Abbas, Prior, Cellararius, Procurator, & huiusmodi; apud Moniales sunt Abbatissa, Priorissa, Vicaria, &c. Apud Regulares mendicantes sunt Generalis, Procurator Generalis, Prouincialis, Guardianus, Vicarius loci in absentia Guardiani: Prior, Subprior, Corrector, & huiusmodi. Quando ergo quis falsificat manum aliquorum prædictorum, aut falsificat sigillum alicuius eorum ad malum finem, peccat, & incidit in casum. Et quamuis iuxta Sylueſtrum, verbo, *falsitas*, ad falsitatem tria requirantur, scilicet vt sit veritatis mutatio, & vt fiat cum dolo; hoc est scienter, cum animo inferendi damnum, & quòd realiter illud subsequatur. Nihilominùs ad incurrendum hunc casum, sufficit mutatio veritatis, & dolus; licèt non

P. Graffij opinio.

non sequatur damnum. Et ratio est; quia per falsificationem manus, vel sigilli, iam est opus consummatum. *Sic Pater Graffius hîc.*

2 Nihilominùs, si nullum sequatur damnum; nempe quia noluit vti falsa scriptura, seu sigillo; sed combussit, vel lacerauit: non video, quomodo incidat in casum reseruatum; quando nec peccat mortaliter, si non malo animo facit: nam ex notatis per D. Antonium de Butr. *in cap. penult. num. 3. de crimine falsi*: sola falsificatio literarum sine vsu, non obligat quemquam ad pœnam falsi, & falsificatio scripturæ, quam non probat, neque inducit pœnam falsi: ergo neque inducit in casum reseruatum. Et confirmatur per id, quod habet idem Pater Graffius in explicatione *vndecimi casus de apertione literarum superioris*: vbi dicit, quòd qui aperit, & non legit, non incidit in casum; quia non vtitur illa apertura ad finem, ob quem facta est: ergo & hîc pariter idem dicendum videtur; nempè quòd si quis non vtitur falsa scriptura, seu sigillo, non incidit in casum reseruatum.

P. Graffius refutatur.

Si quis obiiciat, quòd nos *in eodem vndecimo casu* asserimus oppositum contra P. Graffium, & contra Stephanum Quaranta circa prædictam apertionem literarum. Resp. quod verùm est; sed diuersa est ratio huius, & illius casus: nam si quis falsificat manum, vel sigillum superioris, & eo non vtitur, nulli nocet talis falsificatio: at si literas superioris inferior aperit, licèt ipse nõ legat: occasionem tamen cæteris præbet eas legendi, dum eas sic apertas cernit.

3 Dubitatur hîc, An si quis vtatur literis ab alio falsificatis, & pariter sigillo ab alio falsificato, incurrat in hunc casum? Resp. cum distinctione:

nam vel talis scit hanc facultatem ab aliis esse factam, & nihilominùs ea vtitur, vel non scit: Si non scit, ad nihil tenetur. Si verò scit, & ea vtitur, dico quòd incurrit in hunc casum, & meretur pœnas illas, quas incurrunt omnes tales falsarij.

OCTAVVS CASVS.

Furtum de rebus Monasterij, aut Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 *Furtum quid.*
2 *Vt religiosus incurrat hunc casum, duo concurrere debent.*
3 *Quæ quantitas sufficiat, vt furtum sit mortiferum.*
4 *An Religiosus accipiens aliquid de bonis Monasterij, peccet mortaliter.*
5 *Superior, si nolit concedere necessaria Religioso, an ea sibi quis accipiens, peccet.*
6 *Res magnæ quantitatis accipiens, peccat, & ad restitutionem tenetur.*
7 *Ex multis furtis leuibus aliquando peruenire potest ad eam summam, quæ sit peccatum mortale.*
8 *An Religiosus possit donare alij, quæ sibi concessa sunt.*
9 *Religiosus eleemosynam facere potest ex iis, quæ ad suum victum, pro studio assignata sunt.*
10 *Minoritæ an liceat facere eleemosynam.*
11 *An Religioso liceat sumere de rebus Monasterij in magna quantitate pro eleemosyna facienda.*
12 *Sacrilegium est furari aliquid de Ecclesia.*
13 *Ad*

13 *Ad incurrendum excommunicationem pro sacrilegio, quæ requirantur.*
14 *Monasterij nomine quæ veniant.*
15 *Furans aliquid, ad vsum fratris particularis concessum, peccat, & incidit in casum.*
16 *Surripiens scripta, incidit in casum.*
17 *Furari in religione, quàm malum.*
18 *Religiosus ex communi vel ex particulari aliquid surripiens, an incidat in casum.*
19 *Idem dicendum de surripiente aliquid ex bibliotheca.*
20 *Quid dicendum de surripiente res, quæ vsu consumuntur.*
21 *Minoritæ quæ dare possunt extra Monasterium iuxta cap. Exiit.*
22 *Constitutio Clem. VIII. de largitione munerum.*

DE hac materia furti, vide D. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 66. & ibi Caietanum, Bannes, & cæteros sectatores: Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 10. Alex. de Ales. 4. *part. quæst.* 24. *memb.* 5. *art.* 3. Riccard. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 7. *art.* 1. Palud. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 2. Gabriel. *dist.* 15. *quæst.* 3. Soto. *de iust. & iur. lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 1. Nauarr. *in Man. cap.* 17. *num.* 112. Ang. verbo, *furtum*, Sylu. *ibidem.* Adrian. *quodlib.* 6. *art.* 1. Alph. à Castro *lib.* 2. *de potestate legis pœnal. cap.* 10. Couarr. *variarum resolut.* Michaël Salon. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. Petr. Nauarr. *libr.* 3. *de restitut. cap. primo*, Tolet. *lib.* 5. *cap.* 15. Cordub. *in summa. quæst.* 111. *& lib.* 1. *q.* 35. *& alij.*

1 Pro intelligentia huius casus, sciendum est, quòd furtum propriè, secundùm S. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 66. est acceptio rei alienæ occulta. Sed accipiendo *furtum* in ampliori significatione, prout S. Thom. *Furtum quid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

includit rapinam, latrocinium, & prædam, *est contrectatio rei alienæ fraudulosa inuito domino.* Et notanter dicitur, *contrectatio*; quia sine ea non est furtum, etiamsi voluntas interueniat; aut verbum, quoad homines, *l. 1. ff. de furt.* secùs quoad Deum, *cap. vulgaris de pœnit. dist. 1. & cap. si propterea, 33. quæst. 3. de pœnit. dist. 1.* Quia est contra illud præceptum diuinum; *non concupisces.* Dicitur etiam *rei alienæ*, quia in re propria non potest esse furtum. Et nomine *rei alienæ* intelligitur non solùm de rebus ipsius Monasterij, seu conuentus in communi, nempè de rebus pertinentibus ad communitatem: verùm & de rebus particularibus ad particularem vsum religiosis concessis.

2 Itaque, vt Religiosus incurrat in hunc casum, duo concurrere debent; vnum, quòd sit furtum; alterum, quòd sit in ea quantitate, quæ faciat peccatum mortale: quæ, quia non est decisa, relinquitur iudicio boni viri. Pro quo sciendum, quòd quantitas modica aliter consideratur in foro exteriori, & aliter in foro interiori: nam in foro exteriori Iureconsultus in *l. si oleum. §. final. ff. de dolo*, declarauit modicam quantitatem illam esse, quæ non excedit summam duorum aureorum. At in foro interiori, Nauarrus *lib. 3. consil. de regular. cons. 75. n. 18.* Dat quandam regulam generalem, dicens; quòd sufficit illa quantitas, quæ requiritur, vt furtum Laici sit mortiferum. Nauarr.

Quantitas, quæ sufficiat, vt furtum sit mortiferũ. Sorbus. Corduba.

3 Deinde descendit ad taxandam hanc quantitatem pro peccato mortali; & ait; furtum vsque ad vnum Iulium, vel Regale excluiuè, non esse mortiferum. Pater Sorbus *in addit. ad compendium Priuileg.* dicit, quòd pertingere debet ad valorem duorum Iuliorum. Corduba *in summa, quæst. 109.* expressè ait; furtum vnius Regalis argentei esse materiam grauem, & peccatum mortale: furantem autem aliquam quantitatem inferiorem solùm peccare venialiter.

4 Sed dura nimis videtur Sayro talis opinio: quia secundùm arbitrium boni viri ea summa non est tanta, vt ipsa ex se, secluso omni alio damno subsecuto, materiam furti grauem constituat. Nemo enim peccati mortalis damnaret eum, qui rem non excedentem valorem Iulij vnius furatus esset, putà gallinam mediocrem in loco, vbi dimidio regalis, aut Iulio valeret. Nec credendum est, Deum velle hominem æterna pœna pro re tam parui momenti, damnare: nisi aliæ maioris nocumenti circumstantiæ interueniant. Alij docent, duos, aut tres aureos, ex rei natura quantitatem sufficientem esse ad constituendum peccatum mortale, à quocunque auferantur, etiam à Rege; etiamsi aliud damnum inde non resultet: quantitatem verò duorum Iuliorum non esse; nisi à paupere surripiatur. Sic Sotus *lib. 5. de iustit. & iur. q. 3. art. 3. ad 3.* Ioan. Maior *in 4. distinct. 15. q. 25.* Petrus de Nauarr. *in lib. 3. de restit. c. 1. n. 35.* & Petrus de Arragon. *2. 2. q. 66. art. 6. dub. 3.* Verùm talis sententia nimis larga est, & vergit ad aliud extremum. Sayrus. Sotus. Maior. Petrus de Nauarr. Arragon.

In hac igitur Doctorum controuersia, quamuis nulla certa regula statui posset ad infallibiliter iudicandum, quænam quantitas leuis aut grauis sit; vt ex eius ablatione furtum veniale, aut mortale committatur, sed id arbitrio boni, & prudentis viri relinquendum; vt dictum est paulò antè, habita consideratione circumstantiarum loci: scilicet an regio illa abundet copia auri, vel argenti: Auctoris sententia.

genti: personarum,an diues,vel pauper sit;& damni, quod consequi solet ex furto rei ablatæ: Nihilominus communiter loquendo, sic videtur dicendum, quòd in communibus personis quatuor, aut quinque Iulij : in pauperibus autem vnum, aut duo Regalia, seu Iulij,sufficiens erit quantitas pro peccato mortali ; & hoc exclusis aliis omnibus extrinsecis damnis,& nocumentis. Cuius rei non potest commodior ratio assignari , quàm quòd recta ratio, & arbitrium boni , & prudentis viri ita iudicare solet. Vide quæ de his diximus suprà in explicatione Quarti casus : versus finem ib. *Quoad tertium.*

Dubium. Dubitatur hîc primò; An Religiosus accipiens aliquid ex bonis Monasterij , peccet mortaliter; & per consequens incurrat in casum reseruatum, & ad restitutionem teneatur? Et quæstio est solùm de rebus mobilibus: nam de immobilibus res est manifesta, nec ita passim occurrere solet.

Respon. Resp. ad hoc plura.

Primum est, si res ablatæ non sunt necessariæ; aut si sunt : superior tamen concederet,si peteret, peccat mortaliter vsurpando ; quia facit contra votum paupertatis , exercens actum dominij. Si enim eam accipit; vt sibi debitã , quasi ius habeat ad bona Monasterij , exercet actum dominij ; vt constat, cùm nulla petita licentia,vt suam,vel sibi debitam rem vsurpat. Sin autem rem illam , non vt suam,vel sibi debitam apprehendit: ergo furtum committit;& peccat mortaliter , si res notabilis sit; cùm alienum, sibique non debitum vsurpat. Vtroque ergo modo peccat, & incurrit in casum, & restituere tenetur,si res extet. Sic Corduba *in summa quæst.* 109. Petrus de Nauarr. *vbi sup.* & Azor. *p.* 1. *lib.* 12. *inst. moral. cap.* 11. *dub.* 6.

Corduba. Petr. de Nauarr. Azor.

5 Secundum est, si res ablata talis esset , quæ necessaria censetur ad vsum Religiosorum priuatorum,vt sunt cibaria, vestes , &c. & sua necessitate proposita , adhuc superior concedere nollet, accipiendo non peccaret, nec ad restitutionẽ teneretur. Sic Petr. de Nauarr. *sup.* Ratio est , quia superior dare debebat : cùm enim bona illa sint communia,& pro fratrum necessitatibus donata, superior eorum non est dominus : sed gerit se iniustè:vnde potest religiosus ea pro necessariis suis vsibus accipere absq; violatione voti paupertatis. Hoc enim non est exercere actũ dominij,aut proprietatis, sed vsum rerũ necessariarum ad victum, & vestitum habere, quod voto non repugnat. Sicut enim religiosus inseruire tenetur Monasterio : ita etiam Monasterium tenetur de necessariis ad vitam ei subministrare.

6 Tertium est,qui res in aliqua magna quantitate accipit , siue sit vsu consumptibilis,siue non, & dederit eam alicui extra Monasterium , peccat mortaliter,incurrit in casum, & ad restitutionem tenetur tam ipse , quàm recipiens. Sic Corduba, Pet. de Nauarr. & Azorius *vbi sup.*Ratio est:quia sic accipiendo , & donando sine licentia superioris, furtum committit,& actum dominij exercet, quorum vtrumque illi prohibitum est.Vnde si res extat,tenetur tam ipse , quàm accipiens eam Monasterio restituere,cùm vterque iniustè acceperit, & retineat.

Corduba. Petr. de Nauarr. Azor.

7 Dubitatur hîc;An si quis minutatim furatur magnam summam:ita vt ex quolibet actu non faciat nisi peccatum veniale: ratione tamen summę sic collectæ, committat peccatum mortale , & ad resti

restitutionem teneatur, verbi gratia, est famulus, qui minutis ablationibus herum fraudat : scilicet, quia singulis diebus singulos quadrantes surripit, vel ad forum rerum venalium emendi causa proficiscens, vel clam domi subducens. Sotus *lib.5. de iustitia, & iure, q.3. art.3.* huius famuli furtum damnat tanquàm mortiferum. Idem sentit Medina Nauarr. verò benigniùs interpretans huiusmodi furta, *in Manuali cap. 17. n. 139.* dicit plura. Primùm ex multis furtis leuibus, & quæ omnia peccata sunt venialia, peruenìri potest ad eam summam, quæ sit peccatum mortale, & teneatur ad restitutionem. Deinde ex venialibus furtis obligationem existere posse necessarium restituendi. Deinde de hoc genere furtorum non ignoscendum esse ei, qui continenter, necmodicis expectatis interuallis in illis versatur : ei verò parcendum, qui minutis furtis intermissis, longioribus interuallis in illis versatur : licèt huius furta summam altero tanto maiorem, quàm illius relinquant, omnísque supersit, quam etiam retineri posse ait, salua cum Deo amicitia.

Ex multis furtis leuibus peruenìri potest ad eã summam, quæ sit peccatũ mortale.

Ego sic distinguo ; Qui sæpè repetitis furtis, maioris rei eripuit summam, aut eam summam conseruauit, aut exhausit. Si conseruauit, restituat domino : nisi fortè ei exploratum sit, dominum condonaturum. Si non seruauit, sed consumpsit, aut in rem quampiam necessariam, seu vtilem, seu honestam consumpsit, tacitè approbante domino, aut secùs, priori modo non videtur ei imponenda necessaria lex restituendi. Primum, quia nec auferendo peccauit, nec retinendo, quia re ipsa non retinuit. Non peccauit, inquam,

quam, peccatum graue. At furtum, nisi criminosum sit, vinculo necessariæ restitutionis non cõstringit. Deinde, quia huiusmodi furta leuiora, quæ ad res neque turpes, neque flagitiosas seruo, segetem præbent, ingenui nomino contemnere consueuerunt. Si posteriori modo, esset acriter obiurgandus famulus, deterrendus, hortandus ad rem furtiuam reddendam, seu eius æstimationem, quandoquidem consumpta est : cogendus etiam, si magnum esset damnum, quia dominus sustinere nollet. Nauarr. autem cogere videtur hunc seruum propter retentionem rei collectæ, atque manentis. Manual. *cap. 17. n.4. & num. 139.* Vide quæ suprà diximus *in 3. sect. in prima conditione confess. sub num. 7. in fine, in additione.*

8 Dubitatur tertiò ; An religiosus possit donare aliis ea, quæ sibi ad proprios vsus concessa sunt? Resp. quòd religiosus etiam ex iis, quæ sibi deputata sunt ad proprios vsus, si sine Prælati licentia dispenset rem notabilis quantitatis tam intra, quàm extra Monasterium, peccat mortaliter, & incidit in casum. Vide D. Antonin. *in 3.p. tit.16.§.11.* Sylvest. verbo, *Religio.6.q.7.* Nauarrus *in cap. non dicatis tom.1. quæst.1. num.44.* & probatur : nam vsuarius nequit de rebus tantùm ad vsum proprium concessis in alios vsus disponere, vt patet ex iure ciuili : sed sic est, quòd religiosus est vsuarius eorum bonorum, quæ sibi destinata sunt, ergo non potest in omnem vsum ea expendere. Hinc rectè ait Sotus *lib.4. de iust. & iure, q.1. art.1.* quòd sicut cùm aliquis quosdam conuiuio excipit : non facit eos dominos esculentorum, & poculentorum, quibus mensa struitur,

Dubium. Respons. Antonin. Sylvest. Nauarr. Sotus.

tur, quia neque illis facit copiam, vt illa ad alios transmittant, aut in proprias domos portent, sed vt sedētes vescantur illis: ita Monasterium facultatem facit Monachis edendi, vestiendi: sed non ea bona in alios vsus expendendi.

Religiosus eleemosynā facere potest ex ijs, quæ ad suū victum pro studio destinata sunt. Sylvest. Tabien. Nauarr.

9 Licitū est tamen religioso peregrinanti; vel existenti in studio, extra claustra facere eleemosynam modicam ex his, quæ sibi in propriam sustentationem sunt assignata: vt tenet post alios Sylvester, verbo, *eleemosyna, quæst.* 5. Tab. *num.* 8. & Nau. *vbi supr. num.* 4.

Minorita an liceat facere eleemosynam.

10 Verùm non licet fratri minori in obseruātia suæ regulæ viuenti, vt ea quæ ipsi conceduntur ad certas necessitates præsentes: vel imminentes, expēdat in alios vsus, ad quos verisimiliter existimat, facultatem à Prælato non faciendam: nam si aliter facit, peccat mortaliter cōtra votum paupertatis.

Obiectio.

Si dicas, quòd diuersus est casus minorum ab aliis religionibus quæ habent bona in communi. Bona enim illarum religionum sunt sedis Apostolicæ per Prælatos regulares dispensanda; & ideò peccant mortaliter contra voluntatem ipsorum pecuniam expendendo. At pecunia, seu res, quæ conceduntur fratribus minoribus ad eorum necessitates subleuandas, non sunt sedis Apostolicæ; sed dantis; & ita semper antequàm expendantur, dominium talis pecuniæ est apud dantem, vt *in cap. exijt, de verborum significatione.* Et ideò videtur, quòd frater minor possit eam conuertere ad quoscunque vsus, expressa, vel præsumpta voluntate dantis.

Respons.

Respondeo, quòd prædicta obiectio non prodest, quia ad hoc, vt frater minor possit prædictam pecuniam, vel rem licitè conuertere in aliquam

quam rem, duplex licentia requiritur. Prima ipsius dantis, posterior Prælati, & licèt adsit voluntas dantis; deest tamen voluntas Prælati, qui id minimè permittit: & per consequens tali voluntate, & licentia deficiente, peccant mortaliter fratres Minores id facientes: nam licèt dominium pecuniæ sit ipsius dantis, quousque expendatur: vsus tamen ipsius debet regulari à Prælato ipsius Religiosi, ne contra votum paupertatis promissum aliquod sinistrum committatur.

Dubium.

11 Dubitatur quartò; An liceat Religioso sumere de rebus Monasterij, seu Conuentus; quod constituit peccatum mortale, vt scilicet inde faciat eleemosynam.

Respon.

Respondeo, quòd non licet, & si id faciat peccatum mortale committit, & in casum reseruatum incidit, quod elicitur ex cap. *non est putanda,* 14. *quæst.* 5. *cap. si fortè ibidem.* vbi habetur, quòd etiamsi totum tribuat parentibus, quod abstulerit; non minuit peccatum: nam species furti est ex alieno largiri, *l. si pignore. ff. de furtis.* Nisi necessitas pauperis fuerit extrema, quæ æstimanda est iudicio boni viri, vt quæ moraliter præ se fert periculum magnum salutis vitæ, *c. si quis de furtis.* Igitur excepto hoc casu, non excusantur Religiosi, qui intuitu pietatis de rebus Monasterij sumunt, aut furantur, vt pauperibus eleemosynas tribuant, siue tales Regulares sint in administratione, siue non. *Vide Graffium hîc.*

Limitatio.

Tu tamen limita in nostra Minoritana Religione circa ea, quæ communiter dari solent pauperibus; iuxta formam *in cap. exiit. de verborum signif.* à Nicolao tertio præscriptam. Et insuper limita, quando in dando quis habuerit excessum charitatis,

tatis, & ille, cui datur, fuerit in extrema necessitate: nam de talibus, & similibus quàm plurima exempla habemus in nostris Chronicis ex sanctissimo Patre nostro Francisco, qui aliquando etiam habitum, quem deferebat, dabat.

Dubium. 12 Dubitatur quintò; An sit casus reseruatus furari ab Ecclesia res spirituales, vt sunt reliquiæ, calices, vestes altaris, & huiusmodi? Respondeo cum Sylueſtro, verbo, *reliquiæ, quæstion.* 2. quòd sic. Respons. Sylueſt. Imò quia talis auferens sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, sacrilegium committit. *c. si quis, 17. q. 4.* *Sacrilegium est furari aliquid de Ecclesia.*

Dubium. Sed num incidat in excommunicationem, qui furatur calices, patenas, & huiusmodi de sacristia? Respons, Panormit. Resp. quòd secundùm Panormitanum *in cap. ex literis, de furt.* non est excommunicatus, nisi cum furto effregerit etiam portas Ecclesiæ, vel armaria, aut feneſtras: ita Sylu. verb. *furtum, num. 7.* Sylueſt. Et hoc probatur per cap. *conqueſtus, de sentent. excom.* vbi habetur esse excommunicatos sacrilegos, qui effringunt, & spoliant Ecclesias. Quæ decretalis non excommunicat: sed præsupponit esse excommunicatos; siquidem iubet denuntiari eos, vt tales: *argum. cap. pastoralis, §. verùm de appellat.*

Ad incurrēdam hanc excommunicationem requiritur fractio portarum & furtum. 13 Ad incurrendum ergo hanc excommunicationem duo requiruntur; scilicet perfringere portas, & furari: & ob id effringens crucem, sacrarium; aut perpetrans similia scelera, si non furatur, non incurrit in excommunicationem, prout post Panormitanum tenet Antonius, *3. part. tit. 24.* Panorm. Antonin. Caiet. Caietanus *in summa.*

Nomine Monasterij 14 Nomine verò *Monasterij*, veniunt Monasteria, Hospitalia & reliqua pia ædificia auctoritate Episcopi ad id sacrata, & non alia, secundùm Panorm.

Panor. *in d. c. conqueſtus, C. ad hæc, de religioſ. domibus.* Is autem dicitur effringere Ecclesiam, qui effringit, vel effodit parietem, aut frangit fores, diruit seras, & qui impellendo, aut quocunque alio medio violento ingressum sibi parat, prout tenet Sylueſt. verb. *excommunicatio. 7. n. 8.* non autem qui reserat eas claue; siue eam surripuerit, vel extorserit, siue non, iuxta communem, quam sequitur Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 94.* Nauar. *quæ loca veniant.* *Effringit fores quis.*

Dubium. 15 Dubitatur sextò; An furans aliquid notabile ad vsum fratris particularis concessum, peccet mortaliter, & incurrat in hunc casum? Resp. quòd sic: nam casus prædictus intelligitur non solùm de rebus Monasterij, aut Conuentus in communi; nempè de rebus pertinentibus ad communitatem, tam de mobilibus, quàm de immobilibus; tam de iis, quæ vsu quotidiano consumuntur, quàm de iis, quæ durant: Verùm etiam de rebus particularibus ad particularem vsum Religiosis concessis, prout fuit declaratum à summo Pontifice legislatore; sicut refert Pater Sorbus *in suis addit. ad Compendium.* Et ratio potest esse firma; quia licèt apud Regulares omnia sint communia, vsus tamen aliquarum rerum non est omnibus communis, & debet à superiore limitari, qui auctoritatem habet dispensandi res Monasterij fratribus, & Religiosis sibi subditis; prout meliùs secundùm Deum ei videbitur, attendendo ad gradus, & ad officia vniuscuiusque Religiosi. Vide Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 11. q. 6.* Dubium. Resp. Sorbus. Azor. *Furans aliquid ad vsū fratris particularis peccat, & incidit in casum.*

16 Quibus addendum est, quòd incidit in casum reseruatum, non solùm qui à Religioso particulari furatur, & surripit res Monasterij, seu Conuentus à superiore sibi concessas: verùm, & *Surripiens scripta, incidit in casum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui surriperet ab eo scripta aliqua, in quibus ille multùm vigilauit: nam tunc illud iudicatur furtum magnum, vt dixit Angelus *in l.1.Cod.vnde vi.* Æstimatur enim quandoque res plus vni, quàm alteri propter aliquam causam particularem. Quod intelligitur non solùm, quando talia scripta surriperet, vt illis vteretur contra voluntatem domini; verùm & quando malo fine id faceret, scilicet vt combureret, vt proiiceret in foueam, in puteum, vel in sterquilinium. Et eo magis hoc; quia in tali casu non solùm interuenit furtum, verùm & contemptus rerum sacrarum, contra quos, iudicio meo, posset inquiri, quidnam sentiant de fide. Angel.

Furari in Religione quàm malum.

17 Insuper, vt cognoscatur quàm graue malum sit furari in Religione, & tale facinus ab omnibus Religiosis explodatur: apponam hîc, quæ habet Rodriquez *tom.2.qq.regul.q.38.art.1.sub tit. Quæ pœna sint puniendi Religiosi fures.* Et habet sic; Respondeo, quòd quidam modernus Ioannes Trullo *lib.2.canon.regul. cap.23. num.9.* nimis rigidè, religiosè tamen cum furibus se gerit; ait enim, quòd est graue crimen in Religione peccatum furti: & vt incorrigibilis frater est expellendus, ita quoque fur ex Religione. Quòd si contra obiicias, ait, qua ratione propter furtum, quod duntaxat damnum est temporale, abiiciendus sit frater, propter quem Christus mortem pertulit. Trullo.

Respondet primò, quòd fures in Religione non solùm rebus temporalibus, sed etiam spiritualibus nocent: deinde, & sanctam Congregationem conturbant, bonúmque aliorum spirituale impendunt. Est quoque alia ratio in ipsorum furum vtilitatem, vt cùm expulsos se intueantur, confusio

confusione, tribulationéque percussi, ad cor reuertantur. Quapropter, ait, propter ipsorum, illorúmque spirituale bonum, tanquàm iusta infligitur eis talis pœna. Vide hoc ad longum in Rodriquez, *vbi suprà*, supradictis difficultatibus, aliàs subnectam pro maiori dilucidatione huius materiæ, & vt scrupuli aliquorum Religiosorum amoueantur, sit ergo: Rodriq.

18 Septimum dubium; An Religiosus, qui ex communi, aut ex eo, quod alteri ad vsum eius tributum est, furtim aliquid sibi capit, in prædictum casum incidat? Resp. quòd distinctione opus est; nam vel res est magnæ quantitatis, vel paruæ: si paruæ, non incurritur: si magnæ, incurritur; & præterea videndum est, an hoc faciat subditus contradicente superiore, vel non contradicente, saltem explicitè: nam primo modo incidit in casum, si res est magnæ quantitatis, secundo verò modo minimè. Dubium. Resp.

19 Idem quoque videtur dicendum, si Religiosus ex communi bibliotheca, aut communi loco aliquid, inscio superiore, ad suum vsum, & commodum ceperit: est enim prospiciendum, an in ea re tacitus aliquis consensus superioris inesse credatur, & tunc non est furtum, alioquin erit. Instabis, num votum Paupertatis negligat, si inscio superiore ex loco publico rem aliquam sumat sibi vtendam ad tempus, vt deinde in eundem locum restituat? Respondeo quòd non videtur talis, paupertatem violasse; nisi fuerit aliunde prohibitum; non enim eo, quod accipit, vti vult citra omnem prorsus sui superioris voluntatem: sed ad certos tantũ dies animo, & voluntate illud in eundẽ locum, vnde acceperat, referẽdi. Instantia. Respon.

Dubium.

Resp. Maior.

20 Sed quid dicendum, si ea surripit, quæ vsu consumuntur, vt comestibilia, & huiusmodi, quæ amplius non possunt restitui; An committatur furtum? Maior. *in 4.distinct.38.q.8.* videtur sentire, talem contra votum paupertatis facere; quia vtitur re, vt propria, videlicet consumit, quod ad esum, vel potum communem pertinet absque superioris consensu explicito, vel tacito. Certè Religiosi hac in re cauti esse debent, & sibi timere, ne plus æquo sibi sumant; alioquin si res magnæ quantitatis sit, committitur peccatum graue contra votum paupertatis, & incurritur casus.

21 Et quia supra *in fine tertij dubij* diximus, quòd fratres Minores poterant dare aliquas res extra Monasterium, iuxta formam præscriptam à summis Pontificibus, præcipuè autem à Nicolao tertio, ponam hîc breuiter ea, quæ ex ipsius constitutione ad id requiruntur.

Conditiones requisitæ, vt Minorita possit aliquid dare iux. cap. exiit. de verb. sign.

Prima quarum est, vt res sit vilis, & parui valoris, secundùm quod in Capitulis Gen. vel Prouinc. vel extra à Generali, Prouincialibus, & Custodibus, eorúmque commissariis determinatum, & ordinatum fuerit.

Secunda, quòd de prædictorum superiorum licentia fiat, vnde Guardiani ex vi sui officij non possunt illam dare; nisi à prædictis Prælatis, vel à consuetudine fuerit concessum; sicut hodie, eo ipso, quòd Guardiani instituuntur, concessum eis esse videtur. Et licèt sine præfata licentia valeant fratres adinuicem res aliquas, vt libros, vestes, & alia similia inter seipsos accommodare; rem tamen aliquam donare, aut recipere inter se inuicem non possunt, vt communiter expositores

res Regulæ aiunt. Pro minimis verò, & sæpè necessariis, (secundùm Vgonem, & Pisanum) licentiam generalem sufficit habere, & etiam sufficit licentia interpretatiua, hoc est, quando Prælati id sciunt, & libenter permittunt: aliàs si de contraria voluntate præsumeretur, non possent.

Tertia conditio est, quòd res sit mobilis; quia de immobilibus, vtputà de horto, nec palmum fratres donare poterunt, & si de facto dederint, donatio est nulla, & ipsi proprietatis actum committunt.

Quarta conditio, quòd res donanda non sit pecunia; quia cùm illius vsus nobis sit interdictus, nec Papa in suum dominium illam recipit, non possumus eam donare. Et sic nec possumus partem pecuniæ nobis legatæ ad preces hæredum donare, quia talis pecuniæ domini non sumus. Et sicut ipsi fratres non possunt aliis donare: ita etiam nec aliquid possunt ipsi accipere sine suorum Prælatorum licentia, vt ait Vgo, & Serena Conscientia *q.81.*

22 Prætereà sciendum, quòd circa hanc materiam extat constitutio sanctissimi Papæ Clem. VIII. de largitione munerum, quæ incipit, *Religiosæ congregationes*, in qua præscribitur modus donandi in aliquibus casibus.

Clem VIII *Constitutio de largitione munerũ.*

Primus casus est, quando de aliqua re in capitulo fit determinatio, quòd potest dari, & debet fieri talis determinatio vnanimi omnium consensu.

Secundus casus est, quando donantur leuiora esculenta, & poculenta, seu ad deuotionem, & Religionem pertinentia munuscula. Ad quæ possunt reduci paruulæ reliquiæ sanctorum, imagi-

Universidad de Deusto Biblioteca

Reliquiæ sanctorum an possint dari.

nes papireæ, vascula aliqua liquoris mannæ, coronæ aliquæ cum indulgentiis, Agnus Dei, medaliæ benedictæ, seu libelli aliqui deuoti: sed si essent magnæ reliquiæ sanctorum, vel reliquiarij, & alia supradicta magni pretij, vel excederent summam illam quatuor, aut quinque Iuliorum; tunc essent obseruanda ea, quę de primo casu sunt dicta, vt videlicet in Capitulo Generali, vel Prouinciali id dicebatur.

Tertius casus est, in quo Religiosi inter se ipsos possunt donare, est rerum minimarum non excedentium valorem trium, quatuor, aut quinque Iuliorum. Nam vltra talem summam, habenda esset concessio à Capitulo.

Hoc autem non intelligitur de donatione illarum rerum, quæ sunt partus intellectus: vtputà conciones, lectiones, conceptus, & huiusmodi; quia non sunt res Monasterij, & ideò licitè possunt fratres ea sibi dare, vt declarauit idem summus Pontifex Clemens VIII. Hæc pro nobis Minoribus.

Pro aliis verò Regularibus Pontifex declarat, quòd licitum est aliquid dare extra Monasterium pro subleuandis pauperibus etiam ratione hospitalitatis: ratione gratitudinis, vrbanitatis, &c. *Videatur Bulla.*

NONVS CASVS.

Lapsus carnis voluntarius.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus quando incidit in hunc casum.*
2 *Concupiscentia quando, & quid sit.*

3 *Concu*

3 *Concupiscentia eiusdem est speciei cum peccato, quod committi desideratur.*
4 *Consensus duplex, expressus, & tacitus.*
5 *Ad peccatum mortale qui consensus requiratur.*
6 *Consensus interpretatiuus quis.*
7 *Ad incurrendum peccatum mortale sufficit consensus interpretatiuus.*
8 *Idem asseritur.*
9 *Cogitatio morosa quæ, & quando sit.*
10 *Cogitatio morosa in videndo pulchram mulierem, quando sit peccatum mortale.*
11 *Delectatio morosa cuius generis sit peccatum.*
12 *Delectatio consurgens ex tactibus, non motiuo inhonesto factis, non est peccatum mortale.*
13 *Pollutio nocturna quando peccatum, & quando minimè.*
14 *Pollutionis nocturnæ plures possunt esse causæ.*
15 *Religiosus cogitans turpia, & se polluens, non incidit in casum.*
16 *Pollutio procurata est peccatum mortale, & casui reseruatus.*
17 *Peccatum carnis aliquando cum secunda persona committitur.*
18 *Actus consummatus quando.*
19 *Religiosus sollicitatus, & minis inductus à muliere, peccans, an incidat in casum.*
20 *Peccatum nefandum nefanda sortitur nomina.*
21 *Peccatum contra naturam causa fuit diluuij ex S. Methodio.*
22 *Chrysostomus mira dicit contra patientes muliebria.*
23 *Sodomitici peccati pœna ex S. Scriptura.*
24 *Sodomitici peccati pœna ex Constitut. Pij & Sixti V.*
25 *Declarantur præfatæ constitutiones.*

26 *Confessarij sollicitantes pœnitentes ad carnale peccatum in actu confessionis, sunt suspecti de hæresi.*
27 *Extra verò actum confessionis non sunt suspecti.*
28 *Qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, qua pœna dignus.*
29 *Impudicitia, in qua corporis parte consideretur.*
30 *Muliebria patiens, incidit in casum.*
31 *S. Bonauenturæ doctrina præclara de tactu impudico.*
32 *Bestialitatis peccatum grauius, quàm quodcumque aliud carnis peccatum.*

DE hac materia tractant omnes Summistæ. Nauarr. *in Man. cap.* 16. Sanct. Anton. 2. *parte tit.* 6. *q.* 1. *cap.* 5. Ang. Sylvest. Tabien. Armilla, Soto *in* 3. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.*7. Adrian. *in* 4. *quæst.* 4. Lopez *part.* 1. *cap.*74. Tolet. *lib.*5. *c.*13. D. Thom. 2.2. *q.* 154. ibi Caiet. & sequaces, Alex. de Ales. D. Bon. Riccard. Scotus, & omnes.

Materia hæc carnis valde delicata est, & cum magna discretione est tractanda: quod nos, Deo fauente, præstabimus: & licèt in hac secunda editione propter simplices Sacerdotes quàm plurima hîc addamus, semper tamen modestiam religiosam ante oculos habebimus.

Religiosus quando incidit in hûc casum.

1 Igitur ad hoc, vt Religiosus in hunc casum incurrat, opus est, vt incidat in lapsum carnis voluntariè & quòd illud opere compleat: & hoc tam in prima persona, quàm in secunda, quomodocúmque, & secũdùm quaslibet species: nam omnes comprehenduntur in hoc casu. Vide quæ habet D. Thom. *in opusculo* 4. De hac materia ergo locuturi, sic eam distinguere placuit.

D. Thom.

Distinctio huius materiæ.

Peccatum hoc vel est internum, vel externum. Si internum: sic ad eum pertinet concupiscentiæ peccatum, vel delectatio morosa: si externum, vel est in propria persona, vel extra. Si in propria persona, tunc est pollutio, quæ si est procurata, & voluntaria, dicitur mollities. Si non est procurata, dicitur pollutio, quæ aliquando potest esse diurna, aliquando verò nocturna. Si verò hoc peccatum fit extra: tunc vel est naturale, vel contra naturam: si naturale est, tunc varium sortitur nomen iuxta varietatem speciei: nam aliquando potest esse simplex fornicatio, aliquando adulterium; aliquando incestus, aliquando sacrilegium, aliquando defloratio, & huiusmodi. Si verò est contra naturam, tunc vel est in creatura rationali, & dicitur sodomia, vel est in brutali, & tunc dicitur bestialitas, de quibus (breuiter tamen) dicendum est per singula.

Peccatum igitur carnis, quãdo est interius, potest esse vel cõcupiscentia, vel delectatio morosa.

Concupiscentia.

2 Concupiscentia est, quando quis desiderio, & affectu deliberato concupiscit rem veneream, & tunc est peccatũ mortale prohibitum in nono Decalogi præcepto. *Non concupisces.* & in S. Matthæo, cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quo sanè loco, visus, pro omni motu accipitur, qui est ad delectationem luxuriæ, atque adeò non solùm corporalis, sed etiam interior affectus, quo quis alterius vxorem illicitè concupiscit, prohibitus censetur. Matth. 5.

Concupiscentia eiusdem est speciei cum peccato, quod committi desideratur.

3 Est autem concupiscentia hæc non solùm peccatum, sed etiam illius speciei, qualis est peccatum ipsum, quod committi desideratur. Intentio enim nomen operi imponit. Qui ergo committere desiderat peccatum sodomiæ, sodomiam men

mentalem iam commisit, & qui cum coniugata coire desiderat, adulterium perpetrat, & sic de singulis speciebus.

Consensus duplex, expressus, & tacitus.

4 Sed vt sciatur, quando quis consentit, & qualis consensus sit peccatum mortale, notandum, quòd duplex potest esse consensus, expressus, & tacitus, seu interpretatiuus. Consensus expressus, & explicitus est, quando voluntas aduertens aliquam delectationem illicitam irrepsisse in mentem, & cogitationem, illam vult, & approbat expresse. Implicitus, seu interpretatiuus consensus est, cùm quis aliquid facit, vel non facit liberè, vnde consequitur aliqua delectatio illicita, ita tamen vt non solùm possit, vel non possit illam velle repellere, vel non repellére, sed etiam vt teneatur illam repellere, vel non repellere.

Qui rursus potest esse triplex. Primus est, quando aliquis, licèt explicitè non velit ipsam delectationem, liberè tamen facit aliquid, quod est causa huius delectationis, aduertens inde consequi hanc delectationem illicitam. Secundus est, quando opponit liberè huiusmodi causam, aduertens tamen in se aliunde causatam delectationem illicitam, & non resistit illi, vel displicet illi talis delectatio. Tertius est, quando est causata delectatio illicita, vndecunque causata sit, quam ille non considerat esse delectationem malam, potest tamen, & debet auertere.

Ad peccatum mortale qui cõsensus requiritur.

5 Ad peccatum mortale ergo patrandum, si consensus est perfectus, scilicet deliberatus, & expressus, talis consensus erit peccatum mortale. Si verò imperfectus est, & indeliberatus, hoc est, cùm quis ita aduertit talem motum illicitum, aut saltem potest ex aliqua præsenti cogitatione animaduertere, vt illum repellere possit: non tamen ita facilè ex eo, quòd non plenè eius malitiam aduertit, erit tantùm veniale, etiam si pro obiecto haberet rem illicitam mortaliter.

Consensus interpretatiuus quãdo fit.

6 De consensu verò interpretatiuo variè loquuntur Doctores. Aliqui dicunt, quòd si quis aduertat plenè se delectationem illicitam versari in mente sua, tunc aut consentit illi, & sic est peccatum mortale, quotiescunque delectatio est de re mortaliter mala, aut non consentit expresse, & tunc aut ratio aduertit instare periculum consensus expressi in eam, & tunc, nisi voluntas illam reprimat, & repellat, sed patitur in huiusmodi se cogitationibus occupari, peccat mortaliter, aut ratio aduertit, se in tali cogitatione occupari: non tamen aduertit imminere periculum consensus: quia re vera abest omne periculum, tunc voluntas, eam non repellens, cùm posset, non peccat mortaliter, sed ad summum venialiter, sic absolutè docent Angel. verbo, *cogitatio num. 2.* Sylvest. verbo, *delectatio, quæst. 1.* Tabiena *ibidem quæst. 6.* Armilla *eod. num. 3.* Adrian. *in 4. quæst. 4. de Eucharistia §. per hæc dico, in resp. ad 4.* Caietanus *in summa verb. delectatio* vers. *Magna tamen.* Vbi disertis verbis docet, quòd si quis non ex complacentia talis delectationis, sed quia scit voluntatem suam constantissimam esse, & confidens, se in eam non consensurum, persistat in ea, non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter, quia non exequitur illud præceptum Psalmi 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant.* Hoc facilè potest accidere hominibus cõscientiæ timoratæ, inquit

Angel. Sylvest. Tabien. Armilla. Adrian. Caiet.

Psalm. 17.

Caietan. quit Caietanus, qui cùm longè absint à periculo consentiendi, non repellendo tales delectationes, cùm possint, peccant solùm venialiter. Quod

Nauarr. Philiarc. Medin. probat etiam Nauarrus *in Man. cap.* 11. *num.* 12. Cosmus Philiarchus *de officio sacerdot. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. Medin. 1. 2. *q.* 74. *art.* 6.

7 Alij tamen docent, sufficere ad mortale peccatum constituendum, consensum virtualem, seu interpretatiuum, quando adest expressa aduertentia. Sic Alexand. de Ales. *part.* 2. *quæst.* 118.

Alensis. S. Thom. S. Bonau. *membr.* 11. S. Thom. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. S. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 24. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *n.* 75. qui licèt opinionem primam probabilem esse putet, hanc tamen secundam tutiorem, & securiorem esse dicit Riccard. *ibidem.* Valentia *tom.* 2. *disput.* 6. *q.* 4. *puncto* 3. Petrus Sotus *tract. de discrimine peccatorum lect.* 9. Vasquez *in* 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 108. *cap.* 2. Azor *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *dub.* 5. & alij communiter. Ratio est, quia posita plena aduertentia, omnis actus humanus plenè voluntarius circa rem illicitam mortaliter, est peccatum mortale, vt constat. At in casu proposito de prædicta delectatione mortaliter illicita, remota illa ratione periculi, adest voluntatis consensus sufficiens. Erit ergo peccatū mortale talem delectationem non repellere. Quòd verò Caietanus, & alij putant, voluntatem aliquando negatiuè se habere circa delectationem sensus, meritò ab aliis negatur: quia, vt ait S. Thom. talis est connexio voluntatis cum appetitu sensitiuo, vt naturaliter in ipsa sequatur delectatio, & inclinatio ex delectatione appetitus circa eandem: nisi repugnet, & obsistat. Quin quòd ex tali opinione magnus patet aditus libidini, datúrque occasio etiam piis homi

Riccard. Valent. Petrus Sotus. Vasquez. Azor.

Caietanus refellitur.

hominibus ruinæ, qui cùm possint sibi vtcunque fidere, & fouere delectationem de re mortaliter mala, sæpè laberentur in huiusmodi consensum.

Consensus virtualis sufficit ad constituendum peccatum mortale.

8 Igitur quantum ad prædictam difficultatem, dicimus, sufficere virtualem consensum voluntatis ad constituendum peccatum mortale, nec requiri expressum: vt nonnulli existimarunt: teneríque hominem aduertentem delectationis mortalis malitiam sub peccato mortali repellere, & excutere; & hæc quantum ad concupiscentiam, & ad peccatum cordis.

Cogitatio morosa.

9 Aliud quoque peccatum reperitur in corde, & dicitur cogitatio, seu delectatio morosa, hoc est voluntaria delectatio de actu malo, quod quidem peccatum consistit, non in mora temporis, & durationis, sed in mora voluntatis, ex eo, quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit, prout debet & tenetur ex S. Thom. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 6. *ad* 3. Vnde delectatio morosa idem est, quòd delectatio deliberata, ac proinde sicut deliberatio rationis eodem temporis momento fieri, & esse potest, ita delectatio morosa tota in puncto temporis consistere potest. Vnde dicimus, quòd tunc est, quando voluntati obiicitur peccatum, & absque eo, quòd consentiat ad illud patrandum, delectantur in illa cogitatione, nec conatur illam à se expellere: tunc si obiectum est peccatum mortale, erit quoque tale & illa cogitatio morosa: si veniale, veniale: vt cùm alicui venit cogitatio de occidendo inimicum, animaduertens illi de tali cogitatione, & se delectans in illa, licèt non consentiat ad patrandum scelus, nihilominùs peccat

S. Thom.

morta

mortaliter, quia tenetur à se illam cogitationem de re mortali repellere : alioquin manifesto periculo se exponit ad illi cõsentiendum. Quod dictum est de peccato homicidij, multò magis habet locum in cogitatione de re libidinosa, vt de fornicatione, osculis, & tactibus impudicis apprehensis sub ea ratione, qua tactui afferunt delectationem ex pleno consensu, & aduertentia, talis, inquam, cogitatio est peccatum mortale, eò quòd opponitur virtuti castitatis, quæ non solùm moderatur nimias delectationes exteriores tactus, sed etiam potiori ratione interiores delectationes appetitus, aut voluntatis : atque adeò delectatio immoderata de obiecto venereo erit secundùm se mala, & si sit notabilis, erit mortalis, qualis est delectatio de fornicatione, & tactibus impudicis secundùm se consideratis, vt diximus. Vide de hac materia D. Thom. *vbi suprà* Durand. & Riccard. *in* 2. *dist.* 24. S. Anton. 2. *part. tit.* 5. *cap.* 1. §. *de* 2. Sylu. verbo, *delectatio quæst.* 1. Nauarr. *in Man. cap.* 11. *num.* 11. Caiet. *in summa*, verbo, *delectatio morosa*, vers. *Rursus ex parte rei.* Lopez *p.*1. *instrum. confess. c.*74. Azor *p.*1. *lib.*4. *c.*6. *quæst.*2. *& alios.*

D.Thom. Durand. Riccard. Antonin. Sylvest. Nauarr. Caiet. Lopez. Azor.

Dubium. 10 Dubitatur hîc; An delectatio morosa de pulchra muliere visa, aut de viro sit peccatum mortale? Et idem dubium est de cogitatione, & delectatione, quæ insurgit ex tactibus, osculis, & amplexibus tam fœminæ, quàm viri? Respons. ad hoc cum præallegatis Doctorib. quòd quamuis visus mulieris pulchræ secundùm se malus non sit, neque delectatio exinde consurgens, nihilominùs tamen benè, & malè fieri potest : vnde ad cognoscendum, quando peccatum sit, nécne, &

Respons.

& quando mortale, aut veniale, aut nullum omnino, ex motiuo videntis iudicandum erit, & oppositione ad virtutem.

Si enim quispiam mulierem aspiceret, & exinde delectetur ad laudandum Deum in operibus suis, & ex pulchritudine corporis eleuetur ad pulchritudinem animæ; iuxta illud Psal. 92. *Delectasti me, Domine, in factura tua : & in operibus manuum tuarum exultabo :* sine dubio non peccat, sed potiùs meretur. Psal. 92.

Sin autem illam causa vanitatis, leuitatis, & curiositatis intueretur, non dirigendo aspectum ad carnalem copulam, nec ad delectationem carnalem, & veneream; sed motus tantùm ex quadam vanitate, & curiositate, etiamsi exinde exurgat delectatio, & motus turpis ex sola venustate, & pulchritudine rei visæ, quatenùs grata est visui, solùm veniale peccatum erit delectatio illa: dummodò quis in illa ex plena aduertentia non detineatur, sed eam repellere conetur. Vbi verò ex motiuo libidinis illam aspiceret, & exinde consurgat delectatio venerea : proculdubio delectatio illa ex oppositione, quam habet ad virtutem castitatis, mortalis est, non solùm quando adest efficax voluntas accedendi ad eam : (loquendo de illis, qui matrimonio ad se inuicem non sunt coniuncti) sed etiam si sit solùm complacentia simplex, & delectatio venerea sine relatione ad copulam. Id quod luculenter docet S. Augustinus relatus *in cap. nec solo.* 32. *q.* 5. vbi ait; *Nec solo affectu, & tactu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum.* Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius, & August.

cùm se sibi inuicem, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.

Delectatio morosa cuius generis sit peccatū.

11 Delectatio morosa ex tactibus, osculis, & amplexibus habita, eodem modo peccatum est pro ratione motiui, & intentionis, ex qua consequitur, sicut de visu dictum est: si enim quis ex motiuo libidinoso tangeret, aut oscularetur mulierem, aut virum, delectatio consequens, peccatum mortale erit, etiamsi tactus ille de se impudicus non sit: & etiam si tangeret personam, quam desiderat, & sperat in coniugem accipere; sed nondum accepit, neque sponsalia contraxerat cum illa: quia cùm delectatio hæc sub tali motiuo libidinoso oppositionem cum virtute castitatis habeat, & plerumque notabilem inter non cognatos, & eos, qui sponsalia nondum contraxerunt: consequenter peccatum mortale constituet, etiamsi exinde nullum aliud pollutionis, aut consensus in copulam, periculum immineat.

Nota.

12 Delectatio verò consurgens ex tactibus, amplexibus, & osculis, quæ non ex motiuo venereo, & libidinoso in partibus honestis; sed ex causa honesta fiunt, peccatum non est, vt v.g. si fiat ad augendam amicitiam, beneuolentiam, & amorem honestum, vt cùm affines, conciues, conterranei extra patriam amore patrio exosculantur absque delectatione venerea, & inhonesta: tunc licèt sensualitate, ac fomite peccati originalis, vel etiam suggerente Diabolo, insurgeret delectatio venerea, non erit peccatum mortale: imò nec veniale, si voluntas expresè, vel tacitè

citè non consentiat: præsertim si contristetur de huiusmodi motibus, & illis repugnet; quamuis eos non repellat, aut omninò eos repellere nequeat.

Idem quoque dicendum est de illis, qui, vel, quæ, visitantes Ecclesias, & multitudine oppressi, volentes, nolentes se se tangunt, & ex illo tactu delectatio venerea in sensualitate insurgit: nullum enim exinde peccatum contrahunt; dummodò consensum non præbeant, vt rectè annotauit Nauarrus *in cap. si cui. n. 16. dub. 4. de pœnitent. distinct. 1.* Et hæc de peccatis mentalibus pro nostro instituto dicta sint: in quibus omnibus hoc certum est, nunquàm posse cadere casum reseruatum: nam licèt demus, prædictas cogitationes, & desideria aliquando esse venialia, aliquando etiam & mortalia: nunquàm tamen dabimus, quòd propter talia peccata mentalia quis incurrat in casum reseruatum; cùm, vt id fiat, necessariò requiratur actio externa, vt dictum est *in prima sectione primæ partis huiusce tractatus.*

De pollutione.

Quando verò peccatum carnis erit in opus externum; tunc potest dupliciter fieri, aut in propria persona, aut in secunda: si fit in propria persona; tunc est pollutio, quæ adhuc dupliciter euenire potest; voluntariè scilicet, & inuoluntariè. Si inuoluntariè; tunc est pollutio nocturna. Si voluntariè; tunc est mollities. Dicamus modò de iis, quæ fiunt in propria persona inuoluntariè, & tunc dico, quòd licèt aliquando id possit euenire in vigilia, vt plurimùm nihilominùs id accidit in somno, & dicitur,

Pollutio nocturna quādo peccatū.

13 Pollutio, de qua an sit peccatum, an non, dicam cum Doctoribus suprà citatis, quòd cùm

& quando non.

duplex sit voluntarium, aut in se, aut in sua causa; pollutio nocturna secundùm se, & in se, sicut voluntaria non est; ita neque peccatum erit: quandoquidem in somno ita opprimuntur vires interiores propter turbulentiam vaporum ascendentium ad caput, vt ratio liberum iudicium non habeat: sublato autem iudicio rationis, tollitur etiam ratio peccati; vnde nec primi motus sensualitatis habent rationem peccati; nisi in quantum iudicio rationis reprimi possunt. Potest autem pollutio in somnis tripliciter accidere; primò, vt tota sit in somnis: secundò, quando inchoatur in somnis, consummatur autem in vigilia: tertiò, quando emissio partim fit in somno, partim in vigilia.

Pollutio, quæ venit primo modo, nullum est peccatum in se; quia non est voluntarium. Dixi, in se: quia licèt nocturna pollutio in se non sit peccatum, ratione iam dicta, dare tamen operam studiosè ad hunc finem, vt quis in somno polluatur, peccatum mortale est. Vide Nauarr. S. Anton. Lopez. Tol. *vbi sup.* v.g. si quis per nimiam comestionem, & potum daret operam, vt sequatur pollutio; etiamsi id faceret, non ob delectationem, sed ad alleuiationem naturæ, & sanitatem, esset mortale: sicut si quis in vigilia se pollueret ob sanitatem solùm, non excusaretur à mortali; quia faceret contra finem intentum à natura, qui non est alius in emissione seminis voluntaria, nisi generatio, quæ per illum modum sequi non potest. Similiter si quis comedit nimis, aut nimis calida, ea intentione, vt in somno polluatur, peccat mortaliter. Item si quis in lecto tali situ accumbit. v.g. super renibus, aut alio quouis modo,

Nauarr. Anton. Lopez. Toler.

modo, vt possit prouocari pollutio in somno, peccat mortaliter; quia in his casibus vtitur somno, vt instrumento malitiosè voluntatis, ordinantis somnum vt polluatur, quod peccatum mortale est. At verò secundo, & tertio modo, aliquando nullum est peccatum: aliquando veniale solùm, aliquando autem mortale. Si enim contingat pollutio, semine excitato ante plenam suscitationem, nec vlla exinde delectatio libidinosa consequitur, nullum omnino erit peccatum. Dixi, *si nulla consequitur delectatio libidinosa*: nam si delectatio, seu complacentia illa sit de pollutione, habita ratione alleuiationis naturæ, vt sic meliùs seruiat Deo magis liber à stimulis carnis, nec vlla intentione in somnis procurata, nullum erit peccatum. Quòd si pollutio incœpta sit in somno, & finiatur in vigilia: tunc aut homo non plenè expergefactus est; aliquam tamen delectationem sensualitatis habet, quamuis imperfectam, & non plenè deliberatam: tunc veniale peccatum erit, non quidem ratione pollutionis, sed ratione complacentiæ, & delectationis factæ in vigilia. Aut homo plenè expergefactus est, & excitatus à somno: & non solùm repentè, sed deliberatè delectationi, & complacentiæ assentit, ita vt placeret, si haberet vas debitum receptioni talis materiæ extra matrimonium: & tunc quidem mortale peccatum est: non tamen propter ipsam pollutionem initiatam in somno, & terminatam in vigilia, quia ipsa iam præcessit; sed propter nouum deliberatum consensum habitum post pollutionem.

Quòd si absque complacentia illius, postquàm è lumbis decisa est, vbi actio libera finitur, sina-

tur ſuum curſum naturalem peragere, iámque expergefactus plenè eam retinere non poteſt, aut non curat, cauſa alleuiandi naturam, aut vitandi morbum, non cenſebitur peccaſſe, tanquàm in vigilia pollutus. Quæ annotanda cenſui ad ſedandas ſcrupulorum conſcientias.

Pollutionis nocturnæ plures poſſunt eſſe cauſæ.

14 Ampliùs ſciendum, quòd pollutio nocturna poteſt conſiderari ex cauſa ſua, & tunc, vt præfati auctores omnes tradunt, poteſt ibi peccatum eſſe, & non peccatum, non in ſe, ſed in ſua cauſa, & hoc pluribus modis, prout plures cauſæ in ſomno illam poſſunt producere. Solent autem tres cauſæ potiſſimæ pollutionis nocturnæ aſſignari.

Vna eſt corporalis; ſcilicet ſuperabundantia humoris pollutionis in corpore, cauſata ex nimia corporis calefactione, aut ex alia quacunque commotione, dum ſomniat dormiens ea, quæ pertinent ad expulſionem illius humoris: quæ quidem abundantia humoris ſi cauſata eſt ex cauſa culpabili; putà ex ſuperfluitate cibi, & potus anteà ſumpti, tunc nocturna pollutio peccatum erit mortale, aut veniale, non in ſe: ſed pro ratione culpæ mortalis, aut venialis præcedentis: ſin verò procederet ex ſumptione cibi calidi, incitantis ad libidinem, ex propoſito facta: tunc erit culpa mortalis. Dixi, *ex propoſito facta:* quia ſi id tantùm faciat, vt ſatisfaciat gulæ, non erit mortale; ſed veniale ſolùm, ſi culpa præcedens venialis fuerit, ex S. Anton. Ang. Sylu. Tol. & aliis. Sin autem reſolutio, & abundantia ſeminis non fit ex cauſa culpabili, nec intenta: nullum omnino peccatum erit, etiam in ſua cauſa. Vnde rectè notat Tolet. quòd qui non habet cibos, quibus veſcatur; niſi eos, vnde ſperat pollutionem, non

non tenetur abſtinere, ſi talis abſtinentia ei nocet.

Altera cauſa pollutionis eſt, cùm ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem, quæ in vigilia præceſſit, quandoque eſt purè ſpeculatiua; quandoque cum aliqua affectione concupiſcentiæ. Purè ſpeculatiua erit; quando quis cauſa diſputationis, lectionis, aut conſilij dandi legit tractatus de adulterio, aut de peccatis carnalibus, & tunc pollutio inde ſequens, dummodò non adſit complacentia, nullam omnino culpam nec venialem habet, nec in ſe, nec in ſua cauſa. Quandoque verò eſt cum aliqua affectione concupiſcentiæ, & ſic pollutio in ſomno contingens culpæ rationem habet ex parte cauſæ; quia ſcilicet cogitatio præcedens, fuit cum delectatione ſenſuali: quo caſu mortalis, aut venialis culpa erit, pro ratione delectationis moroſæ, aut imperfectæ præcedentis: ex illa namque cogitatione in vigilia facta remanet quoddam veſtigium, & inclinatio in anima, qua dormiens faciliùs inducitur ad aſſentiendum actibus ſuæ imaginationis, ex quibus ſequitur pollutio: adeò vt, ſicut ſe habuit voluntas in vigilia circa cogitationes venereas; ita ſe in ſomnis habere videatur.

Dubium. *Religioſus, cogitãs turpia, & ſe polluens, an incidat in reſeruatum.* Reſp.

15 Dubitatur hîc; An Religioſus cogitans turpia aduertenter, & ſe delectans in illis, in pollutionem labitur, abſque tamen contactu manuum, vel alterius inſtrumenti, propterea incidat in hunc caſum? Reſpond. quòd aliquibus videtur vera pars affirmatiua: nam hîc eſt lapſus carnis voluntarius; ſcilicet, quia voluntariè cogitauit turpia, & opere conſummatus, quia iam polluitur.

Auctor. Nihilominùs pars negatiua est vera per ea, quæ pluries diximus, præcipuè verò *in art. 3. sect. primæ, primæ partis*, ibi; *Quartò notandum*. Nempè quòd ad hoc, vt sit casus reseruatus, requiritur actio externa, non solùm in vltimo effectu, sed etiam respectu mediorum: scilicet, vt cum aliquo opere externo id procuret. At verò in casu proposito, licèt & cogitando turpia, & se polluendo, committat quis peccatum mortale: non tamen incidit in casum reseruatũ: quia talis pollutio habet originem, & est causata à cogitatione interna, de qua non ponitur casus: Et insuper non fuit procurata pollutio cum actione externa, scilicet cum manu, cum motu, vel cum tactu tertiæ personæ. Quod dico, quia non est necesse, vt tertia persona cum manu sua propria procuret pollutionem, tangendo, & contrectando alterius virilia: sed sufficit, quòd quis in lecto tangat alterius corpus libidinosè: vel extra lectum tangat pudenda, vel viciniora loca aliquo modo, & ex tali contactu oriatur pollutio, quia sic concurrunt requisita ad casum reseruatum, nempè lapsus carnis voluntarius, & per opus externum procuratus.

Tertia causa pollutionis potest esse spiritualis, & extrinseca, cùm scilicet ex operatione dæmonis commouentur phantasmata ad talem actum prouocantia. Et tunc si contingit pollutio, vtique erit sine peccato: sicut in Collationibus Patrum legitur de quodam, qui semper in diebus festiuis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc diabolo procurante, vt impediretur à sacra Communione. Et hæc de pollutione, quæ simpliciter non procuratur, & est inuoluntaria.

16 Reperitur quandoque & alia pollutio, quæ est

est voluntaria, & procurata, & tunc simpliciter est peccatum mortale, & est casus reseruatus. Et eò magis aggrauatur culpa, quo adminiculo alterius personæ contingit propter participationem in alterius peccato. Quæ etiam variatur in specie: sicut variatur obiectum, quod contemplatur. Si enim homo desiderio, imaginatione, & morosa delectatione interim, dum se polluit, cum altera persona coire, voluntate efficaci, vellet, erit peccatum illius speciei, cuius esset, si verè coiret cum illa persona, quam affectat, vt v. g. si affectat coniugatam, erit adulterium: si virginem, stuprũ: si hominem Sodomia; & sic de aliis, ideo vt si vno actu polluendi se, diuersas personas affectaret, multiplex peccatum erit, pro varietate personarum, cum quibus coïre desiderat, & omnia in confessione explicanda erunt, iuxta ea, quæ tradit Caietanus *vbi suprà* Nauarrus *in Man. cap. 16. num. 6.* Lopez, Medina, Tolet. & alij *vbi suprà*, & hæc de peccato carnis in se ipso solùm.

Pollutio procurata est peccatũ mortale, & casus reseruatus.

Caiet. Nauarr. Lopez. Medina. Tolet.

17 Aliquando verò peccatum carnis exercetur cum alio, & tunc aut contra naturam, aut naturaliter. Si naturaliter, tunc nulli dubium est, quòd est peccatum mortale, & casus reseruatus, & est eiusdem speciei peccatum, cuius est persona, cum qua coit: vt dictum est paulò antè de pollutione voluntaria.

18 Dubitatur hîc; An religiosus cubans cum muliere, cùm deuenit ad actum propinquũ operis explendi, sentiens se de proximo semen emissurum, disiungit se ab illa, & extra vas seminat, an scilicet incurrat in hunc casum? Respons. quòd aliquibus videtur quòd non, quia tunc dicitur actus consummatus in secundam personã, quan-

Dubium.

Respons. *Actus consummatus quando.*

do pollutio fuit secuta cum illa, quòd modò non fuit. Nihilominùs oppositum est verum : sicuti à simili, qui membrum ponit in partes pudendas contra naturam, licèt intus semen non effundat, quando est effundendum, sed in fine extra vas effundit, dicitur verè sodomita, & comprehenditur sub casu reseruato: vt vult Iulius Clarus *in sua praxi. §. sodomia in fine* : non enim in fraudem legislatoris est aliquid faciendum, *cap. constitutus de conces. præben.* Sic nec in fraudem legis.

Clarus.

Dubium.

19 Dubitatur præterea. An religiosus reperiens se solus cum sola muliere nobili, & graui, & ab illa sollicitatus ad actũ carnalem sub comminatione de ipsum infamando, nisi consentiat, veluti fecit domina castissimi Ioseph Patriarchæ: An scilicet consentiens, & coïens peccet, & incurrat in hunc casum ? Aliqui dicunt, quòd non, quia licèt fuerit peccatum carnis, & opere consummatum: nihilominùs non facit voluntarium, quia propter metum ? Respon. quòd incurrit: nam si non fuit voluntarium simpliciter, & in principio actus, fuit tamen voluntarium postea sicuti de mercatore, qui ob tempestatem proiicit merces in mare quas licèt simpliciter non vellet proiicere : nihilominùs voluntate libera eas proiicit, sic ad rem licèt ille religiosus non vellet id facere, facit tamen : sicut D. Augustinus *in libro de Ciuitate Dei*: non excusat Lucretiam illam Romanam : nam licèt quasi coactè, & per metum consenserit Tarquinio minitanti, tamen consensit. Et religiosus non debet consentire, & plura remedia habet ad id non faciendum, maximè si ex corde Deo se commendet, atque B. Virgini, vel clamando ad socium, vt succurrat, quia latrones

Respons.

trones volunt eum furari. Sic S. Bernardinus fecisse legitur.

Si verò contra naturam, tunc etiam duplici modo potest id committi peccatum, vel agendo, vel patiendo. Sed quomodocunque committatur, semper est grauissimum peccatum ; & ab omnibus, præcipuè verò à religiosis debet profligari: nam vt sciamus grauitatem ipsius, in iure sortitur diuersa nomina.

Peccatum nefandum nefanda sortitur nomina.

20 Sodomia dicitur *in cap. quod ait distinct. 14. cap. flagitia. 32. q. 7.* Dicitur autem vitium Sodomiticum, & Gomorrheanum, quod homines earum ciuitatum illi vitio dediti erant. *Gen. 19.* Vbi Loth videns, quòd Sodomitæ vellent hoc vitium committere cum Angelis, qui in domo sua hospitati erant in forma iuuenum, statuit potiùs dare filias suas, vt cum eis fornicarentur. Aliud exemplum habetur *Iudic. 9.* de sene, qui receperat Leuitam cum vxore in hospitium, quem Gabaonitæ violare volebant, ille verò senex filiam suam virginem potiùs, quàm vxorem Leuitæ illis exponere voluit, ne tantum facinus committerent.

Gen. 19.

Iudic. 9.

Nefanda libido dicitur *in cap. in eo fornicatur. 32. quæst. & cap. si refugientes, de pœnit. dist. 4. fol. 4.*

Luxuria grauissima dicitur in Auth. *vt non luxuriæ contra naturam colum. 6.* vbi dicitur, quoniam quidam diabolica instigatione comprehensi grauissimis luxuriis semetipsos inseruere, vbi etiam dicit Imperator, quòd propter hoc crimen inducuntur fames, & pestilentiæ, & terræ motus.

21 Et Methodius Martyr inter alias catachysmi, & diluuij causas, ponit peccatum hoc contra

S. Method.

natu

Peccatum contra naturã causa fuit diluuij.
Gen.6.
Gen. 18.
Mirum, & notandum.

naturam, ex S.Ant.2.*p.tit.*5.*c.*4.§.1. Vnde dicitur Gen.6.*Omnis caro corruperat viam suam.* Et Gen.19. *Pluit super Sodomã igne de cœlo.* Imò verò tantæ turpitudinis est hoc vitiũ, vt quasi admirationem ipsi Deo faciat: vnde *in Gen.c.*18.ait. *Descendã, & videbo, vtrùm clamorẽ, qui venit ad me, opere cõpleuerint.* Sed & dæmones ipsi, postquàm homines ad hoc vitiũ induxerint, fugiunt, abhorrentes ex nobilitate suę naturæ tantum scelus, vt refert S.Ant. *vbi supr.*§.2. Vnde licèt legamus eos aliquãdo fuisse succubos: non tamen legimus eos fuisse tales cõtra naturã.

Antonin.
Chrysostomus contra patientes muliebria.

22 Sed qui tali scelere habẽt se passiuè, audiant Chrysost. *hom.* 4. *in epist. ad Rom.* Hos equidem iis etiam, qui sibi ipsi mortem conscisc unt deteriores esse affirmat; præstiterit enim mori, quàm tanta contumelia accepta viuere: nã qui se ipsum interimit, is animã à corpore dissociat, sed hic animam cum corpore perdit. Quodcumque porrò delictũ nominaueris, nullũ huic peccato par dixeris, quia si facta sua sentirent, qui patiuntur, sexcentas vtique mortes subirent, ne hoc paterentur: neque enim est, neque, inquam, est hac iniuria alia vlla nec grauior, nec rationis minus habẽs. Nam si de scortatione Paulus differens ait, peccatum omne, quod commiserit homo, extra corpus esse, qui autem scortatur, eum in proprium corpus delinquere: quid de insania hac dixerimus, quæ ipsa tanta est scortatione deterior, quantùm ne verbis quidem exprimere licet. Neque hæc solùm dico, quòd fœmina effectus sit, sed quod perdiderit hoc, nimirum virum esse, & quòd neque in hanc transierit naturam, neque quam haberet asseruauerit: sed communis vtriusque effectus sit proditor, dignus quem tùm viri, tùm fœminæ lapi

lapidibus à se exigant, tanquam qui vtrúmque genus iniuria effecerit. Et paulò post; Quisquis scortum se facit, hoc nihil queat esse inutilius: neque enim animã solùm, verum & corpus eius, qui hæc patrat, infame est; ac certè dignum, quod vndequaque exterminetur: quot tandem, obsecro, gehennæ his plectendis suffecerint. Quòd si audito gehennæ nomine irrides, ac fidem non habes, illum ignem recordare Sodomorũ. Vidimus enim, vidimus & in præsenti quoque vita gehennæ effigiem: quandoquidem enim multi futuri erãt, qui iis fidem minimè habituri essent, quæ post resurrectionem futura sunt: nunc cùm iidem audiant esse ignem inextinguibilem, à rebus præsentibus illos Deus erudiuit. Tale est igitur Sodomorum incendium, & vastatio illa. Id quod sciunt ij, qui ad ea loca profecti, plagam illam Diuinam, ac cælestium fulminum opus oculis subiecêre. Cogitato quàm graue illud sit peccatum, vt quòd ipsam gehennam, etiam ante tempus, existere coëgerit. Nam posteaquàm permulti verba despicerent, illis Deus per ipsa demùm opera gehennæ effigiem ostẽdit noua quadam ratione: erat enim præter omnium opinionem pluuia illa: quoniam quidem & præter naturam coïtio ipsa: atque ea quidẽ pluuia terram excussit; quoniam & illorum animas desiderium, ob quod pluuia eadem ferebatur contra quàm solita ista, ac quotidiana ferri soleat: neque enim non excitabat modò terræ vterum ad fructuum generationem, sed & ad seminum susceptionem vtilem efficiebat. Talis enim erat ipsa Sodomorum coïtio, eiusc emodi corpus inutilius reddens. Quid enim viro corpus suũ meretricio more prostituente abominabilius? quid autem scele

Universidad de Deusto
Biblioteca

sceleſtius? ô inſaniam! ô ſtupiditatem! Vnde, malum hæc debacchata eſt concupiſcentia, humanam naturam hoſtium incommodis, atque adeò tantò grauioribus afficiens, quanto anima corpore præſtantior eſt! ô vos, & brutis inſipientiores, & canibus impudentiores: núſquam enim huiuſmodi congreſſus apud illos, ſed agnoſcunt proprios terminos naturæ. Vos autem genus veſtrum infamius brutorũ genere effeciſtis, & in his, quæ dico, & per vos inuicem iniurij? Vnde igitur mala hæc nata ſunt, à deliciis, à Dei ignoratione, cùm enim excuſſerit quis Dei timorem, protinùs bona omnia peſſum erunt.

Sodomitici peccati pœna. *Leuit. 18. & 20.*

23 Denique pœnæ, contra hoc peccatum impoſitæ, grauitatem eius manifeſtè oſtendunt, tales namque in lege veteri morte puniebantur. *Leuit. 18. & 20. Qui dormierit cum maſculo, coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriatur.* Et ſecundùm legem Imperialem talis decapitari debet. *C. de extraordin. crim. l. qui puero.* Et legibus, municipalibus comburi ſolet. Clericus autem de hoc vitio conuictus, iure veteri depoſitus in Monaſterium detrudebatur *cap. clerici de exceſſ. prælat.*

24 Iure autem nouo per conſtitut. Pij V. quæ incipit, *Horrendum ſcelus*, anno 1568. ſub datum Romæ die 3. Septembr. omni Priuilegio clericali, officio, beneficio, & dignitate priuatus, degradatur, & brachio ſæculari traditur. Et ſi notorius ſodomita ſit, irregularis efficitur, ſicut omnes illi, qui enormi, & depoſitione digno crimine publicè notati ſunt, ſecus autem ſi occultus ſodomita ſit, ſed audiamus ipſum ſummum Pontificem contra tales ſodomitas loquentem. *Horrendum illud ſcelus, quo pollutæ, fœdataque ciuitates*

Tremenda, & timẽda conſtitutio.

tes tremendo Dei iudicio conflagrarunt, acerbiſſimum nobis dolorem intulit, grauiterque animum noſtrum commouet, vt ad illud, quantum fieri poteſt, comprimendum, ſtudia noſtra conferamus. Sanè Lateranenſi Concilio dignoſcitur conſtitutum, vt quicunque clerici, illa incontinentia, quæ contra naturam eſt, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehenſi fuerint laborare, à Clero deijciantur, vel ad agendam in Monaſterio pœnitentiam detrudantur: verùm ne tanti flagitij contagium impunitatis ſpe, quæ maxima peccandi illecebra eſt, fidentiùs inualeſcat, clericos huius nefarij criminis reos grauiùs vlciſcendos, deliberauimus, vt qui animæ interitum non horreſcunt, hos certè deterreat ciuilium legum vindex gladius ſæcularis.

Itaque quod nos iam in ipſo Pontificatus noſtri principio hac de re decreuimus, plenius nunc, fortiúſque perſequi intendentes, omnes, & quoſcunque presbyteros, & alios clericos ſæculares, & regulares cuiuſcunque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omníque officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico præſentis canonis auctoritate priuamus. Ita quòd per iudicem Eccleſiaſticum degradati, poteſtati ſtatim ſæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat ſupplicium, quod in laicos, hoc in exitio deuolutos, legitimis reperimus ſanctionibus conſtitutum.

Et antea ſuper hoc idem aliam conſtitutionem ediderat idem ſummus Pontifex. Sub datum Romæ Calend. April. 1566. & incipit, *Cùm primùm* in qua §. *ſi quis crimen*, ſic habetur: *Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, curiæ ſæculari puniendus tradatur, & ſi clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus, ſimili pœnæ ſubijciatur.*

25 Circa quas conſtitutiones notandum eſt, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd in illis non includuntur quilibet Sodomitæ, sed solùm exercentes, illi scilicet, qui quasi ex vsu continuato id exercent; *arg. l. sciendum.§. illud. ff. de ædil. edi.* Bartol. *in proœmio ff. num.* 10. quem sequitur Panormitan. *in cap.* 1. *num.* 24. *de iud.* dicit artificem vel mercatorem non dici eum, qui semel, aut iterum artem, vel mercaturam exercet, sed eum, qui toties, vt vulgi opinione habeatur pro tali. Et ita videntur temperari prædictæ constitutiones, saltem quoad forum conscientiæ, vt solùm comprehendant eum, qui sic labitur in prefatum errorem, vt boni viri arbitrio dici possit exercitor eius: non autem eum, qui cadit tantùm aliquoties, & pœnitet cecidisse. Sic refert Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 250.

Præterea non comprehendunt omnem exercentem luxuriam contra naturam, quæ comprehendit omnem pollutionem extraordinariam, secundùm S. Thom. 2.2. *q.* 154. *art.* 11. neque exercentem omnem actum Sodomiticũ, qui comprehendit omnem pollutionẽ habitam cum alio, vel alia extra vas ordinarium, secundùm eundem *ibid.* sed solùm habentem copulam Sodomiticam, *arg. cap. fi. de sponſ.* quod habet, non consummari copulam, nisi intra vas naturale semen effundatur.

De iis verò, qui in actu confessionis pœnitentes sollicitauerint, quid dicendum, & an suspecti sint de hæresi? Vide *in* 1. *part. huius tractatus in sect.* 2. *art.* 22. *per totum.* Item qua pœna puniendi sunt confessarij, qui incestum cum filiabus spiritualibus committunt, & qua pœna puniendi sunt, qui masculos ad sodomiam inducunt paulò post confessionem: Vide omnia hæc fusè apud Rodriquez *tom.* 2. *qq. regular. q.* 26. *art.* 1. *&* 2.

Rodriq.

26 Pro

26 Pro nunc breuiter dico, quòd qui in confessione tam mulieres, quàm pueros ad malum sollicitant, sunt suspecti de hæresi: & Inquisitores hæreticæ prauitatis contra eos possunt inquirere, prout dictum est *in præallegato art.* 22. 2. *sect.* 1. *p.*

Confessarij sollicitantes pœnitentes ad carnem, extra actum Cõfessionis non sunt suspecti de hæresi.

27 At quantum ad sollicitantes ad malum filios, & filias spirituales extra actum Confessionis; tales, inquam, non censentur suspecti de hæresi, nec Inquisitores de his possunt cognoscere, prout doctissimus Nauarrus *l.* 5. *cons. de hæret. cons. primo*, affirmat. Et ratio huius est, quia constitutio summi Pontificis, quæ in præcitato articulo posita est, tantùm loquitur de his, qui in actu, vel iuxta confessionis actum hoc crimen committunt; maculantes, quantùm ex sua parte est, actum à Deo optimo Maximo institutum, & ordinatum ad animas purificandas; ratione cuius tales sic sollicitantes iure optimo de hæresi suspecti reputantur. Quæ præsumptio cessat in his, qui multò post transactum dictum actum id pertentant: in eo enim innuunt, nolle ipsum actum confessionis suis sordibus commaculare: & per consequens, eum sanctum, ac à Deo ordinatum, & institutum prædicant.

28 Sed quomodo debent puniri? Respondeo, quòd si eorum delictum fuerit probatum, sunt deponendi; quod probatur ex cap. *si quis sacerdos*, 30. *q.* 1. vbi sic habetur; *Si quis sacerdos cum filiabus spiritualibus fornicatur, graue delictum committit, & qui malum exemplum dant hominibus, ab omni officio deponantur: & peregrinando duodecim annos pœnitere debent, & tandem ad Monasterium vadant, vbi per totum vitæ tempus Deo seruiant.*

Qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, qua pœna puniatur.

Vide pro hoc, quæ habet Abbas *in cap. vltimo,*

de purgat.canonica. Anan.*in cap. cùm dilectus de accusat.* Felin.*in c.at si clerici, num.* 15. *de iudic.* Et licèt ille textus videatur loqui de filia spirituali tantùm, scilicet in Baptismate,& in Confirmatione: nihilominùs idem dicendum est, cùm fornicantur cum ea, quæ propter sacramentum pœnitentiæ fuit filia effecta spiritualis, vt vult Diaz.*in sua pract.crim.cap.*82.*num.*1.& probatur ex cap.præcedenti proximè allegato, vbi habetur; *Omnes,quos in pœnitentia accipimus, ita filij nostri sunt, vt in Baptismate susceptí.* Et subdit; *Qui hoc scelus perpetrauerit, non solùm dignitatis honorem amittit,verùm etiam vsque ad exitum vitæ suæ iugi pœnitentiæ se subdat.*

Et quia in Decreto fœlic.record. Clem.VIII. datur facultas Generali cum capitulo generali, & Prouinciali cũ capitulo prouinciali,vt possit alios casus sibi reseruare; maximè circa materiam eiusdem casus, vtputà circa lapsum carnis, potest reseruari tactus impudicus, osculum,&c. Ait enim textus; *Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis capituli in toto Ordine; aut Prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu.* Et aliquando fit reseruatio, vt olim fiebat, de tactu impudico, & enormi. Subiungàm hîc aliqua ad propositum. Casus hic tali modo solet proponi; *Tactus impudicus, & enormis.*

De tactu impudico.

Impudicitia in qua parte consideratur.

29 Pro cuius declaratione sciendum, quòd non defuerunt qui dicerent, quòd impudicitia respiciebat intentionem turpem, & enormitas respiciebat partem illam corporis, quæ tangebatur: sed verior sententia est, quòd impudicitia respicit partem, & locum corporis: enormitas verò

verò respicit intentionem prauam. Probo intentum ex doctrina D. Thom.*in* 2.2.*quæst.*151.*art.*4.*in corp.* vbi ait; *Pudicitia à pudore dicitur, in quo verecundia significatur, & ideo oportet, quòd pudicitia propriè sit circa illa, de quibus homines maximè verecundantur: maximè autem verecundantur homines de actibus venereis.* Et infrà; *Et ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula, tactus: & quia hæc magis solent deprehendi, ideò pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa.* Ex qua doctrina colligitur clarè, quòd impudicitia non est circa intentionem solùm; sed præcipuè circa partes pudendas exteriores. Vnde in viris tactus impudicus erit ille, qui fit tangendo partes verendas: in mulieribus etiam erit mammillarum, brachia nuda, & multò magis crura: Et enormitas erit, si cum praua intentione id fiat: vtrumque enim requiritur ad hoc, vt sit casus reseruatus; nempè quòd interueniat tactus, & pars impudica corporis,super quam fiat tactus. D.Thom.

30 Hoc dico maximè, quia potest dari tactus de sua natura impudicus, sed non enormis, dum quis vel sua, vel alterius pudenda ad bonum finem tangit; nempè vt purget, vt medeatur, & huiusmodi: & cùm deficiat praua intentio, non solùm non erit peccatum, & casus reseruatus: verùm & multoties fieri potest cum merito,quando scilicet propter charitatem id fit, quod frequenter practicatur in infirmariis Religiosorum.

Præterea,si quis haberet intentionem prauam, & non tangeret locum, & partem corporis, in qua propriè pudicitia residet; sed solùm tangeret vel manum, vel faciem; vtique non incide-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret in casum reseruatum, quantumcunque prauam intentionem habuerit: quia vtrumque coniungi debet, & tactus impudicus respectu partis corporis, quæ tangitur, & in qua pudicitia residet, quæcunque ea sit, & enormitas respectu intentionis prauæ.

Mulierbria patiens incidit in casum.

30 Interrogatus, an qui muliebria patitur in Sodomia, id est, qui passiuè se habet, incidat in casum reseruatum? Ratio dubitandi est, quia talis non emittit semen, quod est actus consummatus requisitus ad casum reseruatum. Respon. nihilominùs, quòd talis incurrit; quia sic videtur esse intentio legislatoris. Et licèt simus in materia odiosa, tamen in his, quæ pertinent ad animam, debet fieri extensio ex Baldo. Et quòd talis extensio debeat fieri, patet; quia Deus in veteri lege eadem pœna puniebat vtrumque, *Leuit.* 18. & 20. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas, morte moriatur.* Lex quoque Imperialis vtrumque comburi iubet, *l. qui puero, C. de extraordin. crim.* sed agentes perpendant quid dicant summi Pontifices Pius, & Sixtus V. in suis Constitutionibus, vt suprà.

Leuit. 18. & 20.

S. Bon. doctrina de tactu impudico.

31 Circa tactum hoc aduertendum, inquit D. Bonau. *cap. 3. de spec. Animæ*, quòd in tactibus multiplex peccatum inuenitur, secundùm quod loca, circa quæ tactus contingit, habent maiorem inhonestatem, & magis possunt ad luxuriam prouocare. Vnde hoc circa istam materiam est tenendum, quòd libidinosi tactus, & oscula, absque etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundùm quod in eis oritur delectatio carnalis voluntariè, & deliberatiuè. Vnde super illud, *fornicatio, & omnis immunditia,*

tia, &c. dicit Gloss. in osculis, & amplexibus, de quibus dicit Apostolus ibidem, quòd non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei. Hic autem tactus distinguitur; quia vel fit in personam propriam, vel in aliam: & eodem modo habet rationem peccati. Cum tactu autem ponitur corruptio carnis, quæ pollutio dicitur, quæ duobus modis contingit: aut per actum tactus, seu imaginationem delectationis morosæ, aut per actum carnalem. Si primo modo per tactum, vel imaginationem, hoc contingere potest dupliciter. Aut dormiendo, aut vigilando. Circa pollutionem in somno hoc breuiter, est notandum, quòd talis pollutio secundùm se non habet rationem peccati, eò quòd liberum arbitrium vinctum sit; scilicet per comparationem. Potest autem contingere ex superfluitate cibi, vel potus, vel ex turpi imaginatione in vigilia præcedente. Quòd si causa mortalis fuit; putà quia vigilando consentit, vel actum culpæ mortalis exercuit, secundùm hoc pollutio est signum grauioris, & tunc dictæ circunstantiæ sunt in confessione notandæ, vel dicendæ. Cùm autem talis pollutio illusione Diaboli, vel debilitate retentiuæ, vel virtute exclusiuæ contingit, nec adest complacentia, non habet rationem peccati. De pollutione autem vigilando sic distinguitur; quòd si est procurata per tactum, vel imaginationem voluntariam quoquomodo; vel per auditum, vel visum, vel motum: omnis enim talis resolutio, si sit procurata: vel si consensus interueniat, est mortalis quocunque modo. Et si semen extra vas naturale voluntariè emittatur, habet rationem peccati mortalis; quod etiam contra naturam est. Si autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

in tactu sit sexus mutatio, etiam grauissimum est peccatum, & talia peccata nec nominari debent, & ignominiosa dicuntur. Potest etiam huiusmodi pollutio contingere per tactum carnalem: & hoc dupliciter; quia vel per actum matrimonialem, vel per actum mœchiæ. In actu autem matrimoniali potest contingere deordinatio in modo, in tempore, & in causa. In modo quidem peccatum est, cùm modus, qui naturæ non conuenit, inuenitur. In tempore autem cùm tempore menstruorum debitum exigitur; quod est contra legem: si scienter fiat, est peccatum mortale. Item cùm tempore orationi, honestati, festiuitatibus sanctorum deputata non obseruantur, quod tamen mortale non dico. Item in causa, cùm in actu huiusmodi non proles; sed carnis delectatio quæritur, quòd licèt excusetur per matrimonium, tamen posset habere rationem mortalis, si vsque ad hoc inordinatio extendatur, quòd imaginando alienam mulierem, cognoscat propriam, vel si eo affectu cognoscatur, quòd etiamsi vxor propria non esset, vellet nihilominùs delectationem complere. Si autem per actum mœchiæ talis inordinatio compleatur, secundùm hoc huiusmodi peccati sex species distinguuntur: simplex fornicatio, solutus cum soluta. Adulterium, ligatus cum ligata, vel altero ipsorum ligato. Stuprum in defloratione virginum. Raptus, qui consistit in violenta mulieris cognitione. Item incestus, qui est, cùm cognoscitur cõsanguinea, vel affinis. Item sacrilegium, cùm scilicet Deo dicatæ virgines, vel viduæ cognoscũtur, vel in sacro loco taliaexercẽtur: de quibus omnibus pertranseundũ iudico, cũ absque hæsitatione habeant rationem mortalis.

32 Altera

32 Altera species Sodomiæ, seu altera species peccati carnalis, quæ vltimo loco fuit assignata, est Bestialitas; quam non disputo modò, an sit peccatum contra naturam, necne: suppono tamen eam esse contra naturam, & grauissimum omnium eorum, quæ fiunt contra naturam. Vnde non solùm prohibitum fuit in lege veteri, vt patet Leuit. 17. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo, mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei; quia scelus est.* Sed etiam pœna mortis puniebatur, vt habetur Leuit. 20. his verbis; *Qui cum iumento, & pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos.* Et hæc de peccato lapsus carnis. *Bestialitas.* Leuit. 17. Leuit. 20.

DECIMVS CASVS.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscunque personæ.

SVMMARIVM.

1 *Occisio quid.*
2 *An liceat in aliquo euentu seipsum occidere.*
3 *Lucretia Romana seipsam occidens, à D. August. reprehenditur.*
4 *Religiosus equo insidens, & se occidere volentem fugiens, potest in aliquo casu puerum in via iacentem conculcare.*
5 *Qui aliter euadere non valet, potest pro sui defensione alium occidere.*

6 *An possit id alicui præcipi absque cõscientiæ iactura.*
7 *Veneno quempiam occidens, grauius delinquit, quàm simplex homicida.*
8 *Nouitius occidens Religiosum, à Iudice Ecclesiastico recognosci debet.*
9 *Talis nouitius à Religione dimittendus est.*
10 *Vulneratio quid, & quomodo intelligatur.*
11 *An liceat alicui seipsum vulnerare, aut mutilare propter bonum finem.*
12 *Grauis percussio quæ.*
13 *Grauis percussio, vel leuis declaratur ex Nauarro.*
14 *Extenditur grauis percussio, etiam ad superiores Religionis.*
15 *Iniuria mediocris quæ.*
16 *Percussio in facie, & in Ecclesia facta alicui Sacerdoti, fuit, ex sententia Lapi, iniuria leuis.*
17 *Superior percutiens subditum incidit in canonem.*
18 *Prælatus excedens in correctione, non incidit in casum.*
19 *Percutiens nouitium, incurrit in excommunicationem.*
20 *Quid facere debeant Religiosi: quando ad inuicem se percutiunt, an possint à suis Prælatis absolui.*
21 *Excipiuntur aliqui casus, in quibus id non possunt.*
22 *Idem conceditur Religiosis, quando se percutiunt extra, quàm intra claustrum.*
23 *Percutiens quempiam Religiosum ex ioco, an incidat.*
24 *Tales potius sunt fustigandi, quàm excommunicandi.*
25 *Percutiens se ipsum malo animo, incurrit in excommunicationem.*
26 *Percutiens Religiosus alium Religiosum excommunicatum, incidit in excommunicationem.*
27 *Percu*

27 *Percutiens superiorem percussione graui, eiiciendus est à Religione, vel ad triremes perpetuò damnandus.*

LEgendi de hac materia D. Thom. 2.2. *q.* 64. & sequaces, Alex. de Ales. *p.* 3. *quæst.* 34. *memb.* 1. *art.* 2. Angel. *homicidium.* Sylu. Tab. Armilla. Cod. Nau. *in Man. cap.* 16. Vict. *rel. de homicidio.* Sot. *de iust. & iur. lib.* 5. Petr. de Arragon. & Michaël de Salon. 2.2. *quæst.* 64. Valent. *tom.* 3. *disput.* 5. Lopez *p.* 1. *instr. cap.* 65. Petr. de Nau. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. Tolet. *in summa lib.* 5. *cap.* 6. & alij.

Pro nostro verò instituto tria veniunt explicanda ad intelligentiam huius casus, & sunt, quid sibi velint termini illi, occisio, vulneratio, seu grauis percussio, & vt exordiamur.

Occisio quid.

1 Occisio, Vox ista non habet difficultatem, ab omnibus enim scitur, & intelligitur, & pariter ab omnibus debet abhorreri; præcipuè verò à religiosis: nam si homicidium graue peccatum est in omnibus, eò maximè in religiosis. Ad hoc autem, vt tale facinus sit peccatum, & reseruatum, necesse est, vt sit voluntarium, factum scilicet dolo malo, & animo occidendi: alioquin factum à religioso dormiente, vel furioso, vel amente, non facit, vt talis incidat in casum, cùm nec etiam in tali casu Religiosus fiat irregularis.

Occisio quando est casus reseruatus.

Dubium. Respons. Occidere seipsum nũquam licet.

2 Dubitatur hîc; An liceat in aliquo euentu seipsum occidere? Respondeo quòd non, quia vetitum est à Domino in Decalogo; *Non occides:* nam cùm tali præcepto quælibet occisio, rectæ rationi repugnans, prohibetur: nihil autem magis rectæ rationi repugnans, & aduersum esse potest, quàm sui ipsius occisio. Id quod definitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concil. Brachar.

est in Concil. Brac. *cap.* 34. vbi dicitur; *Placuit, vt iys, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentiæ inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadauer deducatur.* & S. August. *lib. de ciuitate Dei, cap.* 17. & refertur *in cap. si non licèt* 23. *q.* 5. vbi ait; *Si non licet priuata potestate alicui hominem innocentem occidere, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est: & tantò fit nocentior, cum se occiderit quantò innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit.*

Ex quibus omnibus manifestum habetur, occisionem sui hoc præcepto prohibitam esse, in eáque deformitatem, non qualémcunque, sed valde grauem, atque adeò mortalem contineri.

S. Bonau. S. Thom.

Sic expresè sentiunt D. Bon. 3. *sent. dist.* 37. *in litera*, D. Thom. & reliqui citati *vbi suprà*. Nam non potest dari vlla causa ad id necessitans: nisi ex impulsu, instinctu, & ordinatione Dei, qui Dominus est vitæ, ex cuius instinctu morti voluntariè, & sponte quàm plurimi Sancti se tradidêre. In reliquo non licet, neque ad detestationē peccati commissi, vt Donatistæ falsò asserebant, quia potiùs expedit viuere ad peccata cōmissa delenda per pœnitentiam, quàm tale tempus sibi subtrahere. Neque ad vitandum peccatum futurum proprium, ne scilicet consentiat in peccatum,

Rom. 3.

quia, *Non sunt faciēda mala, vt eueniant bona. Rom.* 3. & quia non licet committere malum maius, & magis certum, ad vitandum minus, & minus certum: neque ad vitandum ignominiam, vel alias huius vitæ ærumnas.

Lucretia Romana

3 Vnde meritò Lucretia Romana reprehéditur à S. Au-

gustino, *lib.* 1. *de ciu. Dei, cap.* 19. quæ propter vitandam ignominiam stupri sibi à Tarquinio illati, sese interemerit. Nam, vt rectè contra eam D. Aug. argumentatur, aut non consensit, & restitit quantum potuit adultero, & sic nec vitiata, nec corrupta fuit, & propterea non erat digna, vt seipsam occideret. Aut consensit in culpam adulterij, & tunc sui ipsius iudex esse non debuit. Vnde concludit, actum illum non fortitudinis, sed pusillanimitatis opus fuisse; eò quòd ignominiam illam ferre non valuit. Idem quoque dicendum esset de Religioso, si quando seipsum occideret, ne in peccatum incideret.

reprehenditur à D. Aug.

Dubium.

4 Dubitatur secundò; An religiosus fugiens equo inuasorem, & inimicum, & videns puerum, aut hominem in viâ iacentem, quem necesse est conculcare, aut si gradum sistat, in manus inimici venire, licitè eum conculcare, & proterere possit, & occidere in via iacentem, ne ipse occidatur: sicut euenire potest, quando quis à Turcis fugit, vel in aliis occasionibus. Idem de eo, qui alium impellit in flumen, vel præcipitium vt ipse mortem euadat. Respons. hæc satis difficilis est, & perplexa, de qua re legendi sunt Caietan. 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. præcipuè *in fol. ad primū, &* 2. Cordub. *lib.* 1. *qq. quæst.* 38. *dub.* 2. Sylu. verbo, *homicidium* 2. *q.* 26. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 135. Petrus de Arragon. 2.2. *q.* 64. *art.* 7. Respondetur tamen, quòd quando spes aliqua est de non euentura occisione, aut si spes nulla futura sit, conatur tamen illam non inferre, quantum potest; tunc quidem actu indirecto in mortem alterius, directò autem ad mortis propriæ euasionem, potest quis aut iacentem in via conculcare

Respons. Caiet. Cordub. Sylu. Petr. de Nauar. Arragon. *Auth. respōdet cum distinctione.*

culcare, aut alterum in flumen, aut in præcipitium impellere. Nec proximus in tali casu rationabiliter conqueri potest; cùm ad vitam propriam saluandam aliud remedium non habuerit, & in pari periculo vnusquisque ius habet, vitam propriam potiùs, quàm alterius saluandi, vt constat.

Quando verò moralis certitudo esset de morte innocentis, aliqui voluerunt dicere, quòd non liceret tunc puerum occidere, vel mittere alium in præcipitium. Nihilominùs si moderniores sustinent, quòd quando persona nobilis ad euitandam ignominiam sibi illatam, quæ non nisi morte inimici auferri potest, quippe qui coram pluribus ignominiosè affectus est, potest licitè illum occidere ad tuendum suum honorem, multò magis id fatendum est pro tuenda vita, & præterea semper talis habet intentionem non occidendi quemquam directè, sed semetipsum euadendi à tali morte certa, & imminenti.

Dubium. 5 Dubitatur tertiò; An qui mortem aliter euitare non potest: nisi occidendo, incurrat in casum seruatum, vt puta quia aliter euadere non potest mortem sibi imminentem per inuasionem

Respons. ei ab aliquo factam? Respond. quòd non, quia de iure naturæ vim vi repellere licet, maximè cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Dubium. 6 Sed an incurrat religiosus ille, qui cùm in tali casu per se id possit facere, mandat tamē hoc

Respon. alteri, vt pro se faciat? Respondeo quòd Baldus *in cap. 1. de pace tenenda* tenet quòd non, cum quo concordat text. *in l. Gracchus de adulſ.* vbi Bar-

Bartol. tolus ait, quòd non solùm pater sed etiam filij ad

ad præceptum patris possunt impunè interficere adulterum inuentum cum vxore, aut matre, ita vt sint impunibiles in foro exteriori, quamuis peccent mortaliter, *capite admonere 33. quæſt. 2.* Graffius tamen distinguit casum: nam aut in- Graffius.
uasor inuadit religiosum, vt interficiat, & tunc si religiosus neque fuga, neque clamore, neque vllo alio modo potest aggressorem euitare: nisi occidendo, aut mutilando, tunc non solùm ipse, verùm & alij religiosi possunt percutere volentem religiosum occidere, ne occidat. Ita est doctrina Bartol. valde notabilis *in lege deuotum. Cod. de meta. lib. 12.* si talis defensio fuerat in continenti, id est dum actu impugnatur: non autem postquàm violentia pertransiit. Est tamen magna differentia inter religiosos prædictos percutientes: nam ille, qui fuit inuasus, neque irregularitatem incurrit *dict. cap. 1.* Alij verò incurrunt irregularitatem, si occidunt. Vide Gloss. ibidem.

7 Dubitatur quartò, quid iudicandum sit de Dubium.
de illo, qui veneno procurat alicui auferre vitam, & ad quid teneatur? Respondeo, quòd cir- Respon.
ca hoc videndus est Rodriquez in secundo *tom.* Rodriq.
qq. regular. quæst. 33. articulo quarto, vbi plura dicit, sed pauca hîc subnectam. Respondeo dicen- Respons.
do, quòd Clericus, qui veneno quempiam occidit, præterquàm quòd in pœnam homicidij incidit, quia verò grauiùs delinquit, quàm simplex homicida, dignè post depositionem grauiori detrusione, & longiori puniendus est: plus est enim hominem veneno necare quàm gladio, *vt in leg. 1. Codic. de malefic. & mathemat.* Vnde dicit Baldus *in l. nemo Cod. de summa Trinitate,* Baldus.

Veneno occidens grauiùs delinquit, quàm simplex homicida.

quod

quòd qui veneno occidit, dicitur proditoriè occidere, & vt communem allegando aliquos sequitur Diaz de Lugo *in sua pract. cap. 95.* qui dicit, quòd propter execrabile delictum, quod clericus, qui venenum emit, vt daret alicui: tamen parauit, & per eum non stetit, eadem pœna puniatur, ac si dedisset. Quòd eius additionator Salzedo, *eod. loco*, verbo, *ac si dedisset*, intelligit eum, qui ad actum proximum accessit, & quia venenum propinauit: sed venenatus adhibitis medicamentis mortem effugit, tunc enim pœna ordinaria est puniendus prout explicat Couarruias *in Clement. si furiosus 2. part. relect. n. 11.* Non verò quando tenent aliquem veneno occidere, & ea de causa venenum emit, sed non propinauit, quia fortè pœnituit, aut fuit impeditus, tunc enim pœna extraordinaria iudicis arbitrio est plectendus. *Sic Rodriquez.*

Diaz. Salzedo. Couarr. Rodriq.

Dubium. 8 Dubitatur quintò, & vltimò circa hunc punctum: quid faciendum sit, si quando (quod absit) nouitius occidat iniustè aliquem religiosum professum? An scilicèt tale iudicium competat Prælato ipsius religionis, an verò competat Episcopo?

Nouitius occidēs Religiosum, à iudice Ecclesiastico recognosci debet.

Resp. Responsio ad hoc, quòd cognitio, & punitio talis delicti, & homicidij pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, hoc est manifestum, argum. *in cap. religio. §. 1. de sentent. excommunicationis*: vbi dicitur, quòd Nouitius religionis approbatæ gaudet priuilegio canonis, *si quis suadente 17. quæst. 4.* & propterea censetur persona Ecclesiastica: *arg. capit. duo sunt genera 12. quæst. 1.* Et ita expresse determinat Ioan. Andr. & Francus *in cap. beneficium de regul. iuris in 6.* Dominicus, & omnes *in d. capitulo religio. vbi suprà*: scilicet quòd cognitio delicti Nouitij pertinet ad iudicem Ecclesiasticum; quæ est etiam communis opinio, & probatur ratione: nam Nouitius post habitum susceptum subiacet Prælatis regularibus quoad iurisdictionem, & superioritatem, saltem commutabiliter, & reuocabiliter, licèt non irreuocabiliter pro tempore, quo sunt Nouitij: sicut sunt professi & cognitio, & punitio delictorum religiosorum post professionem pertinet ad iudices Ecclesiasticos, & Prælatos eorum, vt tradit Panormitanus post Ioannem de Lignano, probans, quòd delicta eorum pertinent ad cognitionem, & castigationem Prælatorum, etiam si sint homicidia, & grauia delicta.

Ioā. Andr. Dominic.

Hinc sequitur, quòd poterit iudex Ecclesiasticus, & Prælatus eos torquere; si meruerint torturam indicia delicti seruatis seruandis, iuxta ea, quæ notata sunt *in cap. cùm in contemplatione, de regul. iuris*, & ita tenet Nauarrus *in consilio lib. 2. de regular.* Nauarr.

9 Sed melius est, vt id in religione non fiat: nam dimittendus est talis Nouitius à Religione, & debet tradi brachio Episcopi, qui contra eum faciat, quod iuris est. *Nota.*

Vulneratio quomodo intelligatur.

10 Sequitur secundus terminus declarandus, qui est, *Vulneratio*. Pro quo animaduertendum, quòd hoc non intelligitur de quolibet vulnusculo, sed de vulnere graui, facit text. *in l. 1. §. proinde. ff. de ædil. edicto.* vbi habetur, quòd leuis febricula, non dicitur febris, ergo non vulneratio leuis, sed vulneratio notoria, grauis, & iniuriosa facit casum reseruatum, & hoc siue fiat ense, siue gladio, siue alio apto instrumento.

Ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio est; quia, vt diximus *in quinto art. sectionis primæ, partis primæ.* casus reseruatus non debet fieri de quibuscunque mortalibus, sed de grauioribus, & atrocioribus, prout præcipit, & ordinat sacrum Concilium Trident. in sessione. 14. *c.* 7. vbi habetur, *atrociora quædam, & grauiora crimina.* Hinc non quodlibet vulnusculum pertinet ad hunc casum, sed vulneratio grauis, notoria, & iniuriosa.

Concil. Trident.

11 Dubitatur hîc an liceat alicui seipsum mutilare, seu vulnerare, maximè ob aliquem bonum finem, vtputà mutilare virilia, vt meliùs seruetur castitas?

Resp.

Respondeo, quòd communiter est peccatum mortale, membrum sibi abscindere, & præterea incidit in casum reseruatum, qui hoc facit. Vide D. Thom. 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. Petr. Arragon, & Salon. *ibid.* Sylvest. verb. *homicidium* 1. *quæst.* 1. Sot. *lib.* 5. *de iust. quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. Nauarr. *in Man. c.* 15. *num.* 11. Tolet. *in summa lib. cap.* 6. Cuius ratio est, quia sicut nec vitæ, sic nec membrorum quis dominus est, vnde mortaliter peccat, qui membrum sibi abscindit, aut mutilat ex impatientia, ira, verecundia, vel alia inordinata passione; facit enim contra sui dilectionem, quam iure naturali, & diuino seruare debet.

D. Thom. Arragon. Sylvest. Sot. Nauarr. Tolet.

Hinc abscindere partes viriles, & se castrare ob castitatem, peccatum mortale est, atque adeò damnatur Origenes ab omnibus in eo, quòd se castrauerit, vt securiùs per domos mulieribus prædicaret, vt habetur *in cap. si quis à medicis, distinct.* 55.

Grauis percussio quæ.

12 Tertius est, *Grauis Percussio*: & pro intelligentia huius termini, dicimus, quòd ad hoc, vt percus-

percussio faciat casum reseruatum, debet esse grauis, atrox, siue enormis; non autem leuis, ratione eadem, qua de vulnere dictum est.

13 Ad cognoscendum autem, quænam percussio sit grauis, siue enormis, siue leuis, referam id, quod habet Nauar. in suo Man. *cap.* 27. *num.* 92. vbi ait, enormem percussionem esse illam, qua quis interficitur, scinditur membrum; aut inutile, aut quasi inutile ad suum munus efficitur: & illam, ob quam, factam in alia parte, quàm in naribus, vel alia, vnde sanguis facilè erumpere solet, defluit multum sanguinis.

14 Et illam, quæ fit in proprium Episcopum, aut Abbatem, (addo ego, in Generalem, Prouincialem, Guardianum, & in sua absentia, in Vicarium loci) & quæ magno scandalo est populo, vt declarat, & sentit Innoc. III. *in cap. cùm illorum, de sent. excommunicat.* & quamuis idem dicat Gloss. eiusd. capit. in verb. *mutilationem*, dè quolibet excessu notorio: & idem asserat Sylu. verbo, *absolutio.* 4. *in princip.* de ea, quæ infertur in foro, vel audientia publica coram iudice, aut in oculo, aut in facie, secundùm Gloss. aut in Ecclesia, aut in Dormitorio: non tamen putamus id esse verum, nisi quando percussio est in se notabilis, & gignit aliquod magnum scandalum, quia Cardinalis *in consil.* 42. & Lapus *in allegat.* 76. declarant, aliquas ex his non esse mediocres, sed leues. Sic Nauarrus. Ego tamen sequerer primam opinionem: quia licèt percussio de sui natura non sit grauis; fit tamen talis respectu loci, vel ratione scandali.

Sylvest. Cardinal. Lapus.

15 Secundò addimus, quòd iniuria mediocris est, quæ est media inter leuem, & enormem: & quia de hoc certa regula tradi non potest, relin-

Iniuria mediocris quæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur arbitrio Episcopi, vel Prouincialis, vel confessarij, iuxta Hostiensem receptum ab omnibus *in capit.peruenit.de iudic.* vt diiudicent, habita ratione circunstantiarum, personarum, locorum, & temporum: cauendo ne iudicent leuem eam, quæ enormis est, iuxta Panorm. *ibidem.*

Hostien.

Lapus.

16 Tertiò, quòd Lapus *vbi suprà* concluſit, esse percussionem leuem, à qua posset absoluere Episcopus, colaphum, quem impegit Capellanus quidam perpetuus Aretinæ Ecclesiæ cuidam Canonico in eadem Ecclesia absque sanguinis effusione, & quòd Cardinalis *vbi suprà*, concluſit, percussiones duorum clericorum, qui sibipsis mutuo pugno, & pede impegerunt in itinere, esse leues, à quibus posset absoluere Episcopus.

Dubium.

17 Dubitatur hîc primò; An superior percutiens suum subditum, & per consequens incidens in excommunicationem Canonis, *si quis suadente Diabolo*, poterit absolui ab aliquo subdito suo ab ipso electo in confessarium? Respondeo quòd sic: & si subditus, & Prælatus ad inuicem se percutiunt, & in Conuentu non est, qui eos possit absoluere: possunt ad inuicem se absoluere; prout tenet Fabianus in verbo, *absolutio*, 2.§.6. & probat fusè Rodriquez *tom.primo.qq.reg.q.*20.*art.*12.

Resp. *Superior percutiens subditum, incidit in canonem.* Fabianus. Rodriq.

Nam licèt secundùm ius ordinarium, & commune, excommunicatus maiori excommunicatione non possit alium excommunicatum maiori excommunicatione absoluere; prout notatum est *in cap.audiuimus.*24.*q.*1. In casu tamen necessitatis; vbi non est alius Religiosus, qui possit eos absoluere, potest excommunicatus alium excommunicatum absoluere. Et ratio est: quia necessitas non habet legem, & probat Ioann. Fabianus à maio

Excommunicatus maiori excommunicatione potest in casu necessitatis absoluere alium excommunicatum maiori excommunicatione.

à maiori, qui si in casu necessitatis excommunicatus potest absoluere à peccatis, à fortiori poterit absoluere ab excommunicatione. Quod etiam habet Nauarr. *in Man.in cap.*27. *num.*247. in his verbis; *Sacerdos, etiam excommunicatus, & denuntiatus potest hodie absoluere licitè constitutum in articulo mortis; sicut non excommunicatus:* quia non obstat, quòd per excommunicationem tollatur iurisdictio, quam saltem habitualem habet iure diuino, *cap.Eccles.*16.*q.*1. sine qua non potest consistere absolutio; quia probabiliter credi potest, piam matrem Ecclesiam non auferre illi, nec suspendere iurisdictionem quoad talis articuli tempus. *sic Nauarrus.*

Nauarr.

18 Sed quid dicendum, quando Prælatus, cui permissa est moderata correctio in subditos, si excesserit modum, ex quo mors secuta est, num incidat in casum? Resp. quòd non: nam quamuis fiat irregularis, puniri tamen non debet; vt homicida dolosus, quia hoc dolosè non fecit, *cap.si quis iratus* 15.*q.*1.

Prælatus excedens in correctione, an incidat in casum.

19 Dubitatur secundò, an incurrat in hunc casum Religiosus ille, qui percutit Religiosum Nouitium vnius diei, & respondetur quòd sic, per d.cap. *si quis suadente Diabolo:* nam extenditur etiam ad Nouitios, & etiam esset excommunicatus, *capit.religioso*, §.*primo, de sent.excommunicat.* Non tamen esset excommunicatus, si percuteret de proximo vestiendum, qui in Monasterio est in habitu sæculari sub cura Magistri Nouitiorum.

Percutiens Nouitium incurrit in excommunicationem.

20 Dubitatur tertiò, quidnam facere debeant Religiosi, quando ad inuicem se percutiunt: nam tunc non solùm incidunt in casum reseruatum, verùm & in excommunicationem latam in cap.

Dubium.

si quis suadente. De hoc vide, quæ habet Comp. priuileg. verbo, *excommunicatio*. ibi, *Capuccini annotatio*. Respondetur tamen, quòd possunt absolui à Prælatis Religionis, prout habetur ex concessione Clem. IV. & habetur in libro; *Monumẽta Ordinum*, in prima impressione *fol.* 57. & in secunda impressione, *fol.* 140. *conceſſ.* 138. *&* 139. Vide Rodriquez *to.* 1. *q.* 20. *art.* 12.

Respon.

Monumenta ordinũ. Rodriq.

Concedit enim Generali, & Prouincialibus Ministris, & eorum Vicariis, atque etiam Custodibus fratrum Minorum in Prouinciis, & custodiis sibi commissis, fratribus prædictis ibidem constituris, necnon fratribus aliis eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus, vndecunque absolutione, & dispensatione indigentibus, siue priusquàm intrauerint ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrerint sententias, à iure, vel à iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis interdicta Diuina celebrantes, vel suscipientes ordines, sic ligati, notam irregularitatis incurrerint, vt absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impertiri: nisi adeò fuerint graues, & enormes excessus, quòd sint ad sedem Apostolicam meritò destinandi. Ac similiter concessit, quòd fratres, quos Generales, & Prouinciales Ministri, & eorum Vicarij, ac etiam Custodes in proprios habuerint Confessores, possint eis absolutionis, & dispensationis beneficium impertiri.

Et quia eandem concessionem habent fratres Prædicatores extensam ad priores Conuentuales, hinc sit, quòd per communicationem priuilegiorum,

rum, idem facere possunt Guardiani, & eorum Vicarij; prout tenet etiam Rodriquez *vbi suprà*. Rodriq.

21 Excipit autem ab hac concessione Sixtus IV. absolutionem illarum excommunicationum, quæ latæ sunt contra hæreticos relapsos, schismaticos, & literas Apostolicas falsificantes, aut ad infideles prohibita deferentes.

Ex quo collige cum Rodriquez, *vbi suprà*, quòd cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, quòd possunt sine dubio dicti Patres absoluere ab excommunicatione propter iniectionem manuũ violentam in clericum, etiamsi sit sedi Apostolicæ reseruata. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

22 Interrogabis; An dicta absolutio concedatur eis, quando mutuò se percutiunt in claustro: an verò quando etiam extra claustrum? Et videtur, quòd non extra claustrum; quia priuilegia debent explicari iuxta terminos iuris communis, & in cap. *Monachi. de sent. excom.* ordinatur, quòd Regulares in claustro se percutientes, possunt à suo Prælato, vel Episcopo absolui? Respondetur tamen, quòd etiamsi extra claustrum se percusserint: possunt nihilominùs absolui à suo Prælato, virtute supradicti priuilegij. Neque obstat obiectio facta: illa enim verba non ponuntur in Decretali, quasi innuant, quòd si extra claustrum se percusserint; ab Episcopo, & non à suo Prælato debeant absolui: sed quia hoc crebriùs in claustro contingit, prout aduertit Panormit. in cap. *cum illorum de sent. excom.* allegans aliqua iura, nempè cap. *canonica eod. titul.* & alia in quibus probatur clarè, Prælatos Regulares posse absoluere suos subditos extra claustrum se percutientes. Dubium. Respon. *Religiosi extra claustrũ se percutiẽtes, possunt absolui à suis Prælatis.* Panormit.

Nota. Sed quid faciendum, quando Religiosi diuersorum Ordinum se percutiunt ad inuicem? Resp. quòd tunc debet absolui vnusquisque à suo Prælato ab excommunicatione incursa.

Dubium. 23 Dubitatur quartò; An quando percussio facta est ioco, etiamsi in ioco sit excessus, & pariter in percussione tunc incurratur excommunicatio? Resp. quòd non, prout habetur in cap. *prim.de sent.excom.* Et ratio est, quia talis percussio non fit suadente Diabolo: quod necessariò requiritur, vt quis incidat in Canonem. Et esto, quòd aliqua ira in progressu interuenerit, dummodò à ioco habuerit initium, & talis iocus non fuerit per aliquod spatium temporis interruptus, idem censendum est.

Responsio ponderanda.

Si verò post interruptionem ioci per aliquod spatium, quis percutiat aliquem Religiosum cum ira, & suadente Diabolo, etiam quòd talis percussio, & ira habuerit initium à ioco, dicimus, talem percussorem incurrisse in Canonem.

Perpende quæ dicuntur. 24 Quando verò perseuerat iocus, & vnus percutit alterum, non incurritur, & si talis taliter percussus conqueratur, & proclamet apud superiorem, quòd percussor inciderit in Canonem: dicam simpliciter id, quod sentio, nempè quòd ambo sunt potiùs fustigandi, quàm excommunicandi, sicut in simili dixit Sotus *in 4.sentent.* de clericis pueris se percutientibus, nempè quòd non sunt excommunicandi, sed potiùs fustigandi. Sic tales Religiosi se percutientes, tanquàm pueri debent tractari, quia tanquàm tales luserunt, & posteà plusquàm tales se percusserunt. Ideò disciplina est aptum instrumentum ad eos corrigendos & absoluendos. Vide Nauar. *in suo Man.c.27.n.80.*

25 Dubi

Dubium. 25 Dubitatur quintò, quid faciendum, quando quis se percutit; aut vulnerat? Resp. quòd si deliberato animo sibi ipsi manus immittit, excommunicationem incurrit, iuxta Ioann. Andr. Panorm. Felinum, & alios omnes *in capit. contingit. 1. de sentent.excom.* & per consequens incurrit in casum reseruatum: nam tunc non solùm peccat mortaliter, verùm & incurrit in excommunicationem. Ratio verò est, quia quoad hoc nemo est dominus suæ vitæ, aut suorum membrorum, vt dictum est suprà, *l.liber homo,ff. ad legem Aquiliam.* contingit & ob alias rationes, quas adducit Sanct. Thom.2.2.*q.64. art.5.* Videatur Nauarrus in suo Man.*cap.15.num.11.*

Resp. Panorm. Felin. S.Thom. Nauarr.

Dubium. 26 Dubitatur sextò; An quando Religiosus percuteret alicui Religiosum, seu Sacerdotem excommunicatum, in excommunicationem incideret? Resp. quòd aliqui dicunt quòd non, per cap.*excommunicatorum,*23.*q.*5. & Gloss. in cap.*si quis deinceps,*17.*q.*4. tamen hæc est communis opinio, quòd iste percutiens excommunicatum, incurrit in excommunicationem, & ratio est; quia excommunicatus retinet ordinem, ratione cuius inducta est immunitas, & ideò durante causa, durat effectus.

Resp.

Dubium. 27 Dubitatur septimò, & vltimò, qua pœna sit puniendus subditus, qui Guardianum, aut alium suum superiorem percusserit? Resp. quòd de hoc potest videri Rodriquez *in tom.2.qq.regul.q.34.art.* 2. debet enim vel eiici à Religione, vel ad triremes damnari.

Resp.

VNDECIMVS CASVS.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.

SVMMARIVM.

1 *Declarantur verba casus.*
2 *Qua pœna exteriori puniri debet aperiens literas.*
3 *Bartoli doctrina notanda.*
4 *An qui solùm aperit: non tamen legit literas, incidat in hunc casum.*
5 *Qui legit literas absque eo, quòd aperiat, non incidit in hunc casum.*
6 *Qui inaduertenter legit literas, non incidit in casum.*
7 *Stephanus Quaranta tenet, aliquem posse literas huiusmodi aperire, & legere absque peccato.*
8 *Stephani Quarantæ opinio reiicitur.*
9 *Papa est, qui hoc præcipit, & potest legem condere, & ad eam seruandam omnes fideles obligare.*
10 *Præceptum hoc, vt iacet, seruandum est.*
11 *Casus à Nauarro positus de quodam Regulari cui etiam literæ ad Papam directæ, cùm iussu superioris fuissent ablatæ, excusatur factum à Nauarro.*
12 *Nauarro opponitur Nauarrus.*
13 *Literarum non aperiendarum plures rationes.*
14 *Superiores, & qui ius in alios habent: vt pater in filios, & vir in vxorem possunt aperire subditorum literas.*

1 Hæc

1 HÆc verba clara sunt, scilicet quòd in hunc casum incurrunt omnes, qui dolosè data opera impediunt, ne literæ superiorum perueniant ad inferiores; & è contra inferiorum ad superiores, ad quos diriguntur, & qui non impediunt, sed malitiosè retardant dare. Et qui neutrum faciunt, sed aperiunt literas dissigillando, & posteà iterùm sigillant, & mittunt ad eos, ad quos diriguntur. Circa quem casum; *Declarãtur verba casus.*

2 Quæritur primò, qua pœna exteriori, præter casum reseruatum, in quem tales incurrunt, debeant puniri? Respondeo, quòd aperiens obsignatas literas, & aduersario mittentis ostendens, incidit in pœnam falsi: ita Bartol. *in l. qui testamentum ff. ad leg. Cornel. de falsis*, quem sequitur Panormit. *in cap. cùm olim de offic. deleg.* Iason *in* §. *pœnales num. 26. instit. de act.* sic sæculares. Religiosi verò hæc facientes, deponendi sunt, ita sentit Romanus *cons. 65. circa finem*, hoc fundamento motus, quòd de iure Canonico pœna falsi est depositio in clerico, vt constat ex iure, *cap. ad falsariorum de crimine falsi.* At Bernardus Diaz *in sua praxi cap. 105. num. 2.* hanc refellit opinionem, cùm illud ius non imponat pœnam depositionis clerico pro qualibet falsitate, sed quando vtitur literis falsis Papæ, & in suum fauorẽ allegat Hostiens. Vnde non debet extendi decisio illius iuris ad hoc delictum, & consequenter credit, pœnam huius criminis arbitrio iudicis esse relinquendam, considerato nocumento, quod ex apertione dictarum literarum mittenti aliis euenit. *Dubium.* *Resp.* *Bartol.* *Panormit.* *Iason.* *Pœna aperientium literas.* *Diaz.*

3 Sed aduertenda est doctrina Bartol. in hoc casu, distinguentis sic: aut quis aperuit literas, vt aduersario mittentis ostenderet, & is (ait) inci- *Bartoli doctrina notanda.*

dit in pœnam falsi, si verò aperuit, vt ipse eas legeret, aliis autem non ostenderet, non debet puniri pœna falsi, sed pœna extraordinaria talionis. Quod si quis non restituit literas ei, cui reddere mandatum susceperat, sed illas alteri pandit: non tamen aduersario mittendas, talis incidit in pœnam falsi. Item qui literas alicuius aperiret, & diuulgaret ad alterius iniuriam, actione iniuriarum teneretur, & subdit, quòd non dicitur literas aperire, qui clausuram earum detrahit: si aliter eas non aperiat, nec legat. Qui autem literas alteri scriptas lacerat, vel comburit, crimine falsi tenetur. Vide etiam ad hoc, quæ habet Baldus *in l. Paulus. ff. de falsis* & Abbas *in cap. cùm olim de offic. delegati.*

Dubium. Respon. Graffius. Quaranta.

4 Secundò quæritur; An qui solùm aperit, & non legit, incidat in hunc casum? Respon. quòd Bartol. *vbi suprà*, & Pater Graffius hîc, & Stephanus Quaranta, *in suo comp. Bullarij, in explicatione huius casus*, dicunt, quòd non est casus reseruatus, *argum. in text. si quis in graui §. si quis tabulas. ff. de senatusconsl. Silaniano, & Claudian.* Sic ille.

Authoris sententia.

Ego tamen dico, quòd incurrit, & ratio est, quia verba legis sunt clara; nempè *aut apertio literarum*, nihil specificans de lectura.

5 Quod adeò existimo verum, vt si quis legat tales literas absque eo, quòd aperiat, vt sepè contingere potest, legendo eas vel ad lumen Solis, vel candelæ, quando characteres transparent, quia charta bibit, vel etiam si quis per latera (*nizza*) Italicè dici solet, introspicit, & legit, tunc enim quia non aperit, non incurrit in hunc casum: cùm in litera textus legis nihil de lectura dicatur.

6 Si

6 Si quis verò inaduertenter tales literas aperiret, existimans illas ad se esse missas, & legit cum tali credulitate, nihil ad casum hunc, quod similiter dico de eo, qui cum tacito mittentis consensu eas aperit, & legit, vt quia est suus familiarissimus, & timet, ne si non aperiantur literæ, potest negotium amici aliquod pati detrimentum: Vel bona fide speraret in ratihabitione eius, cui mittuntur.

Quaranta refertur.

7 Circa hunc casum animaduertendum censeo id, quod habet Stephanus Quaranta in suo compendio Bullarij, sub titulo, *casus reseruati, num. 12.* vbi sic sequitur, vt autem religiosi propter impedimentum, retardationem, & apertionem literarum incurrant casum reseruatum, necesse est, quòd manifestè sit peccatum mortale, esset autem tale, si eo anima aperiretur, vt nocumentum proximo inferretur. Secundò, si notabile damnũ eueniret sine tali intentione. Tertiò, eas proditoriè scribentis aduersario ostendendo. Non esset mortale in manifesto inimico mittentis, vel illius cui mittuntur, iustè timenti per illas aliquod damnum sibi parari, vel dubitante, ne aliquid in illis contra eum tractetur. Secundò, in referante eas, & illas bono fine impediente, scilicet ad præcauendum aliquod malum iniustum alteri per illas probabiliter illaturum. Tertiò, quando communiter tangeret ipsum, & tertium, & illas manifestando.

Quartò, non esset etiam mortale aperire literas, quæ non sunt alicuius momenti, neque continerent materiam grauem, sed leuem. Quintò, non incidit in casum reseruatum religiosus malitiosè frangens illam chartulam, cum qua literæ

clau

Universidad de Deusto
Biblioteca

clauduntur, vel sigillum auferens: non tamen illas legens, quia literæ non dicuntur apertæ: si sola ligatura sit soluta: nisi etiam fuerint lectæ, cùm scimus in pœnalibus, in quibus fieri debet stricta interpretatio. Bart. *in l. si quis in graui. §. si quis tabulas. ff. de senatus Sil. cap. cùm olim 2. de offic. delegat.* Quod vltimum limitatus non procedere in literis necessariis, & vtilibus Monasterio, quas iuridicè possent ipsi regulares sine superioris voluntate dare, vel accipere, quales essent illæ, quibus regularis denuntiaret delicta ipsius superioris, *arg. tex. in cap. ex parte de accusat.* vel literas super hoc à Papa impetratas acciperet. Nau. *in cap. non dicatis in 4. not. in fine 12. quæst. 1. Et in cons. 33. de sententia excom. num. 4.*

Refellitur Quaranta.

8 Contra quam doctrinam dico plura. Primò, quòd licèt apud me prædictus D. Stephanus Quaranta plurimi æstimatur propter eruditionem suam conspicuam, nihilominùs in hac materia (pace sua) non videtur benè dicere: nam ea, quæ ipse dicit, possunt habere locum in literis, quas æquales ad se inuicem mittũt: & Nauarrus, quem ipse sequitur, & citat in cap. *sacerdos de pœnit. distinct. 6.* nihil agit de literis, quas superiores ad inferiores mittunt, vel è contra, vt est videre apud eundem. Vnde resolutoriè dicimus, quòd quotiescunque quis aperit, impedit, vel malitiosè retardat literas superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores missas, incidit in hunc casum reseruatum: sic enim sonant verba Legislatoris. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum*, &c.

9 Moueor autem ad id asserendum, quia Papa est, qui præcipit, & potest præcipere, & condere

dere leges prout de facto quàmplurimæ ab eo cõditæ sunt; vt patet per totum ius canonicum, & Papæ lex obligat omnes. Et quòd nemo eximitur à iurisdictione Papæ: & omnes ei obedire tenẽtur in spiritualibus, & præcipuè nos fratres Minores, qui in primo capite regulæ nostræ id profitemur.

10 Prætereà præceptum hoc vel est clarũ, vel dubium: si est clarum, obseruari debet, vt sonat, nec interpretationes extortas admittit. Si dubiũ est, tunc obseruari debet, vt verba sonant. Vide Nauarrum *lib. 5. cons. de verbor. signific. consil. 2. n. 1.* Nauarr. Cùm ergo præcipiat summus Pontifex, vt literæ superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores non impediantur malitiosè, aut retardentur, aut aperiantur, sic seruari debet tale præceptum, vt sonat absque vlla glossa.

11 At contra ea, quæ determinata sunt, videntur facere, quæ habet Nauarr. *lib. 3. cons. de statu Monach: cons. 16. n. 2.* Vbi recensetur de quodam Canonico regulari, qui sine licentia Prælati ad curiam quandã sæcularem proficiscebatur, deferẽs secum literas ab aliis canonicis ad Papã scriptas, & quòd Prælatus eum capere, & carceribus mancipare facit, literásq; præfatas acceptus aperuit, & legit. Et interrogatus Nauarr. an id rectè fuerit factum; respondit affirmatiuè, cuius rationẽ dat, quia prædictæ literæ nõ fuerunt legitimè ad Papam scriptæ, nec ab eo, qui poterat eas dare, quia fuerunt confectæ à canone in regulari simplici, qui nõ potest accipere, nec dare literas sine consensu Prælati, vt habetur in regula eorum, & transumptiuè *in c. non dicatis 12. q. 1. in 4. not. 1.* Tum quia literæ prædictæ erant sui Monasterij, & suæ: quoniam omnia, quæ habent, & faciunt Canonici regulares simplices

Instantia.

plices pertinent ad Monasterium, *cap. non dicatis 12. quæst. 1.* & administrationem Prælati *cap. nullum. 118. quæst. 2.* Per quam doctrinam videtur, quòd inferiores possunt accipere, aperire, & legere literas inferiorum ad superiores missas, quia Prælatus prædictus talia fecit circa literas ad Papam missas; ergo à fortiori id poterit fieri circa alias literas, quæ inter religiosos mittuntur.

Respon. 12 Sed contra Nauarrum oppono eundem Nauarrum in comment. 2. *de Regular. num.* 15. vbi tractans de literis, quas religiosi non possunt dare, neque recipere absque superioris licentia, saltem tacita, concludit sic: Aduertendum item, quòd hoc notabile procedit in literis, quæ accipiuntur, vel dantur contra vtilitatem, vel honestatem Monasterij, vel contra salutem spiritualem, vel corporalem singulorum regularium, & aliis literis, quæ continent inutilia, vel impertinentia prædictis: non autem de literis necessariis, vel vtilibus, quas iustè secundùm iura possunt ipsi sine superioris voluntate dare, vel accipere, quales sunt illæ, quibus regularis constituit Procuratorem contra Prælatum, vel denuntiat eius delicta, quibus casibus id licet facere. Vide ibi.

Ad quæ licèt ipsemet Nauarrus respondere, & satisfacere conetur ad finem supradicti *cons. 16.* nihilominùs doctrina paulò ante *in comment. 2. de reg.* posita solidior, & verior est: & quæ ab omnibus obseruatur: nam contra superiorem vnusquisque potest scribere ad maiorem superiorem absque eius licentia, & pariter literas recipere, nec possunt impediri: stat ergo firma nostra sententia: nempè quòd nemini licet malitiosè impedire,

re, aut retardare, aut aperire literas superiorum.

Literarum nõ aperiendarum plures rationes.

13 Et quia materia hæc magnoperè disturbare solet religiosos, animaduertendæ sunt rationes, quas, ne aperiantur literæ, assignat Nauarr. *in prædicto cap. sacerdos,* & Nauarrum sequitur, Menochius *de arbitr. iud. cas. 311. num. 12. cent. 4.* & nos hîc libenter eas transcribimus, vt qui ad aperiendas aliorum literas sunt propensi, per tales rationes reprimantur. Sunt autem hæ:

Prima, quia regulariter omnis iniustitia est peccatum mortale, secundùm S. Thom. 2.2. *q. 59. art. 4.* receptum, qui aperit literas alienas peccatum iniustitiæ committit. Tollit enim ius alterius, scilicet aperiendi literas tam mittenti; quàm ei, cui mittitur. Tollit item custodiam, quæ vtrique illorum conuenit. Facit etiam, quod iuris gentium est, ne legati violentur, *cap. ius gentium distinct. 1.* At literæ quidem legati muti, & inanimati sunt.

Adde; quòd publicæ fidei expedit, literarum sigilla inuiolata esse, & quidem hoc certissimum est, si eo aperiat animo, vt notabile nocumentum ex eo proximo inferat, certum quoque, si aperiat tali animo, si tamen nocumentum fiat, quia paria, quò ad hoc, illa sunt.

Quibus addo ego, quòd ex tali apertione literarum multæ inquietudines, perturbationésque animi, odia, rancores, & sexcenta huiusmodi mala oriuntur, vnde consultius esset, vt literæ aliorum nunquàm aperirentur.

14 Excipe ex dictis superiores, & omnes illos, quibus de iure communi competit aperire literas inferiorum, quibus: sicut non intendimus

adi

adimere talem facultatem, sic, vt modestè ea vtantur, consulimus.

Concludamus ergo hanc materiam, & dicamus, quòd rationes D. Stephani prædictæ, si quæ concludunt, habent locum in literis æqualium subditorum, qui non habent auctoritatem contrarium præcipiendi. At in literis superiorum ad inferiores, & è contra, nequaquàm possunt habere locum, quia id vetitum est, & qui id vetuit, Papa fuit, qui ad id, vt & ad alia plura habuit, & habet auctoritatem.

Explicit tractatus de casibus reseruatis, Deo Iesu Christo laus in æternum.

EXPLI

EXPLICATIO BVLLÆ IN COENA DOMINI

à Gregorio XV. in anno 1621. promulgatæ.

AGGREDIOR, Diuino Numine implorato, Bullam lectam in die cœnæ Domini anno 1621. à Greg. XV. latam, explicare, & pro viribus interpretari. Quod antequàm faciam, aliqua prælibanda censui;

Primum est, quòd auctor huius Bullæ est Papa, qui ex communi omnium Catholicorum calculo habet plenissimam potestatem, & hanc excommunicandi potestatem à Christo in Petro accepit: Christus enim talem facultatem non solùm Petro: verùm & aliis successoribus suis concessit, vt habetur *in cap. quodcunque. 24. q. 1. & cap. solitæ. §. nobis autem, de maiorit. & obed. & in extrauag. Vnam sanctam. §. est autem hæc auctoritas, & ibi Gloss. de maior. & obed.* & inter Scholasticos S. Bonau. *in 4. dist. 18. in vlt. par. dist. q. 3.* Hanc autem potestatem Christus Ecclesiæ suæ tradidit, *Matth. 18.* vbi loquens de correctione fratris delinquentis, concludit; *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ex quo loco, vt rectè habet Adrianus *in 4. tract. de clauibus, art. 3.* Doctores excommunicationis fundamentum trahunt. Nam ibi non est sermo deeuitando, & fugiendo aliquo, priuata auctoritate: sed publica prælati sententia, siquidem

Christus facultatem excommunicandi in Petro, omnibus etiam successoribus tradidit. Matth. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem postquàm dixerat; *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*: auctoritate Ecclesiæ, id est prælati, illum ex consortio hominum eiectum, fugiendum monet, quod etiam subsequentia declarant, ait enim Christus; *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis.* Ac si diceret, si contumax, & rebellis quis fuerit, si Ecclesiam non audierit, si Ecclesiæ prælatis inobediens sit, sit tibi tanquàm Ethnicus, & Publicanus. Et si quæras, qua auctoritate talem declinare debeas, statim subditur petitioni responsio; *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Quia per Ecclesiasticam potestatem Prælati ligatus est, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Igitur excommunicandi potestas à Christo tradita est: id quod disertis verbis tradit S. Ioannes Chrysostomus *hom. 4. in cap. 2. epist. ad Hebræos*, & refertur *in cap. Nemo contemnat. 11. q. 3.* vbi dicitur; Nemo contemnat vincula Ecclesiastica: non enim homo est, qui ligat: sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris. Cùm ergo in Prælatis Ecclesiasticis talis potestas resideat, præcipuè verò in summo Pontifice. Nam cùm in excommunicante requirantur tria: Primum, vt habeat ordinem clericalem, *cap. 1. §. Maximus Episcopus, dist. 96.* & ibi Gloss. verb. *laico*, & ead. Gloss. communiter recepta *in cap. transmissa. de elect.* Secundum quod requiritur, est iurisdictio Ecclesiastica in foro exteriori: nam ex communi omnium sententia excommunicare, ac alias censuras ferre, & ab eis absoluere, ad iurisdictionem pertinet. Sic S. Bonau. *vbi supra*, S. Thom. *in addit. ad 3. p. q. 22. art. 1.* Alensis *par. 4. q. 22. memb. 1. art. 4.* Ricc. *in 4. dist. 18. art. 4.*

In Prælatis Ecclesiasticis, præcipuè in summo Pontifice, est excommunicandi potestas.

In excommunicatione tria requiruntur.

art. 4. q. 2. & 3. Dur. *q. 4. num. 7.* Martinus Ledesmius *2. 4. q. 24. art. 1.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1.* & ex Canonistis post Gloss. communiter receptam *in cap. transmissam*, in verb. *de talibus de elect.* Panorm. *ibi num. 2.* Couarr. *in cap. alma mater. §. 11. num. 1.* Nau. *in Man. cap. 27. num. 5.* Vgolinus *de censur.* & alij communiter. Tertium, quod necessarium est ad ferendam excommunicationem, est, vt vsus iurisdictionis non sit impeditus, vt patet ex DD. suprà citatis. Cùm ergo hæc tria requirantur, & in Papa ea omnia plenissimè resideant; patet, quòd in eo est plenissima potestas excommunicandi.

Dubitatur verò hîc; An excommunicatio sit de iure Diuino, vel potiùs de iure humano? Quidam existimant, iure Diuino ferri excommunicationem contra hominem conuictum hæreticum, propter illa S. Pauli verba ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.* Et 2. Ioan. 1. *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam* (illam scilicet veram, quam Apostolus docuit) *non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Sic Almayn. *in 4. dist. 18. q. 1.* cuius opinionem defendi posse tradit Nauarr. *de orat. & hor. can. cap. 22. num. 9.* & Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 18.* dicit esse probabilem. Ioannes Driedo *de libert. Christ. lib. 2. seu cap. 2. p. 3. art. 2. considerat. 9. folio mihi 136.* expressè sententiam Almayn. tuetur, & Couarr. *in cap. alma mater. 1. p. §. 1. num. 1. de sent. excom. lib. 6.* Alij tamen, vt Sot. *in 4. d. 22. q. 1. art. 1. vers. ex his autem.* Henriquez *lib. 13. de excom. cap. 2. §. 3.* qui alios refert, Vgolin. *de censuris.* Tab. 1. *cap. 1. &* 2. & inclinat Nauarr. *vbi supra, & in Man. cap. 27. num. 13.*

Dubium. *An excommunicatio sit de iure Diuino, vel humano.* Ad Tit. 3. 2. Ioan. 1.

num. 13. & Caietan. *de auctoritate Papæ, cap.*17.& Panorm.*in cap.cùm desideres,num.* 3. *de sent.excom.*id negant. Nam, vt experientia constat etiam publicos hæresiarchas exteriores Papa non solùm denuntiat: sed sua sententia, & iure humano excommunicat, & Paulus tanquàm Ecclesiæ Prælatus aliquos excommunicauit; imò hæreticum vitandum monuit: sed post vnam, aut secundam correptionem. Vnde fallitur Nauar. *in d. cap.*22. *num.*9.*de horis can.*dicens,aliquam excommunicationem iure Diuino latam esse.

Respon. Dicendum est ergo; quòd cùm in excommunicatione duo considerari possint; nimirum potestas excommunicandi, & modus, seu forma excommunicandi; vtique dici debet, excommunicationem, quoad illud primum, esse de iure Diuino:potestas enim Ecclesiæ data est *Matth.*18. vt suprà diximus. At verò quoad secundùm, de iure humano est: nam quamuis Christus eam potestatem Ecclesiæ tribuerit; modum tamen, & formam excommunicandi, & effectus hos, & illos, scilicet priuandi quem communione Sacramentorum, & fidelium, & bonis, & suffragiis communibus Ecclesiæ, non præscripsit: sicut neque constituit, vt quis per suspensionem à functionibus Ecclesiæ arceretur, & per interdictum à Diuinis repelleretur: sed Ecclesia ipsa hos puniendi modos à Spiritu Sancto edocta (potestate sibi Diuinitùs collata) iure humano à se constituto præscripsit: vnde & ea, quæ ad bonum regimen Ecclesiæ, & salutem animarum expedierint, addere, adimere, mactare, & dispensare in eis potest: cuius rei exemplum manifestum est *in Ser.* 6.*Paraseues*, quo tempore, & non alio, pro hæreticis,

reticis, & excommunicatis orat;vt rectè notauit Henriquez, *vbi supra.*Et cùm olim iure ipso tenerentur Christiani occultum excommunicatum, si illis notus esset, occultè deuitare, vt habetur in decretis duorum summorum Pontificum, Clement. III. *in cap. cùm desideres,*& Innoc.III.*in cap. à nobis.* 2. *de sent.excom.* posteà tamen duo iridem Concilia; scilicet Constantiense, & Basileense (quorum decretum, in Bulla Martini V.quæ incipit, *Ad euitanda scandala,*habetur) propter vitanda scandala, pericula,& timoratorum scrupulos, piè, & sanctè statuerunt, & sanxerunt, nequis teneatur, etiam in administrando, & recipiendo Sacramenta, nec in aliis officiis Diuinis vitare alios censura ligatos; nisi homo sit, non solùm excommunicatus specialiter, id est, nominatim; sed publicè denuntiatus à iudice, aut notorius clerici percussor. Excommunicatio igitur, & de iure Diuino, & etiam de iure positiuo esse,diuersa ratione dicitur: de iure Diuino, ratione potestatis à Christo, Deo, & homine Ecclesiæ tributæ: de iure autem humano, ratione modi, & formæ, qua Ecclesia in excommunicando vtitur, & quia hominibus est collata, & per homines exercetur, vt dicitur *in extrauag.vnam sanctam.*§.*est autem,& ibi Gloss.de maior.& obed.*

Ex Conciliis Constãt. & Basil. nõ tenemur vitare,nisi excommunicatos nominatos,& publicos percussores clericorum.

Secundò, prælibandum est, non esse veram doctrinam illam Durandi *in* 4. *sentent.dist.*17.*q.*15. vbi dicit, Romanam Ecclesiam non habere consuetudinem reseruandi sibi; nisi censuras, videlicet excommunicationis, suspensionis, interdicti; siue irregularitatis: non autem culpas,quantumcunque graues: nisi ratione alicuius censuræ. Qua ratione dicit, esse abusum Episcoporum, &

Durandi sententia circa excõmunicandi potestatem in Ecclesia reprehenditur,& reiicitur.

aliorum Prælatorum reseruantium sibi absolutionem peccatorum, non habentium censuram annexam; in quo, inquit, malè faciet, Ecclesiæ Romanæ non se conformando. Hæc sententia reprehenditur, & meritò à Soto *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. in solut. ad 2.* & dicit, morem Ecclesiæ vniuersalis esse contra ipsum. Vnde asserendum est, de iure, tam summum Pontificem, quàm cæteros Ecclesiæ Prælatos ordinarios reseruare posse sibi, non tantùm censuras; verumetiam & culpas ipsas, etiamsi nullam habeant annexam censuram: sic Sotus *vbi supra*, & Suar. *tom. 4. disput. 28. sect. 2.* quam multis probat: præcipuè verò ex Conc. Tridentino *sess. 14. cap. 7.* in illis verbis; *præsertim quoad illa, quibus annexa est excõmunicationis censura.* vbi supponere videtur, quòd id ipsum fieri possit etiã quoad alia. Id quod probatur ex extrauag. *inter cunctas, de priuileg.* vbi enumerantur aliqui casus reseruati, in quibus nulla est annexa censura. Et Sixtus V. in sua Constitutione cõtra Clericos malè promotos, licèt eos non excommunicet; reseruat tamen sibi talis culpæ absolutionem. Itaque de iure nulla est difficultas. De facto autem modò non reseruat sibi summus Pontifex: nisi eas culpas, quæ excommunicationem habent annexam, vt in sequenti Bulla Pauli V. patet.

Summus Pont. & cæteri Prælati de iure sibi reseruant non tantùm censuras, verùm & alias culpas.

Pontifex de facto non reseruat sibi, nisi culpas excommunicationi annexas.

Tertiò prælibandum est, quòd cautè legenda est Gloss. *in cap. quodcunque*, in verb. *facit Ecclesia, 24. q. 1.* quæ asserit, excommunicationem iustam, quoad Deum, parum, aut nihil operari: nec Ecclesiam excommunicando, vllam vim potestatis exercere: sed solùm ostendere ligatum, & esse extra gratiam Dei. Quam Glossam Panormit. *in rubr. de sent. excom. num. 4.* satis leuiter refellit. Co-

Gloss. in c. quodcunque 24 q. 1. cautè legenda, cùm sit à veritate Catholica

uarruuias

uarruuias autem *in cap. alma mater, initio prioris partis, num. 8. de sentent. excommun. in 6.* expressè asserit, à veritate Catholica planè alienam esse. Sicut etiam hæretica planè est illa Lutheri assertio *in art. 23.* dicentis, Excommunicationes sunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus. Imò *art. 24.* ait, docendos esse Christianos plus diligere excommunicationem, quàm timere: eò quòd Innocent. IV. *in cap. cùm medicinalis, de sent. excom. in 6.* dicat, quòd excommunicatio sit medicinalis. Quæ assertiones à Leone X. condemnantur; sicut & assertio illa Vviclef dicentis, Ecclesiam excommunicandi potestatem non habere, in Concil. Constant. *sess. 8. & 19.* condemnata fuit. Cæterùm, suprà ex Scripturis, & Patribus docuimus, Ecclesiam excommunicandi potestatem à Christo accepisse, quam etiam Paulus Apostolus non semel: sed ter saltem, vt tradit Scotus *in 4. dist. 19. §. de quinto articulo*, exercuit, eandémque veritatem Gabr. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 2.* hac ratione confirmat; Quia Christus ordinans regimen Ecclesiæ (quod B. Petro cõmisit Ioan. 21. *Pasce oues meas*,) dedit omnem potestatem ad regimen bonum, & vtile, Ecclesiæ necessariam: vnde cùm excommunicandi potestas necessaria, & vtilis sit, tum ei, qui excommunicatur (siquidem vtile est ei, quem beneficia, & monitiones piæ non corrigunt, vt timor pœnæ, & confusionis suæ coërcear, vt à malo resipiscat, & non pereat. *cap. corripiantur. 24. q. 3. Fœlix enim dicitur illa necessitas, quæ nos ad meliora perducit:*) tum etiam Ecclesiæ, id est congregationi fidelium (vtile enim est, vt ouis morbida, & membrum putridum separentur ab ouili, & cor-

aliena, vt tradit Couarruuias.

Lutheri assertio hæretica, quâ dicit excõmunicationes esse tantùm pœnas externas.

Ioan. 21.

pore, ne sana etiam inficiant, *cap. resecandæ*, 24. *q.*3. quòd fit per excommunicationem.) Conueniens planè erat, vt hanc Ecclesiæ potestatem Christus traderet.

Ecclesia cũ excommunicationis gladio multa operatur, etiam quoad Deum, & quoad pœnam interiorem animæ.

Ecclesiam verò iustè excommunicando multa operari, non tantùm quoad Ecclesiam militantem, vt voluit Glossa; aut quoad pœnas externas, vt impiè docuit Lutherus: sed etiam quoad Deum, & quoad pœnam interiorem, exinde constat, vt latè Caiet. *tom.*1. *Opusc. tract.* 19. Ledesm. 2.4.*q.*23 *art.*1. & Couarr. *vbi supra, num.*6. probant. Quia Ecclesia non frustrà orat pro suis: immò multa bona illis confert: orando enim pro suis fidelibus, adiuuantur fideles ad gratiam acquirendam, vel gratiæ augmentum, ad benè operandum, ad declinandum à malo, ad resistendum diabolo, quæ sunt maxima bona, quæ tamen excommunicato non conceduntur, quia Ecclesia per excommunicationem priuat illum orationibus suis: vnde constat, quòd à multis internis bonis excommunicatio separat. Huius rei testis est S. August. qui *in lib.*1. *cont. aduers. leg. & prophet. c.*17. affirmat, grauius malum esse excommunicari à Sacerdotibus Dei, quàm si quis gladio feriretur, flammis absorberetur, aut feris obiiceretur. Idem etiam Doctor *serm.*68. *de verbis Apostoli* & refertur, *in cap. omnis Christianus*, 11. *q.*3. ait, omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur. Quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est; sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc, quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur.

Extra Ecclesiam, id est, extra Christum.

Quibus verbis, vt constat, *extra Ecclesiam*, intelligit Augustinus, non Ecclesiam materialem, non

non extrinsecam communionem, sed extra Christum, vt eruditè Caietanus, *vbi supra* notat. Replicando autem dicit, quasi diabolo traditur, quia non traditur diabolo possidendus, sed corripiendus. Id quod *ex* 1.*Cor.*5. colligitur, vbi Apostolus Corinthium illum, qui patris vxorem acceperat, satanæ tradidit in interitum carnis, & *ex* 1. *Timoth.*1. vbi idem S. Paulus ait, se Hymenæum, & Alexandrum tradidisse satanæ, vt discant non blasphemare. 1.Cor.5. 1.Tim.1.

Et certè licèt per peccatum hi priùs bona ex parte in dæmonis seruitutem venerant: nihilominùs in maiorem satanæ potestatem posteà per excommunicationem à S. Paulo traduntur; alioquin enim nec Corinthius ille à dæmone fatigatus in interitum carnis, conaretur, vt spiritus eius saluus esset in die Domini nostri Iesu Christi: nec Hymenæus, & Alexander didicissent non blasphemare. Vnde Panorm. *in rubr. de sent. excom. num.*4. expressè ait, quòd diabolus maiorem habet potestatem in eo post excommunicationem, quàm ante; & citat text. cum gloss. *in cap. audi denique* 11. *quæst.*3. vbi gloss. in verbo, *satanæ*, ait, quòd diabolus habet potestatem in eo, sicut in pecore suo, & facit *cap. miramur.* §. *his auctoritatibus in fine.*24. *quæst.* 1. id quod etiam tradunt Host. & Ioan. Andr. *in cap. ita quorundam de Iudæis.* Bonis igitur spiritualibus & internis excommunicatio priuat, & non solùm externis, ideoque non diligenda, vt impiè sensit Lutherus, sed timenda est, vt piè docuit S. Augustin. *tract.*27. *ad cap.*6. Ioan. & habetur *in cap. nihil.* 11. *q.*3. vbi; *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est membrum eius: si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Et S. Hieron. vt refertur *in eod. cap. nihil* §. *item Hieronymus:* Quorum remiseritis peccata, id est quibus Ecclesiam interdixeritis: nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis ianua cœli clausa erit.

Quartò prælibandum est, quòd Gabriel *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. notab. 3. coroll. 3.* dicit, Ecclesiam per excommunicationem non damnificare hominem, sed ostendere damnificatum, & ante eum S. Bonauent. *in 4. dist. 18. in vlt. par. dist. q. 2.* docuit, Ecclesiam non damnificare, sed ille, qui est contumax, & peccat, se ipsum damnificat, sed Ecclesia ostendit eum damnificatum, vt sic saltem malum suum erubescat, & deserat. Et si quodammodo magis damnificaret, hæc aggrauatio damni ad vtilitatem ipsius finaliter, secundùm intentionem Ecclesiæ, ordinatur. Et licèt Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* versic. *Igitur si excommunicationem*, hoc dictum Gabrielis carpat, tamen in eo sensu, quo S. Bonauentura, & Gabriel docuerunt, sine periculo defendi potest. Pro quo sciendum, quòd cùm triplex sit bonum in communicatione, & participatione Ecclesiæ, & fidelium, ad quam cõmunicationem admittimur per Baptismum, qui est ianua Sacramentorum, quorum, Primum est in conuersatione exteriori, qua fideles conueniunt ad orationes, & conuersantur simul loquela, cibo, salutatione, & aliis id genus. Secundum est in receptione sacramentorum, dum vnus ministrat, & alius suscipit, & in aliis suffragiis Ecclesiæ vt sunt sacrificia, orationes publicæ, quæ à ministris in persona Ecclesiæ fiunt. Tertium est, in actibus legitimis spiritualibus,

Propugnatur S. Bonauentura.

libus, siue in bonorum spiritualium participatione, quæ fit vel ratione intentionis, dum vnus pro alio orat, vel aliud suffragium facit, vel ratione charitatis, quæ facit omnes esse vnum in Deo, iuxta illud Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timẽtium te,* (ex hoc enim quòd fideles sunt in charitate, & omnes fideles vnum corpus constituunt in Christo, *Rom. 12. 1. con. 12. Ephes. 4.* vnusquisque fidelis particeps est bonorum omnium, quæ fiunt in Ecclesia, sine aliqua alia applicatione, quemadmodum in corpore naturali singula membra participant bona totius corporis, de qua mentio fit in symbolo Apostolorum, vbi dicitur; *Credo sanctam Ecclesiam, sanctorum communionem,*) consequenter bona sua eis etiam communicant: vnde orante vno fideli existente in charitate, illius orationis participes sunt reliqui omnes existentes in charitate: etiam illis, qui orant, aut merentur, de aliis fidelibus non cogitantibus & vnus pro alio satisfacit, etiam illo nesciente, pro quo fit satisfactio: sicut igitur triplex est bonum, in quo fideles communicant, vt tradit sanctus Bonauentura, & reliqui supra citati DD. ita etiam è contrario triplex est priuatio boni. Vnde quantũ ad suffragia generalia, siue temporalia, quæ sunt in conuictu ciuili, siue quoad spiritualia, quæ propriè sunt suffragia Ecclesiæ, & consequenter quoad communionem bonorum primi, & secundi generis: his omnibus priuatur excommunicatus excommunicatione maiori; ita scilicet ne ille excommunicatus communicare possit aliis, nec alij sibi in publicis orationibus, aut sacrificiis: neque etiam in orationibus priuatis, quas ipsimet fideles inter se instituunt: neque

Psalm. 118.
Rom. 12.
1. Cor. 12.
Ephes. 4.

que cum aliis officium Diuinum audire potest, neque etiam cum aliis hominibus in actibus ciuilibus communicare valet. Bona verò tertij generis, excommunicatio non tollit; charitatem enim excommunicatio non aufert, sed sublatam supponit, & ita operatur primò, non quidem, vt nonnulli putant, exclusionem à gratia Dei, sed declarationem exclusionis iam factæ per peccatum mortale, vt ait Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 17. Hoc ergo est quod docet sanct. Bonauentura *vbi suprà*, scilicet excommunicationem iustè latam bona spiritualia in charitate fundata non tollere, sicut neque spem, aut fidem tollit: quamuis quoad alia excommunicatio iusta plurimum noceat, ex quo ea impedimur, quò minùs Sacramenta suscipiamus, & suffragiorum Ecclesiæ participes simus, quibus gratia etiam augetur, & amissa recuperatur. Et hæc in communi de censuris. Nunc ad Bullam Cœnæ Domini in particulari.

Sextò igitur prælibandum est de antiquitate huius Bullæ. Aliqui enim existimant, eam non esse admodum antiquam, & solùm à tempore Martini quinti incepisse circa annum Domini 1420. quo tempore Bohemorum hæreses in concilio Constantiensi fuerunt damnatæ: id quod non alia ratione probant, quàm quia S. Bonauentura, S. Thomas, & alij scriptores scholastici antiqui, nullam eius mentionem fecerint. Sic Sotus *in* 4. *distinctione* 22. *quæstione* 2. *artic.* 3. *concil.* 5. Nauarrus *in capite ita quorundam not.* 11. *num.* 23. *de iud.* Graffius *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 3.

Verumtamen dubium esse non potest, quin longè

longè antiquior sit, cùm Clemens Papa V. qui, vt historiæ tradunt, creatus Pontifex anno Domini 1305. mortuus autem est anno 1315. in Clementina 1. *de iudicijs*, apertè testatur, consueuisse Romanos Pontifices solennibus quibusdam anni diebus, Generales quosdam Processus facere. Quo in loco glossa in verbo, *solennes*, duo præcipuè de his Processibus notat. Primum est, quibus in solennitatibus fieri consueuerint, nimirum ter in anno, in die iouis septimanæ sanctæ, & in die Ascensionis Domini, & in die dedicationis basilicarum Petri, & Pauli, quæ celebratur mense Nouembri, in octaua beati Martini Episcopi, cuius etiam trinæ solennis excommunicationis meminit Panormitanus, *in cap. excommunication. num.* 1. *de raptoribus, incendarijs & violat. Ecclesiar.* Secundum est in *dicta clement.* 1. in verbo, *Generales*, contra quas personas consueuerint fieri huiusmodi Processus. Fiebat enim primis illis temporibus contra quinque genera personarum. Primò, contra hæreticos, & eis credentes. Secundò, contra eos qui Saracenis merces prohibitas portabant. Tertiò, contra Piratas. Quartò, contra exigentes, vel imponentes noua pedagia. Quintò, contra falsarios literarum Apostolicarum. Postea verò temporis processu, cùm iam satis vbique diuulgatus esset rumor horum Processuum, desierunt tam frequenter fieri, & cœpit in vsu esse Processus semel tantum in anno, id quod Cardinalis *in capite quod olim de iudic.* suo tempore obseruatum fuisse dicit, & idem fatetur sanctus Antoninus 3. *part. tit.* 25. *cap.* 72. vbi refert, hoc etiam in vsu fuisse tempore Martini

Antiquior Martino V. est Bulla in cœna Domini.

Martini Papæ V. cuius processum ibi referens, simul affert hunc titulum, *Processus annualis, qui fit annuatim in curia in cœna Domini.*

Quòd verò Processus hic, quem dicimus fieri solitum semel in anno in cœna Domini, vnus ex illis antiquissimis sit, qui ter in anno fieri solebant, manifestum est, tum ex ipso nomine, *cœnæ Domini*, tum etiam ex materia ipsa, quæ in illo continetur: nam continet omnia illa quinque, quæ antiquissimis illis Processibus continebantur, vt constat, & colligitur ex annotationibus *in d. Clem. 1. de iudic.* in margine additis ad verbũ, *Generales*, ex Gregoriana editione. Quibus posteà crescente quotidie malitia hominum, aliæ etiam excommunicationes successiuè per consequentes Romanos Pontifices, Martinum V. Et Paulum II. Sixtum IV. *in extrauag. Et si Dominici gregis.* Leonem X. Paulum III. Iulium III. Paulum IV. Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. & alios vsque ad Gregor. XV. cuius Bullam exponemus, additæ sunt.

Hinc constat, antiquiorem esse Bullam hanc Martino V. & facilè probari poterit, antiquiorem esse Vrbano IV. & Clem. IV. qui sederunt circa annum Domini 1261. sub quibus floruit S. Bonauentura & S. Thomas, si quidem Hostiensis, qui fuit cõtemporaneus præfatis duobus Doctoribus, & illis paulò antiquior, (floruit enim sub Innocent. IV. & Alexand. IV. Pontificibus anno Dom. 1254.) in titulo *de crimine falsi lib. 5. §. Qualiter committatur* vers. *Porrò* expressè meminit huius Processus, dum in vers. quinto, dicit sed hodie (id est suo tempore) præceptum est, quòd in literis Domini Papæ, nec in magno, nec in modico

dico audeat quis manum apponere, etiam literam vnicam, vel punctum vnicum corrigendo, exceptis officialibus, quibus hoc est commissum, alioquin manum apponens ex canone lato in curia, ipso facto sententiam excommunicationis incurrit, quæ non potest per aliquam citra sedem Apostolicã relaxari. Hactenus Hostiensis. Vbi nomine *Canonis curiæ*, nihil probabilius, aut verisimilius intelligi potest, quàm iste Processus curiæ. Nam si intelligamus *Regulas cancellariæ* illæ nunquam vocari solent *Canones curiæ*: sed *canon* simpliciter, vel *Canon Apostolicus*. Hic autẽ Processus semper, & propriè vocatur Processus Generalis curiæ; vnde & Canones in illo contenti, Canones curiæ vocabantur. Tunc enim propriè Bulla cœnæ vocari non poterat, cùm non solùm in die cœnæ Domini, sed in aliis etiam solennibus diebus promulgari solita fuerit, vt ex his, quæ diximus, manifestum est.

Bulla huius auctoritas, & vis.

Septimum prælibandum (& sequitur iam ex dictis) est de auctoritate huius Processus, quæ maxima est, cùm à tam multis Romanis Pontificibus, nempe à quinquaginta, & per trecentos annos, & ampliùs tam seriò, tamque diligenter annis singulis renouatus, & tam maturo iudicio, & consilio auctus sit, & etiam à talibus summis Ecclesiæ Pontificibus, & Pastoribus, inter quos multi fuerunt sanctissimi, doctissimi, mansuetissimi, & omnibus partibus ad Apostolatum requisitis absolutissimi, necessariò fatendum est, Processum ipsum & æquum, & iustum, & rationabilem esse, & ab omnibus Christi fidelibus honorandum simul, ac summoperè formidandum, vt propterea immeritò nostri temporis hæretici, contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

contra Ecclesiam, & summos Pótifices conqueri soleant, quasi præcipitanter tam graues censuras inuexerint, cùm, vt iam diximus, manifestum sit, summos Pontifices tanquàm vigilantissimos & prudentissimos Ecclesiæ Pastores non nisi seriò, & maxima cum maturitate, & consilio hactenus processisse. Ex quo sequitur, quòd hæc Bulla omnes Christianos, quacunque dignitate præditos, & in quocunque gradu constitutos comprehendat. Primò, quia hoc in multis locis Bullæ dicitur, vt patet in contextu, præsertim in clausula 2. 7. 18. & vers. *Non obstantibus.* Secundò, quia omnia, quæ per hanc Bullam prohibentur, peccata grauissima sunt, & vbi tractatur materia peccati Rom. Pont. in quemcunque iurisdictionem habet, vt dicitur *in cap. nouit. de iud. Nos enim intendimus*, ait ibi, *decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus.* Et paulò post: *Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere.* Hinc iure hæc Bulla omnes Christianos, quacunque dignitate præfulgeant, comprehendit.

Bulla hæc omnes Christianos quacunque dignitate præfulgeant, comprehendit.

Dubitatur tamen hîc; An sententiæ in Bulla Cœnæ Domini contentæ sint dicendæ à iure, vel ab homine. Ad hoc vt respondeam, sciendum, quòd excommunicationes & à iure, & ab homine ferri possunt. A iure sunt, quæ in Canone, aut statuto aliquo Ecclesiastico continentur. Ab homine verò sunt quæ ab homine, & iudice Ecclesiastico fulminantur. Sed est magna inter has excommunicationes differentia; nam excommunicatio

Excommunicationes & à iure, & ab homine ferri possunt.

Differentia inter illas.

nicationes hominis cum suo auctore pereunt, hoc est, mortuo illo, qui fulminauit excommunicationem, aut deposito ab officio, excommunicatio ab eo lata cessat: nisi quis eam incurrerit, antequàm ferens excommunicationem moreretur, aut priuaretur: nam si semel incurratur, manet, donec relaxetur. Cuius rationem tradit Vgolinus *de censuris*, & Tab. 1. *cap.* 9. §. 4. Quia lex, cùm sit norma, & regula vitæ humanæ, publicè interest, ne facilè tollatur: sed perpetua sit. Excommunicationes verò à iure latæ, manent, etiam mortuo earum conditore, & perpetuæ firmitatis robur conseruant, nec vnquàm cessant; nisi vel contraria consuetudine præscripta, sufficienti annorum tempore, quæ est tacita quædam reuocatio, vel per expressam reuocationem legislatoris, aut alterius supremi principis, potestatem reuocandi habentis. Hanc doctrinam docent communiter Doctores in rubr. *de sent. excom.* vbi Panorm. & alij. Hostiens. *in summa. tit. de sent. excom.* §. *Quis possit excommunicare.* S. Bonau. *in* 4. *dist.* 18. *in vlt. part. q.* 2. Gabr. *q.* 2. *art.* 1. *notab.* 1. Angel. verbo, *excommunicatio*, 1. Tab. *eod. verbo.* 2. §. 11. Couarr. *in cap. alma mater.* §. 10. Nauarr. *in Man. cap.* 1. *num.* 2. & 40. His annotatis, circa difficultatem propositam duæ sunt opiniones. Quidam enim docent, esse sententias hominis, & similes esse regulis cancellariæ, quæ cum morte Principis expirant, & idem olim docuit Nauarr. *in Manuali Hispanico, cap.* 27. *num.* 74. vt ipsemet testatur *in Man. Latino cap.* 27. *num.* 76. dum Bullam Iulij III. explicaret, quam etiam sententiam amplexus est Cardinalis Toletus, *in explicatione Bullæ cœnæ Domini in fine præmij.*

Excommunicationes à iure latæ manent, etiã mortuo earum conditore.

Aliqui sentiunt excommunicationes Bullæ esse ab homine.

Alij rectiùs, eas esse à iure asserunt.

Quidam verò alij sentiunt, eas esse sententias iuris, sic Sylvester *in verbo, excommunicatio, 7. n. 76. versiculo trigesimaprima*, loquens de Bulla cœnæ Martini V. id quod probat, tum ex titulo Bullæ præfixo, qui est, *Ad perpetuam rei memoriam:* ergo est perpetua, & vim iuris habet, tum ex fine eiusdem Bullæ, vbi Martinus V. suum processum appellat *Constitutionem:* nomen autem, *Constitutionis*, ius denotat. Hanc etiam sententiam amplexus est Nauarr. *in Man. Latino*, in explicatione Bullæ cœnæ Domini Gregorij XIII. promulgatæ anno Dom. 1583. eò quòd in ea addita sit extensio quædam durationis earum, vt patet *num.* 21. eiusdem Bullæ, his verbis; (*Volentes, præsentes, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij processus à nobis, aut à Rom. Pontific. pro tempore existente, fiant, aut publicentur, durare, suósque effectus omninò sortiri.*) Quæ etiam verba in Bulla Greg. XV. promulgata anno 1621. habentur. Ex quibus patet, Bullam hanc non finiri cum morte Papæ, sed durare vsque ad nouam Bullam successoris, & ideò est ius, quod cum morte conditoris non finitur. Eandem sententiam tuentur Vgolinus, *de censuris. Tab. 1. cap. 9. §. 4. num. 4.* Viualdus *in candelabro in explicatione Bullæ cœnæ, num. 129.*

Mihi videtur dicendum, quòd licèt sententiæ Bullæ cœnæ Domini absolutè, & simpliciter sententiæ hominis dicendæ sint, & non iuris, etiam post clausulam hanc vltimam positam; quia etiam hæ nouissimæ Bullæ vocantur adhuc, & verè sunt processus, sententiæ autem in processu fulminatæ non sunt iuris; sed hominis, & etiam quia per nouæ Bullæ promulgationem, veteris Bullæ obligatio cessat. Nihilominùs per hanc clausulam prædictam, *quidquid sit de antiquis*, in modernis superadditam sententiæ Bullæ aliquid iuris acceperunt: Vnde dici potest, medias esse Bullæ sententias inter iuris, & hominis sententias: ex eo enim, quòd durant post mortem Papæ vsque ad nouos processus, vel eiusdem Pontificis vel successoris, participant cum sententiis iuris, quæ durant post mortem auctoris. Quia tamen non durant simpliciter post mortem auctoris; sed solùm ad tempus determinatum, nimirum vsque ad nouos processus, non sunt sententiæ iuris absolutè: vnde & nunc cessant absque vlla reuocatione Bullæ veteris sententiæ, quòd processus de nouo fiat: sed vtraque sententia probabilis est.

Inter duas citatas opiniones, media via incedendum est.

Octauum prælibandum est, Bullas has variis temporibus mutatas esse, tum per additionem alicuius nouæ clausulæ; tum per alicuius antiquæ clausulæ detractionem. Quantum ad additionem variari solent. Primò, prohibendo aliquid de nouo, quod priùs in iure prohibitum non erat: quæ prohibitio durat, quamdiu Bulla manet, & tamdiu pœnas Bullæ inducit. Secundò, addendo aliquam clausulam de re aliqua, quæ aliàs in iure statuta fuit, & tunc manet integra tota dispositio iuris, sicut priùs, & præterea additur ei tota dispositio Bullæ, adeò vt, si in iure propter eundem casum lata fuerat excommunicatio, superadditur ei excommunicatio hæc Bullæ cum eius reseruatione. Tertiò, innouando ius antiquum, & tunc ius illud, etiam si priùs, vel expressè reuocatum fuerat, vel tacitè per contrariam consuetudinem, vel sua solùm antiquitate absolutum esset: virtute tamen renouationis factæ per Bullam reuiuiscit eodem modo; ac si nouum ius, vel consuetudo,

Bulla in cœna Domini variis temporibus mutata est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suetudo, quæ illud reuocauerat, alio nouo iure renouaretur. Hac ratione in clausula 17. & 18. *huius Bullæ*, innouantur Canones editi in Conc. Lateranensi super immunitate personarum Ecclesiasticarum: cuius innouationis virtute, duo iuris canones, qui habentur in cap. *non minus*, & cap. *aduersus, de immunit. Eccles.* pristinum robur accipiunt. Quartò, etiam extendendo ius antiquum; ita vt non solùm vim habeat in eo casu, in quo priùs in iure habuit; sed etiam casum illum iuris ad alium casum Bullæ extendat; quamuis de eo nihil in iure dicatur. Quomodo in clausula sexta Bullæ cœnæ Domini Gregor. XIII. sub anno 1584. extenditur constitutio *cap. ad falsariorum, de crimine falsi*, quæ solùm loquebatur de falsificatoribus literarum Apostolicarum, vt complectatur etiam alium casum; nempè falsificatores supplicationum Apostolicarum, signaturæ, &c. vt ibi dicetur: vnde falsificantes supplicationes, & signaturas, pœnas omnes cap. *ad falsariorum, de crimine falsi*, & etiam pœnas *Bullæ cœnæ Domini* incurrebant. Quintò denique, reuocando aliqua iura, & priuilegia priùs concessa, vt in clausula 7. *huius Bullæ*; vbi reuocantur priuilegia concessa quibusuis Principibus, Dominis, & priuatis personis super delatione armorum, & aliorum prohibitorum ad Saracenos concessa. Sic etiam in clausula 19. reuocantur priuilegia concessa cuiuis etiam Monarchæ, super cognitione causarum capitalium Clericorum. Et clausula 21. *in §. cæterum*, reuocantur priuilegia concessa cuiuis ordini, etiá Mendicantium, &c. absoluendi ab omnibus censuris, &c. vt locum non habeant, quantum ad istas censuras Bullæ cœnæ Domini. Et in §. *Non obstantibus*.

obstantibus. reuocantur priuilegia cuiuis concessa, ne possint excommunicari, vt locum non habeant, quantum attinet ad has sententias Bullæ cœnæ. Quæ omnes reuocationes, quamdiu in Bulla manent, totam vim priuilegiorum istorum omninò annullant: vnde nemo illorum virtute, stante Bulla, se tueri, ac defendere potest. Et hæc quantum ad mutationem per additionem.

Adnotanda pro iurium, & priuilegiorum mutatione, & variatione.

Quantùm verò ad mutationem, & variationem iurium, & priuilegiorum per subtractionem istorum de Bulla, hæc annotanda sunt. Primùm, quoties aliquid tollitur de Bulla, de quo nihil in iure statutum est, tunc quidem illud reuocatur ad dispositionem iuris Diuini, aut naturalis. Secundùm, quando tollitur de Bulla aliquid, de quo in iure statutum est, tunc illud redit continuò, & omninò ad pristinam iuris dispositionem; non secùs, ac si nunquàm in Bulla positum fuisset. Tertiùm, quando tollitur de Bulla innouatio alicuius iuris antiqui, tunc quidem distinctione opus est; si enim ius illud, quod in Bulla innouatum erat, adhuc absque Bullæ innouatione erat in vsu, licèt fortè non ita perfectè vsitatum; tunc quamuis tollatur innouatio illius iuris de Bulla, remanet tamen ius illud in illo suo primo vigore: quamdiu enim lex est in aliqua obseruantia, semper obligat; sin verò ius illud antiquum, per aliquod ius nouum extra Bullam, priùs reuocatum erat, & per Bullam innouatum contra reuocationem iuris noui; tunc probabile mihi est, ius illud iterum redire in suam reuocationem iuxta ius nouum. Cuius ratio esse potest; quia tota eius vis erat ex obligatione Bullæ; cùm igitur obligatio cessat eo, ipso quòd tollitur ex Bul-

la, consequenter consurgit vis, & efficacia iuris noui; ita vt censeatur reuocatum ius illud antiquum, sicut priùs. Sin autem ius, quod per Bullam innouatur, erat solummodò tacitè reuocatum per contrariam consuetudinem; tunc mihi probabilissimum est, remanere ius illud in vigore suo, quem per Bullam accepit. Ratio est; quia per vim Bullæ introductus est nouus vsus, & consequenter interrupta est antiqua consuetudo. Ergo necesse erit iterum de nouo contra ius illud præscribere. Quartum, quando tollitur de Bulla extensio iuris per eam facta; tunc ius illud non ampliùs extenditur ad casum illum in Bulla expressum; sed remanet intra limites illius casus, de quo in iure habetur. Quintum, quando tollitur de Bulla reuocatio aliqua priuilegiorum, distinguendum est: vel enim reuocantur in Bulla priuilegia quædam ordinaria communia, & posita in iure, & tunc probabilissimum est, hoc ipso, quòd tollitur reuocatio, priuilegia illa reuiuiscere: sicut enim reuiuiscit ipsum ius; ita etiam & iuris priuilegia reuiuiscunt per talem reuocationis illius ablationem. Cùm enim reuocatio illa totam vim suam ex vi Bullæ accepit; ita etiam cessante Bulla, cessabit illa reuocatio: Vel reuocantur priuilegia particularia concessa fauore priuato, & tunc probabile est, etiam cessante Bullæ reuocatione cessare. Ratio est, quia cùm huiusmodi priuilegia non habent firmitatem iuris; sed solùm firmitatem arbitrariam ex voluntate Principis, probabile valdè est, per reuocationem Principis, & sententiam hominis ita tolli, vt non redeant, & reuiuiscant posteà. Dixi hoc esse probabile; quia non caret etiam probabilitate, priuilegia

legia huiusmodi personalia, quæ ex sua natura vitam personæ respiciunt, reuiuiscere; dummodò personæ, cui concessa erant, superstites fuerint.

Excommunicationes omnes huius Bullæ sunt latæ sententiæ.

Nonum prælibandum est, quòd omnes excommunicationes huius Bullæ sunt latæ sententiæ: vnde statim quis quamlibet earum incurrit, ac eam offendit. Pro cuius rei cognitione sciendum, quòd excommunicationis censura aliquando dicitur esse lata, seu latæ sententiæ; aliquando ferendæ. Est autem censura, seu excommunicatio latæ sententiæ, siue ab homine, siue à iure lata sit, quaque statim ac offendit, nulla alia declaratione accedente, constringitur. Quia enim iure statutum est, vt qui iniuriosè Clericum percutit, statim excommunicationem incurrat, *cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. ideò qui sic Clericum percusserit, sine vlla declaratione eam incurrit: Et ideò dicitur esse latæ sententiæ; quia priusquam delictum sit commissum, lex, quæ in posterum consulit, sententiam in delinquẽtem tulit. Nec tunc est necessaria aliqua præuia monitio: ipsa enim lex, statim ac promulgata est, semper loquitur, sempérque subditos admonet, ne crimen prohibitum committant, aut rem lege vetitam agant; ideoque alia specialis monitio necessaria non est, *arg. c. à nobis. 1. de sentent. excom. & cap. reprehensibilis, de appell.* Pan. *in cap. 1. num. 2. de rapt.* & citat cap. 2. *de constitut. lib. 6.* Felin. *in cap. præterea. num. 2. vers. secundò not. de spons. & in cap. nuper, num. 8. vers. In ea, de sent. excom.* Couarr. *in cap. alma mater. §. 9. num. 5.* Vgolin. *de cens.* Tab. 1. *cap.* 18. *num.* 2. Et idem dicendum est etiam, si iudex sententiam ferat, vt qui furtum fecerit, excommunicatus sit, qui fur-

tum committit, ſtatim excommunicatus eſt. Id quod aliis nominibus ſignificari ſolet; maximè cùm dicitur, *ipſo iure*, aut, *ipſo facto, excommunicatus ſit*, vt in exemplis allatis conſtat.

Regula, quando ſententia excõmunicationis eſt lata ſententia.

Sed quia non parùm inter ſe diſſentiunt Doctores, quibuſnam aliis verbis excommunicatio latæ ſententiæ eſſe dicatur: ideò claritatis gratia hæc regula tenenda eſt. Quandocunque ſententia ab homine, vel à iure per verba in tempore præſenti indicatiui modi profertur, ſiue ſit pro præſenti contumacia, ſiue pro futuris culpis, latæ ſententiæ eſſe cenſetur, vt ſi dicatur; *Excommunico*; *ſeu*, *Excommunicamus*: ſententiam excommunicationis promulgamus, ſeu proferimus: ſeu; *Excommunicationis ſententia te innodamus.* His omnibus modis ſatis ſignificatur, talem Chriſti fidelium, & Sacramentorum communione priuari, & etiam conſenſus iudicis de præſenti excommunicantis exprimitur; *arg. cap. penult. de ſentent. excom.* S. Anton. 3. *part. tit.* 24. *cap.* 74. Angel. verbo *excommunicatio. 2. num.* 4. Sylueſt. verbo, *eod. 1. num.* 15. Tab. verbo, *excom. 2. verſu, Quartò vtrum.* Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 20. §. 2. Vgol. *de cenſ. Tab.* 1. *cap.* 9. §. 6. *num.* 4. 5. & 6. Idem etiam eſt dicendum, ſi per comminationem excommunicationis lata eſt ſententia, ſi addantur hæc verba, *latæ ſententiæ*, vt cùm dicitur; *præcipio tibi ſub pœna*, aut, *ſub interminatione excommunicationis latæ ſententiæ*, & idem ſi addantur æquipollentia, vt ſi dicatur, *ipſo iure, ipſo facto*; *ſtatim mox, ex tunc, eo ipſo, & id genere*, & ita ſi dicatur; *præcipio tibi ſub pœna excommunicationis ipſo iure, ipſo facto, aut ſtatim incurrendæ*: qui contra talem prohibitionem aliquid fecerit, ſtatim eſt excommunicatus. Adiectio enim horum verborum

verborum ſatis ſignificat intentionem legis, aut iudicis eſſe, vt contra faciendo ſtatim ſine alia declaratione, excommunicationem incurrat, ex Panorm. *in cap. diligenti. num.* 18. Felin. *in cap. Rodulphus num.* 31. *de reſcriptis.*

Eodémque modo lata ſententia eſt, ſi ad hæc verba *excommunicetur, communione priuetur, ſuſpendatur, interdicto ſubiaceat*, addatur, *latæ ſententiæ, ipſo iure, ipſo facto, ſtatim*, &c. vt habetur *in cap. quàm ſit, & cap. ſi religioſus, de elect. in* 6. gloſſ. *in cap. quicumque* §. *Inhibemus*, in verbo, *innodetur, de hæret. in* 6.

Sic etiam ſententia lata erit, quoties per imperatiuum alicuius verbi ſignificantis actionem, aliquid à iure, vel ab homine præcipitur, aut prohibetur, vt cùm dicitur: *excommunicationi ſubiaceat*, vel quid ſimile, vt ſi dicatur *in excommunicationem incidat, incurrat* arg. *clem.* 1. *de pœnit. cap. vnico. de iniur. in* 6. Panorm. *in cap. ſi diligenti. num.* 18. *de foro comp.* Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 20. §. 2. Vgolin. *Tab.* 1. *cap.* 9. § 6. *num.* 14.

Præterea ſententia lata erit, quando profertur nomen adiectiuum, *excommunicatus*, cum verbo ſubſtantiuo in aliquo tempore ſignificante factum, vt ſi dicatur, *excommunicatus, ſeu ſuſpenſus ſit: excommunicationis ſententia innodatus ſit, excommunicatus exiſtat*, argum. *clement.* 1. *de decim. & clem.* 1. & 2. *de pœnis, & cap. fin. de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. & teſtatur gloſſ. *in cap. quicunque*, §. *inhibemus* in verbo, *innodetur in fine, de hæret. in* 6. & ſequuntur Panorm. *in cap.* 2. *num.* 13. & *in cap. ſi diligenti num.* 18. *de foro comp.* Angel. verbo, *excom.* 2. §. 7. Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 20. §. 2. Vgolin. *Tab.* 1. *cap.* 9. §. 6. *num.* 9. & *Tab.* 2. *cap.* 28. *num.* 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidquid dicat Nauarrus *in Man. cap.27.num.12.* existimans, verbum illud, *sit*, esse temporis futuri, cùm tamen constet, per futurum tempus ipso facto excommunicationem, aut aliam censuram non incurri. Cæterùm dicendum est, vèrbum, *sit*, in hoc loquendi modo, *excommunicatus sit*, & similibus, esse præsentis temporis, vt docet Baldus *in l.1. num.1.C.de secund.nupt.* Verbum autem temporis præsentis significat pœnam ipso iure inferri, vt docet Felin. *in cap. Rodulphus, num. 19. de rescriptis.* Per illum loquendi modum, qui frequens est in Bullis Pontificiis *excommunicationem se nouerit incursurum*, significatur excommunicatio latæ sententiæ, quia hoc modo non ponitur in futuro sententia, quæ potiùs supponitur iam præterita, sed ponitur in futuro incursio sententiæ ab eo, qui contra legem latam aliquid præcipientem, aut prohibentem, offendit. Et colligitur *ex cap. non minus de immunit. Eccles. & cap. excommunicationi.* & ibi glossi. in verbo, *nouerint de raptor.* His igitur modis sententia lata censetur.

Excommunicatio ferenda quibus modis dignoscitur.

Ferenda verò censura significatur, primò per simplicem eius comminationem, vt cùm dicitur; *sub pœna excommunicationis: sub interminatione excommunicationis aut anathem.* Sic glossi. *in c. Salonitanæ*, in verb. *sub excõmunicationis interpositione dist. 63.* Felin. *in cap. dilectæ. col.2.* vers. *secundò sunt de except.* Nauarr. *in Man. cap.27.n.12.* Secundò, per verbum significans aliquid de futuro, vt cùm dicitur; *Excommunicetis talem:* vel, *qui hoc fecerit, erit excõmunicatus, vel excommunicabitur.* Sic etiam si dicatur, *excommunicetur*, vel, *communione priuetur*, vel, *excommunicationis vinculo innodetur.* Panorm. *in cap. quia propter. num.3. & in cap. cùm in cunctis §. fin. num.6. de*

de elect. Angelica verbo, *excommunicatio 2. num.7.* Nauarrus *in Man. capite 27. numero 12.*

Benè verum est, quòd per hæc verba; *indignationem omnipotentis Dei*, aut, *Apostolorum Petri, & Pauli*, aut, *nostram incurras*, excommunicatio non fertur, sicut neque si dicatur, *sub obtestatione diuini iudicij*: mortaliter tamen peccat, qui contra facit. Idem dicendum est, quando præcepto non paretur facto in virtute sanctæ obedientiæ: aut sub interminatione maledictionis, quamuis enim contra faciens peccet, excommunicatus tamen non erit, ex Felino *in cap. veniens, num. 1. de præscript.*

Cùm ergo omnes censuræ huius Bullæ sint latæ sententiæ, patet, quòd qui eas incurrit, statim excommunicatus est.

Propter multiplicationẽ Bullarum non multiplicantur censuræ.

Decimum, & vltimum prælibandum est, quòd propter multiplicationem harum Bullarum, non multiplicantur censuræ circa idem crimen, quandoquidem adueniente posteriore, priores omnes cessant. Imò addit Nauarr. *in Man. cap. 27. n. 54.* quòd excommunicationes per alia iura latæ, in prædicta Bulla pro eisdem criminibus repetitæ, non multiplicantur, sed solùm additur eis reseruatio. Quod latiùs tradit idem Nauarr. *in cap. ita quorundam de Iudæis notab. 11. in Gloss. vlt. num.4. & seqq.* & præsertim *num.37. vsque ad finem.* Quæ sententia, vt valde pia, commendatur à Suarez *in quinto tomo de Censuris disput. 21. sect.1. num. 3.* Et hæc de his, quæ prælibanda censuimus in hac materia. Nunc sequitur Textus ipsius Bullæ.

GRE

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad futuram rei memoriam.

Textus Bullæ.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cùm in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versetur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conseruanda, maximè elucet. Nimirum, vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris: sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum: neque se in huius vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alteri offensionem præbeant, sed potiùs in vinculo charitatis coniuncti, tanquàm vnius corporis membra sub Christo capite, eius qui in terris vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem: atque ita Diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices Prædecessores nostri hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ cœnæ commemoratione solennis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma, per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solenniter exercere consueuerunt.

Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore, tueri vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

EXPLI

EXPLICATIO.

Duæ causæ assignantur in hoc proœmio, quæ tum Romanos Pontifices prædecessores, tũ etiam præsentem Pontificem ad huiusmodi Processus, & sententias promulgandas induxerũt. Vna quarum, & præcipua est, vt vnitas, puritas, & integritas fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ retineatur, & conseruetur; & hunc finem respicit Canon primus, qui contra hæreticos, & eorum fautores: necnon contra schismaticos fertur: Nam nihil est, quòd fidei puritatem ita maculet, aut contaminet, sicut hæresis, ac illi affinis superstitio: nec aliquid ita eiusdem fidei Catholicæ vnitatem lacerat, & diuidit, ac rebellio, & diuisio, & schisma, quo quis se vel per apertam rebellionem ab obedientia capitis Ecclesiæ; hoc est Rom. Pontif. separat, vel saltem per velatam quandam obedientiæ subtractionem se præceptis summi Pastoris parere nolle declarat, dum à summo Pontifice, ad futurum Concilium appellat: contra quos tum in posteriori parte Canonis primi; tum in Canone 2. grauissima anathematis pœna fulminatur.

Altera causa est, publicæ pacis, & iustitiæ conseruatio, quæ cùm variis modis violari possit: ita etiam pro personarum varietate, quæ offendi possunt, variis adhibitis remediis, offensionem omnem quæ communiter accidere solet, summus Pastor in sequentibus decem, & octo Canonibus tollere conatur, & intendit. Ad quæ omnia meliùs, & faciliùs præstanda Ecclesiasticis censuris vtitur, quas & spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma vocat: quia

quia nimirum Ecclesiæ spiritualis gladius sunt, quo malos à bonorum consortio separat, eósque tanquam membra putrida à corpore Ecclesiæ abscindit, ne reliqua membra inficiant.

EXCOMMVNICATIO I.

Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Vuicleffistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cuiuscunque secta existant, ac eis credentes, eorúmque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore: necnon schismaticos, & eos, qui à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

EXPLICATIO.

Excommunicatio varia sortitur nomina.

Antequàm explicem textum, declaranda sunt priùs illa verba, *excommunicamus, & anathematizamus*. Pro quorum cognitione sciendum, quòd excommunicatio variis nominibus, & vocibus, solet appellari tum in iure, tum etiam apud scriptores. Aliquando enim dicitur *censura diuina*, seu, *Ecclesiastica*, sic Tertullianus *in Apolog. cap. 39.* vocat censuram diuinam, dum Christianorum exercitia, & actiones exponens, dicit; Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura Diuina: nam & iudicatur cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu; summúmque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegatur. *Censuram* itidem *Ecclesiasticam* appellant Innoc. III. *in cap. 3. irrefragabili de offic. iud. ord. & in cap. quærenti. de verbor. signific.* & Ioãnes XXII. *in extrauag. quæ incipit, sancta Romana in fine de religios. dom.* Et Clemens V. *in Clement. 3. de sent. excom.* Ideò autem vocata est censura, quia hùiusmodi pœna, & sententia, hominum contumacia reprimitur, & castigatur, quod munus olim censores apud Romanos exercuerunt.

Aliquando appellatur *Distinctio Ecclesiastica*: vt ab Alexand. III. *in cap. nuncios de decimis, & in cap. aduersus de immunit. Eccles.* quia nimirum hominum contumaciam, ne longiùs erumpat, quasi vinculo quodam constrictam, & legatam tenet. Aliquando dicitur *excommunicatio*: vt patet ex titulis *de clerico excom. ministr. & de sent. excom. per totum.* Quod quidem nomen à communione dicitur: quia tales priuantur communione, & participatione Sacramentorum actiuè, & passiuè: Quo quidem nomine præcipuè hæc censura appellari solet, vt notant Franciscus Arias de Valderas *repet. in cap. porrò de sent. excom. num. 4.* & Sot. *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 1.* post Gabrielem *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1.* Aliquando etiam dicitur *Anathema*: cuius nominis frequens mentio est in sacris canonibus, & Conciliis, *vt in cap. conspiratores cap. nullus cap. Engeltrudam. 3. quæst. 4. & cap. si quis*

Anathema ab excommunicatione maiori in quo differat.

quis discernit dist.28. & distinct.30. per totum,& cap. cùm Ecclesiæ, cap. aduersus de immunitate Eccles. Et licèt aliqui ab eo differre velint ab excommunicatione maiori, quòd anathema feratur, adhibitis cæremoniis illis,de quibus *in cap.debent* 11.*q.*3. excommunicatio autem maior illis non adhibitis feratur;Nauarr. tamen *in Comment. de datis,& promissis. Not.*5.*num.*10.*vers.Addo septimò*, & eum sequutus Vgolin.*de cens. Tab.*2. *cap.*33.§.1.*num.* 3. & alij rectiùs docent non ita inter se distingui: tum quia,id nullo iure probatur:tum quia, ex Concil. Trident. & aliis antiquioribus Conciliis,nécnon ex bullis multis summorum Pontificum constat, anathema ferri sine cæremoniis illis: tum quia *in cap.debent.*11. *q.*3.Zacharias Papa,cuius illud Decretum esse fertur,indifferenter vsus est vocibus illis *anathematis*, & *excommunicationis*, vt patet ex eod. cap. vbi dicitur. Quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis:id quod etiam manifestè satis:ex *cap.si habes,& cap.certum.*24.*q.*3. colligi potest. Solùm igitur inter se differũt anathema, & excommunicatio, vt docent Nauarr. & Vgol:*vbi suprà:* sicut genus,& species.Est enim excommunicatio genus, & de anathemate, tanquam de sua specie, prædicatur.

Anathema tria significat.

Tria autem significat *anathema* apud scriptores, quæ rectè excommunicatis conueniunt:nam siue dicamus cum Athanasio *in cap.*9.*ad Rom.*anathema significare vel oblationem, vel sacrificium, vel quandam seiunctionem, & alienationem: siue dicamus significare maledictum, seu maledictionem, vt existimat S. August. *cap.*40.*&* 41.*tom.*4.*suorũ operum,*quo modo dicitur *Marc.*14. *Petrus cœpit anathematizare*, id est maledicere, & execra

Marc.14.

execrari: quasi Petrus sibi maledictiones imprecaretur, vt maior suo iuramento fides adhiberetur, si nosset hominem, vt testatur S. Hieron. *in Zach.*14. in illa verba; *Habitabimus in Hierusalem,* Zach.14. *& non erit amplius anathema:* id est maledictio, & abominatio; vtique & hæc excommunicatis ab Ecclesia conuenire videntur: siquidem excommunicatus, vt ait Chrysostomus *in lib. de anathemate*, oblatus est diabolo, & Satanæ traditus, & deuotatus, & à consortio humano sepositus, & separatus: & denique tanquàm quid execrabile, & maledictum, ab omnibus vitandus, vt ex his, quæ tradunt S. Thom. *in capit.*1. *ad Gal.* & Ricc. *in* 4. *distinct.* 18. *art.* 5. *quæst.* 1. *ad primum*, colligi potest.

Aliquando etiam excommunicatio dicitur *anathema,maranatha.*sic 1.*Cor.*16.& Siluerius Papa, vt habetur in cap. *Guilisarius* 23. *q.* 4. vbi Gloss. post Hieron. ita interpretatur, vt dicatur excommunicatus vsque ad Domini aduentum, nisi pœniteat: coniunxit enim Apostolus simul vocem Græcam, *anathema* & Syriacam *maranatha.*Si quis non amat Dominum, sit anathema, maranatha. Anathema, Græco sermone dixit, *condemnetur:* maranatha, *donec Dominus veniat.*de quibus vocibus plura videri possunt apud S. Hieronymum, *vbi supra.* Henriquez *lib.*11.*cap.*20. *in fine,*& Felin. *in cap.Rodulphus,num.*33.*de rescriptis.*Aug.*epist.*178. Aliquando excommunicatio dicitur *Mors*: sic enim Cyprianus eam vocat *lib.*1.*epist.*11.*non longè à fine.* Innoc. III. *in cap.per venerabilem.*§.*sunt autem. Qui filij sint legitimi.*excommunicationem mortem appellat. Aliquando dicitur *Mucro Episcopi:* sic eam vocat Ioannes Papa, vt habetur. 16. *q.* 2. *cap.*

visis.in fine. Aliquando *virga ferrea:* sic eam vocat S. Hieron. *epist.* 58. quia nulla alia censura Ecclesiastica sic apta est hominum audaciam & superbiam comprimere, & confringere, vt est excommunicationis pœna. Aliquando appellatur *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ:* sic eam vocat Innoc. III. *in cap.inter.de consuetud.* & Clem. V. *in Clem.* 1. *de sent. excom.* sicut enim nervis membra corporis simul coniunguntur, quò munia,& officia sua obeant; ita Christi fideles hac Ecclesiastica censura in officio suo continentur, vt tradit Vgolin. *de cens. Tab.*1.*cap.*12.*num.*3. Denique aliquando dicitur *Maxima omnium pœnarum quæ est in Ecclesia:* ita enim testatur S. August. *de correp.ægr. cap.*15.& refertur 24. *q.* 3. *c. corripiantur.* vbi sic ait; Grauiùs esse hominem excommunicari, quàm si gladio feriretur, flammis exureretur, feris subigeretur. Meritò autem maxima pœnarum dicitur; tum quia, priuat nos bonis spiritualibus, quæ temporalibus longè præstant: tum quia, grauis pœna est, inter homines esse, & ipsorum commercio priuari: tum quia, excommunicati non solùm tanquàm Ethnici, & Publicani à populo,& templo Dei separati habentur; sed peioris longè conditionis sunt: ad mensam enim Paganorum si quis ire voluerit, sine vlla prohibitione permittitur:at verò cũ excommunicato neque orare, neque loqui,neque vesci licet.1. *Cor.*5.*& can.ad mensam, cap. excommunicatos,& cap. cum excommunicato, & cap.qui communicauerit,*11.*q.*3. tum quia,excommunicatus traditur Satanæ,1.*Cor.*5. *& cap. audi. & cap.omnis Christianus*, 11. *q.* 3. vbi dicitur; *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur: quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam Diabolus*

Diabolus est; sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc,quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. Rectè igitur omnibus aliis pœnis excommunicatio maior, & grauior est: quo sensu *in cap. cùm non ab homine, de iudic.* Cœlestinus III. ait; *Ecclesiam post anathema latum, non habere vltra quid faciat:* hoc est, maiorem pœnam non habere. Cùm igitur tot nominibus appelletur excommunicatio, in hac Bulla summus Pontifex vtitur præcipuè illis,*excommunicamus,& anathematizamus.*

Deinde dicit;*ex parte Dei omnip.Patris,& Filij,& Spirit.S.auctoritate quoque Beatorum Apostolorũ Petri, & Pauli, ac Nostra.* Ponderat hîc Sayrus, quòd triplici auctoritate;nimirum Dei Patris,& Filij,& Spiritus sancti. Deinde auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & tertiò auctoritate sua propria, quam vt Christi Vicarius in terris habet, in his sententiis ferendis vtitur. Auctoritas Dei fons, & origo est omnis auctoritatis Ecclesiasticæ,quę per Christum in Ecclesiam deriuatur: Et deinde ponitur auctoritas S. Petri, tanquàm prima à Christo communicata, & propter quam deriuata est omnis legitima auctoritas in eius legitimos successores Pontifices Romanos: à quibus in alios deinde Prælatos Ecclesiæ deriuatur. Additur etiam auctoritas S. Pauli, qui Ecclesiæ Romanæ, eiúsque Primatus cum S. Petro cooperator, & fundator fuit, vt ait S. Irenæus, *lib.*3.*cap.*1. Et denique adiecta est Romani Pontificis auctoritas, tanquàm causa immediata, à qua sententia sequentes procedunt.

In hac ergo prima clausula, seu sententia excommunicantur non solùm hæretici manifesti,& qui extra Ecclesiam Romanam viuunt; verùm &

omnes illi, qui licèt cohabitent cum Catholicis, nihilominùs hæreſes diſſeminare audent. Non tamen comprehenduntur hæretici mentales, quia nullus actus purè internus eſt materia cenſuræ; cùm non ſit materia Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, per quam fertur cenſura.

Hæretici mentales nõ comprehenduntur in caſu.

Magi neque comprehenduntur.

Nec comprehenduntur Magi, qui aliàs non ſunt hæretici: arg. eorum, quæ habentur, 26.*q.*1. *& ſeqq.* & S. Thom. 2.2.*q.*95.*art.*1.*&* 2. Vnde nec propter pactum cum dæmone, nec propter quemlibet abuſum Sacramenti, nec propter alia peccata, ad Tribunal Inquiſitionis ſpectantia, propter ſuſpicionem hæreſis, vel ſuperſtitionem religionis hæc cenſura incurritur. Bene verum eſt, quòd olim in Bulla Pij V. Magi comprehendebantur in hac cenſura: nunc autem non comprehenduntur; quia non exprimuntur.

Apoſtatæ à fide comprehenduntur.

Comprehenduntur benè Apoſtatæ à fide, qui licèt in re non differant ab hæreticis; nihilominùs hîc ponuntur ad maiorem expreſſionem, & quia non ſolent vulgò vocari hæretici, qui apoſtatantes à Chriſtiana Religione, ad ſectam Mahometanam, vel ad Iudaïſmum tranſeunt, licèt re vera hæretici ſint.

Eorum credentes etiã comprehenduntur.

Comprehenduntur etiam *eorum credentes*. Hi autem ſunt in triplici differentia. Quidam enim credunt hæreticorũ erroribus, & hæreſibus, & iſti ſunt excommunicati, *iuxta cap. excommunicamus.* 1.§.*credentes, de hæreticis.* Et etiam ſunt hæretici, & vt tales habendi ſunt: *vt in eod. tit. cap. excommunicamus.* 2. *in fin.* Alij dicuntur credentes hæreticis; quia credunt erroribus talium; vel credunt, in ſua ſecta eos ſaluari poſſe. Quod quidem probari poteſt vel facti euidentia; quia ſic publicè prædicant,

cant, ſeu defendunt illorum errores: vel teſtium productione legitima, vt ſi conuincantur per teſtes, quòd errores talium promulgauerunt, *cap. ſuper quibuſdam, de verb. ſign.* vbi hæretici declarantur, qui publicè prædicant, & profitentur, & defendunt errorem: vel qui conuicti ſunt per teſtes talia prædicaſſe, Gloſſ. *ad idem, ſuper cap. ad abolendam, §. præſenti, verbo, deprehenſus, de hæretic.* Alij verò ſunt, qui quamuis non credant explicitè hæreſes: credunt tamen implicitè, credendo pertinaciter eſſe verum, quod alius hæreticus credit, iuxta Palud. *in* 4.*ſent. diſt.* 13.*q.*3.*concl.*2. Vt autem iſti credentes Bullæ excommunicationem incurrant, oportet, vt ſuas opiniones ſigno aliquo exprimant: aliàs non inciderent.

Fautores, & receptatores etiam comprehenduntur.

Comprehenduntur etiam fautores, & receptatores hæreticorum: qui, vt hanc cenſuram incurrant, neceſſe eſt, vt prædicta faciant eis eo reſpectu; quia ſunt hæretici, vt rectè notat Caiet. Alioquin omnes ferè Catholici, etiam Religioſi Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, & bonæ partis Galliarum inciderent in has cenſuras: quippè qui cum hæreticis commercium habent. *Nauarrus hîc.*

Libros hæreticorum tenentes, imprimentes, ſeu defendentes comprehenduntur.

Comprehenduntur etiam illi, qui libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ, etiam qui eoſdem libros retinent, imprimunt, ſeu quomodolibet defendunt. In quibus verbis non comprehenduntur omnes libri ab hæreticis conſcripti; ſed qui de Religione tractant, vt ſunt, qui fidei expoſitionem continent, vel qui ſacram Scripturam, ſeu eius partem explicant, vel qui Theologiam Scholaſticam totam, vel eius partem aliquam tractant. Libri verò eorundem de Philo-

sophia, de Medicina, &c. non prohibentur ex hac censura; sed benè ex Indice librorum prohibitorum: nam saltem obliteranda sunt nomina auctorum. Nec prohibentur libri Catholicorum, qui insertos habent errores hæreticorum, vt eos confutent: sicuti nec illi libri Catholicorum, qui per hæreticos elucidati sunt Scholiis, annotationibus, &c. Licèt qui tales libros legeret, posset incidere in censuram Indicis librorum prohibitorum Pij IV.

Schismatici comprehenduntur.

In hac etiam prima excommunicatione expresè comprehenduntur schismatici, qui ab hæreticis secernuntur ex hoc; quia hæretici peruersum dogma habent: schisma verò ab Ecclesia separat. Ad hanc autem censuram incurrendam satis est, voluntate, & actione ita se gerere: etiamsi in mente, & fide aliud contineat: quia hoc peccatum schismatis satis perfectè in sua specie illo modo consummatur. Quapropter Catholici, qui sub hæretico Principe viuunt, vt in Anglia, eíque, vt supremo Capiti Ecclesiæ Anglicanæ, exteriùs obediunt; quamuis in conscientia pœnas hæreticorum non contrahant; hanc tamen clausulam, & censuram non effugiunt; quia licèt verè hæretici non sint; propriè tamen, ac verè sunt schismatici.

Circa hanc primam clausulam occurrunt aliqua dubia.

Hæresis, etiã exteriùs manifesta, aliquando ab hac censura excusat.

Primo, circa hæreticos: nam quia communiter hæresis exteriùs manifestata, quantumuis secretissimè, excommunicationem inducit. An dentur aliqui casus, in quibus ea non incurratur? Et respondetur affirmatiuè. Primò, quando hæreticus purè mentalis solùm in confessione Sacramentali

mentali suam hæresim Confessario manifestat: nam in hoc casu, vt eruditè tradit Simanchas *in lib. de Catholicis institu. tit. 24. num. 9.* siue hæreticus deseruerit suam hæresim, siue adhuc in ea persistat, nec paratus sit eam relinquere, non incurrit excommunicationem. Ratio est; quia actus hic, eo ipso quòd fiat in confessione Sacramentali; non solùm ex sua natura bonus est; sed etiam quodammodo alterius rationis, & extra iudicium humanum: & præterea quia aliàs non solùm redderetur odiosa confessio, sed etiam sequeretur, nullum confessarium absoluere posse ab hæresi purè mentali, cùm certum sit, confessarium ab hæresi mentali absoluere non posse: nisi eam pœnitens confiteatur, sin autem ex hac confessione incurreretur excommunicatio, etiam reseruatio Bullæ cœnæ Domini incurreretur: cui consequens esset, confessarium ab ea nulla ratione absoluere posse; quod absurdum, & à communi Theologorum opinione alienum est. Secundò, quando hæreticus purè mentalis suam hæresim recognoscens, illam coram Inquisitoribus confitetur: vel illam alicui fido, & pio amico reuelat, vt ab eo auxilium, vel consilium quærat pro relinquenda hæresi, talis enim, vt Simanchas, *vbi suprà*, docet, censuras non incurrit: qui etiam refert Franciscum Victoriam de hac re interrogatum, idem respondisse. Ratio esse potest; quia hic actus bonus est, & quia aliàs hæretico purè mentali omnis via ad eius conuersionem præcluderetur. Tertiò, quando hæreticus purè mentalis per iocum narrat se hæreticum esse, vel fuisse: nam tunc talis excommunicationem non incurrit, vt docet Victoria, relatus apud Simancham, *vbi su-*

prà, quamuis ipse Simanchas contrarium sentiat. Qui conciliari possunt hac distinctione; si enim solùm narrat, se fuisse in aliqua hæresi de præterito, in qua modò non est; tunc vera erit opinio Victoriæ: si verò narrat, se esse in præsenti in aliqua hęresi, in qua verè est, sic veram censeo Simanchæ sententiam.

Hæreticorũ defensores qui.

Secundò, circa defensores hæreticorum, qui propriè sunt illi, qui vi, potentia, viribus, & armis tuentur hæreticos, vt tutò viuant, vel ne ad manus iudicis veniant puniendi, vel examinandi. Et qui hæreticos captos iuuant, vt euadant, vel vt non fiat contra eos iustitiæ executio. Et Aduocati, qui scienter ipsos defendunt, eorumque patrocinium suscipiunt. Notarij quoque, seu Tabelliones facientes instrumenta in causa, & defensione eorum. Circa hoc ergo dubitatur, an defendens hæreticum contra vim ei illatam à priuato, scilicet à latrone, vel alio, ne lædatur ab eo, incurrat in hanc censuram? Respondeo cum Syluestro, & Toleto, quòd non incurrit defendens hæreticum contra vim ei illatam à priuato, scilicet à latrone, vel alio, ne lædatur ab eo, aut Aduocatus defendens hæreticum de crimine extra hæresim, putà de homicidio; aut in causa ciuili, quia in his casibus non defendit hęreticum; quatenùs hæreticus est; sed quatenùs homo, & proximus est.

Legens modicum in libris hæreticorum, an incurrat.

Tertiò, circa lecturam librorum hęreticorum dubitatur; an legens modicum in eis, incidat in hanc excommunicationem? Respondeo, quòd circa hoc non defuerunt opinantes, qui asseruerunt, tales incidere in excommunicationem; etiãsi vnam tantùm, vel alteram lineam legant: dummodò

modò contineant integram, & perfectam hæresim. Cuius sententiæ fuit Cardinalis Toletus *in scripto quodam super Bulla Cœnæ*, ad id motus, quia in Bulla habetur particula *quomodolibet*. Viualdus tamen, & Sayrus docent, non incidere in censuram legentem ex lectione tam modicæ quantitatis: nam sicut in aliis rebus paruitas materiæ excusare potest à peccato mortali: ita etiam in hac materia excusare potest, excommunicationem verò maiorem, vt communiter tradunt Doctores non, nisi per peccatum mortale quis incurrit, & hæc opinio videtur conformior verbis Bullæ, quæ habet, *Qui legerit libros* non, qui legerit *aliquid in libro*. Et verbum illud, *quomodolibet*, non ad legentes, sed tantum ad defendentes refertur, qui enim quomodolibet libros hæreticorum defendit, peccat mortaliter, cùm nulla sit causa, vel ratio, quæ eum excusęt. Et in libris Toleti Mediolani, & Lugduni impressis omissa est hæc opinio, & particula, quam idem auctor antea legendo, & Bullam cœnæ tempore Pij V. explicando defendebat.

Aliud est legere libros prohibitos, aliud legere libros hæreticos.

Hîc tamen obseruandum est, aliud esse legere libros prohibitos, aliud libros hæreticos: multi namque libri prohibiti sunt in indice librorum prohibitorum, qui non sunt libri hæreticorum, vnde qui tales legeret, quamuis in excommunicationem Indicis incideret, quia tamen excommunicatio illa reseruata non est, à quolibet absolui potest, qui à peccatis mortalibus absoluendi potestatem habet. Qui verò libros hæreticorum legeret, excommunicationem Bullæ cœnæ incurrit, à qua per solum summum Pontificem absolui potest.

Quod de legentibus, id etiam de tenentibus asserendum est.

Quartò, circa tenentes libros hæreticorum (& sunt illi, qui vel suo vel alieno nomine in domo sua, vel aliena libros illos tenent,) id quod de legentibus dictum est, de tenentibus etiam dicimus, eos scilicet nonnunquàm à peccato mortali, & consequenter à censura excusari posse propter temporis paruitatem, quo libros illos tenent. Vnde licèt is, qui librum aliquem hæreticum tenet, illum statim sine vlla mora ad eos, ad quos spectat deferre, obligetur intelligẽdo, *statim*, hoc est moraliter quamprimùm commodè poterit, si tamen vnum, vel alterum diem apud se teneret, cum proposito eum deferendi quamprimùm commodè poterit, dummodò absit fraus, & dolus, non incurreret excommunicationem.

Impressorũ nomine qui veniant.

Quintò, circa imprimentes libros hæreticorum, dubitatur quinam sint, & in hac Bulla comprehendantur? Respondeo, quòd tales censentur quicumque ad eorum impressionem propinquè cooperantur, vt sunt dominus, seu patronus officinæ, cuius voluntate, & auctoritate imprimuntur: hoc dico, quia si quis est dominus officinæ, & eo inscio tales libri à cacographis imprimuntur, ipse non incurrit. 2. Qui faciunt expensas pro impressione. 3. Qui typos ordinant, & componunt. 4. Qui typos sic compositos attingunt atramento. 5. Qui torcularia premunt. 6. Qui chartam madefaciunt, aut chartam madefactam torculari supponunt. 7. Qui exemplar impressum, aut typos corrigunt, & denique omnes, qui propinquè ad eorum impressionem concurrunt.

Librorum hæreticorũ defensores qui.

Sextò, circa defensores librorum hæreticorum quæritur, quinam dicantur tales? Respondeo, quòd

quòd sunt illi, qui libros tales bonos esse dicunt: non esse comburendos affirmant, aut quouis modo defendunt, ne ab Inquisitoribus capiantur, aut comburantur.

Schismaticus vt quis sit, quid requiratur.

Septimò, circa schismaticos dubitatur, quidnam requiratur, vt quis verè sit schismaticus, & censuram hanc incurrat? Respondeo, quòd duo sunt necessaria ad peccatum schismatis incurrendum. Primum est, vt homo separetur à summo Pastore, Christi in terris Vicario per inobedientiam; quia scilicet nolit illi parere. Secundum est, vt ei rebellis sit: hoc est, non recognoscat eum pro pastore, & capite Ecclesiæ, sed aliam sibi Ecclesiam distinctam, & independentem ab Ecclesia Romana constituat, prout faciunt Græci, vt ait Panorm. *in rubr. de schismat.* quos propterea vocat hæreticos, hæc enim duo hominem propriè schismaticum faciunt, si quidem multi obedire nolunt, qui tamen illum pro Ecclesiæ capite recognoscunt, & tales etiamsi præcepta eius, etiã in despectum ipsius, transgrediantur, dummodò eum, vt caput Ecclesię vice Christi recognoscant, in hunc canonem non incidunt, vt ait Caiet. in verbo, *excom. cap.* 7. docet.

Sciendum est enim ex Panorm. *vbi suprà*, aliquando schisma cum hæresi esse coniunctum, aliquando verò esse sine hæresi. Tunc est cum hæresi coniunctum, quando concurrit vterque actus; intellectus scilicet, & voluntatis, vt cùm quis non vult agnoscere summum Pontificem pro Vicario Christi, & ita credit, vt faciunt Græci, teste Panorm. *vbi suprà*, & quales sunt, vt plurimùm, schismatici nostri temporis, hi enim aliam Ecclesiam constituunt, omnino diuidendo se ab

Eccle

Ecclesia Romana,& ita veniunt contra illum articulum fidei, *vnam sanctam Ecclesiam.* Et sic debet intelligi cap. *inter hæresim* 24. *quæst.* 3. vbi dicitur, schisma non esse sine hæresi, si quidem schismatici, vt plurimùm hæretici etiam sunt,est enim hæresis pallium quoddam schismatis.

Tunc autem est peccatum schisma, quando quis non constituit sibi aliam Ecclesiam,imò credit Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, & summum Pastorem illius caput esse, sed tamen per solum actum voluntatis, seu per actum externum executiuum actus voluntatis, ex aliqua passione animi subtrahit se ab obedientia summi Pontificis. Item quando duo, vel plures contendunt de Papatu, & se pro summis Pontificibus gerunt. Nam quisque eorum credit vnitatem Ecclesiæ, & illam esse apud se, nec impugnat Ecclesiam Romanam. Quo casu, qui non est electus legitimo numero Cardinalium, & qui illum sequuntur, sunt omnes schismatici puri, quamuis quamdiu causa dubia sit, nec per Concilium Generale determinata, si probabiliter putent se legitimos Pontifices esse, tam ipsi, quàm eorum sequaces à peccato excusantur, dummodò parati sint ad determinationem Concilij Papatu se abdicare, & eiusdem Concilij determinationi, & decreto acquiescere. Qui igitur purè schismatici sunt, hoc Canone excommunicati sunt, si schisma eorum vel dictis, vel factis, vel signo aliquo exteriori manifestent. Et hæc de 1. excommunicatione.

EXCOM

EXCOMMVNICAT. II.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint: vniuersitates verò, collegia, & capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: nécnon eos, quorum auxilio, consilio, vel fauore appellatum fuerit.

Vide constit. Pij II. quæ incipit, *execrabilis* & Iulij II. quæ incipit, *suscepti regiminis.* in Bullario.

EXPLICATIO.

Caietanus *in summa*, verbo, *excommunicatio cap.* 25. rectè annotat, materiam huius Canonis esse sacrilegium contra summi Pontificis primatum. Est enim appellatio hæc à sententiis Rom. Pontificis palliata quædam rebellio, & speciem quandam schismatis continet. Vnde Iulius Papa II. *in extrauag. suscepti regiminis,* post Pium Papam II. præcepit, vt tales habeantur vt schismatici, & de fide malè sentientes, vt Syluester verb. *excom.* 7. *num.* 93. versic. 57. Caietanus *vbi suprà.* Mart. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 6. *art.* 2. Sebast. Medices *in summa peccat. capit. tit.* 9 *q.* 78. *num.* 13.

Appellatio à sententia Rom. Pont. est quædam palliata rebellio.

Est igitur hæc excommunicatio contra appellantes ad futurum Concilium. Ratio huius prohibitionis est, quia appellatio est, & fit à minori ad maiorem iudicem Gloss. *in cap. non putamus de censibus in 6.* sed quando quis à Papa appellat ad futurum Concilium, facit schisma, quia præsupponit Concilium esse supra Papam, quod est falsum: Papa enim est supra Concilium. Quæ quidem assertio, licèt olim, ingruente aliquo schismate, à pluribus fuerit impugnata, hodie tamen adeò

omnium

omnium consensu recepta est, vt nemini secùs sentire liceat? sic S. Bonauentura *in 4. sent. dist. 19. dub. 6.* sic ibi habet, *Dominus Papa non est subiectus constitutionibus Patrum: sed super omnes est, ideò potest in eis dispensare:* sic etiam S. Thomas *in 22. p. 1. art. 10. & quæst. 11. art. 2. ad 3. & opusc. 19. contra impugnantes Relig. cap. 3.* Item Turrecrem. *in summa de Ecclesia. lib. 2. cap. 5. 27. & 36. & in cap. si Papa dist. 40.* Item latiùs Caiet. *in quodlibet. de Papa.* Sylvest. verbo, *Papa*, verbo, *Concilium.* Albertus Pighius *in sua Hierarchia Ecclesiastica.* Bellarminus *lib. 2. de Concil. & Eccles. cap. 14.* Bouerius *demonstrat. 4. symboli de vnitate doctrinæ fidei art. 11.* Sanderus *lib. 7. de visibili Monarchia p. 540.* cùm agit de concilio Constantiensi, & alij Controuertistæ moderniores communiter, Et probatur assertio:

S. Bonauēt. sententia, quòd Papa sit supra Concilium.

Papam esse supra Concilii multipliciter probatur.

Primò, ex scriptura *Ioan. 20.* Petrus constituitur à Christo totius Ecclesiæ Pastor: *Pasce oues meas.* Ex quo illud necessariò sequitur, Pontificem, qui Petro succedit, eandem in totam Ecclesiam à Christo potestatem habere. At Concilium est tota Ecclesia repræsentatiuè: igitur Pontifex ex Christi institutione habet potestatem in Concilium non è contra.

Prætereà cùm Dominus dixit Petro Matth. 16. *Tu es Petrus. & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* tunc ex communi omnium Patrum consensu, totius Ecclesiæ principatus Petro, ac Pontificibus successoribus promissus fuit. At Princeps toto suo regno non tam seorsim diuiso, quàm coniunctim collecto, maior est: igitur Pontifex toto Consilio, in quo Ecclesiæ regnũ concluditur, maior agnosci debet. Prætereà *Luc. 22.* dixit Christus Petro, *Ego rogaui pro te, Petre, vt non defi-*

ciat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Ex quo loco vniuersi Patres optimè deducunt, priuilegiũ infallibilis veritatis in definiendis Fidei rebus, non Concilio, sed Pontifici à Christo collatum esse, & cùm personale sit, ad solos Põtifices transire, ac proinde legitima Concilia à Pontifice, qui integræ, ac infallibilis veritatis custos est, confirmari oportere. Ex quo tandem euincimus, quòd si Pontificum est, ex Christi institutione confirmare Concilia; & quæ illis visa fuerunt, reprobare, planè eadem auctoritate illorum erit Conciliis præesse, ac ea sibi subiicere: non è conuerso.

Secundò probatur hæc veritas ex Conciliis, & Patribus. Primò, ex Concilio Sinuessano, quod non est ausum in Marcellinum Pontificem, qui ex timore thus idolis adoleuerat, ac posteà martyr glorioſus extitit, sententiam dicere: sed illis verbis vsum esse: *Tuo te ore: non nostro iudicio iudica: nam prima sedes à nemine iudicatur.* Si ergo Pontifex à nemine iudicatur, igitur nec à Concilio poterit iudicari. Et in Concilio Later. III. vt habetur *cap. licet extra. de elect.* sic habetur, *In Romana Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non poterit ad Superiorem habere recursus.* Patres etiam Concilij Romani sub Sylvestro *can. vlt.* vbi sic legitur, *Nemo iudicabit primam sedem.* Idẽ colligitur ex Concilio Chalced. sub Leone, *sect. 3.* in quo Dioscorus Patriarcha Constantinopolitanus cũ tota Ephesina Synodo II. damnatur, cùm ob alias causas, tùm potissimùm quia summam Pontificem damnare ausus fuerat. Hoc ipsum habetur ex altero Concil. Rom. sub Adriano II. cuius verba refert S. Synodus *act. 7.* hoc modo, Romanorum Pontificum

tificum ſedem de omnium Eccleſiarum præſulibus iudicaſſe legimus, de ea verò quenquam iudicaſſe non legimus. Id ipſum fatetur Lateranenſe Concilium vltimum ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi propoſita decreta à Conſtantienſi, ac Baſilienſi Conc. edita, reprobat, ſolum: inquit Romanum Pontificem, tanquàm ſuper omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum faciẽdorum, transferendorum, ac diſſoluendorum, plenũ ius, ac poteſtatem habens: ne dum ex ſacræ Scripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed & propria eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtat. Tandem Concilium Florentinum ſub Eugenio IV. *ſeſſ.* 7. hoc ipſum diſertè ab vniuerſis tenendum ſtatuit, priorum Conciliorum decreta renouat, & oppoſitam ſententiam velut temerariam, ac erroneam explodit.

Accedunt Patrum teſtimonia, quæ idem confirmant Leo magnus *epiſt.* 84. *ad Anaſtaſium*, Gelaſius *epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ* habet hæc verba, Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quòd ſacroſancta Romana ſedes fas habeat de omnibus iudicandi: nec cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Nicolaus I. eandem ſemper fuiſſe Eccleſiæ ſententiam tradit *epiſt. ad Michaëlem.* Idem confirmat D. Greg. *lib.* 9. *cap.* 38. *Paſchalis*, vt habetur *in c. ſignificaſti. Extra. de elect.* Innoc. III. *ſerm.* 2. *de cõſecrat. Pontificis* ac plerique alij Patres. Qui omnes concludunt, in Concilio ſtatutũ non inueniri, quòd Romanæ Eccleſiæ legem Concilia, præfixerint, cùm omnia Cõcilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, robur acceperint, & in eorũ ſtatutis Romani Pontificis patẽter excipiatur auctoritas.

Vltimo

Vltimo loco probatur aſſerrio rationibus. Et primò conſtat, Papam eſſe Chriſti Vicarium ex ipſo teſtimonio *Ioan.* 20. quod ſuprà retulimus, cùm ſit legitimus Petri ſucceſſor, quem in Eccleſiæ gubernatione Chriſto affectum eſſe nemo ignorat: Tum etiam ex omnium Patrum ſententia id maximè omnibus Catholicis exploratum eſt.

Porrò ſi Chriſti auctoritas non penderet à Concilio, ſi adhuc viueret in terris; ſed omni Concilio maior eſſet, eadem ratione & Pontificis auctoritas, quæ ipſius Chriſti Vicaria eſt, à Concilio pẽdere non debet; ſed toti Concilio debet eſſe ſuperior, cùm Pontifex non alia in Eccleſia, præter quàm Chriſti poteſtate fungatur.

Secundò, Concilium ad membra Eccleſiæ pertinet; non ad caput, quod ex ipſa vi nominis conijcitur: Concilium enim generale omnium Eccleſiæ membrorum congregationem indicat, atque hoc modo totius Eccleſiæ imaginem gerit. Pontifex verò, cùm huius Eccleſiaſtici corporis ſit caput, vt in decimo præludio noſtri Apparatus ad ſummam Conciliorum latè probamus, toti corpori præeſſe debet; nec inter cætera membra corporis, quaſi gregale aliquod membrum collocari debet: æqua conditione cum cæteris ſubiectum. Ergo non Pontifex Concilio, ſed Concilium Pontifici debet ſubiici, alioquin vel caput membris ſubiiceretur, vel membra capiti dominarentur. Præterea Epiſcopi omnes, & Patres, qui in Concilio congregantur, ante congregationem tanquam oues erant Pontifici ſubiecti: igitur & poſtquàm collecti ſunt, inter oues annumerari debent. Quòd ſi id negant, dicant, qua ratione

ouium naturam mutauerint, & ad pastorum ius euolauerint, cùm nullibi id Scriptura affirmet, & antiquissimus Ecclesiæ vsus, ac consensus cum illorum opposita sententia pugnat.

Aduersariorum obiectis fit satis.

Dicent, quod hoc habetur ex illo loco Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Sed friuolum est tale præsidium: nam ibi appellatione, *Ecclesiæ*, non vniuersale Concilium intelligendum est: sed particularis cuiusque Ecclesiæ præsul, vel magistratus: cùm ibi de fraterna correptione agatur. Addo, quòd Concilium generale est velut Senatus Episcoporum summo Pontifici adiunctus, cui Pontifex grauiores causas diffiniendas committit. Neque nouus hic Senatus erigitur, cùm Concilium conuocatur. Sed Episcopi velut Senatores diuersis locis constituti, iubente Pontifice, in vnum confluunt, vt maturiùs diffiniendas causas discutiant: quò fit, vt Episcopi eundem omnino dignitatis gradum obtineant ad Concilium vocati, quem anteà obtinebant, antequàm ad Concilium vocarentur. At Senatus à Principe institutus, sine diuisus sit, siue collectus, non est maior ipso Principe: sed ipsi semper est subiectus, ita ad propositum Concilium Episcoporum, cùm sit Senatus Pontificis à Christo institutus, non debet esse maior Pontifice, sed illi subiici.

Obiiciunt aduersarij, quòd Concilia: Pisanum scilicet, Constantiense, & Basileense contrarium determinant. Ad hoc respondetur, quòd Pisanum in primis nihil circa huiusmodi sententiam determinauit. Constantiense autem definiuit quidem, generale Concilium esse supra Papam: sed eam conditionem apponit, si schisma Ecclesiam pertur-

perturbet, vt notum est ex verbis ipsius Concilij. Et hoc quidem rectè: nam schismate regnante, cùm ignoratur, quis sit verus Pontifex: ignoratus Pontifex pro non Pontifice habendus est: quapropter generale Concilium posse tunc in dubios Pontifices sententiam ferre: ac vno amoto, alterum verum, & legitimum Pontificem declarare. Hoc pacto Papalis dignitas, dubia scilicet, ac ignorata, Concilij auctoritati subiicitur: quemadmodum id quoque de Scriptura sentimus, quæ quamdiu dubiæ auctoritatis est, & num Diuina sit, ignoratur, Ecclesiæ iudicio submittitur, cuius sententia certa iudicari debet. Porrò tunc quidem credendum est, Concilio in hoc iudicio faciendo, & ferendo, soli potestatem adesse, licèt ea extraordinaria sit: neque facilè ex Scripturis haberi possit, nisi ex consensu Ecclesiæ: sicut fit cùm, sede vacante, sacrum Cardinalium Collegium aliquid circa Ecclesiæ administrationem decernit: tunc enim Apostolica sedes Pontifice vacare censetur, cùm dubium Pontificem habet, ac verum ignorat. Hæc creditur fuisse Constantiensis Concilij definitio, quæ ex illius verbis colligitur, cùm ait: *Cui quilibet cuiuscunque status, aut dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinẽt ad fidem, & dicti schismatis extirpationem.*

Alij tamen respondent, hoc decretum à Mart. V. qui cætera illius Concilij decreta conciliariter facta, id est, adhibito Concilij examine, confirmauit, minimè confirmatum fuisse: cùm illud sine vllo Concilij examine factum fuisse constet. De hac re possunt videri Card. Bellarm. *lib. 2. Concil. cap. 19.* Sander. *de visibili Monarchia lib. 7.* Turrecrem. *lib. 2. cap. 104.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Concilium Basileense, quod quidem *in sess.* 33. id tanquàm de fide proponit, dicendum, quòd Concilium illud, licèt legitimè fuerit congregatum, & inchoatum, tamen in Conciliabulum degenerauit, & hoc fuit statim, ac Pontifici vero obedire noluit, vnde meritò reprobatum fuit; primùm ab Eugenio Papa, vt patet ex eodem Concilio *sess.* 38. deinde à Leone X. in Concilio Later. vltimo, *sess.* 22. Tandem à tota Ecclesia decretum illud de Concilio supra Papam velut irritum, ac nullius ponderis habitum fuit; cùm ea Eugenium IV. à Concilio Basileense deposítum, pro vero Pontifice agnouerit. Præterea, quia illius Concilij decreta non fuerunt vnanimiter concluſa, neque cum consensu Legatorum Papæ, qui illis interesse recusarunt: neque expectatis Oratoribus Castellæ, & Angliæ, quos in via nouerant constitutos: nec auditi sunt multi sapientes, qui his decretis reclamauerunt, & ipsum Concilium proprer hoc exierunt, vt ait Turrecrem. *lib. 3. de potestate Ecclesiæ, cap. 99.* & Caiet. *in quolibet. de Papa, cap.* 8. Denique, licèt Papa Eugenius IV. approbauerit posteà prædictum Concilium in suis Bullis, quoad eius inchoationem, & prosecutionem: nunquàm tamen eius decreta approbauit, imò illa supra dicta expresè reprobauit, & damnauit in libello, qui incipit; *Moyses seruus Dei*, vt ait Carranta *in sua summa Conciliorum in marg. super sess. 33. Concil. Basileens.* Immò & Sixtus IV. in extrauag. *graue nimis, de relig. & venerat. sanct.* dicit, super immaculatam Virginis conceptionem nihil esse definitum per Ecclesiam. Vnde patet, diffinitionem dicti Concilij Basileensis *in sess.* 36. super hoc, non haberi pro diffinitione legitimi Concilij:

neque eam vim ipsum Concilium habere quoad alia decreta prædicta. Concluditur ergo, quòd nullo pacto Concilium est supra Papam: quam opinionem tenet S. Bonauentura: *in 4. sent. dist. 19. dub. 4.* & cæteri Doctores supra citati: quibus adde S. Antonin. 3. *part. summæ, tit. 23. cap. 5. & tit. 24. cap. 2.* & Palud. cum Caiet. *in quolibet. de Papa, lib. 3. cap. 29. & seq.* & *in cap. si Papa, dist. 40.* & de Iuristis Vlricus *in summa lib. 6. tract. 3. cap. 15. & 17.* & Imola *in Clement. ne Roman. de electione. col. 17.* & Panorm. *in cap. graue, de præbendis*, quamuis alibi aliter teneat. Item Innoc. *in c. ex parte, de verbor. signific.* Ioan. Andreas, & Cardin. & Hostiens. & Archidiac. & Alexandrinus *ibidem, & in cap. si Papa dist. 40.* & Gloss. *in cap. si quis pecunia, dist. 79.* Item Iacobatius, *lib. 9. art. 12.* & Sylvest. verb. *Papa, 4. q. 15.* & verbo, *Concilium, q. 3.* & innumeri alij Doctores vtriusque iuris.

Hoc igitur sic determinato; nempè quòd Papa sit supra Concilium, clara est intelligentia huius excommunicationis: omnes enim qui à Papa ad Concilium futurum appellant, hac censura meritò innodantur.

Verbum autem illud, *interdicimus*, ponitur; quia persona excommunicanda debet esse certa, ideò Vniuersitas, Collegium, Capitulum, Conuentus collectiuè simul, id est, vt Vniuersitas, seu Collegium, seu Capitulum, & Conuentus est, excommunicari non potest. Ita S. Bonau. *in 4. dist. 18. in vlt. par. dist. q. 3.* S. Thom. *in add. ad 3. p. q. 22. art. 5.* Alex. de Ales, 4. *p. summæ, q. 22. m. 1. art. 4. §. 1. in fine.* Ricc. *in 4. d. 18. art. 5. q. 3.* Palud. *q. 2. quæstiuncula 2. art. 3.* Gabr. *q. 2. art. 2. concluſ. 5. coroll. 2.* S. Anton. 3. *p. summæ, tit. 24. cap. 7* 5. Sylvest. verb. *excom. 1.*

Vniuersitas, Collegium, Capitulum, seu Conuentus, excommunicari non potest, sed benè interdici.

*num.*9. Stephanus Costa *repet. in cap. Romana, §. vniuersitatem per totum, de sent. excom. in* 6. Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Mart. Ledes. 2. 4. *q.* 24. *art.* 5. Nauar. *in Man. cap.* 27. *num.* 13. Couarr. *lib.* 2. *var. resolut. cap.* 8. *num.* 9. *& in cap. alma mater,* 1. *p.* §. 9. *num.* 3. *vers. Hæc, & alia multa, de sent. excom. in* 6. Vgolin. *de cens. Tab.* 2. *cap.* 26. & colligitur ex cap. *Romana,* §. *in Vniuersitatem, de sent. excom. in* 6. vbi Innoc. IV. air, *In Vniuersitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus.* Cuius ratio firma est, quam S. Thom. Soto, & Couar. *vbi suprà* tradunt: Quia excommunicatio non nisi ob peccatum mortale fertur, peccatum autem in actu personali consistit; actus enim, & passiones, vt consistunt in facto, & ad factum referuntur, non sunt Vniuersitatis, aut multitudinis; sed singularium personarum, & ideò singuli de Vniuersitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. Quòd si aliquando actus etiam ipsius communitatis esse possit; vt quando multi nauem trahunt, quam nullus seorsum trahere posset. Quia tamen non est probabile, quòd aliqua communitas tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes, & quia non est Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iustum cum impio, vt dicitur *Gen.* 18. ideò Ecclesia, quæ Dei iudicium imitari debet, satis prouidè statuit, vt communitas non excommunicetur.

Quòd verò Ledesmius *vbi suprà* dicit, non solùm esse de iure positiuo; sed etiam de iure Diuino, quòd vniuersitas excommunicari non possit, falsum est; quia tantùm de iure positiuo est, vt patet ex d. cap. *Romana,* vbi id Innoc. IV. prohibuit. Vnde Henriquez *lib.* 13. *cap.* 25. *de excom.* §. 4. ait, Papam,

Papam, eò quòd potestatem habeat supra ius, faciliùs cæteris Collegium excommunicare posse, quod tamen non posset, si id de iure Diuino esset, cùm supra ius Diuinum Papa potestatem non habeat.

An si Vniuersitas Coll. Cap. seu Conuẽtus excommunicetur, excommunicatio teneat.

Dubitatur tamen hîc; An si feratur excommunicatio in Collegium, vel Vniuersitatem, sit valida, & teneat. In hac difficultate sunt duæ opiniones. Quidam docent, sententiam esse nullam; etiamsi omnes in vniuersitate contumaces, & rebelles essent, & culpabiles. Sic Ricc. *vbi supra dist.* 18. *art.* 5. *q.* 3. Palud. *q.* 1. *art.* 2. Gab. *q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 5. *coroll.* 2. Anton. 3. *p. tit.* 24. *cap.* 75. Sot. *d.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *concluſ.* 2. Nauar. *tom.* 2. *consil. cons.* 20. *num.* 3. *& cons.* 24. *num.* 1. *de sent. excom.* Vgol. *Tabul.* 2. *de cens. cap.* 26. §. 1. *&* 3. Hostiens. Ioan. Monach. Archid. vt refert Gloss. *in d. cap. Romana, in verbis, penitùs, de sent. excom. in* 6. Tum quia, sententia hæc intolerabilem contineret errorem: nam per eam contingeret aut ferè semper, aut aliquando saltem innoxios aliquos excommunicari, quod est error intolerabilis, quem errorem dum Pontifex tollere cupiebat, penitùs prohibuit, ne communitas excommunicaretur? Voluit enim Papa potiùs in casu, rarò, aut nunquàm contingente, (scilicet quando omnes culpabiles essent) huiusmodi nocentes aliquando ratione hac non puniri, quàm innocentes aliquando condemnari; tum quia per huiusmodi constitutionem tollitur iurisdictio quantum ad excommunicationem Vniuersitatis, vt patet ex illo verbo: *Penitùs prohibendo,* id est, in omni casu, & euentu prohibemus, potestatem in hac parte subtrahendo, ne in Collegium, aut Vniuersitatem sententia excommunicationis fe-

ratur ; ne scilicet, inquit Pontifex , contingat aliquando innoxios excommunicari , & ita qui excommunicaret Vniuersitatem;quia contra prohibitionem Papæ faceret , ex defectu potestatis per Papam subtractæ , sententia sic lata,nulla , & irrita erit , siue intentio proferentis erat , omnes, siue singulos solùm ex Vniuersitate,aut ex Collegio excommunicationis vinculo innodare.

Alij tamen , vt Bern.& Gloss.*in d.c.Romana,§.in Vniuersitatem*,in verbo,*penitùs* , & Ioan. Andr. contrariam opinionem, scilicet vt talis sententia valeat ipso iure , tutiorem arbitrantur,& fauet plurimùm Gemin. *in d.§. in Vniuersitatem* , & eam expressè tuentur Sylvest. verb. *excommunicatio. 1. num.* 10. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 24. *art.* 5. Couarr. *lib.2.variar.resol.cap.*8.*num.*9. Henriquez *lib.* 13. *de excom.cap.*25.§.4.

Auctoris sententia.

Mihi in hac difficultate , & inter has duas opiniones mediandum videtur : nam vel loquimur de suprema Pontificis potestate , & sic vtique potest excommunicare Vniuersitatem , Capitulum, Collegium , Rempublicam , & huiusmodi ; quia ipse est supra ius , & si facit; excommunicatio tenet. Benè verum est , quòd tunc excommunicatio non caderet super vniuersos ; nisi omnes culpabiles essent ; sed solùm super singulos , qui sunt culpabiles : vnde etiam tunc , qui esset innocens verè in conscientia , non esset excommunicatus, vt colligitur ex Palud. *in* 4.*dist.* 18. *q.*2. *ad finem.* Couar.*vbi suprà.* Et ideò qui ingrederentur ciuitatem , aut collegium post ipsam censuram excommunicationis promulgatæ , illa non ligarentur , vt pluribus tradit Couar. citans pro hac re Felin.*in c.responso.de sent.excom.*& alios;*argum.cap.*1. *de*

*de officio Vic.lib.*6. Quoties autem non apertè constat de alicuius innocentia , semper in foro exteriori seruari debet sententia , saltem ad euitandum scandalum:Vel fertur excommunicatio hæc ab inferioribus prælatis,& tunc si facta informatione nouit omnes illius Collegij , seu Vniuersitatis personas deliquisse , eámque ferat , valida erit , si verò hoc ei non constat , eam tamen pronunciat , probabile valde est etiam in hoc casu validam esse sententiam , & cadere super singulos,qui deliquerunt.Nam licèt Pontifex in d.cap. *Romana.* §. *in vniuersitatem de sent.excom. lib.*6. prohibeat , Vniuersitates excommunicari : non tamen declarat annullari dictam excommunicationem : & multa contra prohibitiones fiunt , quæ facta tenent ; & consequenter meritò consulendum est , vt taliter excommunicati deferant ipsi sententiæ. Et hæc quantum ad verbum illud , *Interdicimus,* verbum illud,*à Papa* ponitur ad distinctionem aliorum iudicum Ecclesiasticorum , à quibus potest iure fieri appellatio ad superiorem.

Appellatio in hac censura requirit effectum secutum.

Præterea appellatio hæc requirit effectum secutum , aliàs attentatum solum non facit,vt quis in hanc excommunicationem incidat. Caietan.*in summa.* verbo, *excom. cap.*23.Nauarr. *in Man. c.*27. *num.*58. Vnde excom. lata à Gregor. XIII.ne cuidam ordinis fratres scriberent ad aliquas moniales, non ligat illum , qui epistolam misit : sed epistola non peruenit ad illam , vt consulit Nauarr.*lib.* 5. *consil. de sent. excom. consil.*60.

In hac autem censura comprehenduntur etiam illi, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit. Quod intelligi debet , quando auxilium , & fauor præcedit appellationē : nam si tantùm subsequatur,

sequatur, detúrque ad resistendum Pontificiis præceptis sub specie talis appellationis, tunc non incurreretur hæc censura exui huius clausulæ: quia reuera non est datus fauor ad appellandum. Sed ad actiones posteà subsequutas, quæ sunt longè diuersæ. *Suarez. hîc.* Dans verò Concilium tantùm ad hoc, non incurrit hanc excommunicationem: quia consilium est tantùm ad instructionem mentis, auxilium verò, & fauor ad executionem. Suarez.

Appellantes à Papa ad futurũ Cõciliũ, etiam alias excõmunicationes incurrũt ab alijs Põtificibus latas.

Nota etiam, quòd appellantes à sententia summi Pontificis ad futurum Concilium, non solùm in hac Bulla Cœnæ Domini excommunicationem incurrunt, verùm & in alias ab aliis summis Pontificibus editas. Extat pro hoc cõstitutio Pij II. data in diæta, seu Congregatione Mantuana Cardinalium, Prælatorum, & diuini, atque humani iuris interpretum. Quam constitutionem Iulius secundus speciali diplomate renouauit: *Licèt*, inquit, *olim Pius Papa II. prædecessor noster, matura priùs, & graui præmissa discussione, & de congregatorum vnanimi consilio, & assensu, ac ex certa scientia, prouocationes ad futurum Concilium efficacissimis, & palpabilibus rationibus, tanquàm erroneas, ac detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis latæ scientia, & interdicti pœnis præceperit, ne qua persona cuiusuis dignitatis siue etiam Vniuersalitas, aut Collegium, quouis quæsito colore, ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis quibuscunque, eius, ac successorum suorum appellationem huiusmodi, interponere auderet, & contra facientes vnà cum fautoribus suis, &c. non solùm pœnis, & censuris prædictis, sed etiam ijs, quæ læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur obnoxios esse statuerit. Nos igitur attendentes quanta sit eorum*

rum peruersitas, qui propriis innixi commodis, & nefarijs cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum, & superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, aut etiam scissionis causam præbere contendunt, & Ecclesiæ vnitatem diuidere, prædictæ sanctæ sedis Apostolicæ principatũ tollere, & contra tot SS. Patrum, & sacrorum Conciliorum decreta tenere, & damnabiliter magna audacia obedire non erubescunt, & contra facere non verentur, &c. *opportunam tam immani, & periculoso morbo medelam adhibere volentes, hac generali, & in perpetuum valitura constitutione, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, de Venerabilium fratrum nostrorum consilio promulgata; sancimus constitutionem Pij prædecessoris præfatam tam vltra, quàm citra montes, & in vltra montanis partibus, quoad omnes, tam Ecclesiasticas, quàm seculares personas, etiam Regali dignitate, & Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Vniuersitates, Communitates, Collegia, Congregationes, Synodos, & Parlamenta valuisse, ac perpetuò valituram declaramus. Hactenùs Iulius Papa.* Sed ante has duas constitutiones iam dudum huiusmodi appellationes fuerant condemnatæ, *can. cuncta 9. quæst. 3.* ex Gelasio; *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia de omnibus fas habet iudicare, nec cuiquam licet de eius iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet parte mundi appellandum est, ab illa nemo appellare permissus est.* Item, *sedis Apostolicæ iudicium, ac ius authoritate nullum est maius, à nemine est retractandum.* Et Can. *Ipsi sunt, ead. quæst.* Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sanctę sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa verò nunquàm prorsus appellari debere sanxerunt. Nec valet quorundam nugatorum, & valdè imperitorum

Præclara S. Gelasij de non appellando à sede Apostolica sententia.

respon

responsio,non esse scilicet ad illum alterum Prælatum, aut Patriarcham appellandum, optimè tamen ad Cõcilium Oecumenicum, tùm quia,cùm iura absolutè,& simpliciter loquantur omnem ad quodlibet aliud tribunal appellationẽ prohibent: tum quia,nullus vnquam in Ecclesia dubitauit,an à summo Pontifice ad alium Prælatum liceret appellare; cùm semper summus Pontifex omnium quorumcũque Prælatorum supremus sit habitus. Ergo appellationem ad Cõcilij tribunal iura ipsa prohibent,non autem eam,quæ ad prælatos posset interiici. Tertiò, à maiori ad minus, vel à superiori ad inferius prouocare non licet,aliàs ordo iustitiæ tàm in ciuilibus, quàm in Ecclesiasticis violaretur. At in quacunque Doctorum de auctoritate Concilij sententia, Concilium futurum inferius est Pontifice, si quidem Conciliũ futurum nondum est in rerum natura, Pontifex verò actu est: ergo ad Concilium futurum nullo modo potest appellari. Confirmatur. Non tantùm non est Conciliũ futurum, sed etiam non potest esse salrem absque maximis, ac grauissimis Ecclesiæ incõmodis,laboribus, expensis,& cæteris id genus. Quartò,per has appellationes cursus iustitiæ præcluditur,lites reddũtur immortales, opprimuntur innocentes, & crescit audacia apud improbos,& sceleratos,cùm,vt iam diximus, Concilium generale,non nisi ratò,& ægrè soleat congregari.

Dices hoc quidem fortè arguere, quòd in rebus leuissimis vtpotè priuatis nunquam liceat à Pontifice ad Concilium prouocare, at in grauissimis,vt iis quæ ad Reges,& Principes spectãt,aliter esse iudicandum, omninò enim licet appellare. Respondeo, si in aliquo casu liceat prouocare: non esse cur in quolibet casu etiam leui, quo Pontifex alicui inferret iniuriam, aut dubium esset an re ipsa inferret, idem non liceat. Quod sic ostenditur. Vel enim hæc à Põtifice prouocatio iure diuino præscribitur, vel solo iure positiuo: si iure diuino, cùm ius illud inter causam grauiorem, & leuiorem non distinguat, & nos itidem distinguere non debemus, si iure positiuo, cùm illud pariter causarum qualitatem nõ distinguat: si in causa grauiori licet prouocare, etiam in leui, & priuata licebit. Instabis, in ciuilibus iudices pedaneos, & subalternos causas leuiores extremo iudicio terminare, & non nisi in grauissimis rebus ad supremos iudices dari recursum, & prouocationem. Respondeo,id à Rege fuisse sancitum, ne partes pro rebus exigui valoris, & momenti litigando, bona sua exhaurirent, & consumerent: hoc tamen non obstat,quominùs ad Senatum pro quibuscunque causis ex se prouocare non possent, si Rex edicto nõ prohibuisset. Atqui iure diuino, aut positiuo nulla talis causarum distinctio extat, ideoque si in vno valet, & in altero pariter valebit,eam ob rem parùm cautè,minúsque prudenter nonnulli Doctores pro rebus grauissimis, & non pro leuissimis has ad Concilium appellationes admittunt.

Nec minùs sunt illicitæ appellationes ad præsens Concilium, quàm ad futurum, quamuis his appellationibus non sit annexa censura, & pœna, quæ est in appellationibus ad futurum Concilium. Primò, quia in causa appellationis, appellans à potestate, & iurisdictione eius, à quo appellat,eximitur, *cap.proposuit, & cap. cùm teneamur, & c.ad hanc de appellationibus*. At in nullo casu potest

Idem dicẽdum de eo, qui ad præsens Concilium à Papa appellat.

poteſt quis à iuriſdictione, & poteſtate Romani Pontificis eximi, alioquin non eſſet ampliùs illius ouis, & per cõſequens nec Chriſtianus, cùm Chriſtus in quoſcumque Chriſtianos Petro dederit poteſtatem, his verbis, *Paſce oues meas*: non has, aut illas, non huius, aut illius regionis: ſed in vniuerſum *oues meas*, id eſt, omnes, qui Chriſtianæ religioni nomen dederunt, vt eleganter 3. *de conſider. ad Eugenium*, docet Bernardus. Secundò, per appellationem recedit appellans ab obedientia, & communione eius, à quo appellat, atqui nulli Chriſtiano in quacunque dignitate ſit conſtitutus, ab obedientia ſummi Pontificis, & communione cum eius ſede licet recedere. Quiſquis extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluuio. Vbi Hieronymus Damaſum ſedis Apoſtolicæ rectorem & detentorem alloquitur. Tertiò, à rege quoties de re aliqua iudicauit, nemini licet ad aliud tribunal prouocare, vt ſatis conſtat, ergo nec à Romano Pontifice. Patet conſequentia, ideò enim à rege non licet appellare, quia ipſe eſt monarcha, & monarchico modo, id eſt extremo iudicio iudicat: at Pontifex eſt ſupremus Eccleſiæ monarcha, extremo igitur iudicio quaſlibet cauſas terminabit, vt fas amplius non ſit ad vllum aliud tribunal prouocare. Dices, tribunal Concilij à tribunali Pontificis non diſtingui; ergo quando ab eo ad Concilium prouocatur, ad aliud tribunal non dicetur fieri prouocatio, præſertim cùm ſuprà docuerimus, Pontificem à quo prouocatur, à Concilio, ad quod prouocatur, nunquàm abeſſe debere. Reſpondeo, ſi Concilium non ſit aliud tribunal, appellatio à Ponti

Pontifice erit ad ipſummet Pontificem, quod certè eſt omninò ridiculum: niſi fortè velis fieri appellationẽ à Pontifice per ſubreptionem, vt aiunt, præoccupato, & non ſatis informato, ad eum meliùs informatum. Verùm hoc non eſt propriè appellare, ſed fraudem ex priori iudicio factam retegere, & declarare, ſicque emendationem prioris iudicij procurare. Non eſt autem opus vt pro hac fraudis factæ declaratione ad Concilium recurratur, cùm eam ipſimet iudici aperire ſufficiat. Quartò, iudex, à cuius iudicio prouocatur, iudicem, ad quem fit prouocatio, parti condemnatæ dare, aut deſignare non debet. Sic enim ageret in ſeipſum, abirétque in rem iudicatam contra communem iuris regulam: atqui eſt ſolius Pontificis Concilia Oecumenica indicere, congregare, & confirmare, vt eorum decreta auctoritatem in Eccleſia habeant: Ergo ſi ab eius iudicio ad Concilij tribunal ſit prouocatio, debebit ipſe Pontifex cõtra ſeipſum agere, in rem à ſe abſque fraude ſibi facta iudicatam abire, arma, quibus emendetur, & corrigatur, ſuppeditare; & quod amplius eſt, iſta omnia contra ſe, ſuúmque iudicium definita, nouo ſuo calculo confirmare, quod certè vniuerſum iuſtitiæ ordinẽ, præclariſſimámque harmoniam omninò peruertit, & deſtruit.

Aſſertio firma, non eſſe appellandum à Papa ad Concilium.

Maneat itaque hoc ratum, & conſtans omnem à ſummo Pontifice ad Concilium ſiue futurum, ſiue præſens, appellationem eſſe prorſus illicitam, idque ſiue Papa ſit infra, ſiue ſupra Concilium, cùm rationes allatæ in vtraque ſententia concludant.

Obiectiones contra præ-

Sed contra ea, quæ hucuſque aſſerta ſunt, inſurgit quidam Iuriſconſultus, cui nomen Simon Vigo

dictam assertionem proponũtur.

Vigorius, & ducto argumento ex facto probare contendit, licere appellare à Pontifice ad futurum concilium : Sic enim ait ; Notæ sunt appellationes ad futurum Conciliũ Ioannis Teutonici, primi decreti glossatoris à Clem. IV. Michaëlis de Cæsana generalis ordinis Minorũ, à Ioanne XXII. Sigismundi Ducis Austriæ, & Gregorij Hesburgi Archiepiscopi Mogũtini, Friderici Comitis Palatini, ad Rhenũ, & Friderici Marchionis Brandeburgensis à Pio II. Platina à Paulo II. sed & scholæ Parisiensis à Bonifacio VIII. Benedicto II. Pio II. Leone X. Notantur à Probo *in additionibus ad glossam Pragmaticæ sanctionis*, duæ appellationes à Papa ad Concilium Prima Iacobi Bruëil electi Archiepiscopi Bituricensis aduersus Cardinalem Turnensem, altera Vniuersitatis Parisiensis de publicatione Concordatorum, quæ est à Leone X. *sic Vigorius.*

Respondeo primùm, enumeratas appellationes non esse iura, sed facta, ad quæ non respondet Iurisconsultus, & quæ nullam vim habent: nisi quatenùs iure fieri constat, quod tamen hîc non demonstrat Vigorius, qui cùm litibus diiudicandis magnam ætatis partem consumpserit, non potest, opinor ignorare, litigantes sæpiùs pro iniustis, & friuolis appellationibus ære mulctari: sed quis in hoc fictili argumento non videt hostilem eius infamiam in Pontificem, qui prudens, sciens, & de industria ignobiliũ aliquot personarum, & quasi de fæce populi, appellationes profert, quales certè fuerunt Glossator ille Ioannes Teutonicus: si tamen adhuc verum sit eum appellasse, Michaël Cæsanus Minorita, Platina abbreuiator, & Iacobus de Bruëil Canonicus Bituricensis,

turicensis; quasi istorum si non vilissimorum, saltem priuatorum hominum causa Concilia Oecumenica cum tantis Ecclesiæ laboribus, & sumptibus debeant conuocari, & non potiùs pro sua temeritate grauiter puniri.

Obiectionis solutio.

Sed hæc appellantium exempla sigillatim expendamus, & importunum magis, quàm eruditum Vigorium refellamus. Ioannes nomine, & natione Teutonicus (de eo enim hæc tantùm comperta habeo) Glossator decreti fuit, Episcopus Boricensis in Hungaria, vt tradit Antonius Epitome Gesneri bibliothecæ; hic enim, cùm cessionem Episcopatus petiisset (vt scribit Antonius Florentinus, 3. *part. Chronicorum tit.* 23. *cap.* 12.) ad ordinem Dominicanorum reuersus est: vnde electus magister generalis in capitulo generali Parisiis celebrato, quem renitentem, & se Pontificali exemptione defendentem, Bulla Domini Papæ Gregorij statim in medium producta, compulit ad accepṭãdum officium: continebat enim quòd hoc ipso, quòd ab onere Episcopali eum absoluerat, obedientiæ ordinis, officiis, & laboribus supponebat. Hic fuit bonitate conspicuus, aspectu, & affatu gratiosus, multiplici idiomate eruditus. Idem Antonius testatur Clementem IV. erga ordinem S. Dominici benè semper affectum fuisse, nec vnquam memini me legisse apud historicos, occasionem datam appellandi ab eo ad futurum Concilium. Blondus Foroliuiensis, fasciculus temporum Massonius de Episcopis vrbis res gestas Clementis IV. persequuntur; sed de hac Ioannis Teutonici appellatione, quam comminiscitur Vigorius, verbum nullum habent. Michaël Cesanus præpositus generalis Ordinis Minorum à Ioanne XX.

vulgò XXII. ideò prouocauit, quòd extrauagante, quæ incipit, *Ad Conditorem*, aduersus suorum prædecessorum Pontificum decretum definiuisset in rebus, quæ vsu consumuntur, ipsum ius vtendi ab earundem dominio non distingui, & Franciscanos in his rebus verum sibi dominium vendicare: qua in re si fortè Ioannes Papa errasset, malè tamen Michaël ad futurum Concilium appellauit; tum propter rationes, quas suprà adduximus, tum quia hæc Ioannis definitio ad fidem non pertinebat, vt expressè in extrauagante dicitur. Vnde etiamnum diuersæ Doctorum sententiæ de hac vsus, & dominij distinctione circunferuntur. Nec minùs iniquè Sigismundus Dux Austriæ, & Gregorius Archiepiscopus Moguntinus à Pij II. sententia prouocarunt: quippe qui iustè ab eo damnati fuerant; ille quidem, quòd S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, non sine magnæ sedis Apostolicæ, & sacri Collegij iniuria, in vincula coniecisset, neque ad iussum Pontificis, multorúmque Principum supplicationem eum dimittere voluisset; hic verò, quia cùm de fide non rectè sentiret, periculum erat, ne si dignitati Archiepiscopali diutiùs fuisset relictus, multos in suum errorem pertraxisset. Idémque est iudicium de vtroque Friderico: Palatino scilicet, & Brandeburgensi, qui Ecclesiam Romanam crudeliter diuexabant, & cum infensissimis illius hostibus ad perturbandam totam Italiam fœdus inierant.

Sed quis ferat Vigorium, quem appellationis Platinę abbreuiatoris plebeij hominis, & obscurissimo loco oriundi nō puduit meminisse? Is enim Platina ob insolentissimam Epistolam (in qua propter abbreuiatorum exauthorationem Paulum II. iniuriis,

iniuriis, conuitiisque impudentissimè exceperat) iustè in carcerem protrusus fuit. Sed quod de Platina, qui vitas Pontificum scripsit, & in notandis eorum, si quæ fuerunt, vitiis plus æquo diligens, & perspicax, olim circumferebatur, (Platinæ quis non ignoscat si sit iratus) idem in Vigorium aptissimè transferri potest; siquidem aduersus summos Pontifices tanto odio tenetur, vt quauis libelli sui pagina hostilem in eos animum prodat.

Quod spectat ad Scholam Parisiensem, quam sæpè contra Pontifices appellationem interposuisse iactat Vigorius: nego primùm, Academiam à Bonifacio VI. appellasse. Solus enim Rex Philippus Pulcher cum tribus Galliæ Ordinibus prouocauit; non quidem ad Concilium, vt ille mentitur: sed tanquàm ab abusu, vt Synchroni Scriptores testantur. Vel, vt aiunt nonnulli (ad Deum,) à quo solo sceptrum Regni Gallici habebat, appellauit: quæ tamen appellatio nomen appellationis, siue prouocationis sortiri non debet: est enim potiùs quædam supplicatio, qua à Deo petitur, vt cor Pontificis de cogitata, & prætensa iniustitia, ad iustitiam flectere dignetur. Sicut de Ioseph. *Gen.* 43. precatus est Iacob. *Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum hunc fratrem vestrum, & eum, quem tenet in vinculis.* Adde quòd quamuis Philippus Pulcher à Bonifacio VI. ad Concilium prouocasset (quod tamen non legitur) nihil tamen propterea sequeretur in fauorem appellationum, de quibus agit Vigorius; siquidem tunc, vt testatur Guaguinus in Philippo Pulchro, Bonifacius VI. cædis, & hæreseos accusabatur, quod cùm (etiam si falsum)

Rex crederet, aut suspicaretur, omnesque cum illo Galliæ ordines à Bonifacio ad Concilium iure prouocarunt: à Papa enim, quem iustè putamus hæreticum, licèt falsò, ad futurum Concilium fas est prouocare. A Benedicto II. falsum est etiam Scholam Parisiensem prouocasse: tum quia in Academiam Parisiensem fuit propensissimus: Collegium enim, & templum Cisterciensium ædificauit, & fundauit; tum demùm, quia cognita Philippi causa eum absoluit, & Columnensibus, qui ab eius partibus contra Bonifacium steterant, clementer indulsit. Perperam ergo, & sine vllo teste hanc Scholæ Parisiensis prouocationem ad futurum Concilium commiscitur Vigorius. A Pio II. & Guaguino *lib.* 10. Schola Parisiensis ne Pragmatica sanctio aboleretur, ad Ecclesiæ Concilium prouocauit; quod fortè in causa fuit, cur hic Pontifex constitutionem contra eiusmodi prouocatores ediderit: locus verò aliquis est excusationi pro Schola: nam etsi peccauerit ita appellando, cùm alia via Pragmaticam sanctionem tueri posset, minùs tamen fortè peccauit, Pij constitutione nondum edita, & promulgata, quam cùm à Leone X. propter publicationem Concordati in locum eiusdem Pragmaticæ sanctionis substituti prouocauit: nec enim tantùm ab eo appellauit, sed etiam à Concilio Lateranensi, quod iuxta melioris notæ Doctores, Oecumenicum fuit, in eo siquidem cum Pontifice congregati erant Patriarchæ Orientales, magnus numerus Cardinalium, & centum quatuordecim Episcopi.

Et ne putet Vigorius nos, vt ille solet, istud fingere, & comminisci, appellationis formulam lubet transcribere; *Nos Rector, & Vniuersitas Parisiensis grauatos, læsosque, & oppressos esse sentientes, idcirco à Domino nostro Papa non rectè consulto iam dicti sacri Basileensis Concilij, & ei adherentis Pragmaticæ sanctionis statutorum abrogatione, nouorum statutorum editione, consensus præstatione ad futurum Concilium legitimè congregatum prouocamus, & appellamus, &c. instanter, instantiùs, & instantissimè protestantes hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis, vel iniustitiæ, & aliàs prout meliùs poterimus, optione nobis reseruata, &c.* Cùm tamen priùs Concilium Lateranense tanquàm illegitimum, & contra Fidem Catholicam procedens, damnassent, his verbis; *Leo X. in quodam cœtu in Romana Ciuitate, quæ contra nos est, nescimus qualiter: non tamen in spiritu Domini congregato, &c.* Quæ omnia tantùm abest, vt Vigorio suffragentur, quin si hæc Scholæ appellatio legitima, & iusta habeatur, à Conciliis generalibus non minus, quàm à Pontifice fas sit prouocare. Quod ad Henrici magni appellationem à Gregorio XIV. potiùs Sixto V. ad futurum Concilium interiectum, ea etiam Vigorio non fauet, siquidem Henricus ille ter maximus, quo generosiorem & maiorem Gallia nunquam habuit, nondum hæresim Caluinianam exuerat, quam tamen posteà maximo non solùm Galliæ; sed totius Ecclesiæ bono abiecit, & constantissimè detestatus est. Quare mirum non est, si tunc suasu hæreticorum, qui iuuenilibus eius annis illudebant, ad futurum Concilium prouocauerit; sed hanc prouocationem, abiurata hæresi, ei minimè gratam fuisse ex hoc vno liquet, quòd ad Ecclesiam Catholicam postliminio reuersus, non priùs quieuerit, quàm spreta sua appellatione,

cum summo Pontifice tanquam Principum Christianissimus reconciliaretur; missò in eum finem Illustriss. & Reuerendiss. Cardinale Perronio, qui totum negotium fidelissimè ex magni Regis voto gessit, transegítque.

EXCOMMVNICAT. III.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum; præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

EXPLICATIO.

Hîc excommunicantur omnes Cursales: illi scilicet, qui sine bello, indifferenter, & principaliter cursantur in agendis prædis maritimis. Sylu. verb. *excom. 7. num.* 56. latrunculi etiam, parui scilicet Piratæ, qui in exiguo nauigio committunt prædam in mari. Et dicitur hîc, *in mari*: quia si solùm in flumine; non incurritur hæc excommunicatio. Nau. *hîc contra Angelum.*

Ad hanc excommunicationem incurrendã quæ requirantur?

Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, vt tales propriè sint Piratæ, vel Cursales: nam si qui gerentes sua negotia aliquando incidenter deprædantur: vel qui ex inimicitia contracta id faciunt, non incurrunt, licèt peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur. Præterea requiritur, vt tales Piratæ discurrant per mare nostrum, id est, Christianorum, & præcipuè Papæ, aliàs secùs esset, si discurrerent per maria Barbarorum, & non solùm opus est, vt discurrant;

currant; sed etiam vt deprædentur, *arg. text. in cap. cogitationis, de pœnit. d.* 1.

Cõditiones, quæ requirantur ex Card. Tolet. vt quis hãc excommunicationem incurrat.

Cardinalis Toletus hîc dicit, non esse Piratam simpliciter dicendum, qui deprædatur in mari; sed necessarias esse tres conditiones, vt quis propriè Pirata dicatur, & sit. Vna est, indifferentia in spoliando, vt scilicet non intendat spoliationi determinatæ nationis; sed omnium nationum indifferenter, vnde si Ianuenses haberent iustum bellum contra Florentinos, & illos deprædarentur cum Gallis, &c. non essent Piratæ; nisi ad alios se extenderent indifferenter. Secunda est, vt habeat principalem intentionem deprædandi: vnde si aliqui nauigarent principaliter pro exercendis suis negotiis, & casu aliquo præter intentionem principalem spoliare vellent omnes Venetos, non dicerentur Piratæ. Tertia est, vt non sit bellum indictum: si enim bellum indictum sit; quamuis iniustum, non est Pirata; sed quando absque titulo belli iusti, vel iniusti deprædatur, & hæc videtur communis sententia contra Angelicam; quia cùm simus in pœnis; propriè, & strictè accipi debet.

Personæ accessoriæ etiã comprehenduntur in hoc casu.

Comprehenduntur etiam hîc personæ accessoriæ, scilicet fautores, receptatores, & defensores huiusmodi Piratarum, & Latrunculorum maritimorum, quod intelligendum est, dummodò scienter hæc faciant. Et quamuis Nauarrus *in cap.* 27. *num.* 59. velit, etiam comprehendi consulentes; Sayrus tamen hîc probabilius tenet, eos non contineri; tum quia pœnæ non sunt vltra proprios casus extendendæ; tum etiam, quia quando Pontifex vult comprehendere etiam dantes consilium, illos explicare solet, vt constat infrà *in*

*can.*7.10.11.12.14.16.18.& 20. Tum quia,nudum consilium propriè, nec auxilium, nec fauor est; quia consilium iuuat aliquem ab intrinseco dirigendo rationem eius: vnde est opus quoddam spirituale pertinens ad directionem ipsius intellectus.

Christiani in triremibus infidelium remigantes, an peccẽt mortaliter, secundùm aliquos.

Duo dubia hîc mouet Sayrus. Vnum est; An Christiani, qui ab infidelibus capti sunt, excommunicationem hanc Bullæ cœnæ incurrant; si in nauibus piraticis infidelium contra Christianos versentur? Et respondet, quòd si tales coactè remigant; quamuis, vt plurimùm peccent mortaliter ita remigando contra fideles, & cooperando ad huiusmodi deprædationem, mutilationem, & occisionem fidelium,ex Nauarr. *in Man.cap.*27. *num.* 63. nihilominùs etiam tunc in hanc excommunicationem non incidunt.

Probabilius est,eos neque peccare,si coactè tantùm id faciunt.

Quæ sententia probabilis est; sed probabilius existimo dicendum, quòd si coactè remigant, neque mortaliter peccare; quia actio illa remigandi, de sua natura indifferens est, & potest dirigi ad bonum, & ad malum finem: dum ergo talis non dirigat triremem ad deprædandum, seu ad malum inferendum Christianis; non peccabit mortaliter, cùm solùm vî, & metu verberum remiget.

Naues infidelium deprædantes, hanc excõmunicationem non incurrunt.

Alterum dubium est; An deprædantes infideles censuram istam incurrant? Et respondet, eos solos excommunicationem hanc incurrere, qui piraticam hanc artem contra fideles exercent. Et est optima responsio. Et Cardinalis Toletus expressè docet, Piratas Christianos deprædantes naues infidelium, non excommunicari,cùm credibile non sit, Ecclesiam infideles sub tam graui censura

censura protegere velle. Imò probabile omninò est, neque hæreticos; eos maximè, qui Catholicis infesti sunt; quales sunt hoc tempore Angliæ, & Flandriæ hæretici, hoc canone protegi; æquum enim non est, vt qui Ecclesiam totis viribus oppugnant,Ecclesiæ spiritualibus armis defendantur.

EXCOMMVNICAT. IV.

Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcúnque nauibus tempestate, seu in transuersum (vt dici solet) iactis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem iacta in mari, vel in littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuscumque maris regionibus,& littoribus surripuerint: ita vt nec ob quodcunque priuilegium, consuetudinem,aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

EXPLICATIO.

Naufragãtium bona subripiẽtes, siue eos spoliantes, hîc excommunicantur.

Hæc excommunicatio est contra spoliantes, seu surripientes bona naufragantium:& hoc siue fiat in ipsis nauibus, siue dum sunt in terra iactata,& tam in mari nostro Christo Christianorum, quàm etiam in aliis maribus. Si quis verò ignoret, talia bona esse naufragantium, excusatur ab hac excommunicatione.

Tria cõcurrere debẽt, vt quis hãc

Tria igitur requiruntur ad incutrendam hanc censuram. Primùm, vt sint bona Christianorum: non autem infidelium. Secundum, vt sint bona

excommunicationem incurrat.

Christianorum naufragantium, id est, vt sint eiecta ex nauibus naufragium passis. Tertium, vt talia bona surripiantur, id est, accipiantur animo contrectandi, & sibi vsurpandi, vel quoad vsum, vel quoad dominium.

Ampliatur excõmunicatio, etiãsi bona Christianorum fuerint in nauibus infidelium.

Procedit autem prædicta excommunicatio, etiam si fuerint bona Christianorum in nauibus infidelium: ita vt naues præfatæ deseruiant pro vectura. Etiam ampliatur, si fuerint bona Christianorum capta ab infidelibus, & in eorum nauibus reposita, quia adhuc surripiens tenetur propriis dominis restituere, accepto tamen pro labore pretio. Ita Felin. *in cap. significauit. de iud.* Couarruias *in regula, Peccatum. num.*7.

Limitatur assertio in tribus casibus.

Limitatur tamen prædicta assertio. Primò, in habentem probabilem ignorantiam, siue iuris, siue facti. Nauarr. *in Man. cap.*27. *num.* 61. *in fine.* Secundò, in simplicibus, qui existimant illud accipere sibi esse licitum aliqua ratione, quia mortale peccatum non essent. Tertiò quando crederent bona illa omninò esse derelicta, vel pro derelictis habita. Sotus *lib.*5. *de iust. quæst.* 3. *art.*3. Non tamen putatur haberi pro derelicto, quod in mare ob procellam ad nauim onere leuandam, proiicitur, secundùm gloss. & com. DD. *in cap. cùm dilecti. de accus.* Nauarr. *vbi suprà, num.*58.

Coniecturâ quadruplici potest iudicari, quãdo tales res sic proiectæ habeantur à dominis pro derelictis

Et licèt sit difficile iudicare, quando tales res sic proiectæ, habeantur à Dominis pro derelictis; nihilominùs quadruplici ex coniectura id potest cognosci. Prima est, ex ipsa re, eiúsque natura, & conditione: si enim talis sit, quæ statim in mari peritura sit, pro derelicta haberi debet, vt verbi gratia, si proiiciat in mare vasa plena saccaro. Item si in altum mare proiiciantur metalla, quæ pro

propter grauitatem tendunt ad profundum, accipi possunt: quia recuperari non possunt. *l. falsus. ff. de furtis.* Secunda desumitur ex modo proiiciendi, qui enim proiicit librum apertum in mare, censetur illum animo derelinquendi proiecisse, secus si clausum, aut pannis inuolutum proiecisset, ex gloss. *in d. l. falsus.* §. *fin.* in verbo, *plerumque.* & Panorm. *in cap. cùm dilecti. num.*11. *de accusat.* Tertia est, si Dominus rei post illam proiectam tacet, & neque per se, neque per alium quærit: sic Federic. *consil.* 17. & Angel. in verbo, *inuenta in princ.* & Sylvest. *eod. verbo, quæst.* 1. vers. *Tertium* & verbo, *Naufragium in fine.* Quarta est, si res illa proiicitur in mare extra præsens periculum grauis tempestatis, cùm enim in hoc casu grauis necessitas non vrgeat ad proiiciendum, præsumitur animo derelinquendi proiecisse.

Limitatur adhuc in surripiente bona ex incendio.

Limitatur etiam in surripiente bona ex incendio, vel ruina, quia Papa tantùm de naufragio hîc loquitur. Præterea in surripiente bona in ipsis nauibus, vel de ipsis nauibus: non tamen naufragantium, sed extra naufragantium. Præterea in surripiente modicam quantitatem bonorũ naufragantium, quia ratione modicæ quantitatis rei excusantur: nisi quantitas illa perueniret ad peccatum mortale. Vel quando essent plures conscij, & vnusquisque scienter modicum quid surripit. Sot. *in* 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.*1. Couarr. *lib. var. resolut. cap.*3. *num.*13. Nec etiam ij incidunt, qui scienter bona ab aliis rapta in naufragio, acceperint, vt vult Pius V. & Gregor. XIII. in suis Bullis in die Cœnæ Domini, licèt alij antiquiores summi Pontifices etiam tales incluserint.

Aduer

Abrogat Pontifex & reuocat in hoc casu omnia priuilegia, & indultæ.

Aduertendum est autem, quòd summus Pontifex adeò huiusmodi bonis naufragantium in hoc canone prouidere voluit, vt omnia priuilegia, leges, consuetudines, & possessiones, etiam longissimi temporis, reuocet, & annullet. Vnde Principes, qui leges de confiscatione bonorum naufragorum constituunt, nullo modo excusari possunt, cùm tales leges, corruptiones sint potiùs legũ, & bonorum morum, & contra omnem æquitatem latæ, quia afflictio non est addenda afflicto, vt rectè Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 4. §. *sequitur. vers. Tertius.* Tabiena, verbo, *excom.* 5. *casu* 25. *num.* 4. §. 3. Caietan. eod. verbo, *cap.* 23. *in fine*, & Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 118. annotarunt. Imo in cap. *excommunicationi, & ibi gloss. in verbo, Regula fidei de raptor.* tales regulæ fidei aduersari dicuntur, cùm secundùm fidei regulam, proximum, sicut nos ipsos diligere teneamur. *Matth.* 22. Vnde non excusantur Principes huiusmodi bona accipientes: nisi accipiant cum intentione reddendi ea veris dominis, quandocunque compareant, quibus non comparentibus, in pios vsus distribuant, vel de consilio Episcopi fisco addere possunt ad defensionem portus, vt Paludanus & Tabiena tradunt. Nec valet excusatio, quòd in naufragio merces proiiciens, eas pro derelictis habeat, & sic nullius hominis sint, & propter hoc occupanti concedantur, quia ille nunquàm eas pro derelictis habuisset, si reinuenire posse speraſſet, vt præfati auctores *vbi suprà* testantur.

Dubium proponitur. Resolutio.

Dubitatur, an sit excommunicatus, qui non capit ipsa bona, sed postquàm proiecta sunt, aut in littore inuenta retinet sibi? Respondeo, eum, qui

qui reciperet, ac retineret bona huiusmodi ad solum vsum ad tempus, non incidere in censuram excommunicationis duabus his conditionibus concurrentibus, quarum vna est, quando dominus rei acceptæ non scitur, aut si sciatur, absens sit: altera, si is, qui rem illam accipit, probabiliter sperat dominum rem illam non habere pro derelicta, sed illam repetiturum, & pro ea missurum habita notitia rei acceptæ, & ipse interim animum habeat rem illam restituendi vero domino sine vlla deterioratione, & satisfaciendi de deterioratione, si aliquam fecerit culpa sua. Ratio est, quia in hoc casu nullum damnum patitur dominus, nec vlla ei fit iniuria, sed potiùs vtilitatem, & commodum inde consequitur, dum res suas saluas recuperat, & si hoc solùm voluerunt Caietanus & Nauarrus *vbi suprà*, non malè censerunt: Sin verò res, & bona huiusmodi recipiat cum intentione retinendi ea, & in vsum, & commodum proprium conuertendi, verè excommunicationis censuram incurrit, quia retinere, aut recipere rem alienam, solùm ad proprium vsum, inuito domino, etiamsi non intendat, aquirere dominium ipsius rei, furtum est, *l.* 1. *ff. de furtis*, & ideo sufficiens materia excommunicationis, vt constat, & expressè tradit Viualdus in expositione Bullæ Cœnæ Domini, *numero* 31. *&* 32. *& numero* 33. vbi affirmat, quòd licet olim per Bullam Gregorij XIII. similem excommunicationem incurrebat tertius accipiens talia bona ab ipsis furripiente de naui, vel littore prout colligitur ex illis verbis in Bulla Gregorij XIII. contentis. *Qui scienter sibi acceperint, aut ab alijs rapta,*

rapta, seu accepta, scienter acceperint: per hanc tamen Bullam Clementis VI. vt constat, talis excommunicatio maior ad tertiam personam non extenditur. Quamuis cognito Domino nauis, vel rerum ablatarum tertia illa persona, rem à surripiente acceptam, vel emptam, restituere teneatur, iuxta ea, quæ de constitutione rei bona, vel mala fide possessæ, latiùs in materia restitutionis aliàs diximus.

EXCOMMVNICAT. V.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas, præterquàm in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

EXPLICATIO.

In antiquis Bullis summorum Pontificum hæc excommunicatio ferebatur solùm contra imponentes noua pedagia, & exigentes pedagia prohibita, vt reperitur in Bulla Mart. V. & Iulij II. posteà verò in aliis Bullis recentioribus additum est, vel augent ea pedagia, seu augeri prohibita exigunt, & meritò; quia non solùm iniustitia, & iniquitas est pedagia noua, & gabellas imponere, sed etiam augere. Quia ratio huius prohibitionis est, ne domini exhauriant pecuniam subditorum: quòd æquè fit per augmentum antiqui pedagij: sicut per impositionem noui æqualis dicto augmento, ex summa Tabiena in verbo, *pedagia, num. 7. §. 6.* Sylvest. verbo, *excommunicatio, 7. num. 54.*

num. 54. Angel. verbo, *pedagium, num. 6.* Tolet. *in explicatione Bullæ Cœnæ, §. 3. dub. 3.*

Pedagium vnde sit dictum.

Pedagium autem est à pede dictum, quia datur à transeuntibus in locis constitutis à Principe, vel ab eo, qui super hoc auctoritatẽ habet, *auctores præfati locis citatis.* Nomine *pedagiorũ* veniunt etiam portoria, & alia vectigalia ex mẽte Legislatoris, ex identitate rationis, & latitudine vulgaris significationis eorum. Nécnon domus, panis, in quo domini terrarum, vel ciuitates faciunt poni panem, vel sal, & vendi à præposito illius officij, ita Dom. Anton. *in cap. super quibusdam de verb. sign. in fin.* In regno autem Neapolitano omnes ciuitates Regni, atque Barones possunt imponere gabellas, impetrato priùs assensu regio.

Nomine *prohibitarum gabellarum*, seu *pedagiorum* veniunt, vel quæ sunt prohibita simpliciter, id est, quæ à nullis, neque à laicis, neque à clericis iustè possunt exigi, vel etiam prohibita exigi à clericis, & non à laicis. Nauarrus *cap. 27. num. 61.*

Pedagia iniusta esse possunt triplici ex capite.

Pro maiori autem intelligentia sciendum, quòd triplici ex capite pedagia possunt esse iniusta. Primò ex parte personarum, quibus imponitur, & sic non licet personis Ecclesiasticis huiusmodi tributa imponere sine licentia summi Pontificis, & imposita sunt iniusta, benè verum est, quòd huiusmodi pedagia, quamuis illicitè clericis, & Ecclesiasticis imponantur, non tamẽ hoc canone, sed excommunicatione 18. prohibentur. Secundò, ex parte materiæ, seu rei propter quam imponuntur, & sic solùm licèt imponere de his rebus, quæ causa negotiationis, vel mercimonij deferuntur *l. omnium C. de vectigal.* Vnde de his quæ

quis

quis facit portare pro necessitate ad vsum suæ vitæ, & familiæ, non potest imponi, aut exigi pedagium, seu gabella. Tertiò; ex parte ipsius causæ efficientis, hoc est, personæ imponentis: non enim cuique licitum est in terris suis noua pedagia, aut gabellas nouas imponere. Solùm igitur illi, qui non habent auctoritatem imponendi noua pedagia, aut gabellas, aut illas augendi, & eas imponunt, aut augent, vel exigunt, in hoc canone excommunicantur.

Exigẽtium nomine qui comprehendantur.

Comprehenduntur autem nomine *exigentium* tam ipsimet domini, & alij, quorum auctoritate fit exactio, & etiam hæres illa imponentis, quàm conductores gabellarũ, & illorum ministri, qui ad portam ciuitatis, aut alio in loco designato illas exigunt, & recipiunt, ex Nau. *in Man. c. 27. num. 61.*

Exigere quid sit.

Exigere autem est, ab inuito, seu à nolente soluere extorquere: quod tunc fit, quando quis vel imperio, vel minis, vel arrestatione bonorum, aut personæ inductus soluit, vt quando iubetur sistere, aut apprehenduntur res, donec soluat, vel quando id fit asperitate verborum, vultus, & aspectus, vel alio quouis modo malè tractatur, & soluit; talis, inquam, dicitur inuitus soluere. Qui verò à Laïcis huiusmodi prohibitas gabellas, aut pedagia sponte soluentibus exigit, excommunicationem hanc non incurrit, ex Tolet. Sayro hîc, & Caietan. *in summa*, verbo, *excom. cap. 36. & cap. 71.*

Alia onera imponentes an incurrant.

Sed quid dicendum de illis, qui alia onera imponunt, vt taxas, tallias, collectas, & illam, quam *Cerignolam* vocant, num incurrant? Aliqui affirmant: sed verior est sententia Caietani, verbo, *excom. cap. 71.* quòd imponentes talia, hanc excom

communicationem non incurrunt, quia pœnę non sunt extendendæ vltra proprios casus.

Personarum genera quatuor sunt, quæ huiusmodi gabellas imponere possunt.

Quatuor autem sunt genera personarum, quæ huiusmodi pedagia, & gabellas imponere possunt. Primò, summus Pontifex, & Imperator. Secundò, Reges. Tertiò, Concilium generale. Quartò, qui hoc habent ex consuetudine antiqua, de qua non extat memoria in contrarium. *Vide Sayrum hîc.* Quibus adde eos, qui sunt supremi Principes; non recognoscentes superiorem; quia tales habent regalem, & supremam potestatem. Deinde quælibet Respublica libera habens merum, & & mixtum imperium, vt sunt Veneta, Ianuensis, Lucensis, & quælibet ciuitas tale imperium habens, & Duces, vt Sabaudiæ, Florentiæ, &c. Ratio est, quia tota potestas supremorum Principum illis à Republica tradita est; ergo multò magis hoc potest Respublica, quæ nulli subest, cùm de iure naturæ sit, vt omnis Respublica illa possit, quæ ad eius conseruationem, & gubernationem sunt necessaria.

EXCOMMVNICAT. VI.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum, gratiam, vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, aut gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatarum: necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis: seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

EXPLICATIO.

Literarum Apostolicarum nomine quæ veniãt.

Nomine literarum Apostolicarum veniunt illæ, quæ nomine summi Pontificis expediuntur, sicut Bullæ plumbatæ, & etiam Breuia Apostolica. *Supplicationum* verò nomine, veniunt literæ, quibus aliquid petitur tam per iustitiam, quàm per gratiam: quarum aliquæ signantur per Papam, aliquæ per Vicecancellarium.

In hoc ergo Canone non continentur quicunque falsarij, sed solùm falsarij literarum, & supplicationum Apostolicarum. Vnde benè Toletus hîc dicit, non incurrere hanc excommunicationem, qui falsificat literas Pœnitentiariæ; quia non sunt literæ Apostolicæ, nec à Papa expediuntur; sed à summo Pœnitentiario eius Commissario, viuæ vocis oraculo constituto. Neque etiam qui falsificaret literas cuiuscunque Legati, etiam à latere, aut Nuncij Apostolici: neque qui falsificaret literas quarumcunque Congregationum Cardinalium, quæ plures sunt in vrbe, quia nullæ istarum sunt literæ Apostolicæ, neque sub nomine summi Pontificis scribuntur. *Concordat Sayr. & Nau. hîc.*

Falsariorũ nomine qui veniant.

Nomine verò *falsariorum* hi comprehenduntur: Primò, qui radunt veterem scripturam. Secundò, qui aliquid noui scribunt in literis prædictis. Tertiò, qui secant, lacerant, radunt, aut conglutinant papyrum ad falsificationem earum. Quartò, qui Bullam plumbeam de veris literis extrahunt, aut literis falsis illam affigunt. Quintò, qui faciunt Bullas plumbeas falsas. Sextò, artifices, seu fabri Bullarum, qui illas alicui priuato donant, aut vendunt ad faciendas literas falsas. Septimò, qui

qui falsificant anulum Piscatoris. Octauò, denique omnes illi, qui similia faciunt, aut quorum auctoritate hæc fiunt.

Literis falsificatis vtens, hanc excommunicationem non incurrit, sed benè aliam.

Qui verò vtitur literis falsis Papæ, hanc censuram non incurrit; sed benè illam cap. *ad falsariorum, de crim. falsi:* in quo hi includuntur. Primò, qui per se, vel per alios falsificant literas Apostolicas. Secundò, omnes fautores, vel defensores falsariorum. Tertiò, vtentes scienter literis Apostolicis falsis, & si laïci sint, ipso facto excommunicantur; non autem Clerici, vt benè notat Panorm. *num. 6. constra Hostiens.* Siquidem Host. existimauit, clericos falsis literis Apostolicis vtentes, & excommunicatos esse ipso facto, & etiam officiis, & beneficiis Ecclesiasticis priuatos. E' contra verò Panorm. vult, solos laïcos ipso facto excommunicatos esse: Clericos verò non excommunicari; sed beneficiis, & officiis Ecclesiasticis priuari. *Sayrus hîc.*

Dicitur autem vti talibus literis ille, qui sciens esse tales, vel scire debens, vtitur eis. Absolutio autem est Papalis, si infra 20. dies eas non destruit, aut resignat. Caiet. in verbo, *excommunicatio, casu* 27.

Subreptitias literas impetrans à Papa, an incurrat.

Dubitatur hîc; impetrans literas tales à Papa, tacita veritate, vel suggesta falsitate; siue hoc faciat impetrans scienter, siue ignoranter, etiam si talis veritas supprimatur, vel talis falsitas suggeratur, qua veritate manifestata, vel qua falsitate non suggesta, Papa literas illas non concederet, an sit excommunicatus? Ad quod respondetur, quod non est excommunicatus per d. cap. *ad falsariorum*, vt benè notant Ricc. *in* 4. *d.* 18. *art.* 12. 9. 3. Antonin. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 13. Sylu. verbo, *ex-*

Responsio.

communicatio 7.n. 8. excom.4. vers. *& secundò* Caiet. verbo,*excom.cap.26.*& Toletus *vbi supra.*Nec etiam ille, qui literis Apostolicis sub nomine alieno impetratis vtitur, vt præfati Doctores tradunt; licèt vterque magna pœna sit dignus. Quia quamuis sic impetrans, aut impetratis vtens falsarius sit, extendendo *falsarij* nomen, vt sumitur in cap. *dicenti.25.q.2.* verè tamen neuter falsarius est literarum Apostolicarum falsarum, sed verarum; quamuis falsa suggestione: vnde neuter excommunicatus est. Quia excommunicatio, quæ fertur in d. *cap.ad falsariorum*, solùm fertur super falsarios, qui literas Apostolicas impetrant, aut falsificant, aut literis Apostolicis falsis scienter vtuntur.

Immutatio modica in Papæ literis an faciat incurrere. Resp.

Interrogabis; An in excommunicationem hanc incidant, qui in literis Apostolicis aliquid modicum mutant, vel corrigunt? Respondeo, quòd Hostiensis *in summa lib.5.tit.de crimine falsi.§. qualiter committatur,vers.sed hodie*, docuit, talem excommunicatum esse excommunicatione lata in Curia (scilicet in Bulla cœnæ) & Papæ reseruata, qui in literis D. Papæ in magno, aut in modico audent manum imponere, etiam literam vnicam, vel punctum vnicum corrigendo. Exceptis Officialibus, quibus hoc est commissum: quod etiam docuerunt Panorm.*in cap.ex literis,de fide instrum.*& Sylu. verbo,*excom.7.num.8.excommunicatione 4. vers.corrigentes.*& Caiet.*eod.verbo,cap.26.in fine.* Alij tamen docent, & veriùs, non incidere in hanc excommunicationem, qui sic literas corrigeret, aut mutaret; ita vt non mutetur sensus, aut ex inualida fiat valida; aut ex valida magis valida reddatur, secùs autem si mutaret sensum; ita vt per mutationem

tionem appareat vtilior, quàm erat, aut vtilis, cùm non esset, vt v. g. si scriptum ibi fuerat, post triennium minimè valituris, & pro triennio poneretur, quinquennium, sic fieret vtilis, quæ ante erat inutilis, si illud iam triennium expirasset, aut saltem magis vtilis efficitur, si non expirasset. Vnde sic mutans, excommunicationem incurreret. Sic Ricc.*in 4.dist.18.art.12.q.4.* Anton. *3.p.tit.25.cap.16.* Angelica verbo,*excommunicatio 5. casu. 5.§. quarto, in fine.* Sayr. *hîc.* Nauarr. *in Man. cap.27.num.62.vers. sexta.* Tolet. *hîc.§.4.dub.3.*

Opinio autem Hostiensis tunc vera esse potuit; quia tunc in Bulla cœnæ Domini erant hæc verba; *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut literam,&c.* nunc autem verba hæc, maximè in hac Bulla Pauli Papæ V. ablata sunt: vbi nulla mentio est mutationis Bullæ, aut literarum Apostolicarum, aut supplicationum.

EXCOMMVNICAT. VII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, siue huius sanctæ sedis sententias, expressè, vel nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quàm alia quacumq; materia, & ipsam materiã, aliáque huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant, nécnõ illos, qui per se, vel alios de rebus statũ Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec-

non Hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt: illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, quibusuis personis, Principibus, Rebus publicis, per nos, & sedem prædictam hactenùs concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

EXPLICATIO.

Armorum nomine quæ veniant.

In hac excommunicatione *armorum* nomine intelliguntur omnia tam offensiua, quàm defensiua, principaliter ad pugnam facta. Nauar. *cap. 27. num. 63.*

Arma dans ex vrbanitate, seu ex bono fine, an incurrat.

Dubitatur; an dans ensem, equum, hastam, solùm in gratiam alicuius beneficij accepti, vel accipiendi ab aliquo prædictorum inimicorum excusetur à censura. Nauar. *vbi suprà, num. 63.* dicit excusari. Et qui mitteret arma infidelibus ad finem redimendi captiuos, qui aliter redimi non possunt, non incurrit. Sic Ioannes Andr. Hostiens. & Anchar. *in cap. significauit de Iudæis.* Vbi dicit Anchar. hoc fieri posse citra culpam: ergo vbi non adest culpa; non cadit excommunicatio, *cap. nemo, & cap. nullus. 11. q. 3.*

Excommunicatio hæc, etiam de iure communi habetur.

Notandum est autem, quòd hæc excommunicatio, & prohibitio aliàs etiam de iure communi facta est, vt in cap. *ita quorundam, de Iudæis,* vbi excommunicantur deferentes arma, ferrum, & lignamina Galearum ad Saracenos. In cap. *significauit, eod. tit.* ligantur omnes, qui merces prohibitas ad Saracenos deferunt, siue per nuntios mittunt. Et in cap. *ad liberandam, eodem tit.* præter alia specificantur, qui Saracenis vendunt triremes, vel naues,

naues, in quos eadem excommunicatio fertur; licèt non cum simili reseruatione.

Ex quibus Nauar. *num. 63.* concludit in hac prohibitione Bullæ contineri omnia in illis iuribus prohibita, & consequenter per hanc excommunicari omnes, qui per singula illa iura excommunicantur; quamuis non multiplicetur censura, sed addatur reseruatio. Ratio Nauar. est; quia in hac clausula non solùm excommunicantur, qui deferunt arma, sed etiam qui deferunt prohibita, & ita comprehendit omnia per qualibet iura alia prohibita. Suarez tenet in hac clausula non contineri: nisi deferentes arma siue offensiua, siue defensiua; quia non reperitur formaliter verbum illud, *prohibita.* Deinde post specificationem *armorum,* &c. verba maxima generalia sunt. Sed ad hoc respondeo, quòd in aliquibus Bullis reperitur formaliter verbum illud, *prohibita,* & secundùm illud, loquitur Nauarr. & quantùm ad reliqua, si cum illis impugnantur Christiani siue mediatè, siue immediatè, rectè hîc includuntur: quando verò essent res, quæ ad impugnationem non deseruirent; tunc licèt hîc non includantur: remanent nihilominùs cum eadem censura, quę in suis propriis decretis habetur.

Ferri nomine, an materia ipsa comprehendatur, ex qua ferrum fit.

Circa verbum illud, *ferrum,* Graffius ex Nauarr. ait, non tamen venam ferri, seu terram, ex qua ferrum conflatur: nisi intentio ad id sit specifica. Ratio esse potest; quia illa non est ferrum. Suarez verò ex Sylvest. verb. *excom.* 7. oppositum tenet; quia intentio illa non est necessaria, si res ipsa, quæ defertur, talis est, vt ea vti soleant infideles ad impugnandum Christianos, & in vniuersum, bellatores ad impugnandum alios: huiusmodi autem

tem est vena ferri æquè, ac ipsum ferrum; æquè, inquam, quoad vsum: nam vena non habet alium, quàm vt ex ea eruatur ferrum; licèt ad vsum belli non æquè immediatè deseruiat, quod nihil defert ad prohibitionem Bullæ, in qua & res, & materia earum prohibetur.

Ferri vena propriè ferrum est.

Adde venam ferri verè, ac propriè esse ferrum: non quidem ita purum, & mundum: sicut cùm igne purgatum est: verumtamen ferrum; sicut segetes triticum continent antequàm purgentur. Et si lata esset excommunicatio in deferentes triticum, comprehenderet sine dubio eos, qui segetes non purgatas deferrent. Sicut etiam prohibentur non solùm Triremes, & naues: verumetiam ligna, ex quibus talia conficiuntur.

Ampliatur prohibitio.

Denique hîc prohibetur quidquid ad bellicas actiones confert, seu ordinatur; siue sint proxima earum instrumenta, siue materia earum, siue animalia, aut res aliæ deferentes personas militum, vel arma, & res eorum, & omnia illa, quæ ad vsum talium rerum necessaria sunt.

Animaduersio ex Rebuffo.

Aduertit autem Rebuffus, non esse necessarium, vt actuale bellum gerant Turcæ, Saraceni, & Hæretici: sed satis est, quòd sint hostes ad hanc excommunicationem incurrendam, si ad eos deferantur ea, quæ in hac clausula formaliter prohibentur: nam si solùm deferuntur victualia, & similes merces eo tempore, quo non geritur bellum, tunc non peccatur contra hanc Bullam; quia nullo modo nec formali, nec interpretatiuo datur eis auxilium contra Christianos. Et ita sentiunt Panormit. & DD. *in capit. significauit. de Iudæis.*

In secunda verò parte huius clausulæ excommunicantur

municantur etiam, qui certiores faciunt inimicos Christianę religionis de statu Christianę Reipublicæ, in eius perniciem. Vbi quatuor puncta continentur, scilicet reuelare infidelibus, & hostibus secreta nociua Christianis, quæ videtur esse propria prohibitio huius Bullæ. Secundò, Concilium dare illis, quod etiam sub excommunicatione prohibitum fuerat *in cap. quòd olim, in cap. ad liberandum, de Iudæis.* Tertiò, item dare auxilium, vel fauorem, quod etiam in dictis Capitibus, & extrauagantibus continetur. Quartò, Vltima declaratur per illa verba, *seu quocũque alio ingenio subsidia impendunt, vel machinis, aut quibuslibet alijs: vel qui in piraticis Saracenorum nauibus pro cupiditate sua regimen, & curam gubernationis exercent.*

Certiores facientes inimicos hîc etiã comprehendũtur,

Verbum illud *Non obstantibus priuilegijs* hîc ponitur, vt dicit Syluester in verbo, *excommunicatio* 7. quia Ianuenses, & Veneti, quoad mercimonia, & victualia habent aliquam licentiam, sed modò per hanc Bullam derogatur, nisi expresè eis iterùm dicta licentia concedatur.

EXCOMMVNICAT. VIII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes dependunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

EXPLICATIO.

Hæc autem excommunicatio intelligenda est, si talis impeditio iniustè fiat: nam si aliquis Princeps, vel Respublica suo iure vtens, vel suæ vtilitati prospiciens, prohibet, ne triticum, vel aliquid simile ex his finibus extrahatur, vt Romam deportetur, non solùm non incurrit hanc censuram: verùm nec malè aget. Quod notauit Caietanus verbo *excommunicatio cap.* 19. quem sequitur Nauarrus *num.* 64.

EXCOMMVNICAT. IX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: nécnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel Nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audant perpetrare.

EXPLICATIO.

Sedis Apostolicæ nomine qui veniant.

Aduerte hîc, quòd nomine *sedis Apostolicæ*, non intelligitur Roma præcisè, sed Sedes, & Curia Apostolica, adeò vt oporteat, vt personæ hîc offensæ veniant ad sedem Apostolicam, aut ab illa recedant, aut in Curia, hoc est in loco, in quo degit Curia, morentur, immò morari debent in Curia, hoc est ratione, & intuitu negotiorum in Curia ex Caietan. verbo, *excommunicatio, cap.* 14. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 65. Tolet. *in expositione Bullæ,*

læ, §. 7. *dub.* 1. Vnde si non veniant, recedant, aut morentur ratione negotiorum agendorum in Curia, aut veniant Romam, aut ab ea recedant, & Curia sit alio loco extra Romam, non proteguntur hoc Canone, nec prædictas actiones exercentes contra illos, excommunicationem huius Canonis incurrunt. Et hoc circa venientes, aut recedentes.

Circa morantes verò in curia hoc non sufficit, sed necesse est, vt talia perpetrans, auctoritatiuè hoc faciat, hoc est, qui faciendo se iudicem, cùm non sit, interficit, mutilat, spoliat, capit, aut detinet. Sic Caietanus, quem sequitur Toletus *vbi suprà*, *dub.* 4.

EXCOMMVNICAT. X.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, & mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, vel fauorem.

EXPLICATIO.

Canon iste non respicit Papam, aut Curiam, sed vrbem Romam, vnde quamuis Papa cum Curia alibi esset, nihilominùs tamen ligaret offendentes euntes ad vrbem causa deuotionis. Tres igitur cõditiones habere debent personæ ad hoc, vt eas offendentes, excommunicationem hanc incurrant. Prima, vt sit Romipeta, seu peregrinus. Secunda, vt Romam veniat causa deuotionis,

Cõditiones eius, vt hæc excommunicatio incurratur.

nis, vel peregrinationis. Tertia, vt ad vrbem accedat, vel ab ea recedat, vel in ea moretur, vnde si quis talem offenderet, antequàm esset in accessu, vel post reditum, excommunicationem hanc non incurreret.

EXCOMMVNICAT. XI.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, & Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ legatos, vel Nũtios, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, seu Dominijs eijcientes, nécnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

EXPLICATIO.

Antequàm verba huius clausulæ explicem, videtur, quòd hæc excommunicatio superuacanea sit, quia in cap. *si quis suadente* 17. q. 4. excommunicantur, qui violentas manus in Ecclesiasticam personam iniiciunt, & excommunicationis eius absolutio Romano Pontifici est reseruata. Ergo hæc superfluere videtur. Sed respondetur, quòd clausula hæc vlteriùs respicit, quàm citatum cap. *si quis suadente:* tum quia caput hoc excommunicat persequentes prædictas personas Ecclesiasticas, & sic conantes, etsi manus non iniiciant, at verò cap. *si quis suadente*, solùm afficit iniicientes manus violentas, & sic conatus non sufficit, tum quòd ius illud generaliter loquitur, hoc verò speciatim, quod magis operatur: nam plus timetur, quod

quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter imperatur, vt dicitur in cap. *si aduersus. de hæret.* & in cap. *vnic. in fine de excess. prælat. in 6.*

Vt autem de dicto cap. *si quis suadente*, habeatur cognitio, sciendum, quòd hæc sunt verba canonis. *Si quis suadente diabolo, manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere (nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.*

Clericorum nomine qui veniant in hoc canone.

In hoc Canone, nomine *Clericorum* veniunt omnes constituti in alicuius ordinis gradu, etiam in prima tonsura. *argum. cap. clericos distinct. 21. & cap. cùm contingat. de ætate, & qualit.* Nomine verò, *Monachi*, intelliguntur omnes regulares mares, & fœminæ in religione approbata, etiam nouitij, & conuersi, & conuersæ, *cap. monachi. cap. parochianos. cap. de monialibus. cap. cum illorum de sent. excommunicationis.* Nauarrus *in Man. cap. 11. num. 79.* Sayrus *de censuris libro 3. cap. 26. num. 4.* Syluester verbo, *excommunicatio 6. num. 3.* & alij communiter.

Per *manus autem violentas* intelliguntur etiam pedes, brachia, & alia membra corporis, nominatur verò manus, quia est organum organorum, & aptius membrum ad percutiendum.

Mænus violentæ appellatione quid veniat.

Appellatione verò, *manus violentæ*, venit non solùm quæcunque percussio immediata, sed etiam quæ fit medio instrumento, cum tangente, vnde percutiens aliquem ex prædictis cum baculo, aut alia re excommunicatus est. Aliquãdo etiam sine manus iniectione incurritur hæc excommunicatio, vt cùm quis detinet Clericũ in publica custodia,

dia, vel priuata, vel in domo aliqua, vel ponens custodes, vt capiant eum, si de domo exierit, etiamsi non iniiciat in eum manus, excommunicatus est, ex quo liberè exire non potest sine strepitu, & sine erubescentia. Sic Angelica verbo, *excommunicatio* 5. *num.* 28. Sylu. *verbo eod. 6. num.* 5. vers. *secundo.* Caiet. *eod. verbo, cap.* 10. vers. *Primò,* & Nauarrus *cap.* 27. *num.* 77. vers. *Quinta.* Quod verum habet; quando fit à iudicibus sæcularibus: non autem ab Ecclesiasticis, etiam si detinerent Clericos alienæ diœcesis, & iurisdictionis. Quia cùm cap. *nuper de sent. excom.* constitutio pœnalis sit, & de iudicibus, & personis tantùm laïcis loquatur: non erit ad Ecclesiasticos iudices extendenda, si quis verò obsideret castrum, aut domum, propter illud castrum obtinendum, & non ad violentiam, aut iniuriam inferendam Clerico ibi existenti, non incideret in excommunicationem. *Sylu. vbi suprà.*

Præterea, qui Clericum puluere aspergeret, aut aqua, aut saliua, aut violentiam rebus sibi adhærentibus faceret, putà manus ad frænum equi, cui insidet, apponeret: aut per vestes detineret, ne liber discederet, aut vestes laceraret, quas habet indutas, aut equum, cui insidet Clericus, occideret, aut vulneraret, aut frænum frangeret, excommunicatus est, quia fit iniuria personæ. Secus autem si vestes, aut res illæ separatæ essent à persona, & equo, cui insidet. Sic etiam excommunicatus est, si aufert vi res aliquas de manibus Clerici, etiamsi fortè dominus, aut possessor rei sit is, qui eam aufert, sed commodauerat Clerico vsque ad certum tempus, quia ante finitum vsum non potest vi tollere ab eo. Antonin. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 1. *§. Tertiò notandum, ante finem.* Item qui persequitur Clericum furiosè, & Clericus fugiens cadit, & læditur, aut fugiens quasi coactus præcipitet se in aquam, vel alio periculo se obiiciat, vt euadat, excommunicationem incurrit, etiam si persequens talem non percusserit, ex Anton. *vbi suprà* & Angel. verbo, *excommunicatio* 5. *num.* 30.

Furto auferens bona in Clericis, hanc excõmunicationem nõ incurrit.

Bene verum est, quòd quia violentia distinguitur ab actibus subdolis, fraudulosis, & huiusmodi, ideò qui furto tolleret nummos ex loculo gestato à Clerico, aut si quis cingulum, quo actualiter cingeretur, furtiuè tolleret, etiam si præcisio interueniat, cùm præcisio illa non violenta, sed furtiua sit, non erit excommunicatus. Caiet. verbo, *excommunicatio cap.* 10. vers. *Nota secundò.* & Angel. verbo, *excommunicatio* 5. *num.* 29. quidquid contrarium sentiat Antonin. *vbi suprà cap.* 1. §. 3. Nec etiam incurrit hanc excommunicationem, qui procurat abortum Monialis aliqua potione, vel Phlebotomia, quia manus hæc, licèt sit violenta naturæ: non tamen est violenta personæ consentienti, nec est iniuriosa statui Ecclesiastico, ex Caiet. *vbi suprà.*

Mandantes etiam hic incurrunt.

Incurrit etiam non solùm qui manus violentas proprias iniicit, sed etiam qui mandat Clericum capi, aut cædi, in quo casu, si sequatur effectus, vterque scilicet tam mãdator, quàm mandatarius, excommunicatus est. *cap. mulieres §. vlt. de sent. excom.* Dixi, *si sequatur effectus,* quia si mandans, vel consulèns clericum percuti, posteà pœnituit, si mandatarius ante reuocationis notitiam percusserat, vterque excommunicatus est, si verò mandans, aut consulens re integra, hoc est, ante

antequàm mandatarius percussérat, mandatum, aut consilium reuocauerat, tunc quidem si reuocatio illa peruenerat, ad notitiam mandatarij, etiam si mandatarius Clericum posteà percusserit, mandans, aut consulens excommunicatus non erit, sicut nec excommunicationem incurrit mandans, aut consulens; si antequàm mandatarius percutiat, moriatur, quod intelligitur, si mandans in morte, vel anteà pœnituit, & mandatarius de eius morte certificatus fuerat, quia morte mandatoris soluitur mandatum gloss. *in cap. mulieres,* in verbo, *auctoritate.* & ibi Panormit. *de sent. excom.*

Ampliatur prohibitio. Prætereà excommunicatus erit, qui, licèt non mandet percuti; dicit tamen amicis suis, aut famulo suo, quòd vellet de Clerico tali, vel tali vindicari, secuta percussione: satis est enim, quòd credidit, aut credere debuit, quòd ex hoc illi facturi essent. Nau. *vbi supra, num.* 78. Imò ex Sylu. *verbo, excom. 6. num. 5.* vers. *quartò,* etiamsi verba illa non dixerit eo animo; quia prouidere debuit, ne illi hoc modo intelligerent, *arg. cap. fin. de homicid. in 6.* Et quod de mandante dictum est, etiam de eo, qui consulit, auxilium, fauorem, aut consensum præstat, intelligendum est.

Ampliatur prohibitio. Addo, quòd etiam ille, qui prohibere debens, & valens, si non obuiat, & protegit, ne verberetur, excommunicatus est, *cap. quãtæ, de sent. excom.* In aliis verò, qui non habent ex officio, si non prohibent dolosè; hoc est, quando ex intentione nolunt obuiare, cognoscentes se absque periculo, ac damno posse obuiare, etiam excommunicati sunt: sin verò hoc non faciunt dolosè; sed quia nolunt se immiscere rumoribus, vel ex timore,

more, etiam irrationabili; vel ex negligentia non prohibent; tenent communiter Doctores, quòd non sint excommunicati.

Ratam habens percussionem nomine suo, & eius contẽplatione factam incurrit. Denique qui nec percutit, nec mandat; sed ratam habet percussionem nomine suo factam: putà, cùm eius contemplatione famulus, aut amicus Clericum inimicum suum percusserit, & ille posteà ratam percussionem illã habeat, excommunicatus est; quia ratihabitio mandato comparatur. *reg. Ratihabitio, de reg. iur. in 6.* Debet tamen ratihabitio esse eius, in cuius gratiam percussio est facta, & qui mandare potuit: secùs si non sit facta percussio nomine eius; tunc enim licèt eam ratam habeat, non tamen est excommunicatus, quamuis peccet mortaliter, *cap. cùm quis,* & ibi Gloss. in verbo, *tuo nomine, de sent. excom.* Palud. *in 4. dist. 18. q. 3. art. 3.* Ricc. *ibid. art. 11. q. 5.* Hostiens. *in summa. lib. 5. tit. de sent. excom. num. 9.* vers. *secundo* Sylues. verbo, *excom. 6. num. 5.* vers. *Tertiò.* Caiet. *eod. verbo, cap. 10.* vers. *Primo.* Nauar. *in Man. cap. 27. n. 78.* & alij communiter.

Clericorum percussores aliquando non incurrunt. Sunt bene aliqui casus, in quibus percutiens Clericum non incidit in excommunicationem. Primò, percutiens Clericum incedentem in habitu laïcali, quem probabiliter ignorabat esse Clericum. Secundò, percutiens Clericum, qui contempto habitu Clericali fert arma, & tertiò monitus non emendatur. Tertiò, percutiens Clericum causa correctionis, vt pater, magister, &c. non est excommunicatus. Quartò, cùm quis vim vi incontinenti repellit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *cap. si verò 1. de sent. excom.* & procedit, etiamsi scienter, & deliberatè id faciat, quia iure naturæ inditum est se defendere.

Moderamen inculpatæ tutelæ.

Dicitur autẽ moderamen inculpatę tutelę; quando quis facit illud, sine quo aliter se vel alios, vel res suas defendere non potest, ex Bart. *in l. 1. C. vnde vi, & in l. furem. ff. ad legem Corneliam de sicariis*, quod considerari debet ad iudicium boni viri, cõsideratis circunstantiis; scilicet causa, vt fiat ad defensionem, & non ad vindictam: considerato etiam modo, qui enim inuaditur sine armis, non debet cum armis resistere: quod verum est regulariter. Considerato etiam tempore, debet enim incontinenti fieri, id est, dum actu impugnatur, quia si iniuria facta iam sit personæ, non est licitum percutere; quia non esset defensio, sed vindicta, quæ non est permissa singulis, sed iudici: nisi fortè timeretur geminata percussio, vnde non debet insequi percussus suum percussorem, ex quo non vult ampliùs percutere: si tamen quis violenter expelleret Clericum de domo sua, quam occupauerat, non valens eum aliter recuperare, non incurreret huius Canonis censuram, ex Innoc. *in cap. olim causam, de restitut. spol.*

Si quis autem verberans Clericum causa defensionis, aliqualiter excederet modum inculpatæ tutelæ, non ex proposito, & ex deliberatione, sed inaduertenter, & ex surreptione, non incidit in excommunicationem; quia ad eam incurrendam requiritur dolus, vt communiter tradunt Doctores.

An fugere valẽs, & nõ volens, si percutit sic, incurrat.

Petes; An si quis fugiendo euadere posset; non tamen fugit, & sic percutit inuasorem sui, aut rerum suarum, censuram huius Canonis incurrat? Respondetur, quòd quia fuga est quædam iniuria: si ex tali fuga esset fugienti confusio, licitè potest percutere; quia non arctatur licita hæc defensio

fensio ad casum, quo inuasus non potest aliter se, aut sua, aut alios saluare, sed rationabiliter etiam extenditur ad casum, in quo vituperabiliter fugiendo posset se saluare. Syluester verbo, *excom. 6. num. 6. not ab. 4. §. nonò, in fine.* Caiet. *eod. verb. cap. 10. §. nota sextò*, vers. *secundus.* Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 82.* vers. *decimaquinta.* Sayrus *lib. 3. de censur. cap. 27. num. 21.* Philiarcus, *lib. 3. de offic. sacerd. cap. 33. not ab. 3. cas. 12.*

Quintò, non incurrit excommunicationem percutiens Clericum, si inuenit eum cum vxore, matre, sorore, aut filia, & huiusmodi personis; secùs si cum alia persona, quæ non est ei propinqua. Doctores citati, *vbi suprà.* Sextò, quando mulier impetita est à Clerico de turpitudine, qui eam inuitam tangebat; si eum percutiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, zelo castitatis, non erit excommunicata; quia defensio talis iusta est, & quamuis aliquis excessus interueniret, excusatur. Idem videtur dicendum de puero à Clerico ad peccatum carnale prouocatum; si aliter euadere non pótest; quia pro defensione suæ pudicitiæ potest, non solùm eum percutere, verùm & occidere, cum moderamine tamen prædicto. *Doctores citati, & alij communiter.*

Eijcientes à suis territoriis etiam incurrunt.

Sed prosequamur modò explicationem huius clausulæ, in qua etiam habetur: *Aut eos à suis diœcesibus, territoriis, seu dominiis eiicientes.* Caueant hîc Principes, & Respublicæ.

Non sufficiunt minæ, sed opus perfectũ requiritur.

Benè verum est, quòd ad incurrendam hanc excommunicationem, non satis est, exilia comminari, donec opere compleantur, propter regulam illam, quòd actus debet esse consummatus.

Adde, quòd hæc excommunicatio afficit etiam

eos, qui hæc facienda mandant, vel rata habent, vel ad id auxilium, consilium, fauorémve præstant, vt habetur in Bulla. Quare iudices, qui cùm non possint Episcopos punire suis iussis obtemperantes, iubent eos è suis regnis exire, in excommunicationem hanc incidunt; imò & lictores iussa exequentes, & opem ad id ferentes, in pœnam hanc incidunt, vt dicit Nau. *in Man. cap. 27. num. 67. vers. quinta.*

Eiicit; Clericos legitimè, non incurrit.

Si quis verò legitimè ipsos eiicit, vel quòd de licentia Rom. Pontificis id facit, vel quòd graue scandalum, & periculum Reipublicæ timetur, nisi eiiciantur, & Romanus Pontifex consuli non potest, in hanc excommunicationem non incurrunt. *Vgolinus hîc.*

Rectè etiam aduertit hîc Nauar. quòd si hæ personæ compellantur exire à terra non sua, vt è Curia Regis, vel aliquid simile; non incurretur hæc censura, licèt aliàs peccetur, quod satis patet ex verbis clausulæ.

Denique additur extensio ad *mandantes, ratum habentes, & præstantes eis auxilium, consilium, & fauorem.* Vbi sciendum, quòd ratum habere, non est, vtcunque consentire, vel tale factum laudare, sed quando ipsius nomine factum est, & probatur: vel quando est mandatum virtuale, vt rectè Nauarrus hîc.

EXCOMMVNICAT. XII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia

Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorúmque gestores, aduocatos, procuratores, agentes, seu etiam auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

EXPLICATIO.

Ecclesiastica persona nomine qui veniant.

Aduertendum hîc, quòd nomine *Ecclesiasticæ personæ*, intelligitur illa, quæ aut per ordinis susceptionem, aut per Religionis ab Apostolica sede probatæ ingressum, se Deo obtulit, vt habetur in cap. *duo sunt genera hominum*, 12. q. 1. & *in cap. si quis suadente*, 17. q. 4. siue igitur Clerici sint, siue religiosi, Ecclesiasticæ personæ dicuntur. Sæcularis verò persona est illa, quæ neutrum prædictorum facit.

Excommunicationem hãc vt quis incurrat, duo requiruntur.

Ad hanc excommunicationem incurrendam duo requiruntur: vnum est, vt actiones hîc prohibitæ, aut aliqua vna illarum fiant contra dictas personas, non quacunque ex causa, & intuitu, sed occasione causarum, & negotiorum, quæ in ipsa Curia geruntur, vt notat Tolet. hîc.

Alterum est, vt per viam illicitam, & iniustam fiant eædem actiones contra easdem personas: vnde si quis intuitu negotiorum, vt impediat aduersarium contra se agentem, vel aduocatum, vel iudicem, vel alium aliquem ex personis supradictis, accuset criminaliter in iudicio de crimine

vero, & causam prosequatur vsque ad eius mortem, non incidit in huius Canonis excommunicationem: sin autem accusaret de crimine falso, aut probaret per falsos testes, sine dubio incideret. *Sayrus hîc.*

EXCOMMVNICAT. XIII.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quàm seculares cuiuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione liter. Apostol. etiam in forma Breuis, tàm gratiam, quàm iustitiam concernentium. Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à sede prædicta, seu legatis, nuncijs, præsidentibus Palatij nostri, & Cam. Apost. auditoribus, commissarijs, aliisque iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs ad curias seculares, & laïcam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci procuratore, vel aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut tabelliones, & notarij, super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis, & regnis eiiciunt, bonis spoliant,

spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè: quive aliàs, quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

EXPLICATIO.

Pro intelligentia huius clausulæ sciendum, quòd *appellatio friuola* dicitur illa, quæ imponitur sine legitima causa, vt quando quis appellat, vbi non est grauatus iniustè, & in hoc casu idem est dicere, *friuolam*, quòd vanam, & inanem, & sine iusta causa interpositam, quæ nullum poterit sortiri iuris effectum. Ita declarat Geminianus in cap. *cum appellationibus col. 2. vers. quæro quid importet. de appellat.* Et in tantùm lex odio habet friuolas appellationes, quòd non solùm indixerit pœnas contra appellantes, verùm etiam censetur fieri iniuria iudici à quo, quando friuolè appellatur, adeò quòd poterit iudex agere actione iniuriarũ, prout tenet Gloss. *in l. 51. in gloss. fin. C. quando prouoc. non est necess.* Gemin. *vbi supra, col. 2.* & Felin. *in cap. 2. col. 1. de appellat.* Gloss. 2. *in cap. si quis præpropera distinct. 50.* *Appellatio friuola quæ sit.*

Hoc supposito, Sayrus hîc tenet probabiliter, Papam solùm loqui hîc de appellationibus illis, quæ sunt friuolæ ex parte appellantis, & ex defectu sufficientis causæ id quod verba illa Bullæ, *Appellationes friuolas ex parte appellantis, & ex defe-*

Etiu sufficiẽtis causæ hic comprehendi, Sayrus docet.

Prætexentes friuolam quandam appellationem, significare videntur: vnde si quis ad necessariam sui defensionem contra iniuriam, quam certò cognoscit sibi illatam, & quam alia via depellere nequeat, nisi ad curias sæculares appellando, ad dictas curias appellet, non incideret in huius Bullæ censuram. Ratio Sayri est; quia non videtur esse summi Pontificis intentio, vt aliquo modo inferenti tam grauem iniuriam, & calumniam manifestam fauere velit. Quod quidem potest contingere, si manifestè constiterit, literas Apostolicas esse subreptitias. Exempli gratia; potest Pontifex iuri patronatus laïcorum derogare, vt per Gloss. *in Clem. 2. verb. Apostolis, de præbend.* Sed non censetur Pontifex derogare; nisi id expressè in literis habeatur per clausulam (*pro hac vice tantùm derogantes tali iuri patronatus laïcali*,) si ergo quis supplicaret Papæ, vt ei conferat tale ius patronatus, quod erat laïcale: id tamen Papæ non exposuit, & obtentis literis, vellet expedire Regium exequatur, posset regius Magistratus tales literas impedire, cùm manifestè appareat, eas esse subreptitias, dum non constat de derogatione, & interim Papæ hanc falsitatem notificare, *cap. si quando, de rescrip.* Couar. *lib. practicar. quæst. cap. 35. num. 6.*

Dixi supra, *& quam alia via depellere nequeat:* quia si aliquo modo huiusmodi grauamen, & iniuriam deuitare posset, vt verbi gratia, supplicando summo Pontifici, & exponendo ei causæ veritatem, & iustitam, appellando ad curias sæculares in censuram istam incideret.

Impedientes etiam, secundùm quid

Hîc etiam excommunicantur illi, qui non solùm simpliciter; sed illi etiam, qui secundùm quid impediunt, vt potè si permittere nolunt, vt prædicta executioni mandentur, nisi aut eorum beneplacitum, & consensus intercedat, aut examen, id est nisi ipsi suum consensum prius tribuerint, & beneplacitum, vel prædicta examinauerint; scilicet literas illas, citationes, & reliqua, vt habetur in verfic. *Vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine.* Quare Principes, qui nolunt in suis locis Clericos, qui beneficiũ à sede Apostolica obtinuerunt, possessionem eius accipere, & ingredi: nisi suum beneplacitum habeant, & consensum, in excommunicationem hanc incidunt, sicut notauit Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 123. vers. Vndecimo quæro. de constit.*

quid comprehendantur.

Quæ excommunicatio etiam afficit tum eos, qui simpliciter, & apertè prædicta impediunt, verùm etiam eos, qui de mandato alterius id faciunt, vt potè, dum mandant suis magistratibus, ne admittãt Clericos ad possessionem beneficiorum accipiendam in suis locis: si enim ipsis in hoc paruerint, in excommunicationem hanc incident: non enim in hoc parere ei tenentur: & mandans igitur, & mandatarius in excommunicationem incident. Immò quòd si quis ratam habuerit impeditionem hanc factam nomine suo ab aliquo, in excommunicationem hanc incidit, *arg. cap. cùm quis de sent. excom. in 6.* quia ratihabitio mandato comparatur, vt dicitur in cap. *ratihabitionem de reg. iur. in 6.* Atque sic respondit consultus Nauarrus *in consil. 57. de sent. excommunicationis lib. 5.* vbi & in vtroque foro locum id habere ait.

Incidunt etiam in hanc censuram, qui impediunt, prohibentve ne tabelliones, & notarij de his

his instrumenta faciant, vel acta, vt habetur in versic. *Aut ne tabelliones.* Et qui confecta de ipsis instrumenta, aut acta prohibent, ne parti tradantur, cuius interfunt, vt habetur in vers. Aut confecta parti, cuius interest, tradere. Et qui offendunt partes (vel actor, vel reus sit) qui prædicta scilicet monitoria, citationes, decreta, & alia prædicta facienda curarunt, vt habetur in versic. *Ac etiam partes.*

Excipiuntur qui alia de causa tales impediunt.

Excipitur tamen vbi ob aliam causam dictis modis prædictos offenderent, vt potè ob inimicitias ipsos interficiendo, vel ob auaritias ipsos spoliando, vel ob metum pestilentiæ eos à locis suis eiiciendo: nam Bulla ipsos excommunicat, vbi eos offendunt ob prædicta, scilicet vel citationes, vel monitoria, & alia prædicta: ergo aliàs secùs, quia inclusio vnius est exclusio alterius. *argum. l. cum prætor. ff. de iud. & cap. nónne, de præsumpt.* Et sic dicit Vgolinus, & Toletus hîc.

EXCOMMVNICAT. XIV.

Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes, & singulos, qui per se, vel per alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, aliisque iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorúmve, cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquàm iudices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum

ciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis, absolui, per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executori alium processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij., Vicecancellarij, Consiliarij, Ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principũ sæcularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

EXPLICATIO.

Actiones principales, quæ hîc prohibentur, quænam sint.

Pro intelligentia huius clausulæ animaduertendum, quòd actiones principales, quæ hîc exerceri prohibentur, sunt istæ: 1. Auocare causas spirituales à personis infra dicendis. 2. Impedire earundem causarum cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas prædictas prosequi volentes. 3. Interponere se tãquàm iudices de cognitione huiusmodi causarum. 4. Compellere partes actrices, quæ committi fecerunt huiusmodi causas, ad reuocandum, vel reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in huiusmodi causis decre

decretas. 5. Compellere eaſdem partes ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanauerunt, abſolui à cenſuris, & pœnis in illis contentis, aut ad conſentiendum eoſdem abſolui. 6. Impedire executionem literarum Apoſtolicarum, executorialium proceſſuum, & decretorum quomodolibet. Et hæ ſunt actiones principales. Acceſſoriæ verò ſunt, præſtare fauorem talia facientibus, præſtare conſilium, & præſtare aſſenſum.

Perſonæ, à quibus cauſæ prædictæ auocari prohibentur, ſunt, Auditores Curiæ Romanæ, Commiſſarij Apoſtolici, & alij iudices Eccleſiaſtici.

Comprehẽditur hîc, qui auctoritate iudiciaria id facit.

Benè verum eſt, quòd in hac clauſula ſolùm excommunicantur, qui auctoritate iudiciaria hoc faciunt, & prætextu literarum Apoſtolicarum. Vnde hæc clauſula vel ſupponit, tales literas, vel gratias Apoſtolicas nullas eſſe: ſed falsò confingi, aut certè eas reuocat, quæcunque illæ fuerint.

Declarãtur illa verba: Etiã prætextu violentiæ *prohibendæ.*

Hîc etiam habentur illa verba; *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ, &c.* Hîc enim eſt præcipuus titulus, ſub cuius ſpecie ſolent Principes, & eorum miniſtri nonnulla facere, quæ videntur huic diſpoſitioni contraria. Exiſtimant enim de iure naturæ licitum eſſe, defendere innocentem, & hoc præcipuè Principibus, & Magiſtratibus incumbere dicunt. Et certè ſi alia via defendendi innocentem non relinqueretur: non eſſet omninò abſurdum ſaltem dubitare, an ſæcularis Magiſtratus contra poteſtatem Eccleſiaſticam hoc facere poſſet. Cæterùm, cùm expreſsè per ſummum Pontificẽ in hoc ipſo canone, alia via ſe defendendi concedatur, ſcilicet per ſupplicationem, nulla

nulla mihi relinqui videtur occaſio non ſolùm contra ſentiendi, ſed neque dubitandi, adeò vt etiam poſt appellationẽ interpoſitam in tempore, & forma, non liceat perſonis prædictis executionem quarumcunque literarum Apoſtolicarum, ſub prætextu violentiæ prohibendæ impedire, quia in hoc caſu etiam per ſupplicationem prouideri poteſt. Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 70. verſ. ſecunda* dicit pro re indubitata in Hiſpaniis, & Galliis haberi, poſſe regulariter Reges defendere poſſidentes colorato titulo beneficia Eccleſiaſtica, ne abſque iuſta cauſæ cognitione deturbentur, vel ſpolientur virtute illarum literarum etiam Apoſtolicarum. Id quod, inquit, ita practicari ſolet communiter, addítque multos hanc opinionem defendere. Ipſe tamen Nauarrus aliud dicit, niſi difficulter eam poſſe probari iuri conformem eſſe, & propterea S. D. N. definitioni remittit, & idem facit Suarez. Sayrus hîc tam de opinione ipſa, quàm de praxi dicit, quòd ſi hactenùs perſonæ aliquæ bona fide id fecerint, in poſterum tamen meritò & de illorum opinione dubitare, & ab huiuſmodi praxi abſtinere debent, vt ſic meliùs conſcientiæ ſuæ prouideant. Vide Viualdum *hîc, n.* 101. vbi latè hoc tractat.

An ex negligẽtia ſuperiorum, Eccleſiaſticorũ iudex ſæcularis poſſit cauſas Eccleſiaſticas ad ſe auocare. Couarruuias affirmat.

Dubitatur hîc, An ſi Epiſcopi, & cæteri ordinarij, & his ſuperiores Antiſtites ſint negligentes in iudicandis huiuſmodi cauſis ad Eccleſiam pertinentibus, iudex ſæcularis iure poſſit eas ad ſe auocare.

Couarruuias, quẽ multi ſequuntur, tenet id fieri poſſe. Et probant primò, quia ſic Reſp. quietè, & omnis violẽtia propulſatur. Nã aliàs delicta impunita remanerẽt, & innocẽtes ab improbis vexarẽtur.

tur. Secundò, probant auctoritate cap. *filijs, vel nepotibus.* 16. *quæst.* 7. vbi habetur; Episcopis, & Archiepiscopis negligentibus punitionem eorum, qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, licèt patronis Ecclesiarum regem adire, vt illi malo medeatur.

Abbas, & alij negant.

Abbas verò in cap. *qualiter, & quando de iud. num.* 7. Innoc. Archid. Ioan. Andr. Panorm. *ibidem*, dicunt id iure fieri non posse. Quæ quidem sententia non est. Nec enim iura, & canones voluerunt, vt spirituales causæ ad profanos iudices deferantur, & deuoluantur. Nam in cap. *qualiter, & quando de iud.* Innoc. III. sic definiuit, Ne pro defectu iustitiæ Clerici deferantur ad iudicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus. Et idem constat ex cap. *si quis Clerici, & cap. placuit, c. Christianis, cap. Clerici* 11. *quæst.* 1. vnde ad argumenta fit satis.

Ad primum dico, non propterea sequi, vt impunita maneãt delicta, aut innocentes ab improbis hominibus opprimantur: nam si Episcopi negligenter se gesserint, præcipiunt canones, vt ad Archiepiscopos causæ deferantur, quòd si illi neglexerint, ad primates, & Patriarchas recurrant, & posteà ad Nuntios, & legatos, & ad summum Pontificem.

Ad secundum dicit Panorm. nihil obesse, quia solùm in cap. *qualiter, & quando* statuitur, vt Episcopo negligente, vel renitente, ad regem causa deferatur: non vt Rex ipse causam iudicet, sed vt moneat superiorẽ. Vel dicendum, & meliùs, quòd hoc ius fuit sublatum per Innoc. III. in cap. *qualiter, & quando supra allegato*: vt ipse quoque Abbas testatur, & gloss. quæ habetur in cap. illo, *filijs* & ideò meritò secundùm Abbatem reiicitur. Nec mirum

mirum esse debet: nam olim multa fuerunt permissa, & concessa, quæ posteà meritò sunt reuocata, mutata, & sublata.

Dubitatur etiam; An leges ciuiles statuentes, Pontifices posse eos, qui à iudicibus Ecclesiasticis per vim, & iniuriam censuris afficiuntur, excommunicatione v. g. interdicto, &c. sæculares Magistratus adire, vt vim propulsent, & edicto cogant iudices Ecclesiasticos ab ea vi, & iniuria desistere, sint contra immunitatem Ecclesiasticam? *Dubium.*

Affirmatiuè hoc tenet Couarr. *vbi suprà.* Tenet enim posse Principes condere huiusmodi leges, & eas esse iustas & probare conatur. Primò, quia nisi Principes hoc remedio vterentur aduersus iudices Ecclesiasticos, innocentes passim opprimerentur, & Episcopi, quoniam procul à Romana Curia distant, auctoritate sua sæpè abuterentur. Sed hoc inconueniens per huiusmodi leges tollitur, ergo. Secundò probatur, quia Principum est, *vt habetur in cap. Regum* 23. *q.* 5. ius cuique reddere, & per vim oppressos à manibus violentorum liberare, ergo. Tertiò probatur ex cap. *Principes, cap. administratores* 23. *quæst.* 5. in quibus habetur, Principes sæculi intra Ecclesiam eam potestatem habere, & superborum ceruices comprimant, & quod fieri non potest per iudices Ecclesiasticos, vel quia non possunt, vel quia negligunt id facere ab ipsis iuxta disciplinam Reipublicæ vtilem executioni mandetur. Quartò probatur, quia hic vsus est apud Gallos, & apud aliquos alios Principes ergo. *Respons.*

Alij verò sentiunt esse contra Canones, & iura, vt Principes, & iudices sæculares iudicent causas,

causas, & personas Ecclesiasticas, & ad sua tribunalia vocent, & pœnas in eas constituant: nam si clericus, vel Episcopus fuerit pœna dignus, debet condemnari, & puniri ab Ecclesiastico iudice secūdùm Canones. Clericus enim debet conueniri coram Episcopo: Episcopus coram Archiepiscopo, seu Metropolitano, vt determinat cap. *ad reprimendam de offic. ordin. cap. Sacro de sent. excommunic.* Archiepiscopus coram Primate, *cap. antiqua de priuilegijs.* Primas coram Rom. Pontif. vel legato. Cur ergo si Episcopus delinquat, defertur causa ad curiam Principum sæcularium, & non ad superiores designatos.

Propterea semtio, Magistratus Regios, & Principes sæculares non posse cognoscere causas Ecclesiasticas, etiam quòd Ecclesiastici iudices vel nequeant, vel negligant, quia reperiuntur etiam in Prouincia iudices competentes Ecclesiastici, vt sunt Archiepiscopi, & Primates, cùm sint Pontificis legati.

Argumenta, & rationes oppositæ non cogunt, vt patet intuenti, cùm iura canonica sint in contrarium, quibus standum est. Quare vsus forensis, quem probat Couarr. mihi non probatur, imò videtur contra Canones, & iura, & nullo modo defendi potest, cùm Canones prohibeant, ne etiam Imperatores, Reges, & Principes de Clericis, & causis spiritualibus, & Ecclesiasticis cognoscant, & iudicent: non pugnat cum Sacris Canonibus, vt ab Ecclesiasticis iudicibus ad ciuiles, & sæculares iudices appelletur, ita colligitur ex cap. *qualiter, & quando de iudic. cap. si qui clerici cap. placuit cap. Christianis cap. clericum* 11. *quæst.* 1.

Sed dices, In aliquibus Prouinciis esse receptum

ptum consuetudine, quòd laïci de certis Ecclesiasticorum criminibus, & causis iudicent, & corrigant. Respondeo, hanc consuetudinem canones corruptelam appellant: nam nunquàm potest venire in præscriptionem, vt laïcus iudicet causas, & personas Ecclesiasticas, & ita non erit satis, etiamsi consuetudo sit temporis diuturnitate firmata, cuius initium non appareat; quoniam, vt docet Ioan. Andreas *in cap. 2. de præbendis, in 6.* & Abbas *cap. quanto, de consuetud.* consuetudo longi temporis decursu munita, cuius initium in hominum memoria non est, dat quidem ius ei, qui capax est potestatis, vt habetur cap. 1. *de præscrip. in 6.* sed non dat ius ei, qui capax non est iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Consuetudo circa hoc corruptela est, & tollenda.

Petes; An potestas, quæ à summo Pontifice datur suis Nunciis, & Legatis, à Regibus, & suis magistratibus discuti iure possit? Apud Couarruuiam nulla est difficultas de hac re: ipse enim in loco *vbi sup. num.* 4. Dicit, huiusmodi consuetudinem esse in aliquibus regnis, & defendit esse iuri congruentem; ne, inquit, hîc aliqua auctoritate vtatur cum detrimēto suorum subditorum, & Regnorum; cùm externi sæpe ignorent, quæ sint priuilegia Regni, & prouinciarum.

Summi Pōtificis potestas nunciis data, an ab Officialibus discuti debeat. Couarruuias affirmat.

Verùm ratio hæc Couarruuias ad summum tantùm probat, Nunciorum, & Legatorum potestatem discuti debere per iudices Ecclesiasticos, qui in regnis commorantur: quales sunt Episcopi, Archiepiscopi, & propterea huiusmodi consuetudinem, quam refert Couarruuias, esse contra iura, & canones, vt suprà demonstratum est. Nihilominùs ex commissione Papæ exhiberi debent literæ Apostolicæ Legatorum, & Nuncio-

Couarruuias reiicitur.

rum Regibus, & Principibus, vt eis innoteſcat legitima legatio. Neque enim videtur eſſe Pontificis mens, vt aſſerenti ſe eſſe Legatum, vel Nuncium Apoſtolicum ſtatim credatur: niſi literas Apoſtolicas ſuæ legationis, ſuarúmque facultatum oſtendat, vt colligitur ex cap. *nobiliſſimus, diſt.* 97. & docent Speculator, & Anton. quos refert Andreas Gamborus in tract. *de offic. & poteſtate legati lib.* 1. §. *qualiter legatus gerere ſe debet, cùm prouinciam eſt ingreſſus, num.* 3. & olim Legati Imperatoribus miſſi literas oſtendebant ex *lib.* 1. *Cod. de mand. Princip.*

EXCOMMVNICAT. XV.

Quiue ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia Eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Iuris canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæſito colore. Necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere, vel in ſpecie ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, vel ordinatis vſi fuerint, vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ ſedis, ac quarumcunque Eccleſiarum iuribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

EXPLI

EXPLICATIO.

Excommunicatio hæc duas perſonas cõtinet.

Hæc clauſula continet duas partes. In prima enim fulminatur excommunicatio aduerſus illos, qui perſonas Eccleſiaſticas, cap. conu. & coll. Eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum tribunal, &c. trahunt, &c. præter iuris canonici diſpoſitionem. Per quæ vltima verba, vt notat Nauarrus hîc, *num.* 70. verſ. *Tertia, &c.* excluduntur ab hac cenſura, qui laïca poteſtate perſonas Eccleſiaſticas in caſibus à iure permiſſis ad ſua tribunalia trahunt. Caſus autem in iure permiſſi ſunt iſti. Primus, in cauſa feudi, vt colligitur ex cap. *cæterum, de iudic.* Secundus, quando perſona Eccleſiaſtica eſt incorrigibilis, *cap. nec licuit, diſt.* 22. Quod tamen intelligi debet ſolùm, vel quando traditur brachio ſæculari: vel quando non poteſt vllo modo per Eccleſiaſticam poteſtatem cohiberi, accepta tamen priùs licentia ab Eccleſiaſtico ſuperiore, cuius eſt iudicare; an incorrigibilis, necne ſit. Tertius, in cauſa reconuentionis, de qua habetur in cap. *accuſatores*, verſ. *cuius in agendo*, & ibi Gloſſ. in verbo, *iudicem.* 3. *q.* 8. & *cap. prudentiam, de mut. petit.* Quartus, quando vel laïco delegatur per ſummum Pontificem: *argum. cap. illud.* 10. *q.* 3. vel quando Clericus ſecundùm iura perdit priuilegium Clericale.

Declaratio verborum clauſulæ.

Verba autem illa, *trahi faciunt, aut procurant*, coniungi debent cum illis primis verbis canonis, *ex eorum prætenſo officio.* Vnde ſolùm comprehendunt eos, qui auctoritatiuè faciunt, aut trahunt, aut procurant trahi: adeò vt ipſamet pars, quæ hoc procuraret, non incideret in hanc cenſuram. Immò etiam nec ipſimet iudices, nec miniſtri iuſtitiæ,

ſtitiæ, ſi amicabiliter partes inducerent, vt iudicio laïco ſe ſubmittant, pœnam huius canonis incurrerent; cùm hoc nullo modo ſit trahere, vt verba ipſa ſonare videntur. Quamuis, cùm hoc in præiudicium Eccleſiaſticæ libertatis redundare videatur, cui præiudicare pars, ſeu perſona particularis non debet, huiuſmodi laïco iudicio ſine ſuperioris conſenſu ſe ſubmittere aut non poteſt, aut non debet: aliàs meritò puniendus eſt.

Libertas Eccleſiaſtica à quo conceſſa.

Altera pars huius clauſulæ eſt ibi: *Necnon qui ſtatuta, &c. vnde libertas Eccleſiaſtica, &c.* Hæc libertas Eccleſiaſtica eſt conceſſa à Deo, à Romano Pontifice, & ab Imperatore, vt dicit Innoc. *in cap. nouit. de ſent. excom.* quem Doctores ibi communiter ſequuntur, & Bald. *in ſua Margarita*, in verb. *Eccleſia*, vbi multa ad rem hanc dicit, & Caiet. *in ſumma*. verbo, *excom. cap.* 31. verſ. *quinto not.* & Nau. *in Man. cap.* 27. *num.* 119. verſ. *Quinta, quòd libertas Eccleſiaſtica.*

Eccleſia ſola res Eccleſiaſticas adminiſtrat.

Hæc autem priuilegia à Deo conceſſa ſunt, ex S. Antonin. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 17. & Tab. verbo, *excom.* 5. *caſu* 20. Quòd decimæ, & primitiæ ad Clericos ſpectent, *cap. reuertimini*, 16. *q.* 1. Quòd Eccleſia ſola res Eccleſiaſticas adminiſtrat. *cap. ſi Imperator, diſt.* 96. Item quòd Eccleſia de ſpiritualibus ius condere, & iudicare poteſt, *cap. denique, cap. cùm ad verum, diſt.* 96. *& cap. bene quidem, ead. diſt.* & multa alia ſimilia priuilegia, quæ ſunt conceſſa Eccleſiæ à Deo.

A Papa etiam conceſſa ſunt priuilegia Clericis, vt qui iniicit manus violentas in Clericos, ſit excommunicatus, 17. *q.* 4. *c. ſi quis ſuadente.* Quòd coram iudice ſæculari nequeant conueniri, *cap. ſi diligenti. de foro competenti, & cap.* 2. *de foro comp. in* 6. *&*

cap. vnico, de cler. coniug. in 6. Item quòd in legatis ad pias cauſas duo teſtes ſufficiant, *cap. relatum, de teſtam. & multa alia priuilegia, quæ in iure Canonico habentur.*

Impp. multa priuilegia Eccleſiaſticis dederunt.

Ab Imperatoribus etiam multa priuilegia conceſſa ſunt, quæ ſunt ſparſa in iure ciuili, vt v.g. quòd nullus iudicet perſonas Eccleſiaſticas, vel clericos, niſi ſui prælati. Quod quilibet liberè donare poteſt Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis, *lib.* 1. *& l. illud, & l. fin. C. de Sacroſanctis Eccleſiis.* Quòd ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam nulla ſint, *l. caſſa. C. de Sacroſ. Eccl.* & ſimilia. Quando ergo fiunt ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, hæc cenſura incurritur.

Libertati Eccleſiaſticæ quando quis aduerſetur.

Verùm quando id fiat, Doctores non loquuntur eodem modo. Bartolus *in l. caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſ.* ait, ea eſſe contra libertatem Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum, per quæ ipſæ reddunturtimidæ, & laïci magis audaces: *arg. in l.* 1. §. *quæ onerãde. ff. quarum rerum act. non detur*, & hanc opinionem ſequitur Abbas in cit. cap. *nouerit, n.* 2. verſ. *ſed Bart. de ſent. excom.* Felinus fuit in alia ſententia in eod. cap. *in fine*: nam, inquit ibi, ſtatutum illud eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, per quod prohibetur perſonis Eccleſiaſticis illud, quod de iure Diuino, & humano non erat illis prohibitum. Et hoc ob eam rationem; quoniam libertas eſt naturalis facultas faciendi quod alicui libet, niſi iure prohibeatur, vt dicitur in *l. libertas, ff. de ſtat. hom.* Innocentius in cap. *nouerit, vbi ſupr. num.* 2. ſentit, contra libertatem Eccleſiaſticam eum facere, qui venit contra priuilegium Dei, vel Imperatoris ſuper temporalibus, vel Papæ ſuper ſpiritualibus, modò priuilegia illa conceſſa

Ecclesiæ vniuersali sint, & cum hac opinione transeunt Doctores Canonistæ, vt ait Abbas ibi, *num.2.*vers.*sed quæro.* Quæ sententia sic debet interpretari, vt contra libertatem Ecclesiasticam fiat primò, ac per se; vbi Ecclesiasticæ personæ impediuntur, & Ecclesiæ, quò minùs vtantur priuilegiis tàm à Deo, quàm ab homine generaliter ipsis condonatis: nam si libertas Ecclesiastica in illis priuilegiis continetur, vt suprà vidimus: ergo vbi contra ea priuilegia fit, contra libertatem Ecclesiasticam fieri dicemus. Quare statuta, quibus cauetur, vt vectigalia, portoriáve soluant, contra libertatem Ecclesiasticã sunt: nam priuilegium concessum est, ne ad hæc præstanda obligentur, vt habetur in cap. 1. *& in cap. clericis, de immunit. Eccles.in 6. & in cap. quanquam,de cens. eod. lib.* Statutum itidem, quo cauetur, vt Clericus coram iudice laïco conueniatur, contra eandem libertatem est: nam ex priuilegio coram Ecclesiastico iudice tantùm conueniri potest, vt habetur in cap. *si diligenti,de foro comp.*Statutum similiter,quo cauetur, vt confugientes ad Ecclesiam inde extrahantur, contra eandem libertatem est ob cap. *inter alia,de immunit.Eccles.* sicut etiam statuta, quibus cauetur, vt sæcularia iudicia in Ecclesiis exerceantur, contra cap. *cum Ecclesia, de immunit. Eccles. in antiq. & in capit. decet.eod.tit.in 6.* cum multis aliis,quæ refert Socin.sen. *in citat.cap. nouerit,num.5.*vers.*Breuiter,de sent.excom.*

Sunt qui dicant, si quis facit contra priuilegia particularia huius, vel illius Ecclesiæ, quòd non incurrit hanc censuram; quia conditor talis statuti non violaret Ecclesiasticam libertatem; sed particularis personæ, & Religionis priuilegium, quod

quod hac censura non punitur, sic videtur dicere Sylu.verbo,*Immunitas 2.num.1.*Caiet.verbo,*excom. cap.71.*sed hæc opinio in alio tempore poterat defendi.

Nunc autem obstant verba huius Bullæ, quæ in hac clausula dicunt, *Aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè; tacitè, vel expressè præiudicatur.* Ponderentur hæc vltima verba, *quarumcunque Ecclesiarum.*Ergo non solùm læditur libertas, quando fit contra priuilegia Ecclesiæ concessa in communi: verùm etiam quando fit contra priuilegia cuiuscunque particularis Ecclesiæ; quod est notandum in hac Bulla.

Extenditur libertas etiã ad res particularium Ecclesiarum pertinentes.

Et hæc excommunicatio afficit non solùm laïcos huiusmodi statuta facientes, verùm etiam & Clericos ob easdem rationes: imò magis ipsi puniendi videntur, qui contra Ecclesiam veniunt, quam maximè fauere deberent: *arg.cap.fin.de postulan.*Quare vel Cardinales sunt, vel Patriarchæ, vel Archiepiscopi, vel Episcopi; inferioréve alij Ecclesiæ præsides pœnam hanc non euadent, vt sentit Nauar.Socin.sen. *vbi supra*, vers. *sed circa hoc dubitatur.*

Excommunicatio hæc afficit laïcos & clericos, cõtra libertẽ facientes.

Nec valet excusatio, si aliquando statuta hæc fiant contra Ecclesiasticas personas, quæ excommunicatæ, interdictæ, suspensæve sunt: nam nihilominùs in excommunicationem hanc incidunt: tum quòd restringitur libertas Ecclesiastica, vt per se patet; quod est contra Bullam hanc; tum quòd censuris irretiti sua priuilegia non amittunt, vt probat Vgol.*in tract.de censuris.cap.13. §.15.num.7.Tabul.1.*

Statutū cōtra libertatem Ecclesiasticam quando fiat.

Ponderat benè Caietanus, tunc statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam; quando per se, & ex intentione attingit libertatem Ecclesiasticam, eámque lædit. Quod intelligitur non de intentione ferentis statutum; sed de intentione ipsius operis, (vt sic dicam) seu ex virtute, & directa materia ipsius statuti. Nam si hæc sit, vt per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque harum exemptionem diminuat, licèt ipse legislator directè intendat detrimentum aliquod, quod per accidens potest inde resultare in Ecclesiasticas personas, & peccet; non tamen aget contra hanc prohibitionem, & censuram; quia statutum ipsum ex se non est contra libertatem Ecclesiasticam, & ea, quæ sunt per accidens, non considerantur. Et è conuerso, si statutum ipsum sit per se repugnans libertati Ecclesiasticæ; quamuis statutarius speciali intentione non intendat libertatem Ecclesiasticam mouere, sed aliquod temporale commodum suum, nihilominùs in hanc censuram incurreret; quia opere ipso voluntariè agit contra hanc prohibitionem.

Statutum cōtra libertatem Ecclesiasticam multis modis dignoscitur.

Non est autem difficile iudicare quando statutum per se, & directè sit contra libertatem Ecclesiasticam. Id enim ex materia ipsius statuti facilè percipi potest: nam dupliciter id potest contingere: primò, si materia ipsa sit contraria iuri Ecclesiastico, vt v. g. si statutum sit, quòd decimæ non soluantur, vel aliquid simile. Secundò, si lex ipsa quasi in actu exercito repugnet libertati Ecclesiasticæ, nimirum quia licèt materia eius non sit directè illi contraria, possitque ab Ecclesiastico Prælato iustè suis subditis imponi: tamen quòd imponatur à sæculari potestate, est contra libertatem

libertatem Ecclesiasticā, vt quòd Sacerdotes tali vestitu vtantur, vel aliquid simile, vt est videre in cap. *grauem de sent. excom.* At verò quando statutum non est ita per se, & directè contra libertatem Ecclesiasticam, ex accidente tamen, & consecutione quadam videtur illam lædere, tunc ait Caietanus, non esse talem legem contra hanc prohibitionem.

Limitatio.

Quod quidem dictum cum duplici limitatione intelligendum est. Prima, vt tale statutum non solùm versetur directè circa spiritualia, verùm etiam nec circa spiritualibus annexa: nam hoc etiam esset contra Ecclesiasticam libertatem, vt expressè dicitur in cap. *vlt. de reb. Eccles. non alien.* & rectè tractat Panorm. *in prima par. cons.* 26. Secunda, vt illud detrimentum, quod per accidens sequi dicitur, non sit ita coniunctum, vt moraliter existimari possit sequi per se. Exemplum sumi potest ex cap. *vlt. de immunit. Eccles. in 6.* vbi excōmunicantur temporales domini, qui suis subditis prohibent, ne Clericis consueta obsequia exhibeant, id est, ne eis quidquam vendant, aut panem coquant, & similia, cùm talia, inquit, in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur.

Statutum ne quis vēdat personæ non existēti de iurisdictione dominorum statuentiū an sit cōtra libertatem.

Dubitatur hîc; An si fiat statutum à Principe, ne quis vendat, vel donec rem immobilem aliquibus non existentibus de iurisdictione dominorum statuentium, vel non subeuntibus onera communia, vel dominorum, & irritatur venditio, vel donatio, & pœna imponitur; an inquam, tale statutum sit contra libertatem Ecclesiasticam? Respondetur quòd non, & sic statuentes non incurrunt hanc Bullam, quamuis incurrant

Respons.

in aliam Papalem, quæ non est reseruata, vt in cap. *eos de immun. Eccles. in 6.* Ratio est, quia tale statutum ex se non est contra libertatem Ecclesiasticam, sed contra societatem vitæ humanæ, ita Nauarrus hîc *num.* 119. & 130. Potest tamen Episcopus in hoc casu cogere potestatem, vel statuentes, vt declarent illud non debere extendi ad Clericos, cùm ex eo Clerici efficiantur tepidiores. Ita Lapus *in sua allegat.* 30. *in 2. conclus.* Bald. *in Auth. statuimus. C. de Episc. & clericis.*

Immò si statutum est aliquid contra Ecclesiasticam libertatem, vel contra ius diuinum, si hoc notorium sit, superior potest id tollere, vel tolli, & non obseruari mandare sine aliqua citatione, & decernere, illud non tenere, & cassare, facit ad hoc *ff. de seru. fug. l. diuus. ff. de offic. proconsul. l. fin.* ita Archidiacon. in cap. *quæ Lotharius* 2. *q.* 1. vbi inquit, quod hoc potest fieri absque solenni prolatione sententiæ in scriptis, quia in notoriis non est necessaria sententia in scriptis, & solenniter proferenda. Immò secundùm Geminianum ibi, nec citatio, vbi tantum sufficit inhibitio, vel ordinatio.

Ad hanc censuram incurrendã quæ requirantur.

Ad incurrendum igitur hanc censuram requiritur, primò, vt violatio libertatis Ecclesiasticæ, fiat per viam statutorum, pragmaticarum, vel edictorum, vel per consuetudinem contrariam. Caietan. verbo, *excommunicatio casu* 31. Secundò, vt disponit statutum contra priuilegia Ecclesiasticis personis concessa, & de his in statuto fiat specialis mentio, aliàs si nulla de Ecclesiasticis personis fieret mentio, non diceretur violata Ecclesiastica libertas. Ita colligitur ex Franco. *in d. cap. eos* 7. *quæst.* 2. Tertiò, vt dictum statutum sit factum animo derogandi prædictæ libertati. Si verò statuatur, ne in funeralibus, vel in primis Missis, vel nuptiis extra modum non offeratur, neque fiant immoderata conuiuia, vel sumptus cœnæ, tale statutum non est contra libertatem Ecclesiasticam, vt vult Caiet. *in d. casu* 31. Ratio est, quia talia statuta concernunt propriè pompas mundanas, non autem cultum diuinum, vt inquit Panormitanus *in cap. fin. de rebus Ecclesiast. non alien.*

EXCOMMVNICAT. XVI.

Nécnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliósque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nécnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quominùs sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur secundùm quod Canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicum eludentes, ad Cancellarias, & alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hoc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

EXPLI

EXPLICATIO.

Circa hanc excommunicationem hæc duo notanda sunt. Primum est, quòd cùm in Concilio Tridentino variis in locis concedatur ordinario potestas procedendi tanquàm Delegato Apostolicò, vbi etiam in aliquibus potestas illa delegata, Ordinario ex iure antiquo tanquàm ordinaria competebat; ideò mihi valdè probabile est, potestatem hanc prioris huius excommunicationis partis protectione gaudere. Per hoc enim, quòd Concilium concedit, vt tanquàm delegatus Apostolicus procedat, potestas illorum ordinaria nó tollitur, sed potiùs confirmatur, & corroboratur, vt sic euidentiùs omne impedimentum, quominùs iurisdictione sua ordinaria vtantur, auferatur.

Per Concilium Trid. potestas ordinariorum roboratur.

Secundum est, quòd si aliquibus in locis Episcopi ipsi ad tribunalia sæcularia per sententiarum suarum, aut decretorum confirmatione recurrant, tunc quidem etiamsi partes contra eosdem Episcopos ad eadem tribunalia recurrant pro decretis illis tollendis, aut infirmandis, in huius Canonis censuram non incurrent, quia tunc non pars est, quæ iurisdictionem Episcopi impedit, sed ipsemet Episcopus, à quo pars ad tribunal sæculare deducta, coram illo se legitimè defendit: Cùm etiam ex communi Doctorum sententia, à quouis etiam tyranno iustitiam accipere liceat, & hoc maximè, cùm Episcopus ipse ad illud tribunal partem vocauerit, tunc enim absque dubio Episcopum ipsum coram eodem tribunali, parti reconuenire licebit, *argum. capite prudentiam de mutuis petit. & cap. accusatores. §. cuius in agendo 3. quæstio 8.*

Dubitatur primò, An ex longa consuetudine laïci in Clericos potestatem habeant? Resp. quòd circa hoc duæ sunt opiniones. Vna est Nauarri *in Manual. cap. 27. n. 70.* Couarr. *practic. qq. cap. 35. num. 5.* & aliorum recentiorum, qui experientia facti dicunt, à iudicibus regiis Clericorum causas ad sua tribunalia sæpè fuisse reuocatas, & hoc rectè factum probant ex text. in cap. *filijs, & nepotibus. 16. q. 6.* qui iubet, si Metropolitanus deperdat bona Ecclesiæ, debere hoc Regi denunciari, ergo, inquiunt, vt eum corrigat, & pœna afficiat. Ad hoc respondeo, textum illum minus voluisse hoc inferre, sed bene denunciari regi iubet illum Metropolitanum, vt Rex ipsum vel reprehendat, vel faciat instantiam alteri superiori pro illius correctione. Quibus dictis suffragatur quotidie Rota Romæ, quæ definit, laïcorum huiusmodi ius in Clericos nihil de iure posse, immò pugnare cum sacris sanctionibus: quoniam Concilia, & Pontifices interdicunt expressè laïcis, ne clericorum causas ad sua tribunalia reuocare audeant, vt in hoc Paragrapho Bullæ. Vnde nec Episcopi licentia potest illis hanc auctoritatem communicare, vt notat Panormit. *num. 5.* Immol. *num. 3.* Ioan. Andr. *num. 11. in cap. significasti de foro comp.*

Ex longa consuetudine laici in clericos potestatẽ habent secundùm aliquos.

Altera sententia est negatiua, & vera, laïcos vi consuetudinis nullam habere auctoritatẽ, & ius in Clericos, ita Deci. *num. 88. cons. 150. num. 4.* Bald. *in cap. clerici.* Felin. *cap. 2. sub num. 3.* Ioannes Andreas *num. 6.* Franc. *num. 10.* Panormit. *in cap. quisquis de foro compet.* Hæc sententia probatur ex

Negatiua sententia verior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex cap. *clerici de iud.* in quo ſtatuitur, longam conſuetudinem non poſſe præiudicare ſacris ordinationibus, in quibus tollitur omnis poteſtas laïcis cogendi Clericos ad tribunalia ſæcularium. Secundò probatur ex cap. *qualiter, & quando de iud.* in quo vetitum eſt, nè laïci Clericos ad ſua tribunalia conuenire nullo modo poſſint. Tertiò probatur, quia alioquin talis conſuetudo tolleret libertatem Eccleſiaſticã, quod ſpeciatim notat Bal. *in cap. Clerici.* Panorm. *num.* 6. Innoc. *in cap. nouerit de ſent. excom.* Bart. & Bald. *in alia inſtitutione Feder. caſſa, & irrita C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Et ſic tenendum eſt.

Excommunicatio hæc quos comprehendat.

Hîc ergo excommunicantur impedientes iuriſdictionem ordinarij, recurrentes ad ſæcularia tribunalia, etiam ad cancellarias contra decreta, vel ſententias Ordinariorum. Procurantes prohibitiones, vel etiam mandata pœnalia contra ſententias ordinariorum, concedentes, & decernentes talia, & exequentes huiuſmodi mandata pœnalia. Hæ ſunt perſonę principales. Acceſſorię verò ſunt, conſilium, auxilium, fauorem, & patrocinium præſtantes. Hæ tamen non incurrunt, niſi effectu ſecuto.

Hortatoriæ hîc non comprehenduntur, niſi ex his deueniretur ad literas comminatorias, vt probatur ibi in textu, *prohibitiones, vel mandata etiam pœnalia.* Eſt autẽ hortatoria litera amicabilis, ſi Epiſcopus aliquid cõtra laïcum impertinenter faciens, ab officialibus ſæcularibus hortatur, vt deſiſtat à faciendo talia. Quòd ſi Epiſcopus talibus hortatoriis obedire nollet, non debet laïcus impetrare mandata pœnalia contra Epiſcopum: quia ſtatim incideret in Bullã, ſed procedat cõtra eum

eum in Curia Romana coram Congregatione Cardinalium, & ita abſque animæ interitu habebit intentum.

In delictis mixtis an impediatur iuriſdictio Ordinarij.

Dubitatur ſecundò de delictis mixtis; An in ipſis impediatur iuriſdictio ordinarij. Pro intelligentia huius ſciendum eſt, quòd delicta alia ſunt merè Eccleſiaſtica, alia merè ſæcularia; & alia communia, ſeu mixta. Merè Eccleſiaſtica ſunt illa, quorum cognitio iudicibus Eccleſiaſticis tantummodò eſt reſeruata, etiamſi delicta commiſſa ſint per laïcos, vt eſt crimen hæreſis, ſimoniæ, *&c.* Merè ſæcularia ſunt ea, de quibus, ſi à laïcis committitur, ſoli iudices ſæculares cognoſcunt, vt eſt homicidium, furtum, *&c.* Communia, ſeu mixta ſunt ea, de quibus, ſi à laïcis committantur, vterque iudex cognoſcere poteſt, vt eſt crimen vſurarium. Decius *conſil.* 170. *num.* 3. ſacrilegium, ſortilegium, Abbas *in cap.* 1. *num.* 3. *&* 4. *de ſortileg.* adulterium, Abbas *in cap. intelleximus, num.* 1. *de adult.* concubinatus, crimen ſodomiæ, vt intelligitur ex textu *in cap. clerici de exceſſ. prælatorum* & latè de his Iulius Clar. *in ſua praxi. q.* 37. §. *fin.*

Præuentioni non datur locus in hoc caſu.

His præmiſſis dico, quòd de iure communi dabatur locus præuentioni in mixtis, ſed in Regno propter multas Bullas Pontificias, præſertim Honorij III. & antiquiſſimam conſuetudinem, nõ datur locus præuentioni, ſed Ordinarij, quando delictum eſt notorium, poſſunt procedere contra delinquentes quoad cenſuras Eccleſiaſticas, id eſt, priuationem ſacramentorum, & correctionem paternam, *cap. quanquam de vſur. in 6. cap. ſtatuimus de maledicis.* Iudices verò laïci procedunt in puniendo eos quoad pœnas corporales,

les, & pecuniarias, & ita pro eodem delicto in eadem persona concurrunt ambo. Felin. *in cap. de his num.* 10. *de accusat.*

In mixtis absolutus ab Ecclesiastico potest reconueniri etiã à iudice sæculari.

Hic sequitur, quòd accusatus de tali crimine mixto coram iudice Ecclesiastico, & ab eo causa cognita absolutus, poterit non obstante dicta absolutione corã iudice laico de eodem crimine accusari, & puniri, vt omnium consensu, receptum esse testatur Couarr. *lib.* 2. *var. resol. c.* 10. *num.* 6. Et ratio est, quia iurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis sunt prorsus separatæ, & distinctæ, ideò absolutoria latà in vna iurisdictione nõ parit exceptionem rei iudicatæ in alia. Bal. *cons.* 260. *lib.* 3. quem sequitur Clarus *quæst.* 57. vers. *sed hîc occurrit* & vers. *sed quæro.*

Verba clausulæ explicantur.

In hac eadem excommunicatione dicitur; *secundùm quod canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium & præsertim Tridentini, statuunt.* Circa quæ verba nota, quòd Nauarr. super §. is, huius Bullæ dicit, excludi ab hac censura illos iudices sæculares, qui in casibus à iure permissis vocant ad sua tribunalia Ecclesiasticos. *Sic ille.*

Persona Ecclesiastica ad forũ sæculare potest in aliquibus casibus trahi.

Multi autem sunt casus, in quibus licitum erit trahere personas Ecclesiasticas ad forum sæculare. Primus in causa feudi, in qua potest Clericus per laicum trahi ad forum sæculare, *cap. cæterum de iudic.* facit gloss. *in cap. ex transmissa, & cap. verum de foro comp.* Secundus casus est in causa reconuentionis: nam Clericus agens contra laicum coram iudice sæculari, potest ibi reconueniri, *cap.* 1. & 2. *de mutuis petit.* gloss. *in cap. denique distinct.* 96. *cap. multi* 2. *q.* 1.

Aduertendũ tamen, quòd licet Clericus possit recon

reconueniri modo suprà dicto: non tamen potest cogi ad soluendum facta condemnatione. Lapus *allegat.* 118. Vrsil. ad Afflict. *decis.* 173. Est etiam aduertendum, quòd reconuentio prædicta habet locum in ciuilibus, & in causis, in quibus iudex, sub quo fit reconuentio, iudicare potest. At in criminalibus reconuentio non habet locum. Tertius casus est; quando Clericus amisit priuilegium fori, quod multipliciter fit, vt in *cap. cùm non ab homine, de iud. cap. nouimus, de verborum signif.* vt in Clerico non constituto in sacris, nec beneficiatio, non incedente in habitu, & tonsura, nec seruiente in Diuinis, vt in Concil. Trid. *sess.* 23. *cap. nullus.* Quartus casus est in materia spolij, seu manutentionis in possessorio: potest enim hoc casu persona Ecclesiastica citari per edictum à iudice laïco, si sua putauerit interesse, vt in capitul. Regni, omnis prædatio, & latè per Afflict. *decis.* 24. & 85. & ibi Vrsil. Quintus casus est in censibus, & tributis, pro quibus Clerici possunt coram iudice sæculari conueniri: videntur enim potiùs res eorum tanquàm affectæ conueniri, quàm personæ. Sextus, lite cœpta contra laïcum defunctum apud iudicem sæcularem, eius hæres Clericus tenetur ad eius prosequutionem coram eodem iudice ad finem vsque litis: nec potest forum illud declinare. Ita in specie tenet Imola in l. *si eum hominem. ff. de fideiuss. & mandator.* Paul. de Castr. *in l. hæres absens. in princ. ff. de iudic.* Septimus, possunt Clerici coniugati conueniri in causis ciuilibus, cùm tantùm sint exempti in criminalibus, & gaudeant priuilegio canonis, si modò incidant; secundum tex. *in cap. vnico. de cleric. coniug. in* 6. Octauus est in Clerico læso circa proprias

Clericus licèt possit in aliquo casu reconueniri coram iudice sæculari, non tamen potest cogi ad soluendum, facta condemnatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

res, & ad ipsum pertinentes, qui debet in restitutione in integrum iudicio laïcum conuenire coram iudice sæculari, ex regula generali, qua etiam in canonibus expressum est oportere actorem sequi forum rei ad speciem restitutionis in integrum deductam *in lib. 2. sup. vbi & apud quem.* Ita Innocent. *in cap. constitutus num. 3. de integrit. restit.*

EXCOMMVNICAT. XVII.

Quiue iurisdictiones seu fructus, reditus, & prouentus ad Nos, & sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, siue Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.

EXPLICATIO.

Declaratur particula illa, iurisdictiones.

In hac clausula nomen, *iurisdictiones*, latiùs vsurpatur, quàm in præcedẽti clausula, vt rectè Suarez hîc. Nam in hac clausula non tantùm Ecclesiastica iurisdictio; sed etiam temporalis, si ratione Ecclesiæ, seu beneficij Ecclesiastici competat, defenditur, non solùm, quia expresè nominatur; sed etiam quia inter fructus, vel prouentus beneficij Ecclesiastici computari potest. Caietanus hîc annotat, vt fructus, & prouentus vsurpentur quatenùs hi sunt, scilicet quando vsurpatur ius ad ipsos, seu quando aliquis eos accipit tanquàm ad se pertinentes. Hoc autem annotauit Caietanus, vt à clausula, & censura eos excluderet, qui per

per furtum, vel rapinam huiusmodi fructus arripiunt; non formaliter, vt prouentus sunt; sed vt sunt quæcunque aliæ res: nam hic Canon (ait Caiet.) non est factus contra fures, seu latrones; sed contra eos, qui prouentus Ecclesiæ vsurpant; quia sunt prouentus, id est, quia tales prouentus ad se pertinent, & non tanquam aliena bona rapiunt.

Excommunicationem hãc vt quis incurrat, tria requiruntur.

Vt quis ergo hanc excommunicationem incurrat, tria requiruntur. Primò, vt vsurpentur, seu sequestrentur bona pertinentia ad personas, seu loca Ecclesiastica, & eadem ratione beneficium Ecclesiasticum, vel Monasterium. Vnde latro vsurpans reditus profanos patrimoniales clerici non incidit. Secundò, vt vsurpatio, seu sequestratio fiat auctoritate iudiciali; quare latrones, aut milites, qui rapiunt ea, vt quælibet alia bona, non incidunt. Tertiò, vt fiat sine licentia personarum, quæ habent potestatem concedendi, vnde qui à iudice laïco de licentia Episcopi missus est in possessionem bonorum clerici, vt eius creditor, non incidet.

EXCOMMVNICAT. XVIII.

Quiue collectas, decimas, talleas, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, reditus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, coram à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere,

exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potestates, quicunque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tàm in Lateranensi Concilio nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

EXPLICATIO.

Ecclesiastici gabellas soluere non tenentur.

Firmissima, & generalis statuenda est regula, quòd clerici, & quælibet personæ Ecclesiasticæ gaudent immunitate gabellarum, collectarum, & huiusmodi, eorúmque bona à similibus oneribus, & exactionibus sunt exempta. Est enim priuilegium à iure concessum: ita vt à laïcis compelli non possint ad soluendas gabellas, vectigalia, datia, &c. *cap. non minus.* vbi Abbas, *num. 3. & 17. & cap. aduersus, de immunit. Eccles.* idem Abbas *in cons. 13. part. 1. cap. quamquam, de cens. in 6. Clem. præsenti. eod. tit. cum aliis concord.* Concil. Trid. *sess. 25. de ref. cap. 20.* vbi immunitates, & priuilegia Ecclesiarum, ac Ecclesiasticarum personarum innouantur, & confirmantur. Soto *in 4. sent. dist. 5. q. 2. art. 2.* Alfons. de Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 12.* latè Medina *de restit. quæst. 15.* Nauarr. decisionem hanc amplificat, *vt in Manu. cap. 17. num. 202.*

Ampliatur prohibitio etiam pro

Quàm amplia primò, vt non solùm sint immunes ab omnibus oneribus, & gabellis Clerici in sacris

sacris Ordinibus constituti: verùm etiam Clerici primæ tonsuræ, dummodò incedant in habitu, & tonsura clericali, & inseruiant. in Diuinis. Cou. *notab. cap. 31. practicar. quæst. sub num. 9.* *clericis prima tonsura.*

Secundò amplia, vt Clerici Græci, quamuis coniugati, gabellarum immunitate gaudeant; quia sunt verè, & quoad omnia, personæ Ecclesiasticæ. Doctor. addentes ad prædict. regni cap. Clerici autem Latini coniugati illas subire, & præstare tenentur, Gloss. celebris *in cap. vnic.* in vers. *in cæteris, de cler. coniug. in 6.* Bertach. hîc *in tract. de gabel. part. 7. num. 17.* Guido Papæ *decis. 383.* & communis Doct. opinio *in c. ex parte, eo tit.* de qua testatur Couar. *loco præcit.* *Ampliatur etiam in clericis coniugatis.*

Tertiò amplia, vt nec teneantur Clerici soluere tè datia vini, carnium, panis, & huiusmodi, declarando, vt per Sylvest in verbo, *Immunitas 1. sub num. 22.* quem refert, & sequitur Ludou. Lopez *in instructor. conscient. par. 2. cap. 40. & quæst. 9.* & Rodriq. *in sum. par. 2. cap. 15. conclus. 14.*

Quartò amplia, vt absque gabellæ solutione vendere, seu vendi facere possint bladum, vinum, oleum, & similia, habita tam ex fundis, & vineis patrimonialibus, quàm beneficialibus, non solùm in pondere magno, seu ad grossum; sed etiam ad minutas mensuras, Bertach. *in tract. de gabel. par. 7. col. 4.* vers. *An autem, &c.* Campan. *in repet. extra. nag. Cle. 7.* contra Clericos non incedentes in habitu, & tonsura, *sub num. 12.* Rol. à Valle *in cons. 71. num. 9. lib. 4.* quia cùm talia sint ex rebus suis recollecta, non dicuntur negotiari, Panorm. *in cons. 6. prope finem. part. 1.* Cravet. *cons. 163. num. 3.* Roland. *ibidem.* Tolet. *in sum. lib. 1. cap. 30.* vers. *Vndecima habetur, &c.* Extende vt id eis liceat, non obstante

prohibitione de hoc publicè facta, Ignat. Lopez ad Diaz. *in pract. crimin. can. cap.* 55. quem sequitur Matthæus Bois *in addit. ad Stephan. Aufrer. in tract. de potest. secular. in Ecclesiast. regula* 2. *fallent.* 32. Neque ex hoc infertur, posse Clericum tenere tabernam, & vinum, quod ex possessione sua vel Ecclesiæ colligit, personaliter, & per seipsum vendere, licèt possit illam etiam in domib. Ecclesiæ tenere, & vinum per alium vendere, Gem. & Franc. *in cap. clerici, de vit. & honest. Cler. in* 6. alij quos congerit Laber. *de iure patron. lib.* 2. *part.* 1. *q.* 6. *art.* 62. *num.* 4.

Clerici non possunt cogi ad hospitãdum milites.

Quintò denique amplia, vt neque possint Clerici cogi ad hospitandum milites, *lib.* 1. *& ibi Bal. notab.* 3. *C. de Episc. & Cler.* & in Regno adest Capitulum incip. *Item statuimus, quòd domus Prælatorum, &c.* quoad monasteria extat etiam Bulla Pij V. incip. *Dum ad vberes*, relata suprà in verbo *priuilegia Regularium fol.* 415. Et de exẽptione Religiosorum quoad tributa, & exactiones latè loquitur Roderic. *tom.* 2. *quæst. reg. q.* 64. quo loco etiam de fratribus Hierosolymitanis, quos vulgus appellat *de Malta*, & de fratribus tertij Ordinis sancti Francisci agit.

Limitatio prima.

Eadem limita, & primò, vt hac immunitate non gaudeant Clerici in fraudem collectarum assumentes habitum Clericalem sine vlla intentione clericandi; *arg. tex. in l. qui sub prætextu, C. de Sacros. Eccles.*

Limitatio secunda.

Secundò limita, vt neque illa gaudeant Clerici in rebus eis fraudulenter donatis à patre, fratre, &c. Bart. *in consil.* 180. *num.* 3. *lib.* 1. Luc. de Pen. *in l. vltima, in fine, C. de annot. & tribut. lib.* 10. Petrus Duen. *regula* 100. qualiter autem probetur fraus in donatio

donatione facta Clerico, videndi sunt Speculat. *in tit. de Cler. coniug. num.* 17. *lib.* 4. & Sylvest. in verb. *excommunicatio. quæst. sub num.* 14. quæ fraus præsertim detegitur, vbi Pater fecisset sibi fieri albaranum de illis detinendis nomine suo, & tunc teneretur integrè restituere omnia damna illata Vniuersitati; cùm sit ficta donatio; secùs verò si quis donaret filio, animo transferendi dominium, & donatio non esset immoderata, & vltra virilem; quamuis causa impulsiua fuerit, vt non teneatur soluere collectas, cùm enim in hoc casu sit vera donatio, excusatur filius Clericus à collectis; quia causa motiua, siue causa, sine qua non vitiat actum. Probatur hoc in simili de iure congrui, quod non habet locum, quotiescunque fit donatio iuxta constitutionem Regni, *Sancimus*, quæ donatio sufficit, quòd sit vera, licèt causa impulsiua ad illam faciendam fuerit pro euitando retractu; siue iure congrui; quia est cautela à lege concessa.

Limitatio tertia.

Tertiò limita, quòd quamuis Clerici de iure Regni hac immunitate in bonis eis donatis non gaudeant; hoc non procedit, quando eis essent data, seu concessa pro titulo sacrorum Ordinum loco beneficij; iuxta decretum Conc. Trid. *cùm non deceat, sess.* 20. *de ref.* quia censentur Ecclesiastica. Felin. *in c. Ecclesia S. Mariæ, num.* 10. *de constitut.* Decius *in cap. Episc. num.* 20. *de præben.* Nauarr. *in cons.* 5. *sub num.* 1. *de immunit. Eccl. in nou.*

Limitatio quarta.

Quartò limita, quando ad ipsos Clericos transierit res aliquo onere affecta, eò quòd haberet annexam annuam præstationem tributi seu census, qui soluebatur antequàm illius rei possessio ad eos peruenerit, *l. Imperatores. ff. de publican. & vectig.*

vectig. c. tributum. 23. q. 8. & arg. tex. in c. ex literis, de pign. cum concord. Idque intellige, dummodò illud onus esset ordinarium, perpetuum, & inuariabile; secùs si esset extraordinarium, temporale, & incertum ex allegatis per Camp. *loco superiùs citat. num. 101. & seq.* veluti in collectis, quæ secundum varietatem negotiorum imminentium, & prout necessitas exposcit, interdum in maiori, & interdum in minori quantitate imponitur; quia tale onus, cùm non sit perpetuum, neque certum, non dicitur durare, postquàm res peruenit ad personam priuilegiatam, Panorm. & Imola *in cap. finem, 12. de vita, & honestate Clericor.* Sylvest. in verbo, *Immunitas primò, sub num. 19.* optimè addentes ad Capitulum Regni proximè citatum, & notab. declarat Camp. *vbi suprà*, 104. *in fine*, & *sub num. 109.*

Limitatio quinta. Quintò limita, vt teneantur Clerici soluere onera, & gabellas; (etiam non expectato assensu Apostolico) quando soluerentur pro communi damno, seu periculo euitando, iuxta casum positum per Panorm. *in c. non minus, sub num. 20. de immun. Eccles.* Bertachinus *in præal. tract. part. col. 7.* Sylvest. & Ludou. Lopez *locis cit.* Campan. *in eadem repet. sub num. 113.* Rodriq. *in sum. part. 2. cap. 95. concluf. 13.* & per Anasta. Germonium *lib. 3. de sacra immunit. cap. 17. num. 28.*

Limitatio sexta. Sextò limita, nisi summus Pontifex immunitates Clericis debitas in aliquem locum pium transtulisset, eíque applicasset.

Limitatio septima. Limitatur denique in Clerico negotiatore. Pro quo animaduertendum est, quòd Clericus non est iudicandus negotiator, seu mercator per vnius rei emptionem, & venditionem; sed qui plures negotia

negotiationes fecisset, ex gloss. & ibi Bar. *in l. 1. §. licet.* in verbo, *omnes. ff. de tribut. act.* Panormit. & Ripa *in cap. 1. de iudic.* dicentes, in hoc considerandam esse vulgi opinionem. Acharan. Gen. & Franc. *cap. vnic. de vit. & honest. Cler. in 6.* Philipp. Prob. *in c. vnic. num. 1. de Cler. coniugat. in 6.* Purp. *cons. 50.* Ignatius Lopez, qui alios memorat in eodem *cap. 55.* Ex dictis clara est intelligentia huius clausulæ, & qui in ea comprehendantur.

EXCOMMVNICAT. XIX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iudices, Notarios, scribas, executores, subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ sedis Apostolicæ licentia, quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

EXPLICATIO.

Hæc clausula nulla indiget explicatione, cùm sit clara. Ad maiorem dilucidationẽ tamen sciendum, quòd causa capitalis dicitur, quando non spectat ad iudicem ciuilem, sed ad criminalem, & quando venit quolibet modo puniendus criminaliter reus. Actiones verò, quæ hîc prohibentur, plurimæ sunt, scilicet, quoquomodo se

interponere in causis criminalibus clericorum, illos bannire, capere, processare, sententias contra eos proferre, & illas exequi.

Declarātur verba illa processando.

Circa verba illa, *processando*, nota, quòd *processare* est inquirere contra aliquem. In plurimis autem casibus potest laïcus iudex Clericum capere, vel processare absque metu censuræ.

Casus in quibus iudex laïcus potest clericos capere, & incarcerare.

Primò, quando Clericus est degradatus, qui postea traditus est curiæ sæculari, *cap. nouimus de verb. significat.* Bart. *in l. 1 ff. de pœnis.*

Secundus est, quando Clericus amisit priuilegium fori. Decius *num.* 110. Abbas *in cap. cùm non ab homine de iudic.* vt quia caret beneficio Ecclesiastico aut in seminario Clericorum, vel in aliqua schola, aut vniuersitate est, *iuxta cap. nullus sess. 23. de reform. in Concil. Trident.* vel quia effectus est iaculator, scurra, *&c.* quia hoc casu si secundò, vel tertiò monitus non desistat, clericale priuilegium amittit, *cap. vnico, de vita, & honest. Cleric. in 6.* quod procedit etiam in Clerico in sacris constituto, secundùm Gemin. & Rotam *decis. 349. in antiquis.*

Tertius casus est, quando se enormitatibus immiscuit, vt est textus secūdùm vnum intellectum *in cap. ex parte de priuil. credi. & cap. perpendimus, de immunit.* In his tamen casibus priùs sententia declaratoria iudicis competentis præcedere debet, quod secùs est in Clerico assassino, qui si notorius est, potest per iudicem sæcularem absque alia præcedente sententia puniri, *cap. 1. de homicid. in 6.* Capicius *decis. 155. num. 26.* & tunc degradatur, capit. *decis. 112. num. 3. & 131. num. 75.*

Quartus est, quando Clericus inuentus est in crimine flagrāti: tunc enim potest à iudice laïco capi,

capi, *cap. vt famæ de immun.* Doctores in cap. *cùm non ab homine de iudic.* dum modò sine iniuria, violentáque manuum iniectione capiatur, & absque Clericalis ordinis dedecore, vt cùm primùm opportunè poterit, reddat eum curiæ Ecclesiasticæ. Nauarr. *cap. 27. num. 83.*

Quintus est, quando iudex laïcus non iure proprio, sed de mandato superioris Clerici ipsius cognoscit de causis criminalibus, *gloss. in cap. decernimus* vers. *præsumat. de iudic.* quia id facit, vt minister Ecclesiæ, *cap. si Clericos de immunit. in 6.*

Talis quisque præsumitur, qualis in habitu reperitur.

Sextus, quando Clericus non incedit in habitu, & tonsura: nam tunc iure poterit capi à laïco iudice, quia talis quisque præsumitur, in quali habitu reperitur, *d. cap. si Clericos cap. si iudex laïcus de immunit. in 6.* & ita hodie post promulgatam quandam constitutionem Papæ Clementis VIII. & Pauli V. obseruatur scilicet contra Clericos non beneficiatos, neque in sacris constitutos, quòd possint puniri per iudicem laicum, si vt laici fuerint inuenti: & ita hodie est in praxi. Nec tenetur laicus clericum remittere, donec de clericatu constiterit coram Ecclesiastico iudice, & comperto quòd sit Clericus, debet remitti ad eundem iudicem Ecclesiasticum, quę probatio apud iudicem Ecclesiasticum fieri debet, non autem apud secularem. Ita Doctores communiter *in dicto cap. si iudex laicus, & in cap. cùm non ab homine.*

Septimus, quando Clericus commisit delictum notorium coram iudice sæculari, nam tunc potest ab eo capi, sed statim superiori est restituendus, Nauarr. *cap. 27. num. 24.*

Octauus, si Clericus arma illa portauerit, quæ ipsis

ipsis laïcis lege prohibentur, *text. optim. in §. si Clericus, de pac. tenenda, & eius violat.* si tamen illa portauerit, licèt iudex sæcularis non possit illum punire pœna per legem sæcularem statuta, potest tamen per iudicem sæcularem talibus armis spoliari, & priuari absque vllo metu excommunicationis, quia hoc ad iudicem sæcularem, & Reipublicæ Rectorem proculdubio pertinet, nec compelli poterit iudex laïcus per Ecclesiasticum arma illa restituere, siquidem laïca lex arma prohibere potuerit, eáque prohibitio Clericos etiam comprehendit. Alioquin Clerici liberè vagarentur armati, cùm iudex Ecclesiasticus non habeat ministros, qui noctu possint Clericos armatos capere, armáque ab eis tollere.

EXCOMMVNICAT. XX.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu per alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore, inuadere, destruere, occupare & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corcicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinẽsem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca ac terras specialis cõmissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comadum, & alias Ciuitates, terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanã Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccles. mediatè, vel immediatè subiecta, nécnon supremam iurisdictionẽ in illis, Nobis,

Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt, nécnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Clara est hæc clausula.

EXCOMMVNICAT. XXI.

Vltima clausula est contra absoluentes à prædictis excommunicationibus absque legitima facultate. Et est talis.

Cæterùm à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus; nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui poterit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumcunque ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus', & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, nécnon laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam sedem, ac cuiusuis Concilij decreta verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Decla

Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi, destiterint: Ac quòd eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præmittitur statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tollerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque iuribus sedis Apostolicæ, ac S.R.E. vndecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenùs præiudicare posse, aut debere.

DE

DE ABSOLVTIONE A CASIBVS BVLLÆ IN COENA DOMINI.

1 IN vltima clausula Bullæ rectè cautum est, vt præterquàm in articulo mortis, nullus nisi à Romano Pontifice ab excommunicationibus huius Bullæ absolui possit, quia ad quem spectat ligare, spectat & soluere. Benè verum est, quòd quia, moraliter loquendo, Pontifex non potest per se ipsum ab omnibus huiusmodi casibus absoluere, ideo delegat aliquos, quos Pœnitentiarios vocat, qui à talibus casibus, & censuris absoluunt, sic Pœnitentiarij in S. Ioanne Laterano, in sancto Petro, in sancta Maria maiore, & etiam in sancta Maria Lauretana omnes tali censura innodatos absoluunt. Alij verò confessarij talem facultatem de iure non habent, nisi eis specialiter concedatur. Imò Episcopis ipsis, quibus antèà per Concilium Tridentinum facta erat potestas absoluendi ab omnibus censuris in causis occultis, per hanc Bullam ipsis est derogatum: nam disertis verbis hîc dicitur, *siue cuiusuis Concilij decreta.* Et confirmatur hoc ex sententia Franciſci Pennæ *in 3. parte Directorij, in scholio ad quæst. 2.* vbi sic habet; *Et quidem in supremo inquisitionis prætorio sanctæ, & Romanæ generalis Inquisitionis sæpè pronunciatum est, nec posse, nec debere Episcopos amplius virtute Concilij absoluere occultos hæreticos in foro con*

Ad quem spectat ligare, spectat & soluere.

Episcopi an modò possint absoluere de occulta hæresi in foro conscientiæ.

conſcientiæ, ſiue quòd per proceſſum Bullæ in cœna Domini ſit Concilio Tridentino derogatum, ſiue quòd ita Pius V. & Gregorius XIII. aliàs expreſsè declararunt. Quod etiam teſtatur Nauarrus *in Man.c.27. num.*275. à qua etiam ſententia non audet diſcedere Simanca *de Cathol.inſtit. tit.*3. *num.*6. Quibus addo, quòd non ſolùm in hæreſi occulta, verùm nec in alia huius Bullæ cenſura Epiſcopi facultatem habeant, cùm per illam reuocentur omnia priuilegia, & conceſſiones eis factæ, etiam per cuiuſuis Concilij decreta. Vnde ad ſummum Pontificem, & ad ſacram Pœnitentiariam remittendi ſunt, qui talium cenſurarum vinculo ſunt ligati.

Epiſcopi non poſſunt à Bulla in Cœna Domini abſoluere.

2 Dubitatur hîc; An regulares virtute priuilegiorum ſuorum poſſint à prædictis cenſuris abſoluere? Reſpondeo, quòd Suarez *in ſuo quinto tomo diſput.*21. *ſect.*3. *ſub num.*4. videtur tenere partem affirmatiuam, & conatur eam elicere ex verbis Bullæ in Cœna Domini à Clemente VIII. editæ, vbi in reuocatione priuilegiorum ſic habetur, *niſi in eis etiam caſus præſentibus literis expreſsè comprehendantur.* Per quæ verba declaratum eſt per priorem reuocationem ſolùm excludi indulta concedentia facultatem abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis tantum in generali: non vero ea, quæ in ſpecie cõcedunt caſus Cœnæ Domini, & ita conſtat nunc non eſſe reuocata regularium priuilegia quæ hos caſus in ſpecie concedunt. Quæ quidem doctrina locum habere poterat ſuo tempore, & antequàm emanaret Decretum in oppoſitum à ſacra Congregatione, etiam ipſius Papæ Clem. VIII. in quo omnibus confeſſoribus ſæcularibus, & regularibus, etiam Societatis Ieſu prohi

Regulares an virtute priuilegiorum poſſint à Bulla in Cœna Domini abſoluere.

prohibetur, ne in poſterum à caſibus clarè, vel dubiè poſitis in Bulla cœnæ Domini, vel aliàs quomodocunque ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per ſanctitatem ſuam, eiúſve ſucceſſores, pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reſeruandis: nec etiam à caſibus, quos Ordinarij locorum hactenus reſeruarunt, vel in poſterum ſibi reſeruabunt, nullo caſu, etiam neceſſitatis, vel impedimenti: niſi in mortis articulo, ſeu tum noua, & ſpecialis ſanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum, vel Ordinariorum (quoad caſus ab ipſis tantùm reſeruatos vtique reſpectiuè) impetrata in ſcriptis licentia, Ordinariis locorum exhibẽda, abſolutionis beneficium de cætero impendere audeãt, vel præſumãt: ſed cùm opus fuerit, pœnitentes ad ſuperiores, legitimóſque iudices ſuos accedere conſulant, ſub pœna contrà facientibus tam Regularibus, quàm ſæcularibus, excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, & beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confeſſiones, & ad quæcunque officia, Prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda ipſo facto abſq; vlla alia declaratione, incurrenda: ſuper quibus à nemine: niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquàm in mortis articulo, poſſit impetrari. Sanctitas enim ſua, quatenus ſit opus, facultates, & conceſſiones ipſas, in hac parte, vti caſſas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult; non obſtantibus quibuſcunque. Præterea à nouerint pœnitentes, abſolutionem, ſi quam obtinebunt contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliuſque roboris, & momenti, &c. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 9. menſis Ianuarij anni 1601.

Pœna eorũ qui sine facultate à Bullæ casibus absoluunt.

3 Dubitatur de pœnis, ad quas incurrunt, qui sine facultate à prædictis censuris absoluunt. Respondetur, quòd primò nihil facit ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 7. quia scilicet iurisdictionem non habet, quæ necessariò requiritur ad hoc Sacramentum ministrandum. Secundò, est excommunicatus: sic enim habetur in Bulla disertis verbis; *Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, &c.*

Excommunicatio pro absoluentibus sine facultate, an sit Papæ reseruata.

Sed an hæc excommunicatio sit reseruata, nécne, Caiet. in verbo, *excommunicatio*, *cap.* 77. tenet partem affirmatiuam, tum ex vi Extrauag. Sixti IV. *Etsi Dominici:* tum ex vi Bullæ cœnæ, ex qua secundum Caietanum eodem modo reseruata est, quo cæteræ sententiæ ipsius Bullæ cœnæ, & idem dicit inter modernos Viualdus, & Toletus *in hoc loco.* Nihilominùs in hac Bulla reseruata non est, vt patet intuenti; quia hæc sententia additur ad hanc Bullam post reseruationem iam factam in clausula præcedenti, ex quo fit, vt illa reseruatio solùm ad casus præcedentes: non autem ad sequentes extendatur, cùm hîc non exprimatur; ideò sentio cum Sayro, cum Suarez, & cum Nauarro *hîc*, eam non esse reseruatam, & per cap. *nuper.* posse illam à quolibet Ordinario absolui. Nec obstat extrauag. Sixti IV. *Etsi Dominici:* quia reseruatio illa Sixti facta fuit solùm ad confessionalia prædicti Sixti, quæ iamdiu expirauerant, vt tradit Sylu. verb. *excommunicatio 7. num. 77.* & hanc sententiam sequutus est etiam Sebastianus Medices *in summa capital. peccatorum, tit. 9. q. 78. num. 1.*

4 Dubi

Excommunicatus per hanc Bullã, & impeditus, an possit ab alio, quã à Romano Pontifice absolui.

4 Dubitatur hîc; An qui impeditus est, quominùs Rom. Pont. adeat, per hanc Bullam excommunicatus, ab alio possit absolui? Respondeo, quòd circa hoc Innoc. *in cap. quæmuis*, vers. *sed si aliàs, de sent. excom.* tenet, excommunicatum ob aliam causam, quàm ob Clerici percussionem, si impediatur, quominùs eum adeat, ad quem absolutionis tributio iure ordinario pertinet, ab alio absolui non posse. Quia in excommunicato ob Clerici percussionem hoc tantùm permissum reperitur in citato *cap.* ergo secùs de aliis excommunicatis sentiendum est: exceptio enim firmat regulam in contrarium, *arg. l. nam quòd liquidæ. §. fin. ff. de pœn. leg. & l. cùm prætor. ff. de iud. & c. nónne, de præsumpt.* Sed Felinus, qui contrarium sentit, hanc rationem improbat: nam in cap. *ea noscitur*, & in cap. *quòd de his*, excommunicatum extra mortis articulum constitutum; impeditum tamen, quominùs ordinarium absolutorem adeat, absolui posse dicitur, & tamen ibi non speciatim de excommunicato ob Clerici percussionem; sed generatim de excommunicato agitur: ergo ob aliam causam excommunicatus, & impeditus, absolui ab alio poterit. Quæ sententia vera est, & eam amplectuntur Abbas *in cap. de cætero, num. 1.* vers. *& circa hoc, de sentent. excomm.* Anchar. *in cap. eos, num. 1.* vers. *Tertio nota.* ibi. *sed hîc quæritur.* & Gemin. *num. 5. eod. de sentent. excom. in 6.* Sylvest. *verbo, absolutio 4. num. 7. vers. quartò*, & Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 89. vers. ad primam.* Igitur qui legitimo impedimento irretitus est, excusatur ab accessu ad Romanum Pontificem, & à suo Ordinario potest absolui, sic Sylvest. Nau. & Abbas, *locis citatis.*

Impedimẽtum legitimum quoánam erit.

Petes, quodnam erit legitimum impedimentum? Respondeo, legitimum impedimentum illud esse; vbi excommunicatus eum adeundo, à quo iure ordinario absoluendus est, aut vitæ, aut famæ probabile periculum adit, aut rei familiaris grauem iacturam facit, aut aliis detrimento graui est: *argument. in cap. de cætero, & cap. quod de his, & cap. mulieres, de sentent. excom.* & multò magis, qui nulla ratione ire potest. Quare, qui adeò senex est, vt itineris labores non ferat, qui victum sibi, suæque familiæ quærit, mulieres ob sexus verecundiam: qui inimicos verentur, hi omnes, vt legitimè impediti, absolui à suo Ordinario poterunt; quamuis in hoc plurimum iudicis arbitrium versetur: *argument. lib. 1. ff. de iure deliberan. & cap. de causis, de offic. delegat.*

Excommunicatus absens potest per literas absolui.

5 Dubitatur; An excommunicatus absens per literas possit absolui? Respondeo, quòd licèt absolutio à peccatis nullo modo dari possit absenti, vt nos post alios latè probamus in nostro Tractat. *de casibus. reser. in artic. 20. sect. 2.* nihilominùs absolutionem ab excommunicatione rectè posse dari absenti fatemur: licèt in vsu iam sit, absolutionem talem alicui sacerdoti committi, qui ab excommunicatione, & à peccato absoluat. Sic etiam tenent Ricc. *in 4. distinct. 18. artic. 10. quæst. 2.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 21. num. 12.* Angel. *verbo, absolutio. 3. num. 5.* Sylvest. *eod. verbo, 3. num. 9. dub. 5.* Sotus *in 4. distinct. 28. quæst. 2. artic. 6. ad 2. & distinct. 22. quæst. 2. art. 3. conclus. 6.* Nauarr. *in Man. cap. 26. num. 14.*

Sed quando talis absens erit absolutus? Respondent

spondent præcitati; quando recipit literas; nisi aliter de mente absoluentis constiterit. Et si literæ ad excommunicatum non peruenerint, nisi post mortem absoluentis; tamen absolutus est, vt Riccardus tradit. E contra verò, si excommunicatus ipse moreretur prius, quàm literæ ad ipsum peruenirent: tunc quidem Gloss. *in cap. quanto. 2. quæst. 5.* dicit, post mortem absoluendum esse: *argument. cap. à nobis. 2. de sentent. excomm.* habet enim sicut excommunicatio; ita etiam absolutio vim suam à voluntate, & intentione iudicis: mens autem iudicis; sicut & legis, non est ligare, aut soluere; nisi à tempore scientiæ, ex Gloss. *vbi suprà, argum. cap. leges, distinct. 4. & cap. proposuisti, distinct. 82. & cap. biduum, 2. quæst. 6.* Vnde immeritò Vgolinus *de censur. Eccles. Tabul. 1. cap. 19. §. 1. numer. 5.* contra communem Doctorum sententiam docuit, absolutionem per literas fieri non posse; sed neque excommunicationem: cuius ratio ex his, quæ diximus, facilè dissolui poterit, & colligitur contrarium ex cap. *de manifesta. 2. quæst. 1. & cap. quanto, 2. quæst. 5. & cap. quisquis, 2. quæst. 6.* quamuis ipse hos textus aliter exponi posse censeat.

Absẽs quãdo censeatur absolutus.

Absolutio ab excommunicatione potest dari per procuratorem.

6 Dubitatur; An absolutio ab excommunicatione dari possit per procuratorem? Ad hoc respondetur eodem modo affirmatiuè: quidquid dicant Innocent. in cap. *cùm desideres*, in verbo, *absolutus, de sentent. excomm.* & Hostiens. quem refert, & sequitur Panormit. *in d. cap. cùm desideres, num. 7.* quorum ratio est; quia absolutio requirit confessionem, contritionem, & introductionem in Ecclesiam cum cæremoniis quibus-

dam, *cap. à nobis. 2. de sentent. excomm.* quæ per absentem, aut procuratorem fieri non possunt. Sed in contrarium est communis sententia, quam sequuntur Ioan. Andr. *in cap. qui ad agendum, de procur. in 6.* Archid. *in cap. eos, qui*, & ibi Gemin. & Stephanus Costa, *num. 16. de sentent. excomm.* Angel. verbo, *absolutio 3. num. 6.* Sylvest. *eod. verbo 3. num. 9.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 26. num. 13.* quia licèt absolutio ab excommunicatione, in foro pœnitentiali, aut etiam cum illa solemnitate, *cap. à nobis. 2. de sentent. excomm.* nec per procuratorem peti, nec dari possit, cùm ad illam necessaria sit præsentia eius, qui absoluendus sit; absolutionem tamen in foro iudiciali, & exteriori, ex causa licitè fieri posse, tum ex aliis; tum præcipuè ex praxi, sit manifestum. Nam Rex Portugalliæ excommunicatus absens, per Procuratorem à Nicolao IV. absolutus fuit, vt testatur Specul. *titul. de iuramen. calumn. §. à quibus sit iurandum.* Et Henricus IV. Galliæ Rex temporibus nostris, & me præsente per Procuratorem Dominum de Perona, & Dominum de Sotia, anno Domini 1595. die 17. Sept. absolutus fuit à Clement. VIII. ab excommunicatione, quam antea incurrerat. Cuius ratio est; quia constituendo procuratorem, vt ipsi absolutionem impetret, ea omnia, sine quibus absolutio haberi nequit, mandasse censetur, *argument. cap. præterea, de offic. deleg. & l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procurator.* Requiritur tamen, vt Procurator ille de hoc habeat speciale mandatum, vt docent Gloss. *in cap. qui ad agendum, in verbo, vel paciſci, de procurat. in 6.* Specul. *tit. de procurat. §. item opponitur, vers. 16.* Sayrus *loco citato*, & alij.

7 Dubi

7 Dubitatur; An quis possit absolui inuitus; vbi excommunicatus in crimine perseuerat? Hanc difficultatem tractant sanctus Bonauentura *in 4. distinct. 18. in vltim. p. dist. quæst. 6.* Ricc. *ibid. art. 10. quæst. 1.* Palud. *quæst. 5. art. 3. conclus. 1.* Gabr. *quæst. 3. art. 3. dub. 7.* S. Thom. *in addition. 3. part. quæst. 24. art. 2.* Alens. *in 4. part. summæ, quæst. 22. membr. 1. art. 7. §. 1.* Sayrus *lib. 2. de censur. cap. 21. num. 5.* Martin. Ledesmius 2. 4. *quæst. 26. art. 2.* Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 2. artic. 3. conclusion. 6.* ex quorum doctrina sequentes resolutiones eliciuntur.

Excommunicatus potest absolui etiam inuitus.

Prima est, quòd excommunicatus absolutionem petere debet; quia cùm excommunicatio ob contumaciam feratur; nisi absolutionem quis petat, an correctus sit quis, nécne, ignoratur; cum tamen excommunicationis finis sit, vt corrigatur.

Secunda est, quòd licèt à malo culpæ (eò quòd non nisi propria voluntate committitur) nemo inuitus absolui possit, excommunicatio tamen, cùm malum pœnæ sit, sicut in aliquem inuitum ferri potest, ita & inuitus ab ea absolui poterit, & absolutio data tenet; quando excommunicatio illa à iudice lata fuerat: si enim excommunicatus erat excommunicatione lata à iure; tunc sanctus Bonauentura, & reliqui citati Doctores docent, quòd inuitus absolui non potest: qui enim manere vult in crimine, cui annexa est excommunicatio, v.g. in hæresi, ab ea absolui nequit, facit cap. *damnationis 24. quæst. 2.* vbi dicitur; *Damnationis sententiam quicunque meretur accipere; si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit.*

Tertia est, si est quis excommunicatus à iudice; tunc, aut iustè, aut iniustè est excommunicatus: si iniustè, tenetur iudex, cognita iniustitia, etiam inuito excommunicato sententiam relaxare, & nolentem absoluere: si verò iustè excommunicatus est: tunc quidem regulariter absolui non debet inuitus: imò aggrauatione censuræ, & aliarum pœnarum adiectione coërcendus erit, vt sic citiùs dolore, & molestia affectus resipiscat, & à contumacia discedat. Facit vsus Ecclesiæ, vt habetur *cap.2. de sentent. & re iudicat. in 6.* vbi Innocent. IV. Fridericum Imperatorem in contumacia perseuerantem, post inflictam excommunicationem, etiam Regno priuauit. Dixi, *regulariter*: quia ex causa rationabili, quæ est quando iudex videt, quòd absolutio illa esset magis medicinalis animæ contumacis, quàm eius excommunicatio, & quòd non esset præiudicialis saluti communitatis. Item vbi immineret vtilitas Ecclesiastica ex absolutione; seu impediretur ordinatio Ecclesiæ, & plurimùm obesset communitati propter participationem, si non absoluatur: in his, & similibus casibus poterit iudex discretè excommunicationem iustè latam remittere, inuito illo, qui excommunicatus est. Secùs autem, vbi talis aliqua causa rationabilis non adesset.

Absolutio per vim obtenta, an valeat.

8 Dubitatur: An absolutio per vim obtenta, valida sit? Cui difficultati ex communi DD. sententia respondens dico, omnem absolutionem per vim, & metum in virum constantem cadentem obtentam, nullam esse, vt expressè habetur in *cap. vnico, de his, quæ metus causâ fiunt, lib. 6.* & ibi notant Ioan. Monach. Anchar. Gemin. Philipp. Franc. & Gloss. *per totum.* Summa Astensis, *part.2. lib.7.*

lib.7. tit.2.§.47. S. Anto.3. *part. tit.24. cap.27.* Tabiena *verbo, excom.5. casu* 32. Caiet. *verb. excom. casu* 43. Nauarr. *in Manu. cap.27. num.* 125. *vers.* 17. Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 30. §.1. Vgol. *de censur. Eccles. Tab.1. cap.2.§.4. num.2. & cap.4. in princip. num.* 14. Quod procedit primò, à quocunque vis aut metus inferatur, etiam à muliere, vt notant Gemin. *in d. cap. vnic. §. ne autem. n.* 2. & Vgol. *vbi suprà num.*14. Secundò procedit, siue censura iustè, siue iniquè lata fuerit, cùm lex non distinguat, an sententia iusta, vel iniqua fuerit, sic gloss. *in d. cap. vnic. in verb. excom.* & quia censura etiam iniqua non illegitimis, sed probatis remediis reuocanda est, *arg. cap. sacro. §. caueat, de sent. excom. & cap. cùm contingat, de offic. deleg.* Tertiò procedit, etiam si sub conditione, aut ex die censura promulgata sit, antequàm conditio, vel dies aduenerit, vi aut metu reuocata sit, talis enim reuocatio nulla erit, ex Gemin. Anchar. & Franco, *vbi suprà.* Quartò procedit, non solùm in absolutione excommunicationis maioris, sed etiam minoris, ex Gemin. citato, & Felin. *in cap. si quem, n.4. de sentent. excom.* Et ratio est, quia cùm aliquid de excommunicatione dicitur, quod non solùm ad maiorem, sed etiam ad minorem accommodari potest, etiã ad minorem trahitur, vt tradunt gloss. *in c. præsidentes, in verbo, excommunicationis, de hæret. lib.6.* & similis gloss. habetur *in Clem. 1. verbo, sententijs, de priuileg.* Gemin & Franc. *in d. cap. vnico, de his, quæ vi, met. cau. fiunt:* Cùm igitur absolutio, de qua agitur *in d. cap. vnico*, ad excommunicationem minorem pertineat, eiusdem capitis dispositio in excommunicationis minoris absolutione locum habebit.

Absoluens per vim, nouam excommunicationem incurrit.

Quibus addo, quòd qui sic per metum, aut vim absolutionem extorquet, non solùm à priori excommunicatione non soluitur, sed etiam nouam excommunicationem dicti *cap. vnici, de his, quæ vi. lib. 6.* incurrit, vt docent summa Astensis, Henriquez *vbi suprà*, & contra huiusmodi extorquentes absolutionem, grauiter inuehitur Concil. Trid. *sess. 25. de Refor. cap. 3. in fine*, vbi ait, *Nefas esse vt Magistratus compellat iudicem Ecclesiasticum absoluere.*

Metus cadēs in constatem virum quis.

Metus autem cadens in constantem virum, is est, quando aut mors ipsa, aut corporis cruciatus grauis, aut vniuersorum bonorum, aut partis eorum amissio interminatur, nisi absoluat, *arg. c. 1. & 2. & cap. ad audientiam, & cap. cùm dilectus, de his, quæ vi, met. cau. fiunt, & l. propter litem, ff. de excu. tutor.* Item subtractio magni lucri, vt docet Cynus *in l. interpositas. C. de transact.* & Anchar. & Franc. *in d. cap. vnico.*

Absoluens ab hac excōmunicatio absque auctoritate, an aliquando excusetur.

9 Dubitatur; An quis excusetur à peccato, & excommunicatione, si ei occurrat necessitas violentiæ, seu imminens periculum mortis, metus grauis infamiæ, aut rei familiaris? Respondetur affirmatiuè, quia licèt legislator legem ferre possit, vt priùs debeat quis mori, quàm eam frangere, neque adeò illam metu mortis infringere, esset peccatum mortale, pro morte autem vitanda non licet peccatum mortale, aut veniale committere, vt omnes Theologi docent, quia tamen lex humana, etiam Ecclesiastica hactenùs edita de rebus, quæ de se non sunt intrinsecè malæ, sed solùm ideò malæ sunt, quia prohibitæ, non obligat cum tanto vitæ periculo, ideò qui contra faceret metu mortis coactus, nec peccaret: nec excom

communicationem contrà facientibus impositam, incurreret, quod verum est, nisi metus incutiatur ab extrinseco in cōtemptum fidei Christianæ, aut legum Ecclesiasticarum, & Ecclesiasticæ censuræ, vt colligitur ex his quæ tradunt S. Thom. *in addit. 3. p. q. 23. art. 3. & quodlib. 11. art. 9.* Mart. Ledes. 2. 4. *q. 25. art. 3. in fine concluſ. 2.* Sotus *lib. 1. de iustitia, & iure, q. 6. art. 4.* & Clar. 4. *d.* 22. *q. 1. art. 4. post conclusionem 5. vers. Ad quæstionem ergo.* Corduba, *Casu* 142. Bart. Med. 1. 2. *q. 96. art. 4.* Nauarr. *in Manu. c. 27. num. 36. & num. 239.* & faciunt ea, quæ docet *in Man. cap. 25. num. 84. & tom. 2. consil. 16. num. 9. de hær. lib. 5. & in c. Fraternitas, 12. q. 2. num. 16. & seq. & in cap. inter verba, 11. q. 3. præludio 3. num. 4.* Couarr. *in cap. alma mater, 1. §. 3. num. 9. vers. Quarto licèt de sent. excom. lib. 6.* Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 21. §. 2.* Ioan. Maior. 4. *d.* 18. *q. 4.* Sylvest. *verbo, excom. 5. dub. 14.* Ioan. à Friburgo, *in summa Confessorum, tit. de sent. excom. q. 165.* & alij. Vnde si quis Tyrannus in contemptum fidei, & legis Christianæ, sc. ad conuincendā fidem nostram, & legem falsam esse, & nullius valoris, aut ieiunii frangere, aut festum violare cogat quempiam, mortem comminando, mori potiùs debet, quàm legem Ecclesiasticam violare propter diuinum præceptum, quo tenetur fidem confiteri, non obstante periculo mortis. Cæterùm si incutiatur metus mortis alia de causa, v.g. ex nequitia hominis scelerati, legem Ecclesiasticam cum tanto discrimine seruare non tenetur.

Contra fidē præcipienti, etiam metu mortis, resistere debemus.

Similiter si quis Tyrannus incutiat metū mortis sacerdoti, nisi celebret coram excommunicatis, si id fiat in contemptum Ecclesiasticæ censuræ, ad ostendendum vanam esse potestatem Ecclesiæ,

In contemptum fidei non debet sacerdos, etiam metu

mortis missam celebrare.

cleſiæ, tenetur potiùs mori, fidem confitendo, quàm peccare celebrando. Cæterùm ſi fiat alia de cauſa; quia v. g. Prætor, aut Princeps aliquis excommunicatus, non in contemptum Eccleſiæ: ſed ad oſtendendum ſe non eſſe excommunicatum, vel pro ſua libidine talem metum incuteret, non peccaret celebrando, nec cenſuram aliquam incurreret, cùm Eccleſiæ in hoc caſu non tanti referat prohibere commercium excommunicatorum, quàm vitam hominis conſeruare: immò addit Sotus, fortè non eſſe conſilium illa de cauſa vitam periculo exponere. Et hoc modo intelligendi ſunt Adrian. *in 4. tract. de Claubus, q. 3. verſ. Octaua exceptio*, & Caiet. 1. 2. *quæſt. 96. art. 4.* & 2. 2. *quæſt. 125. art. 1. & tom. 3. Opuſc. tract. nono*, & aliis.

Ad euitandũ excommunicatũ requiritur, vt ſit denũtiatus, vel ſit publicus percuſſor clerici.

Dubitatur; An pro vitando excommunicato requiratur ſententia, an verò ſufficiat, vt quis ſciat, aliquem incurriſſe, ſiue in hanc Bullam, ſiue in quamcunque aliam excommunicationem? Reſpondetur ex communi omnium Doctorum ſententia, quòd non tenemur, niſi in duobus caſibus, nempe vel ob publicam percuſſionem clerici, vel quando quis eſt publicè denuntiatus. Et habetur hoc clarè in extrauag. *Ad euitanda ſcandala.* Quæ ſiue ex Concilio Baſileenſi, ſiue ex Concilio Conſtantienſi communiter citetur, ſiue quia ab vniuerſali Eccleſia recepta eſt, & vſu probata, imò, vt Suarez ait, à ſummo Pontifice manauit, facit, vt obligatio vitandi excommunicatos iuxta moderationem in illa factam, obſeruanda ſit, ſcilicet, vt tantum nominatim denuntiatos, & publicos percuſſores clericorum vitare teneamur.

Ex quo ſequitur, quòd qui contra hanc Bullam

lam facit, licèt ſit ipſo facto excommunicatus: non tamen eſt vitandus, antequàm nominatim denuntietur, alioquin in Galliis, & alibi, vbi commercium eſt inter Catholicos, & hæreticos, nullus Catholicus poſſet cum hæreticis practicare, & conuerſari; quod tum praxi, tum rationi repugnat.

Bulla hæc omnes obligat.

11 Dubitatur; An vbi recepta non eſt hæc Bulla, obliget fideles in conſcientia? Ad hoc pluribus dictis reſpondeo.

Primum dictum, poteſtatem condendi leges Petrus à Chriſto in vniuerſam Eccleſiam accepit. *Ioan. 21. Paſce oues meas*, qua poteſtate accepta, iuſtè potuit toti Eccleſiæ dare leges, quæ ad bonum illius regimen viderentur. Idem aliis Petri ſucceſſoribus, ſummis videlicet Eccleſiæ Romanæ Pontificibus contingit, qui licèt ab Eccleſia ad illius regimen eligantur: non tamen ab ipſa Eccleſia, vt quidam falsò putauerunt, ſed à Chriſto immediatè hanc habent, qui eam omnibus illis in Petro conceſſit. Hæc autem Eccleſiæ poteſtas, quia non à populo, ſed à Chriſto vim ſuæ poteſtatis habet, ideò etiam ſine populi conſenſu poterit leges condere de his rebus, quæ ad finem vltimum conſequendum eſſent neceſſariæ, aut valde conducibiles: ex quo intelligitur, in quanto errore verſentur, qui affirmant, leges Pontificias non obligare, donec à populo acceptentur, ſi quidem, ſi multitudo populi Chriſtiani poſſet acceptare, & non acceptare leges Eccleſiaſticas, ſuperior eſſet ſummo Pontifice, quod planè abſurdum eſt, & ab omni ratione alienum, vt docet gloſſa *in capit. in iſtis diſtinct. 4.* Alphonſus de Caſtro, *lib. 1.*

lib. 1. *de leg. pœn. cap.* 1. Medina 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. & Sotus *lib.* 1. *de iustit. quæst.* 1. *art.* 3. & alij communiter.

Secundum dictum; lex humana neminem obligat priùs, quàm promulgetur, sic passim tam in lege ciuili, quàm canonica habetur; *in l. leges sacratissimæ. C. de leg. & const.* dicitur, leges sacratissimæ, quę constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent, vt vniuersi præscripto earum manifestiùs cognito, vel habita declinēt, vel prætermissa sectentur. & in Auth. *Vt factæ nouæ constitutiones,* dicitur, tunc valere leges, cùm in communi factæ sunt manifestæ. *& cap. in istis, distinct.* 4. expressè habetur, leges tunc institui, cùm promulgantur, & Doctores id communiter docent. Panormitanus *in cap. cognoscentes. de constit. num.* 6. S. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. & ibi Caiet. & Medina, Angelica verbo, lex. *num.* 12. Sylvest. *eadem q.* 6. Sotus *vbi supra, art.* 4. *concluſ.* 1. Castro *vbi suprà.* Valent. *tom.* 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *puncto* 5. Nauarr. *in Manu. cap.* 23. *num.* 44. Tolet. *in summa tract. de peccato mortal. c.* 18. Et ratio est: quia lex est regula, & mensura actionum humanarum, regula autem, & mensura imponitur per hoc, quòd applicatur operantibus: applicari autem nequit, nisi per illius notitiam, & promulgationem.

Tertium dictum; lex Pontificia, qualis est præsens Bulla, aliqui sentiunt, quòd requirit promulgationem in singulis Prouinciis. Panorm. *vbi suprà num.* 7. Caiet. & Medina *vbi suprà*, & aliqui alij. Ratio est, quia sicut lex Imperatoris, & Regis, necesse est, vt in omnibus Prouinciis subiectis publicetur, ad hoc vt obliget, ita lex summi Pontificis: nam imperium Papæ latiùs patet, & leges

leges eius magis vniuersales sunt. Et licèt Papa pedes plumbeos, & immobiles videatur habere, nec discurrat per Prouincias, & mundum, sicut Imperator, habet tamen Episcopos, & Archiepiscopos, per quos omnibus notitiā dare potest.

Sūmi Pontificis leges statim, ac publicatæ sunt Romæ, omnes obligant.

Alij verò existimant, leges summi Pontificis vim obligādi habere quamprimùm in Curia Romana publicantur, & in Acie Campi Floræ, & ad valuas Basilicæ Apostolorum affixæ sunt, & in Cancellaria Apostolica pro publicatis habentur: nec necesse esse, vt in singulis Prouinciis publicentur: nisi id in Bullis ipsis exprimatur, sic Ioannes Monachus in reg. *In generali, de regul. iur. in* 6. Ioannes Andreas *super data Sexti.* Panorm. *in cap. nouerit num.* 3. *de sent. excom.* Immola *in proœm. Clem.* Gomesius *in proœm. regul. Cancellar. q.* 2. *ante finem.* Sylvest. *verbo, lex. q.* 6. *vers.* 3. Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *puncto* 5. *dub.* 2. Azor *part.* 1. *Instit. Mor. lib.* 5. *c.* 3. *dub.* 3. Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 6. *art.* 2. *in fine.* Vnde Bulla suprà dicta obligat omnes vbique terrarum, postquàm die Iouis sancti publicatur. Cuius ratio est, quia tota Respublica, & Ecclesiastica gubernatio ab vno capite, & pastore summo, videlicet Pontifice, vna Prouincia respectu Papæ censetur, & Romæ sunt omnes mundi nationes, vnde verisimile est, quòd quando ibi Constitutio aliqua noua promulgatur, illi, qui Romæ commorantur, certas eorum ciuitates, & prouincias faciant, vt proinde illa promulgatio Romæ facta, sufficiens esse censeatur: aliàs, vt Sylvest. *vbi suprà* notat, multæ Decretales Pontificis non obligarent, quandoquidem multæ illarum in Prouinciis non sunt vnquàm promulgatæ, in quibus tamen obligant, seruantur, & hoc maximè in legibus

bus Pontificiis vim habet, quæ non pendent ex acceptatione populorum.

Vnde ad quæsitum videtur dicendum, quòd licèt subditi excusentur, maximè qui penitus ignorant hanc Bullæ publicationem, non tamen excusantur primores, & illi, qui volentes, & scientes eam non solùm non publicant, sed neque acceptant.

Solùm potest eis fauere tolerantia, & dissimulatio summi Pontificis, qui dum scit hanc suam Bullam non esse ab omnibus receptam, tolerat, & dissimulat: hæc, inquam, tolerantia, & dissimulatio transgressores à peccato excusat, vt communiter prædicti Doctores dicunt.

Explicit Declaratio Bullæ.

DEO IESV CHRISTO laus in æternum.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM, AC PRÆcipuarum materiarum, quæ à R. P. Fr. FRANCISCO CORIOLANO Capuccino in hisce doctissimis Tractatibus quam accuratissimè explicantur, copiosissimus.

Prior numerus Summarium: posterior paginam indigitat: præterquàm in explicatione Bullæ Cœnæ Domini: vbi numerus tantùm paginam indicat.

A

ABbas an statutum, quod fecit, sine iusta causa reuocare possit. num.12.pag.514
Abbas, & Conuentus an possint facere statutum, per quod ligetur successor. num.11.pag.513
Abbas an ligetur eo statuto, quod cum Capitulo fecerit, & an ei contrauenire possit. num.11.pag.513
Abortus grauissimum peccatum. num.2.pag.737
Abortus quando fiat. num.1.pag.736
Absolutio ab excommunicatione an possit dari à non sacerdote, si ab eo lata sit. num.10.pag.35
Absolutio an bis cadere possit supra eadem peccata. num. 12. pag.51
Absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis. num 4.pag. 184
Absolutio à peccatis tantùm sufficit in quotidianis confessionibus. num.9.pag.186
Absolutio ab excommunicatione potest dari absenti: non autem à culpa. num.2.3.4.pag.215.& num.9.pag.220
Absolutio à maiori excommunicatione an dari possit per procuratorem. num 8.pag.229
Absolutio data ante acceptatum onus de se præsentando, non est valida ei, qui non acceptat. num.1.2.3.pag.183

Absolutio à casibus reseruatis ad eos pertinet, ad quos pertinet reseruatio casus. num. 2. pag. 37
Absolutio inualida multipliciter potest euenire. num. 1. pag. 214
Absolutio an dimidiari possit. num. 4. pag. 44
Absolutio absque facultate data, nulla est. num. 2. pag. 99
Absolutio vt sit valida, an sufficiat ratihabitio. num. 1. pag. 171
Absolutio peccatorum an in foro conscientiæ à solo sacerdote detur. num. 10. pag 35
Absolutio per vim obtenta an valeat. pag. 968
Absolutio ab excommunicatione an possit dari per procuratorem. pag. 965
Absolutio ab excommunicatione an dari possit absenti, & ignoranti, & inuito. num. 3. pag. 161
Absolutionem excommunicatus petere debet: quia nisi eam petat, correctus an sit, necne ignoratur. pag 967
Absolutionem ab excommunicatione an superiores in aliquibus casibus grauioribus possint sibi reseruare. num. 4. pag. 32
Absolutionem ab excommunicatione potest sibi reseruare superior. num. 1. pag. 31
Absolutionis forma quæ. num. 8. pag. 186. Eius diuersæ formæ pro diuersitate temporum. num. 11. pag. 187
Absolutionis ab excommunicatione forma, quæ. num. 11. pa. 36
Absolutionis ab omni casu forma, etiam à Papali, & quæ datur fratribus agonizantibus. num. 13. pag. 182
Absolutionis forma pro habentibus indulgentiam plenariam. num. 12. pag. 187
Absoluentium absque facultate pœna, quæ. num. 1. pag. 99
Absoluens absque auctoritate mortaliter peccat. num. 5. p. 100
Absoluere à peccato veniali quilibet sacerdos potest. num. 1. pag. 354
Absolui per literas potest excommunicatus absens. pag. 964
Absolui potest excommunicatus etiam inuitus. pag. 967
Absolui à reseruatis qui non potest, an ad altare possit accedere. num. 8. pag. 207
Absoluitur nemo ab excommunicatione Bullæ cœnæ Domini, nisi à Romano Pontifice. pag 959
Absoluens ab excommunicatione Bullæ cœnæ Domini absque auctoritate, an aliquando excusetur. pag. 970
Absoluendi facultas à reseruatis an de iure resideat apud Confessarios. num 16. pag. 159
Absoluendi simplex ministerium an delegari possit. num. 1. 2. 3. pag. 156

Absoluendus sufficienter satisfacere debet læsæ parti pro sua facultate. num. 11. p. 26
Absolutus tempore Iubilæi, licèt non consequatur indulgentiam: quia non facit id, quod præcipit Bulla; remanet tamen absolutus. num 2. pag. 396
Absolutus in mortis articulo ab excommunicatione; & reconualescens, an teneatur se præsentare Superiori pro excommunicatione: non pro casu reseruato. num. 6. p. 58
Absolutus tempore Iubilæi, si obliuiscitur alicuius casus, vel censuræ, liber manet à præsentatione. num. 4. p. 396
Absolutus quis coram Deo per contritionem, quid recipiat, quando ei dicit Confessarius; *Absoluo te.* num. 7. p. 316
Absolutus in mixtis ab Ecclesiastico iudice, potest reconueniri à iudice sæculari. pag. 944
Absolutus per vim, nouam excommunicationem incurrit. pag. 870
Absens quando censeatur absolutus. pag. 965
Absenti an possit dari absolutio. num. 1. pag. 221
Academia Parisiensis an aliquando appellationem interposuerit contra Summos Pontifices. pag. 883
Acclamatio an faciat indicium. num. 18. pag. 592
Acceptor personarum non debet esse Confessarius. num. 5. pag. 258
Acceptio personarum quæ. num. 5. pag. 258
Accusare tenetur quilibet pro bono Reipublicæ. num. 14. pag. 671
Accusare quando possit inimicus. num. 12. pag. 670
Accusare qui prohibeantur ex lege. num. 11. pag. 670
Accusare quis teneatur. num. 6. pag. 559
Accusans aliquem de falso, & non probans, qua pœna dignus sit. num. 11. pag. 564
Accusator se inscribere debet, & obligare ad pœnam talionis subeundam, si in probatione defecerit, & ad prosequendam litem vsque ad finem. num. 1. pag. 556
Accusatio tres solemnitates habere debet. num. 1. pag. 556. & quid in ea obseruandum. ibid.
Accusatio quando reddatur vitiosa. num. 8. pag 562
Accusatio in scriptis est facienda. num. 1 pag. 556
Accusationem an præcedere debeat secreta correptio: sicut ante denuntiationem. num. 5. pag. 558
Actus consummatus quando dicatur. num. 18. pag. 777
Actus morales recipiunt rationem boni, & mali tum ex obiecto, tum ex dispositione agentis. num. 7. pag. 246

Ad accusationem sex sunt necessaria. num.3.pag.667
Adam an minus peccauerit,quàm Eua. num. 2.pag.362
Afflicto non est addenda afflicto. pag.892
Agnum quisquis comedit extra Ecclesiam , profanus est. pag.878
Aliud est legere libros prohibitos , aliud legere libros hæreticos. pag.857
Ad quem spectat ligare;spectat & soluere. pag.959
Anathema ab excommunicatione maiori in quo differat. pag. 848.Quomodo feratur.ibid. Eius tres significationes. ibid.
Anima an sola:an verò etiam totus homo viuat in purgatorio. num.3.pag.333
Animæ in Religione sunt Dei sponsæ , cum quibus delectatur sponsus. num.4.pag.476
Apostata an sit dicendus rebellans se ab obedientia Commissarij Generalis. num.6.pag.451
Apostata ab obedientia quis censeatur. num.5.pag.450
Apostata exterior tantùm,non interior,an incurrat in excommunicationem iuris. num.4.pag.449
Apostata deferens habitum occultum , est excommunicatus. num.23.pag.460
Apostata an sit , qui transit ad aliam religionem. num. 10. pag.453
Apostata non est,qui transit ad arctiorem religionem. num.11. pag.453
Apostata à religione quis dicatur. num.9.pag.452
Apostata à fide quis dicatur. num.3.pag.448
Apostatæ etiamsi deferant habitum , sunt excommunicati. num.22.pag.459
Apostata tanquàm excommunicatus est vitandus:& si ad Ecclesiæ gremium reuertatur,est absoluendus à censura. num.4. pag.450
Apostatæ sunt infames ipso iure.num.20.pag.459.Non possunt esse testes,nec accusatores. num.21.pag.459
Apostatæ à fide , incurrunt omnes pœnas à iure in hæreticos statutas. num.3.pag.449
Apostatæ,& fugitiui an sint promouendi ad ordines. num.25. pag.486
Apostatæ à fide an comprehendantur,& subiaceant excommunicationi. pag.852
Apostatis credentes an excommunicari possint. pag.852
Apostatis an liceat celebrare Missam , prædicare , docere , vel confessiones audire. num.26.pag.461

Aposta

Apostasia an impediat à susceptione ordinis. num.6.pag.472
Apostasia quid sit. num. 1. pag. 448. Et quotuplex. num. 2. pag.448
Apostasia an sit species distincta ab hæresi. num. 3. pag. 448. & 449
Appellare an liceat à declaratione ab excommunicatione. num.26.pag.733.
Appellare an possit reus conuictus,& confessus. num.2.pag.722
Appellari an possit à sententia iudicis declarantis delictum esse notorium.num.9.pag.725. Quod limitatur. num.10.ibid.
Appellari potest ab omni sententia. num.17.pag.729
Appellans extra ordinem , est excommunicatus. num. 29. pag.735
Appellans , & assignans causam probabilem contra suam confessionem,est audiendus. num.5.pag.724
Appellans iniustè an absolui possit à Confessario,si appellationi non renunciauerit. num.8.pag.725
Appellans , qui iustè damnatus est , peccat mortaliter.num.6. pag.724
Appellans,qui est conuictus de crimine,obligatur ad restituenda omnia damna,& interesse,quæ ex sua iniusta appellatione proueniunt. num.7.pag.725
Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium,an incurrant excommunicationem. pag.861.& pag.874
Appellatio , quando non est copia iudicis , an interponi possit coram alia honesta persona. num.22.pag.731
Appellatio dupliciter fit,voce,& factis. num.24.pag.732
Appellatio in dubiis est admittenda. num.21.pag.732
Appellatio à sententia Romani Pontificis est quædam palliata rebellio. pag.861
Appellatio friuola quæ dicatur. num.30.pag.643.& pag.919. & 723
Appellatio in iudicio Regulari admitti debet,quocumque modo fiat,siue scriptis,siue voce. num.20.731
Appellatio in scriptisne fieri debet,an voce,& quis modus in ea seruandus. num.20.pag.730
Appellatio siue ad præsens , siue ad futurum Concilium , est prorsus illicita. pag. 879. Contrariæ assertiones diluuntur. pag.879.& 880.& 881
Appellatio an sit de iure naturæ. num.1.pag.722
Appellatio,si timeatur iudex,an possit fieri publicè , aut coram aliqua honesta persona. num.22.pag.731
Appellationis libellus quid complecti debeat.num.20.pag.730

Appellationis ordo quis. num.28. pag.735
Appellatione iusta interposita nequit procedere iudex.num.25. pag.733
Appellationem iustam admittere debet iudex,alioquin punitur. num.21.pag.731
Appellationes cursum iustitiæ præcludunt,immortales reddunt lites,opprimunt innocentes,& per eas improborum audacia crescit. pag.876
Apostolus Corinthium illum, qui patris vxorem acceperat, satanæ tradidit in interitum carnis. pag.825
Appropriatio vnius denarij,vel plurium non facientium quantitatem notabilem,an faciat monachum Carthusianum proprietarium. num.15.pag.516
Aqua sale conspersa aspersos sanctificat,& animarum sterilitatem curat. num.6.pag.347
Arbitrium iudicis à iure regulandum. num.11.pag.702
Arma dans hostibus ex vrbanitate, seu ex bono fine, an incidat in excommunicationem. pag. 902. Et an hæc prohibitio sit etiam de iure communi. ibid.
Arma hostibus subministrare de iure communi est prohibitum. pag.902
Armorum nomine quæ veniant. pag.902
Articulus necessitatis quis. num.7.pag.383
Articulus mortis, & periculum mortis quomodo distinguantur. num.2.pag.193
Aspersione aquæ benedictæ an doleantur peccata venialia. num.6.pag.346
Assertiones pro inquisitione facienda num.10.pag.549
Astrologiæ an liceat studere, necne. num.22.pag.437
Astrologia an sit scientia damnosa. num.25.pag.440
Astrologia est scientia periculosa. num.23.pag.438
Astrologia iudiciaria an sit scientia falsa. num.22.pag.437
Attentans, & non consummans actum, non comprehenditur in casu reseruato. num.9.pag.26
Attritio quid sit. num.3. pag.313. Et quotuplex. ibidem.

B

BAptismus est ianua Sacramentorum. pag.826
Baptismum, & fidem Christianam præuaricantur, qui diuinantium domos ingrediuntur, eósque interrogant. num.27.pag.441
Bohemorum hæreses in Concilio Constantiensi damnatæ. pag.828
Bona derelicta, aut pro derelictis habita capiens, an incidat in excommunicationem. pag.890
Breue Pij IV. contra confessarios sollicitantes pœnitentes ad peccatum carnis. num.2. pag. 235. Ampliatur contra sollicitantes adolescentes. num.3.pag.236
Breuia,vt licitè portentur,qualia esse debeant.num.21.pag.437
Bulla Cœnæ Domini omnes Christianos, quacunque dignitate præditos,& in quocumque gradu constitutos comprehendit. pag.832
Bulla Cœnæ Domini omnes,& singulos obligat. pag.973
Bulla Cœnæ Domini antiquior Martino V. pag.829
Bulla an sit ius,quod cum morte conditoris finitur. pag.834
Bulla non finitur cum morte Papæ: sed durat vsque ad nouam bullam successoris. pag.834
Bulla in Cœna Domini variis temporibus mutata est. pag.835
Bulla cruciatæ ne regulares vtantur ad effectum absolutionis à reseruatis,speciali decreto Clem. VIII. cauetur.n.5.pa.386
Bullæ veteris obligatio cessat per nouæ Bullæ promulgationem. pag.844
Bullæ excommunicationes an sint ab homine. pag.833. An verò à iure. pag.834
Bullæ cruciatæ tenor quis. pag.387
Bullæ Cœnæ Domini vis,& auctoritas. pag.831
Bullam cruciatæ an Regulares accipere possint. num.1.p.384

C

CAdauer interfecti recognosci debet per testes, qui dum interfectus in humanis esset,illũ cognouerunt.n.8.p.612
Calumniator quis dicatur. num.8.pag.562
Capitulum,seu Conuentus excommunicari non potest, sed bene interdici. pag.869
Capitula nulla quantuncumque generalia possunt statuere, vt professio trium votorum substantialium facta non valeat. num.4.pag.413
Carceratus an possit cum carcerato excommunicato conuersari ex necessitate. num.3.pag.155
Capuccini obseruant sancti Francisci regulam iuxta textum,& literam. num.3.pag.385
Capuccinorum Generalis in toto ordine potest sibi eligere quencumque sacerdotem in confessarium. num.8.pag.106
Capuccini an licitè transeant ad Carthusianos. nu.15.pag.455
Carthusiani an licitè transeant ad Capuccinos. num.16.p.456
Casus resequatus debet esse certus. num.4.pag.23

Casus reseruandi vsus. num.7.pag.8
Casus quispiam potest habere plures significationes : vnam propriam,& alteram impropriam;propria assumi debet, impropria omissa. num.4.pag.23
Casus non expressus in textu Decreti habetur pro omisso. num.4.pag.23
Casus reseruare an pertineat ad Guardianos. num.1.pag.37
Casus reseruatus de apostasia quando habet locum. num. 30. pag.467
Casus omissus in Decreto relinquitur dispositioni iuris communis. num.4 pag.23
Casuum in reseruatione seruanda est proprietas vocabuli:non extensio. num.6.pag.24
Casuum reseruatio debet fieri cum præuia discussione,& matura deliberatione. num.14.pag.29
Casuum reseruatio debet fieri de actibus exterioribus. num.7. pag.24
Casuum reseruatio est medicina præseruatiua , & curatiua. num.2.pag.22
Casuum reseruatio an possit fieri indifferenter. num.1. pag.22
Casuum reseruatorum remedia. num.13.pag.32
Casuum reseruatio sit tantùm circa mortalia : non autem circa venialia. num.10.pag.26
Casibus in reseruandis quid attendendum. num.3.pag.23
Causæ maiores vt in foro iudiciario requirunt maiores iudices : ita in foro animæ maiora peccata maiores iudices. num.8.pag.10
Catholicæ fidei vnitatem nihil est , quod magis laceret, & diuidat,ac rebellio,diuisio & schisma. pag.845
Cautela spiritualis. num.7.pag.77
Cautelæ deceptorum quæ. num.9.pag.79
Censura quid,& cur sic dicta. pag.847
Censuræ an multiplicentur propter multiplicationem Bullarum. pag.843
Censuræ sunt Ecclesiæ spiritualis gladius quo malos, à bonorum consortio separat, eósque tanquàm membra putrida à corpore Ecclesiæ abscindit , ne reliqua membra inficiant. pag.846
Censurarum absolutio etiam aliis extra ordinem potest committi. num.8.pag.383
Charitas palliata,quæ. num.8.pag.78
Charitatem an tollat excommunicatio. pag.828
Christus facultatem excommunicandi tradidit Petro , & omnibus eius successoribus. pag.817
Christianus nihil sic debet formidare,quàm separari à Christo. pag.825
Christianorum bona in nauibus infidelium deprædantes an in canonem Bullæ Cœnæ Domini incurrant. pag.890
Christianæ religionis inimicos qui certiores faciunt de statu Christianæ Reipublicæ,incidũt in excommunicationẽ.p.905
Christiani in triremibus infidelium remigantes, an peccent mortaliter. pag 888
Chrysostomus mira dicit contra patiẽtes mulierbria.n.22.p 780
Ciceronis notabile dictum pro iudicibus, vt rectè iudicent. num.26.pag.639
Circunstantia diei festi an necessariò sit confitenda.n.6.p.276
Circunstantiæ personæ quando necessario confitendæ:& quando non. num.7.pag.277
Circunstantiæ illæ in confessione sunt dicendæ , quæ diuersis, specialibúsque præceptis prohibentur. num 4.pag.275
Circunstantiæ peccatorum quæ necessariò sunt confitendæ. num.2.pag.273
Circunstantiæ an sint confitendæ in actibus interioribus. nu.3 pag.275
Circunstantiæ peccatum minuentes an sint declarandæ.num.2. pag.327
Circunstantias,quæ peccatum adaugent,confiteri,laudabile est. num.5.pag 276
Clausuræ in Religione vsus antiquus.num.8.pag.479.Quid de ea statuerit Concilium Aquisgranense. num.10.pag.479
Clemens IV. bene semper affectus fuit erga Ordinem S. Francisci. pag.881
Clericus licèt aliquo casu possit reconueniri coram iudice sæculari:non tamen potest cogi ad soluendum facta condemnatione. pag.945
Clericus quando dicatur amisisse priuilegium sui fori. pa.954
Clerici an soluere teneantur datia vini,carnium, & p anis eiusmodi. pag.949
Clerici onera, & gabellas soluere tenentur : quando soluuntur pro communi periculo , seu damno euitando. pag.952. nisi summus Pontifex eis immunitatem concesserit speciali aliquo priuilegio. ibidem
Clerici in censibus, & tributis possunt coram iudice sæculari conueniri. pag.945
Clerici primæ tonsuræ an gabellas soluere teneantur.pag.948
Clerici an absque gabellæ solutione vendere possint bladum, vinum,

vinum,oleum,& similia habita tam ex fundis patrimonialibus,quàm beneficialibus. pag.949
Clerici assumentes habitum clericalem sine vlla intentione clericandi,an clericorum priuilegiis gaudeant. pag.951
Clerici coniugati an gabellarum immunitate gaudeant.p.949
Clerici non possunt cogi ad hospitandum militem. pag.950
Clericum eiiciens è suo territorio, an incurrat excommunicationem. pag.916
Clericum percutiens,quem inuenit cum vxore, matre, sorore, aut filia,an incurrat excommunicationem. pag.915
Clericum verberans causa defensionis , si excedit modum inculpatæ tutelæ,non ex proposito : sed inaduertenter , an incurrat excommunicationem. pag.914
Clericorum nomine qui veniãt in Bulla Cœnæ Domini.p.909
Cogitatio,vel delectatio morosa de pulchra muliere visa , aut de viro, an sit peccatum mortale. num.10.p.768.& 769
Cogitatio morosa quæ,& quando sit. num 9.pag.767
Condemnatus ex præsumptione iuris, & de iure, non auditur. num.12.pag.726
Conditio nulla ponenda est in absolutione. num.2.pag.181
Conditio triplex potest considerari in absolutione. n.1.p.180
Conditiones duæ excusant,vt quis sine confessione ad communionem accedat. num.6.pag.206
Collegium an excommunicari possit. pag.869
Communicans cum excommunicato in quibus casibus excommunicationem non incurrat. num.11.pag.628
Communicatus qui non est in paschate,an liber maneat à præcepto pro illo anno. num.5.pag.337
Communionem differre aliquo temporis spatio an teneatur, qui peccauit mortaliter : etiamsi contritus , & confessus sit. num.11.pag.353
Commissariis generalibus nullus resistere debet. num.7.p.451
Commissariatus officium sine limitatione datum, durat etiam post mortem delegantis. num.4.pag.166
Cõmissariatus officiũ an duret post mortẽ mittẽtis. n.3.p.165
Complicis personam in confessione manifestare an liceat.nu.1. & 2.pag.365.& quando. num.3.pag.365
Concilium generale an sit supra Papam. pag.866
Concupiscentia eiusdem est speciei cum peccato , quod committi desideratur. num.3.pag.763
Concupiscentia quid sit. num.2.pag.763
Confiteri tenetur homo statim post patratum peccatum in quinque casibus. num. 4. pag. 269. Nimirum quando est in probabili periculo mortis.num.4.pag.269.Quando non potest haberi faciliter copia confessarij in tempore statuto. num.4.pag.270.Quando conscientia dictat,vt statim confiteatur.eod.num. pag.271. Quando suscipienda est Eucharistia.num.4.pag.271. Quando venit tempus ab Ecclesia statum. num.4. pag.272
Confitetur quoties homo,ei remittitur pars pœnæ peccati soluendæ in purgatorio. num.pag.320
Confitentes peccata sua semper per eadem verba,malè faciunt. num.2.pag.260
Confessarius an possit absoluere ab hæresi purè mentali. p.855
Confessarius malè absoluens pœnitentem , an teneatur ad aliquid. num.1.pag.214
Confessarius,si est subditus, omninò cauere debet ab interrogatione de complice. num.1.pag.369
Confessarius,quando est ita ignarus, vt nesciat discernere inter lepram,& lepram,confessio est iteranda. num.9.pag.285
Confessarius de nouo electus in primis quærere debet , quare pœnitens suum proprium confessarium non adeat.n.4.p.409
Confessarius frangẽs sigillum qua pœna dignus sit. n.20.p.310
Confessarius mulieris in desertum à marito ductus , & ab eo interrogatus per minas ; an vxor sua ei adulterium confessa sit,quid faciet. num.8.pag.303
Confessarius in plurimis sequi debet opinionem probabilem pœnitentis. num.2.pag.140
Confessarius discernere debet inter peccata. num.1.pag.277
Confessarius an possit præsentationem facere pro suo pœnitente. num.13.pag.52
Confessarius est veluti medicus. num.17.pag.135. veluti magister. num.18.pag.136. veluti iudex. num.19.pag.136.Bonitas in eo requiritur.num.20.pag.136. Scientia debet pollere. num.22.pag.137
Confessarius cognoscens aliquam , an possit eam absoluere. num.13.pag.132
Confessarius excusatur à testimonio ferendo in iudicio contra confitentem. num.21.pag.578
Confessarius ostendens pœnitenti onus de se præsentando, nullam apponit conditionem in absolutione. nu.4.pag.182
Confessarius ignarus debet sequi opinionem pœnitentis docti. num.1.pag.140
Confessarius in quibus casibus non debeat pœnitenti dare absolutionem. num.3.pag.289
Cõfessarius an debeat sequi opinionẽ suã,an pœnitẽtis.n.1.p.140

Confessarius non facile mutandus. num.14.pag.287.& 288
Confessarius post impositam, & acceptatam pœnitentiam, det absolutionem. num. 5. pag 182. An ante etiam aliquando. num.6.pag.182
Confessarius antequam accedat ad audiendas confessiones, conteri debet, si peccato mortali est irretitus. num.21.pag.136
Confessarius an possit aliquando secundam personam in confessione interrogare. num.2.pag.84
Confessarius est veluti pater. num.14.p.132
Confessarius suámne, an Superioris opinionem sequi debeat. num.3.pag.141
Confessarius certò sciens pœnitentem commisisse peccatum aliquod mortale, de quo non confitetur, quid agere debeat. num.6. pag.265
Confessarius semel approbatus discedens, & posteà rediens, non debet iterum examinari. num.8.pag.146
Confessarius pro pœnitente orare debet. num.16.pag.135
Confessarius de licentia pœnitentis potest loqui extra confessionem de auditis in confessione. num.1.pag.190
Confessarius deputatus apud Capuccinos non potest alium delegare. 5.pag.160
Confessarius recta intentione, dicens; *Absoluo te, &c.* etiam ab excommunicatione absoluit. num. 6.pag. 185. Intentio recta, quæ dicatur. num.7.pag.185
Confessarius non potest absoluere pœnitentem à reseruato, quando delictum est publicum. num.1.pag.154
Confessarius regularis an ab excommunicatione generaliter lata possit absoluere. num.4.pag.169
Confessarius an explicare teneatur pœnitenti onus de se præsentando Superiori. num.1.pag.175
Confessarius non debet esse acceptor personarum. num.5.pag. 258
Confessarius debet se gerere cum pœnitente: sicut obstetrix cum fœmina parturiente. num.5.pag.261
Confessario, qui se præsentaturum pro subdito promisit, moriente ante præsentationem, ipse subditus tenetur se præsentare.num. 17. pag.54
Confessario dubitanti quid faciendum. num.5.pag.24
Confessarium indignum qui eligit, quem sola confessione talem esse nouit, an incurrat in pœnam suspensionis. num.4. pag. 86
Confessarium eligens indignum, sic cognitum, an pœnam incurrat. num.2.pag.85

Con

Confessarium an sibi possint eligere pro libitu Sacerdotes subditi. num.1.pag.118
Confessarij extraordinarij aliquando nouitiis concedendi pro bono animarum ipsorum. num.10.pag.404
Confessarij semel approbati possunt aliquando etiam extra territorium absoluere. num.7.pag.146
Confessarij deputati an possint ad libitum absoluere à casibus reseruatis omnes suos pœnitentes. num.1.pag.143
Confessarij curiosi esse non debent in interrogationibus non necessariis. num.5.pag.262
Confessarij idoneitas quænam sit. num.5.pag.103
Confessarij cautela in interrogando pœnitentem. num.2.pag. 324.In interrogationibus tria seruanda.num.2.& 3.pag.325
Confessarij sunt iudices arbitrarij. num.5. pag. 5. quare sic dicti. ibid.
Confessarij sollicitantes pœnitentes ad peccatum carnis, sunt suspecti de hæresi. num.1.pag.234
Confessarij prudentis officium est, non cauterizare conscientias pœnitentium infirmas. num.11.pag.131
Confessarij regulares ab omnibus possunt absoluere præter casus Bullæ in cœna Domini. num. 1.pag. 143. Dicta facultas limitatur in sex casibus. num.2.pag.144
Confessarij insufficientes an excusentur, quando sunt à Superiore expositi.num.23.pag.137.&num.25.pag.138
Confessarij in vna diœcesi admissi, an possint etiam in alia Confessiones audire. num.12.pag.148
Confessarij, qui se offerunt ad præsentationem faciendam, reprehenduntur. num.14.pag.52
Confessarij sollicitantes pœnitentes ad carnale peccatum in actu confessionis, sunt suspecti de hæresi. num. 26.pag.785. Extra verò actum Confessionis non sunt de hæresi suspecti. num.27.pag.785
Confessarij regulares extra Italiam possunt etiam à reseruatis ab Episcopo absoluere. num.6.pag.145
Confessarij cautela contra versutiam Superioris. num.1.p.161
Confessarij in vrbe approbati, non debent extra vrbem examinari. num.13.pag.149
Confessarij sigillum confessionis conseruare debent. num.12. pag.131
Confessarij an peccent, cùm impœnitentes absoluunt.num.28. pag.597
Confessarij cum pœnitentibus quatuor officia facere debent. num.13.pag.132

Con

Confessarij excommunicatos absoluentes, non tenentur seruare formam obseruatam in publicis absolutionibus. n.14. pag. 149
Confessarij, qui onus suscipiunt se præsentandi pro pœnitentibus, debent id facere quamprimùm possunt. n.2.pag.378
Confessor non habens iurisdictionem, an teneatur ad sigillum. num.11.pag.105
Confessarios deputandi modus varius. num.19.pag.153
Confessus de aliquo reseruato cum habente auctoritatem, non tenetur se iterùm præsentare, si absque contritione confessus est. num.13.pag.287
Confessus falsa per vim tormentorum an incidat in casum reseruatum. num.19.pag.592
Confessio spontanea an mereatur mitioré pœnam. n.20.p.720
Confessio instituta est à Christo tanquàm forum. num.1.pag.1
Confessio sola delicti an sufficiat ad condemnationem, si non adsit querela partis, aut aliqua alia informatio, n.16.p.688
Confessio vera comitata esse debet lachrymis.num.1.pag.312. Contrita.num.2.pag.312.Attrita num.3.pag.313
Confessio non debet esse vestita coloribus, & inuolucris verborum:sed simplex,& nuda. num.1.pag.275
Confessio peccatorum laïco facta an sit sacramentalis. num.4. pag. 89
Confessio quomodo non fuit nulla; licèt iniquè data, quid teneatur facere Sacerdos. num.5.pag.218
Confessio comitem debet habere pudorem, & verecundiam. n.1.pag.288. Vt erubescat de fœditate peccati. n.2.pag.288
Confessio publicè fieri non debet. num.1.pag.299
Confessio non integra an sit licita. num.8.pag.46
Confessio spontanea, libens,& prompta esse debet.n.1.pag.280
Confessio fortis esse debet, & superare timorem. n.1 pag.324
Confessio tanquam forum est. num. 4. pag.4. In ea sacerdotes sunt iudices arbitrarij. ibid.pag.5
Confessio non integra quando valida. num.6.10.11.pag.294. & 297
Confessio an sit de iure diuino. num.1. pag. 334. & n.2.pag.2
Confessio valida an sit, quando quis habens ignorantiam iuris,& facti, nescit se excommunicatum. num.4. pag.282
Confessio fieri debet sine admixtione historiarum, & aliorum impertinentium. num.1.pag.242
Confessio quando instituta. num.3.pag.3
Confessio debet fieri flexis genibus. num.1.pag.253.Aliquando etiam non flexis. num.2.pag.253

Con

Confessio,quæ absolutionem mereatur, quibus debeat esse ornata conditionibus. num.7.p.226
Confessio fidelis verax esse debet,& aliena à mendacio.num.2. pag. 263
Confessio scripta periculis subiacet. num.7.pag.226
Confessio fieri debet cum bona intentione, num.1.pag.260
Confessio frequens quas vtilitates afferat. num 1.pag.320
Confessio accusans:non autem excusans esse debet.num.1.& 2. pag.327
Confessio est augmentatio gratiæ. num.2. pag.320
Confessio peccatorum generalis an sufficiat. num.5.pag.349
Confessio generalis an sit laudanda. num.3.pag.322
Confessio per literas, & internuncium an sit permissa.num.1. pag 220
Confessio an sit differenda post peccatum patratum. num.1. pag.319
Confessio est ad instar actus iudicialis. num.3.pag 100
Confessio facta sine vllo dolore, contritione & peccati detestatione, iteranda est. num.3.pag.281
Confessio oris sit ad salutem. num.7 pag 227
Confessio ante communionem potest dimitti, si tunc timetur, quòd Confessarius reuelaturus sit confessionem.n.7.pag.207
Confessio debet esse integra quantum ad peccata mortalia. num.1 pag.291
Confessio debet esse lachrymabilis:id est cum displicentia omnium peccatorum. num.1.pag.312
Confessio extraiudicialis an faciat indicium ad torturam.n.13. pag.590
Confessio quando inualida,& iteranda. num.3.pag.280
Confessio ad hoc, vt pœnitentes remissionem peccatorum à Domino percipere mereantur, debet esse simplex. pag. 242. humilis. pag. 252. Pura. pag. 260. Fidelis. pag. 263. Frequens. pag.266. Nuda. pag.273. Discreta. pag.277. Libens. pag.279. Verecunda. pag. 288. Integra. pag. 291. Secreta. pag.298.Lachrymabilis.pag.312. Accelerata. pag.319. Fortis.pag. 324. Accusans. pag.326. parere parata. pag.328
Confessionis vsus,quando ex eo reuelatio non sequitur, an sit per se malus. num.1.pag.83
Confessionis sacramentum est singulare præsidium recuperandi oues perditas, eas confortandi, ac præmuniendi contra luporum inuasionem. num.2.pag.62
Confessionis dimidiatio duplex. num.5.pag.49
Confessionis integritas duplex. num.8.pag.14

Con

Confessionis mutilatio si veniat ex negligentia excessa, inualida est. num.2. pag.292
Confessiones audire tempore Iubilæi an possit is, qui auctoritatem non habet ab ordinario. num.1.pag.212
Confugientes ad Ecclesiam qui extrahit, incidit in censuram canonum. pag.934
Coniecturæ doli commissi plures sunt. num.15. pag.705.706.707
Consanguineorum pro defensione an liceat etiam occidere. num.22.pag.692
Consensus duplex. num.3.pag.58
Consensus quis requiratur ad peccatum mortale. num.5.pag.764
Consensus virtualis sufficit ad constituendum peccatum mortale. num.8.pag.767
Consensus interpretatiuus an sufficiat ad incurrendum peccatum mortale. num.7.pag.766
Consensus est duplex: expressus, & tacitus. num.4. pag.764
Consensus interpretatiuus quis dicatur. num.6.pag.765
Conseruatio iustitiæ, & publicæ pacis induxit summos pontifices ad Bullæ Cœnæ Domini promulgationem. pag.845
Consilium optimum est, vt confessarius pœnitentem obliget ad pluries confitendum. num.1.pag.266
Consilium laudabile est, pluries idem peccatum confiteri.n.3. pag.267
Consolatio pro confessariis. num.26.pag.139
Conspiratio est cauenda, & punienda. num.28.pag.542
Constantinus magnus iudicare noluit de personis,& rebus Ecclesiasticis. num.12.pag.529
Constitutio Clementis VIII. de largitione munerum.n.22. pag.719
Constitutio Sixti V. contra abortum procurantes,moderata à Gregorio XIV. num.11.pag.741
Constitutionis nomen quid denotet. pag.834
Consuetudo longi temporis decursu munita, cuius initium in hominum memoria non est,dat quidem ius ei, qui capax est potestatis:sed non dat ius ei,qui non est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ. pag.929
Consuetudo est optima legum interpres. num.8.pag.111
Conteri de peccato an teneatur quis statim post patratum peccatum. num.4.pag.315
Contritio quando sufficiat absque confessione,vt quis ad altare accedat. num.5.pag.410

Con

Contritio tam magna esse potest,vt sola totam pœnam remittat. num.9.pag.131
Contritio sufficit ei, qui ore confiteri non potest,cùm nec valeat per epistolam,aut per internuncium. num.8.pag.229
Contritio vt vera sit,quantus dolor esse debeat.num6.pag.316
Contritionis veræ signa sex. num.5.pag.289
Contritionem habere de singulis mortalibus, an sit necesse. num.4 pag.315
Conuentus an excommunicari possit. pag.869
Conuentus nomine quæ veniant. num.14.pag.754
Corporaliter an puniendus quis sit, si dolus non intercedat. num.13.pag.702
Correctio delinquentis si non sperretur,statim est denuntiandus prælato. num.8.pag.535
Correptio fraterna quando præcedere debeat denuntiationem, & quando non. num.6.pag.534
Credulitas an excuset à delicto. num.13.pag.717
Crimen quando est contra rempublicam, cum vno teste iudex facere potest inquisitionem. num.15.pag.552
Crimina falsa imponere est peccatum mortale. num. 24. pag.581
Criminibus in quibus omnes admittantur ad accusandum. num.13.pag.671
Curati prælatos certiores facere debent, qui in quadragesima vnius cuiusque anni fuerint confessi, & qui non. num. 4. pag.272
Cursales qui dicuntur.pag.886.quam excommunicationem incurrant;& an eandem subeant personæ accessoriæ. pag.887
Cursales omnes excommunicatione feriuntur. pag.886

D

DÆmon multùm insurgit contra hominem: dum peccata secum recondita habet, nec medico spirituali aperit. num.2.pag.320
Dæmon an ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis,& signis externis occultas hominum cogitationes cognoscere possit. num.23.pag.439
Dæmon variis modis præstigias efficere solet. numer. 14. pag.433
Dæmon aliquando de loco ad locum transfert lamias.num.15. pag.434
Dæmones ex perfectione ingenij an coniiciant nonnunquam

quid homines fâcturi sint.num.7.pag.430. An aliquando ex reuelatione.num.8.ibid. An etiam aliquando ex longa consuetudine. num.9.ibid.
Dæmonis inuocatio est maximum peccatum. num.1.pag.427
Dæmonis expressæ inuocationis multiplices species. num. 11. pag.431
Dæmones sanguinis amatores sunt. num.19.pag.436
Dæmones vt facilius prouocentur, quoties necromantia fit, cruor aquæ misceri solet. num.19.pag.436
Damnati ad triremes an possint absolui à quibuscunque casibus per Confessarios Cappuccinorum. num.4 pag. 45
Damnationis sententiam quicunque meretur accipere,si in suo sensu voluerit permanere,nullus relaxare poterit. pag.967
Decretum Clem. VIII. de confessione non facienda per internuncium,aut per epistolam.num.2.pag.221.Contrarium docentes quas pœnas incurrant.eod. num.pag.222
Decretum Clementis VIII.est veluti motus proprius. num. 5. pag.414
Defectus peccatorum an sint sub sigillo. num.16.pag.308
Defensio nulli est deneganda. num.1.pag.608
Defensio est de iure naturæ. num.1.pag.607
Defensores librorum hæreticorum qui dicantur. pag.858
Delectatio morosa cuius generis sit peccatum.num.11.pag.770
Delectatio consurgens ex tactibus, non motiuo inhonesto factis,non est peccatum mortale. num.12.pag.770
Delegante mortuo, si causa cœpta est,durat officium delegati vsque ad finem causæ: si verò cœpta non est,debet eam non incipere. num.5.pag.166
Delegatus non debet excedere fines suæ commissionis. num.8. pag.416
Delictum manifestare subditus in quibus casibus non teneatur, non obstante generali mandato,vel etiam excommunicatione. num.17.pag.538
Delictum si quis priuatim scit solus,non tenetur reuelare,si timet sibi notabile damnum euenturum. num.16.pag.537
Delictum an excuset ebrietas. num.7.pag.714
Delictum,si quod scelere,vel alia de causa sit commissum, & à quo ignoretur,quid agendum. num.11.pag.613
Delictum alicuius an reuelare teneamur,quando res est secreta. num.20. pag.539
Delictum denuntiare non tenetur quis,quod ex leuibus personis scit. num.24.pag.541
Delictum denuntiare tenetur quis, quando iudex punitionem intendit,& iustè procedit. num.19.pag.539
Delictum notorium quod dicatur. num.11.pag.726
Delicti circunstantia necessariò confitenda,quando non potest manifestari absque reuelatione tertiæ personæ, tunc potest licitè reuelari. num.6.pag.368
Delictis in occultis proceditur ex coniecturis, & indiciis. num.3.pag.610
Delicta,& facta sua,vnde nasceretur offensio,tegendi quantum potest,ius habet quis. num.34.pag.665
Delinquere solitus quis dicatur. num.10.pag.589
Delinquens occultè an teneatur se prodere. num.42.pag.497
Delinquente emendato an quis teneatur eius delictum reuelare. num.18.pag.538
Delinquendi exemplum, quod ex delicto reuelato, per punitionem præbetur,plus nocet, quàm condemnatio delicti præteriti facta pœnitenti. num.2.pag.623
Delinquendi consuetudo an faciat præsumptionem. num. 9. pag. 588
Denuntiare quis non tenetur, si non est adhibita correptio, quando est adhibenda. num.13.pag.537
Denuntians omnino falsum, an sit puniendus. num.2.pag.542
Denuntiator non tenetur probare. num.25.pag.541
Denuntiatio Euangelica est duplex. num.2.pag.532
Denuntiatio iudicialis est duplex: priuata, & publica. num.3. pag.533
Denuntiatio sola delicti an sufficiat ad inquirendum. num.5. pag.611
Denuntiatio est duplex: Euangelica, & iudicialis. num.1. pag.532
Denuntiationem an præcedere debeat correptio. num. 5. pag.534
Denuntiationem vt præcedat correptio, non est necesse, vbi damnum Reipublicæ timetur. num.7.pag.535
Deputati ad confessiones audiendas an possint literas pœnitentiariæ aperire. num.16.pag.53
Deus ab eo,à quo offensus est,exigit iniuriæ satisfactionem,& compensationem. num.3.pag.333
Deus an quædam agat præter communem ordinem naturæ, & præter generalem suam, & ordinariam prouidentiam. num.24.pag.440
Dei auctoritas fons,& origo omnis auctoritatis Ecclesiasticæ, quæ per Christum in Ecclesiam deriuatur. pag.851
Diabolus timet, nec audet accedere ad eum, qui omnes eius

suggestiones confessario aperit. num.2.pag.320
Diaboli flatus prunas extinctas ardere facit. num.16.pag.82
Dimidiata confessio per se non est confessio: quando autem dimidiatio fit per accidens, tenet. num.1.pag.291
Dina domo egressa vt videret mulieres regionis, violata fuit. num.7.pag.478
Diuinatio per somnium quid sit. num.16.pag.434
Diuinatio quid sit. num.5.pag.428
Doctores, procuratores, tabelliones, aduocati, consiliarij, medici, chirurgi, & obstetrices, secretum seruare debent. num.8. pag.569
Dolus an coniecturis detegi, & probari possit. num.14.pag.705
Dolus quando non præsumatur. num.14.pag.704
Doli commissi coniecturæ plures sunt. num.15. pag.705.706. 707
Doli præsumptio cessat, si quis præsumatur bonus. num.14. pag.704
Doli præsumptio est, quando quis mendacium dicit. num.15. pag.706
Dolo non æquiparatur lata culpa in criminalibus. num.13. pag.702
Dolum committit, qui facit, quod sibi non prodest, & alteri nocet. num.15 pag.707
Dolosè facere videtur, qui clam, & occultè facit, quod palàm fieri solet. num.15.pag.707
Dormiens si quem vulnerauerit, aut interfecerit, an sit excusandus. num.8.pag.714

E

EBrius committens delictum tempore ebrietatis, an sit puniendus pœna ordinaria. num.7.pag.714
Ecclesia an solas res Ecclesiasticas administrare debeat. pa.932
Ecclesia per excommunicationem non damnificat: sed ostendit damnificatum. pag.826
Ecclesia an cognoscat de actionibus, quæ in solo intellectu sunt. num.7.pag.24
Ecclesia non iudicat de occultis. num.13.pag.457
Ecclesia cuncta per mundum nouit quòd sancta Romana sedes fas habeat de omnibus iudicandi, nec cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. pag.864
Ecclesia excommunicandi potestatem accepit à Christo. pag.823

Ecclesia excommunicationis gladio multa operatur, etiam quoad Deum, & quoad pœnam interiorem animæ. pag.824
Ecclesia an possit statuere, vt quis bis confiteatur peccatum suum. num.1.pag.55
Ecclesiæ totius appellationes ad S. Sedis examen sunt deferendæ. pag.875
Ecclesiæ perpetua traditio, cuius initium ignoratur, est signum iuris diuini. num.16.pag.202
Ecclesiam quisquis non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. pag.817
Ecclesiasticæ personæ nomine qui veniant. pag.917
Ecclesiastica persona an in aliquibus casibus trahi possit ad iudicium sæculare. pag.944
Ecclesiastici gabellas soluere non tenentur. pag. 948. Imò nec clerici primæ tonsuræ. ibid.
Ecclesiasticis personis an liceat pedagia imponere sine licentia summi Pontificis. pag.895
Egressio quælibet à Monasterio est mala: sed pessima est, quando est nocturna. num.12. pag.480. Quid si in crepusculo. num.13.pag.480
Eleemosynam an facere possit Religiosus de iis, quæ ad victum pro studio ei destinata sunt. num.9.pag.752
Episcopus non potest obiicere suo clerico crimen, quod scit eum commisisse, si non potest illud probare. num.1.pag.623
Episcopus an absoluere possit ab excommunicatione occulta. num.2.pag.169
Episcopi an absoluere possint de occulta hæresi in foro conscientiæ. pag.959
Episcopi an à reseruatis sedi Apostolicæ absoluere possint. num.5.pag.109
Episcopi, & prouinciales an à Confessario electo absolui possint de hæresi occulta. num.6.pag.115
Episcopi nomine qui veniant. num.9.pag.123
Episco mortuo facultas data quando expiret. num.1.pag.165
Episcopo approbante mortuo, confessarij possunt prosequi ad confessiones audiendas. num.9.pag.147
Episcopo, vel Papæ subiiciuntur nouitij pro reseruatis. num.6. pag.402
Episcopi ad Concilium vocati eundem dignitatis gradum obtinent quem obtinebant, antequàm ad Concilium vocarentur. pag.866
Episcopis. & Archiepiscopis negligentibus punitionem eorum, qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, licet patronis Ecclesiarum

regem adire, vt illi malo medeatur. pag.926
Episcopis ipsis, quibus anteà per Concilium Tridentinum facta erat potestas absoluendi ab omnibus censuris in causis occultis, per Bullam Cœnæ Domini est derogatum. p. 953
Episcopi potestatem habent reseruandi sibi casus. num.6.p.7
Episcopi non possunt à Bulla Cœnæ Domini absoluere. p. 960
Episcoporum est populi delicta corrigere,& super gregem sibi commissum inuigilare. num.8.pag.9
Epistola aurea S. Bernardi pro electione Religiosorum e monasterio. num.29.p.461
Esau cùm vagaretur extra domum patris, primogenituram amisit. num.7.p.478
Exceptiones in processu facto ad instantiam partis, quamplurimæ. num.4.p.668
Exceptio rei iudicatæ an opponi possit contra delicta. num. 3. pag. 712
Exceptio firmat regulam in contrarium. num.8.pag.170
Eua an grauius peccatum commiserit,quàm Adam.nu.pag.362
Eucharistiæ sacramentum recipiens cum peccato veniali, an peccet. num.7.pag.349
Eucharistiam sumens cum peccato odij, vel infidelitatis, plus peccat,quam qui cum peccato carnis. nu.12.pag.353
Excommunicare,& alias censuras ferre, & ab eis absoluere,ad iurisdictionem pertinet Ecclesiasticam. pag.818
Excommunicare potest non sacerdos,si ad hoc delegatur.nu.2. pag.31
Excommunicandi potestas est in persona Ecclesiastica: præcipuè in summo Pontifice. pag.818
Excommunicandi potestatem Papa habet à Christo. pag.817
Excõmunicandi plenissima potestas est in sũmo Põtifice.p.819
Excommunicatus per Bullam Cœnæ Domini,& impeditus, an possit ab alio,quàm à Romano Pontifice absolui. pag.963
Excommunicatus absens potest per litteras absolui. pag. 964
Excommunicatus potest absolui etiam inuitus. pag.967
Excommunicatus vt euitetur,requiritur,vt sit denuntiatus, vel sit publicus percussor clerici. pag.972
Excommunicatus,qui legitimo impedimento irretitus est,excusatur ab accessu ad Romanum Pontificem, & à suo ordinario potest absolui. pag.963
Excommunicatus, mortuo Superiore excommunicante,à successore,vel de eius licentia est absoluendus.num.7.pag.123
Excommunicatus ab vno Episcopo, an vbique sit vitandus. num.10.pag.627

Excommunicatus maiori excommunicatione non potest denuntiare,nec accusare. num.4.pag.533
Excommunicato ad euitandum scandalum licet Eucharistiam sumere absque præuia confessione. num.5.pag.205.& ad altare accedere. num.4.pag.205
Excommunicatos nominatos, & publicatos tantùm vitare tenemur ex Conciliis Constanſ.& Basil. pag.821
Excommunicatio timenda,& reformidanda. pag.825
Excommunicatio pro absoluentibus sine facultate,an sit reseruata Papæ. pag.962
Excommunicatio absque scriptura lata apud regulares an liger. num.11.pag.124
Excommunicatio latæ sententiæ quæ dicatur. pag.839
Excommunicatio à Superiore, etiam sine reseruatione lata, quando ab eo solo debeat absolui. num.14.pag.126
Excommunicatio si est occulta, non peccat iudex vsurpatione iudicij; & sententia, cæteráque eius acta publica sunt valida. num.5.pag.625
Excommunicatio non est exclusio à gratia Dei: sed exclusionis iam factæ per peccatum mortale,declaratio. pag.828
Excommunicatio non reseruata an tollat iurisdictionem ad absoluendum à culpa. num.6. pag. 185. Reseruata verò an tollat. num.5.pag.185
Excommunicatio absque præuia trina monitione quando teneat. num.12.pag.125
Excommunicatio variis nominibus, & vocibus appellatur in iure. pag.845
Excommunicatio an sit de iure diuino,vel humano. pag.819
Excommunicatio latæ sententiæ statim ligat. num.4.pag.122
Excommunicatio non obstat,quominùs quis à peccatis absolui possit ad euitandum scandalum. num.5.pag.205
Excommunicatio quando est latæ sententiæ: & quando non. num.44.pag.498. & num.45.46.47.48.49. & seqq.
Excommunicatio vt incurratur ab eo, qui dimittit habitum, tres conditiones concurrere debent. num.25.pag.461
Excommunicatio an tollat charitatem. pag.828
Excommunicatio cur dicatur *virga ferrea*. pag.850. Cur *anathema,maranatha*. pag.849
Excommunicatio iudicis quando est occulta;an sit ipse publicè vitandus; an solùm occultè. num.6.pag.615
Excommunicationis censura aliquando dicitur latæ sententiæ: aliquando ferendæ. pag.839
Excommunicationis gladio multa operatur Ecclesia, etiam

quoad Deum,& quoad pœnam interiorem animæ. pag.824
Excommunicationis requisita. pag.818
Excommunicationem incurrit,qui absque facultate ab excommunicatione absoluit. num.4.pag.100
Excommunicationem incurrit religiosus, qui habitu dimisso exit à religione. num.19.pag.458
Excommunicationem vt quis incurrat pro sacrilegio, quæ requirantur. num.13.pag.754
Excommunicationum differentiæ quæ. pag.832
Excommunicationes à iure latæ manent,etiam mortuo earum conditore. pag.833
Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini, omnes sunt latæ sententiæ. pag.839
Exigere quid sit. pag.896
Exigua qui parui pendunt,ad maiora inuitant. num.11.pag.27
Exitus à religione multiplex. num.9.pag.452
Expulsus à monasterio, si ad ordines promoueri velit, an teneatur ad Episcopum sui domicilij recurrere ad dispensationem obtinendam. num.7.pag.472
Expulsus à religione de expulsione dolere debet. num.1.p.468
Expulsus à Religione an promoueri ad ordines prohibeatur. num.6.pag.471
Extensio de casu ad casum est facienda pro salute animarum, & ad euitanda peccata. num.5.pag.237
Extra Ecclesiam esse,idem est,quòd extra Christum. pag.824

F

FActum notorium,seu publicum est loco accusatoris, & testium; nec relinquit reo ius vllum defendendi se in iudicio. num.6.pag.700
Facultas quibuscunque Ordinum Prælatis cognoscendi causas Regularium ad officium Inquisitorum spectantes quoque modo concessa reuocata est à Pio V. num.3.pag.525
Facultas eligendi Confessarium finitur per vnum actum completum,quando facultas datur determinatè.num.1.pag.163. Non autem finitur,quãdo datur sine limitatione. n.2.p.163
Falsariorum nomine qui comprehendantur. pag.898
Fama est sufficiens indicium ad inquirendum. num.4.p.586
Fama bona præcedens an excuset à delicto. num.14.pag.718. Quando operetur,& quando non. num.15.pag.718
Famæ suæ an quis dominus sit,itaut non possit curare de propria infamia. num.3.pag.620

Famæ honoris,& vitæ subditorum an princeps,vel superior sit dominus. num.5.& 6.p.621
Familiares,& famuli possunt à regularibus absolui. numero 5. pag.145
Ferri nomine, an materia ipsa ex qua ferrum fit, comprehendatur. pag.903
Ferri vena an propriè ferrum sit. pag.904
Fidei puritatem nihil est quod magis maculet, & contaminet, quàm hæresis,ac illi affinis superstitio. pag.845
Fidei est articulus, sacerdotis sacramentalem absolutionem esse actum iudicialem. num.3.pag.332
Fidelis quilibet est particeps omnium bonorum, quæ fiunt in Ecclesia. pag.827
Fœminarum spiritualium familiaritas maximè vitanda.nu,15. pag.82
Fœtus quando censeatur animatus. num.5.pag.739
Fuga delinquẽtis probata sufficit ad cõdemnationẽ.n.11.p.589
Fugere valens & nolens,si percutiat, an incidat in excommunicationem. pag.914
Furiosus pro absente habetur. num.5.pag.714
Furiosus an puniri possit propter ea,quæ commisit ante furorem. num.4.pag.713
Furor,& insania an excusent à delicto commisso. num.4.p.713
Furari in Religione quàm malum. num.17.pag.756
Furtum est bona aliena recipere cum intentione sibi retinendi ea. pag.893
Furtum quid sit. num.1.pag.745
Furtum vt sit mortiferum quæ quantitas requiratur. num.3. pag.746
Furto auferens aliquid clerico,an incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. pag.911
Furtis ex multis leuibus aliquando peruenire potest ad eam summam,quæ sit peccatum mortale. num.7.pag.749
Futurorum causæ tripliciter se habent. num.6.pag.428

G

GAbellas soluere an teneantur Ecclesiastici. pag.948
Gabellas,& pedagia imponere qui possint. pag.897
Gabellarum immunitate an gaudeant clerici cõiugati.pag.749
Guardiani post Decretum Clem.VIII. casus sibi reseruare non possunt. num.1.pag.19
Guardiani an à Cõfessariis ab ipsis electis à reseruatis absolui

possint. num.1.pag.107
Gelasij præclara de non appellando à Sede Apostolica sententia. pag.875
Generales, & Prouinciales an habeant plenariam iurisdictionem Episcopalem in suos subditos. num.3.pag.12

H

HAbere duos confessores, an sit dimidiare confessionem. num.4.pag.292
Habitu vt priuetur quis,& iustè possit eiici à Religione, tria sunt necessaria. num.28.pag.454
Hæresis,etiam exteriùs manifesta, aliquando non subiacet excommunicationi, pag.854
Hæresis est pallium schismatis. pag.860
Hæresis est,affirmare, quòd quis teneatur eam circunstantiam confiteri,ex qua tertia persona venit infamanda.nu.3.p.370
Hæresim sapiunt omnia sortilegia,quæ cum aliquo dicto, aut facto hæreticali exercentur. num.34.pag.445
Hæreticus est negans facultatem reseruandi casus in Ecclesia. num.8.pag.11
Hæreticus post primam, & secundam admonitionem est vitandus. pag.819
Hæreticus appellans ante sententiam,an sit audiendus. nu.15. pag.727
Hæreticus mortuus cum signis contritionis ostensis anteà,potest absolui post mortem. num.15.pag.201
Hæreticus damnatus & appellans an sit audiendus. num. 13. pag.727
Hæretici mentales an subiaceant excommunicationi. pag.852
Hæreticorum fautores, & receptatores, & eis credentes an sint ad appellationem admittendi. num.14.pag.727
Hæreticorum in libris modicum legens an incidat in excommunicationem. pag.856
Hæreticorum fautores,& receptatores excommunicandi sunt. pag.853
Hæreticorum libros legentes,tenentes, imprimentes, seu defendentes, excommunicatione sunt feriendi. pag. 853. & 858
Hæreticorum libros qui defendit,peccat mortaliter. pag.857
Hæreticorum defensores qui. pag.856
Homicida est,qui occidit fœtum animatum. num.3. pag.737
Hominum tria genera repelluntur ab accusatione. nu.7.p.561

I

IDoneitas Confessariorum quæ. num. 1. pag.128. prudentia eorum multiplex esse debet. num.2.pag.129.qualis in audienda confessione.num.3.pag.129.In iniungenda pœnitentia. num.4.pag.129
Ignorans ignorantia inuincibili an excusetur. num.4.pag.282
Immutatio modica in Papæ literis an faciat incurrere excommunicationem. pag.900
Impedimentum legitimum quod dicatur. pag.964
Imperatoribus, Regibus, & Principibus iure canonico interdicta est cognitio de Clericis,& eorum causis spiritualibus. pag. 928
Impressorum nomine qui veniant. pag 858
Impudicitia in qua corporis parte consideretur.n. 29.pag.786.
Inclinationes hominum variæ,& noxiæ. num.6.pag.76
Indicia grauia quæ dicantur. num.12.pag.551
Indicia quomodo dignoscenda. num.3.pag.586
Indicia quid sint.num.4.pag.547. Qualia esse debeant num.5. ibid. plura esse debent: vnum enim non sufficit.num.6.ibid.
Indicia leuia quæ dicantur. num.2. pag. 585. Quæ grauia. n.2. pag.586.Quæ grauissima. ibid.
Indulgentia, & facultas absoluendi,quæ datur in Iubilæis,extenditur non solùm ad præterita: verùm & ad futura peccata. num.2.pag.369
Indulgentia quando adæquat,vel superat opera pœnalia, & satisfactioria imposita,an sit necesse ea facere.num.1.pag.359
Indulgentia an duret post mortem concedentis. n.6.pag.166. & num.7.pag.167
Indulgentiæ, verbum illud, *per modum Iubilæi*, insertum imporrat absolutionem etiam à casibus reseruatis.n.2.pag.389
Indulgentiæ tantùm valent,quantum sonant. num.2.pag.212
Indulgentiam qui consequi vult, in statu gratiæ esse debet in vltimo effectu. num.4.pag.359
Infamare seipsum aliquando est mortale. num.20.pag.593
Infamare seipsum in iudicio,quando sit casus reseruatus.n.21. pag.593
Infamatus de vno crimine non potest de alio interrogari.n.18. pag.554
Infamia ortum habere debet à fide dignis. num.16.pag.672
Infamia facti quomodo tollatur. num 9.pag.669
Infamia quando incurratur inter Regulares. num.7.pag.669
Infamia facti quæ. num.6.pag.669
Infamia iuris quomodo tollatur. num.10.pag 670

Infamia, seu clamorosa insinuatio quid sit. num.1.pag.546.In ea duo requiruntur.num.2. ibid.Qui numerus testium in ea requiratur. num.3.ibid.
Infamia iuris quæ. num.5.pag.668
Infamia probanda per duos testes. num.17.pag.672
Infamiæ facti quis effectus. num.8.pag.669
Infirmus, cùm mors imminet,si non habet tempus confitendi omnia peccata : sed aliqua tantùm,an sit absoluendus. n.6. pag. 294
Iniuria mediocris quæ dicatur. num.15.pag.801
Inimicus quis dicatur. num.18.pag.632
Inimicus quando accusare potest. num.12.pag.670
Inimicitia quando est capitalis,vel saltem grauis, an inquisitor in causa fidei recusari possit. num.16.pag.631
Inimicitia capitalis quando faciat indicium, & quando non. num.12.pag.590
Initium libidinis est in visitatione mulierum. num.16.pag.82
Innocentiæ multæ sunt coniecturæ. num.2 pag.618
Innocens damnatus à iudice secundum allegata tantùm, an licitè possit se defendere. num.2.pag.603
Innocentiæ quanta sit vis. num.1.pag.618
Inquisitio generalis non est iudicium : sed præambula ad iudicium. num.6.pag.544
Inquisitio est duplex : generalis, & specialis. num.1.pag.543
Inquisitio generalis an requirat infamiam præcedentem, aut accusationem, aut denuntiationem. num.2.pag.543
Inquisitio de persona particulari absque vlla infamia tunc potest fieri : quando tractatur de electione facienda, ne sit in ea aliquod impedimentum. num.19.pag.554
Inquisitio de persona occulta, quando crimen est publicum. quando fieri possit. num.16.pag.553
Inquisitores procedere iubentur contra quoscunque regulares: dummodo ab corũ Superioribus non sint prœuenti.n.2.p.525
Inquisitores hæreticæ prauitatis quid determinauerint contra confessores sollicitantes ad peccatum carnis. n.6.pag.238
Insultatus,licèt possit fugiendo se saluare ; nihilominùs potest insultantem impunè interficere. num.22.pag.693
Interuallum longum quod dicatur. num.12.pag.717
Inualida est confessio, quando confessarius est excommunicatus, vel nominatus publicus percussor. num.8.pag.289
Inuasorem licet occidere pro defensione pudicitiæ. num.20. pag.791.Nécnon etiam pro defensione honoris. n.21.ibid.
Inuocatio dæmonis est maximum peccatum. num.1.pag.427.
Displicet

Displicet Deo quàm maximè. n.2.pag.427. Religiosis præcipuè indecentissimum est tale peccatum. num.3.ibid.
Ira an aliquando excuset delictum. num.6.pag.714
Irregularitas quando incurratur pro abortu. num.8.pag.740
Irreuerentia magna, imò sacrilegium est, facere,vt forma sacramenti incassum cadat. num.4 pag.265
Iteranda est confessio, quando quis confitetur absque animo satisfaciendi. num.12.pag.286
Iteranda cùm est confessio,si alteri confessario fiat, tunc ex integro omnia peccata sunt iterùm exprimenda. n.12.p.286
Iubilæi tempore absolutus à casibus,& censuris, absque tamen animo adimplendi, quæ in diplomate continentur,non manet absolutus. num.1.pag.395
Iubilæi plenissimi virtute possunt Regulares confiteri extra ordinem ; quando in diplomate id conceditur. n.1.pag.388
Iudex interrogans tanquàm pater, potest etiam interrogare de socio. num.29.pag.598
Iudex recusatus in causa procedere non debet.num.29.pag.643
Iudex occultè excommunicatus an sit vitandus. n.6.pag.625
Iudex laicus quando possit clericos capere, & interrogare. pag. 954
Iudex accipiens aliquid pro iniusta sententia ferenda an teneatur ad restitutionem. num.21.pag.635.& num.23.pag.638
Iudex alteri parti fauens recusari potest. num.19.pag.633.
Iudex an possit minuere pœnam à iure impositam. num. 16. pag.708
Iudex quando possit rumpere accusationes. num.10.pag.564
Iudex quomodo excedit dispositionem iuris, vel statuti in sententia, & pœnis assignandis,sententia ipsa est nulla. num.7. pag.701
Iudex quando non est competens, nec seruat ordinem iuris,testis excusatur à dicenda veritate. num.18.pag.575
Iudex faciliùs inuenitur, quàm testis. num.17.pag.632
Iudex competens quis dicatur. num.15.pag.530
Iudex excommunicatus ab vno Episcopo an vbique sit vitandus. num.10.pag.627
Iudex sæcularis nullo modo potest personas Ecclesiasticas iudicare. num.13.pag.530
Iudex in delictis, quæ vestigium relinquunt, antea debet facere recognitionem de corpore delicti, quàm procedat ad inquisitionem specialem. num.7.pag.612
Iudex in arbitrandis pœnis quæ considerare debeat. num.12. pag.702

Iudex faciliùs recusatur, quàm testis. num.4.pag 624
Iudex, qui grauauit in vno, meritò dici potest suspectus in alio. num.28.pag.641
Iudex excommunicatus an peccet exercens iudicia. num.5. pag.624
Iudex publicè excommunicatus, si non est denuntiatus,vt percussor clerici,non est vitandus.num.7.pag.626.An etiam hoc locum habet in iudicibus sæcularibus. num.8.pag.626
Iudex in delictis, quæ vestigium non relinquunt,data querela potest procedere. num.6.pag.611
Iudex multipliciter recusari potest. num.3.pag.624
Iudex quod solus videt, censetur adhuc occultum in iudiciis humanis. num.5.pag.698
Iudex corpus interfecti recognoscere debet per testes, qui dum in viuis esset, ipsum cognouerunt, priusquàm ad inquisitionem specialem accedat. num.8.pag.612
Iudex si fuerit recusatus, acta quæuis post recusationem huiusmodi sunt ipso iure nulla. num.31.pag.643
Iudex an possit, & debeat aliquando sententiam contra reum differre. num.35.pag.600
Iudex an procedere possit iusta appellatione interposita. n. 25. pag.733
Iudex sæcularis an ex negligentia superiorum Ecclesiasticorum possit causas Ecclesiasticas ad se aduocare. pag.925
Iudex excommunicatus recusari potest. num.4.pag.624
Iudex tenetur iudicare secundum allegata,& probata. num.36. pag.601
Iudex non potest inquirere de crimine occulto alicuius personæ absque eius infamia. num.13.pag.551
Iudex infamis, criminosus, perpetuò furiosus, impubes, fœmina, dominus aduersarij, illiúsve consanguineus, vel affinis recusari an possit. num.19.pag.633
Iudex an in inquisitione generali possit interrogare de particulari. num.5.pag.544
Iudex pœnas statutarias an ex causa minuere possit. num. 17. pag.708
Iudex,testis,& accusator non potest quis simul esse.n.5.pag.698
Iudex delegatus à principe quando teneatur cognoscere de infamia. num.19.pag.675
Iudex tenetur absoluere innocentem. num.34.pag.599
Iudex similem causam habens,an recusari possit.n.28.pag.642. An si partis aduersæ aduocatum commensalem habeat.ibid. An si accusator, vel testis de domo illius egreditur,seu producitur. ibid. An si propalauerit votum suum ad fauorem partis aduersæ, vel minatus fuerit recusantem. ibid. An si sit popularis partis aduersæ. ibid.
Iudex an possit aliquando vti fraude in interrogando reo.n.20. pag.598
Iudex, qui propter crimen est ipso iure priuatus titulo,vel solùm habet titulum putatiuum, an peccet vsurpatione iudicij, ita vt eius sententia sit irrita.num.13.pag.629. verba illa; *Sit priuatus ipso iure absque alia declaratione*, quid imlla; portent.num.14. pag.630. Quid efficiant Bullæ,quæ sic prohibent. num.15.pag.630
Iudex comminans ipsi reo,an peccet contra iustitiam.num.32. pag.599
Iudex an pœnam ex causa mutare possit. num.18.pag.709
Iudex Regularis potest procedere contra suos subditos vel vt iudex, vel vt pater. num.9.pag.528
Iudex publicè excommunicatus suspenditur ab officio per Canones. num.5.pag.625
Iudex non seruans ordinem iuris recusari potest. n.19.pag.633
Iudex ab officio amotus an peccet exercens illud. num.13. pag.629
Iudex accipiens aliquid à parte,an peccet:& an teneatur ad restitutionem, si accipit pro iusta sententia ferenda. num.20. pag.633
Iudicis ab officio suspensi an acta sint irrita. num.9. pag.627
Iudicis non est sine accusatore damnare. num.11.pag.550
Iudicis arbitrium in iudicio requitur. num.7.pag.647
Iudicis, aduocati, & actuarij errores. num.9.pag.563
Iudici rectè iudicanti quilibet parere tenetur. num.3.pag.332
Iudici an liceat vti aliqua dissimulatione; quando reum examinat. num.30.pag.598
Iudici quid faciendum,ne excedat in pœnis decernendis,& sententiis ferendis. num.8.pag.701
Iudices possunt committere defectus in condemnatione reorum, quatuordecim modis. num.38.pag.602
Iudices possunt augere, & minuere pœnam iusta de causa. num.37.pag.601
Iudices sæculares an peccent iudicando de rebus,& de personis Ecclesiasticis. num.11.pag.529
Iudices regulares accipientes munera, an teneantur ad restitutionem. num.25.pag.638
Iudices in quibus casibus possint procedere contra reum:quamuis nullus sit accusator. num.4.pag.557

Iudicium legitimum quid sit. num.14.pag.530
Iudicium regulare quid sit. num.10.pag.529
Iudicij, seu processus quædam sunt de solemnitate, quædam de essentia. num.1.pag.666.& num.2.pag.667
Iudiciorum tres sunt gradus. num.2.pag.585
Iurisdictio omnis Ecclesiastica, tam ordinaria, quàm delegata, manat à summo Pontifice. num.7.pag.8
Iurisdictio nulla est, vbi nulla inuenitur cogendi vis. num.7. pag.284
Iurisdictio an terminetur ad personas: an verò ad loca. num.7. pag.110
Iurisdictio Ordinarij impeditur in delictis mixtis. pag.943
Iurisdictionem qui non habet neque ordinariam, neque delegatam, nullam facit confessionem. num.5.pag.283. Nec sufficit ratihabitio. num.6.pag 283
Iurisdictionem Ordinarij impedientes,& recurrentes ad sæcularia tribunalia incidunt in censuram Bullæ Cœnæ Domini. pag.942
Iurisdictionem Ecclesiasticam habens in foro exteriori potest excommunicare: etiamsi non sit Sacerdos. num.9.pag.35
Interpres, & qui casu audit pœnam pœnitenti impositam, tenetur ad sigillum. num.21.pag.311
Interruptio vnius peccati cum firmo proposito, distinguit vnum peccatum ab alio. num 3.pag.279

I.

LAïcus sæcularis an ex priuilegio Papæ possit excommunicare. num 9.pag.35
Laïcus in articulo mortis an possit absoluere ab excommunicatione. num.12.pag.200.& num.13.pag.201
Laicus Minoritanus egressus è monasterio, & in alia religione promotus ad ordines sacros, si reuertatur, recipi debet in suo priori statu. num.26.pag.487
Laici an ex longa consuetudine potestatem habeant in clericos. pag.941
Legis verba quando non sunt clara, interpretari debent secundum ius commune, donec à legislatore aliter declarentur. num.9.pag.417
Legis restrictio nullo modo fieri debet, cùm diametraliter repugnat piissimæ menti legislatoris. num.13.pag.419
Leges summi Pontificis, simul ac promulgatæ sunt Romæ, omnes obligant. pag.973

Leges Religionis sunt seruandæ in leuibus punitionibus ad correptionem. num.20.pag.710
Leones, qui in ædium sacrarum vestibulis effingi solent, quid significent. num.8.pag.9
Libertas naturalis quid sit. pag.933
Libertas Ecclesiastica an extendatur etiam ad res particularium Ecclesiarum. pag.935
Libertas Ecclesiastica à quo concessa. pag.932
Libertati Ecclesiasticæ quando quis aduersetur. pag.933
Libido nefanda quæ dicatur. num.20.pag.779
Libidinosæ mulieres nunquàm purè, & integrè confitentur. num.12. pag.81. sæpè mutant confessores. num 13.pag.81. Confessores idiotas quærunt. num.14.pag.81
Libri astrologiæ iudiciariæ an sint prohibiti. num.29.pag 443
Libri multi sunt prohibiti in indice librorum, qui non sunt libri hæreticorum. pag.857
Libros hæreticorum legens incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, à qua per solum Pontificem potest absolui. pag.857
Licentia data confessario non potest absque causa reuocari. num.11.pag.147.
Licentia si necessariò petenda esset in Superiore pro mutatione confessarij; multoties eadem inconuenientia sequerentur, pro quibus tollendis Summus Pontifex decretum dedit. num.14 pag.420
Licentia exeundi à monasterio an sit petenda ab eo, ob cuius grauamen tollendum ad Superiorem recurritur. num. 19. pag.483
Litera hortatoria quæ dicatur. pag.942
Literarum alienarum non aperiendarum plures rationes. num. 13.pag.815
Literarum Apostolicarum nomine quæ veniant. pag.898
Literis falsificatis vtens an incurrat excommunicationem, & quam. pag.899
Literas alienas qui solùm aperit: non tamen legit, an in pœnam incidat. num.4. pag. 810. & num.5. ibid Et an qui inaduertenter legit. num.6. pag. 811. Stephani Quarantæ sententia hac de re. num.7.ibid. Improbatur. num.8.pag.810
Literas subreptitias impetrans à Papa, an incidat in excommunicationem. pag.899
Literas aliorum qui aperit, qua pœna sit puniendus. num. 2. pag.809
Literas obsignatas aperiens, & aduersario mittentis ostendens,

incidit in pœnam falsi. num.2.pag.809
Literas subditorum aperire possunt Superiores, & qui ius in alios habent,vt pater in filios, maritus in vxorem. num.14. pag.815
Lites sine suspicione procedere debent: ideoque modica causa iudicem repellit. num 15.pag.631
Lucretia Romana seipsam occidens à S.Augustino reprehenditur. num.3.pag.794.& 795
Lutheri assertio, qua dicit, excommunicationem esse tantùm pœnas æternas,est hæretica. pag.823
Luxuria grauissima quæ dicatur. num.20.pag.779

M

MAgistratibus non obtemperare an sit dolum committere. num.15.pag.707
Magorum breuia, & scripturæ ordinatione diuina,& Ecclesiastica prohibita. num.20.pag.436
Maleficium alio maleficio dissoluere an liceat. num. 31. pag.444
Malefici an comprehendantur in constitutione Sixti V. aduersus iudiciarios astrologos.num.30.pag.443.An Strigæ. ibid. An physionomistæ.eod. num.pag.444
Manus extensio super pœnitentem quid significet. num. 6. pag.259
Manus violentæ appellatione quid veniat. pag.909
Manus violentas qui infert,aut inferri mandat,Clerico,incidit in excommunicationem vnà cum mandatario.pag.911. Ratam habens percussionem nomine suo factam eadem pœna innodatur. pag 913
Manuum impositio super caput pœnitentis an sit necessaria in confessione.num.3. pag.253. Aliquando consultò est omittenda.eod. num. pag.253. Aliquando est necessaria. num.4. pag.253
Maranatha,vox quid significet. pag.849
Medicus consulere debet infirmo,vt statim confiteatur.num.4. pag.269
Mendacium omne in iudicio regulari an faciat,vt quis incurrat in casum reseruatum. num.27.pag.597
Mentiens de peccato mortali in confessione,peccat mortaliter. num.2.pag.264
Merces,aut aliæ res in mare proiectæ extra periculum grauis tẽpestatis præsumũtur animo derelinquẽdi proiectæ. pa.891

Metus cadens in constantem virum quis dicatur. pag.970
Minæ præcedentes delictum faciunt indicium ad capiendam informationem contra reum. num.14.pag.591
Minoritæ an quid dare possint extra monasterium constituti. num.21.pag.758
Minoritæ an liceat facere eleemosynam ex iis,quæ ipsi cõcessa sunt ad vsus necessarios. num.10.pag.752
Missam celebrare, etiam metu mortis, non debet sacerdos in contemptum fidei. pag.971.& 972
Missam qui inchoauit,quid faciet,si recordetur alicuius peccati mortiferi. num.12.pag.210
Minister iurisdictionem habens, est de substantia sacramenti pœnitentiæ. num.2.pag.171
Moderamen inculpatæ tutelæ circa tria consistit. num. 19. pag.690
Moderamen inculpatæ tutelæ quid sit. pag.914
Modus se præsentandi pro reseruatis quis in religione Capuccinorum.num.10.pag.41.& 46.impugnatur. num11.pag.47. Defenditur.num.12.pag.47. Non est contra vllum ius.num. 12.pag.48.Non est contra decretum Clem.VIII.num.12.pag. 48. Potuit sic determinari. num.12.pag.49.Debet acceptari à subditis. num. pag. 52. Est conformis æquitati. num.12. pag.52.
Modus procedendi apud regulares, quid præcipiat. num.15. pag.573
Monachus fugiens ob nimiam sæuitiam Superioris,an sit apostata. num.17.pag.482
Monachus eiectus ab vna religione an teneatur aliam religionem ingredi. num.3.pag.470
Monachus extra monasterium est veluti illi, qui extra arcam Noë fuerunt. num.7.pag.478
Monachus emendationem subire indictam recusans,è monasterio est proiiciendus. num.27.pag.462
Monachus sine monasterio est sicut pisces sine aqua. num.7. pag.478
Monachus expulsus à monasterio an teneatur ad dicendum diuinum officium, & ad alia Regulæ præcepta obseruanda. num.5.pag.471
Monachus eiectus ex monasterio,manens in sęculo,an simpliciter sit absolutus à tribus votis. num.4.pag.470
Monachatus est indelebilis. num.4.pag.470
Monarcha quidam magnus capite plecti fecit quendam suum ducem sine citatione,& quare. num.7.pag.700

Monasterium carcer est pro Religiosorum custodia.n.3.p.476
Monasterium paradisus est. num.4.pag.476
Monasterium est carcer sapientiæ:vbi vincula vota sunt.num.2. pag.475
Monasterium est locus voluptatis cœlestis;vbi delitiæ Dei cum filiis hominum. num.4.pag.476
Monasterij nomine quæ veniant. num.14.pag.754
Monasterij sepra processionis causa an ingredi possint mulieres. num.33.pag.492.
Monasteria comparantur stagnis:vbi quodam modo incarcerati pisces euagandi non habent potestatem. num.7.pag.478
Monasteriorum,domorum,& locorum nomine quid veniat. num. 29.pag.489
Moniales an possint egredi extra monasterium propter aliquam periculosam infirmitatem:vt etiam ex causa ignis,lepræ, & pestilentiæ. num32 pag.492
Moribundus an à laïco possit absolui. num.11.pag.200
Mortale an censeatur, quod est prohibitum sub pœna excommunicationis. num.6.pag.33
Mortale peccatum an sit sumere Eucharistiam in peccato veniali. num.8.pag.350
Mortale peccatum est iniunctam pœnitentiam non perficere. num.3.pag.332
Mortale peccatum bifariam considerari potest. num.10.p.352
Mortuus an possit absolui ab excommunicatione à sacerdote, qui eum excommunicauit. num.14.pag.201
Mos fidelissimæ vetustatis retinendus est. num.6.pag.7.
Mox,particula,quam vim habeat in excommunicatione. num. 47.pag.499
Mulier si potuit vincere eum,qui iam erat in paradiso,non est mirum,si eos impediat,qui nondum ad paradisum peruenerunt. num.16.pag.82
Mulier testis esse non potest.num.9.pag.648. Minor 20.annis. num.10. pag.648. Inimicus. num. 11. ibid. Consanguineus. num.12.pag.649
Mulier,& mundus fugiendo vincuntur. num.16.pag.82
Mulieris Confessarius in desertum à marito ductus,& ab eo per minas interrogatus;an vxor sua ei adulterium confessa sit, quid faciet. num.8 pag.303
Mutilare,aut vulnerare seipsum ad bonum finem,an alicui liceat. num.11.pag.800
Mulieres an processionis causa possint ingredi septum monasterij Religiosorum. num.33.pag.492

Mulierem

Mulierem medicam an introducere liceat in Dormitorium Religiosorũ procuratione alicuius Religiosi infirmi.n.32.p.491
Mulieres an liceat introducere in hortum monasterij. num.30, pag.490
Mulieres ad monasteria Regularium introducens quibus pœnis subiiciatur. num.37.pag.494
Mulieres introducere in Sacristiam,an liceat. num.31.pag.490
Mulieres an die ipso, quo consecratur Ecclesia, possint ire ad omnia illa loca, ad quæ vadit Episcopus cum processione. num.35.pag.493
Mulierum tactus fugiendus. num.10.pag.79
Mulierum deceptio. num.11.pag.80
Mulieribus an liceat ingredi monasteria Religiosorum. num. 28.pag.488
Muliebria patiens incidit in casum reseruatum. num.30.p.707
Mutatio Confessariorum, cum vno de leuibus,& cum alio de grauioribus, quando occurrit,non est contra integritatem confessionis. num.5.pag.293
Mutatio officij, vel loci cum suspicione morali reuelationis Confessionis an sit licita. num.5 pag.70

N

NAues infidelium deprædantes an incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini. pag.888
Naufragantium bona furripientes, siue eos spoliantes excommunicatione innodantur.pag.889.Et quę concurrere debeãt, vt quis hanc excommunicationem incurrat. pag.889.& 890
Naufragorum bona ab aliis in naufragio rapta accipientes an incidant in excommunicationem. pag.891
Necessitas grauis an excuset quempiam non confessum, vt ad altare accedat. num.10.pag.209
Necessitates quæ excusent, quominùs quis accedat ad altare. num. 10. pag. 209. nimirum periculum mortis proprium. num.11.pag.209.Periculum mortis proximi.ibid.Inchoatum sacrificium. ibid.
Necromantia quando fiat. num.18.pag.436
Negatiua coarctata loco,& tempore multis modis probari potest.num.1. pag.615. Primò, per absentiam à loco delicti, num.2.ibid.Secundò,quòd delictum ex sua natura erat impossibile.num.3.ibid.Tertiò,si testes deponant de negatiua, & probent impossibilitatem.num.4 pag.615.& 616.Quartò, per confessionem. num.5.pag.616

 Nobilitas,

Nobilitas & dignitas prodest plurimùm. num.16.p.719
Notorium à iure quid sit. nu.9.pag.549
Notorium triplex est. num,9.pag.549
Notorium facti,& notorium à præsumptione quid.nu.9.p.549
Nouitius in fauorabilibus est verè religiosus : non autem in odiosis. num.3.pag.399
Nouitius canonicus ad electionem suæ Ecclesiæ, vocem habet in capitulo. num.4.pag.408
Nouitius carcere dignus,potiùs expellendus. num.9.pa.404
Nouitius occidens Religiosum , à iudice Ecclesiastico recognosci debet.num.8.pag.798.Imò dimitti,& tradi Episcopo puniendus. num.9.pag.799
Nouitium percutiẽs incidit in excommunicationẽ.n.19.p.803
Nouitij an teneantur se præsentare pro casibus reseruatis. num.1.pag.399
Nouitij pro reseruatis ad Episcopum Episcopo subiiciuntur:sicut & pro Papæ reseruatis,Papæ, num.8.pag.402
Nouitij ante professionem non sunt verè religiosi.num.5.p.401
Nouitiorum confessiones audiendi cura an soli Nouitiorum magistro sit committenda. num.10.p.405
Nullus tenetur confiteri peccata venialia. num.1.pa.347

O

OBligare se quilibet potest ad confitendum iterùm suum peccatum. num.1.pag.49
Obligatio sigilli ligat etiam Superiorem , quando ab eo petitur facultas absoluendi. num.10.pag.305
Occasio propinqua peccati mortalis quæ necessariò vitanda. num.2.pag.73
Occasio venialis peccari an necessariò sit vitanda.num.1.p.73
Occasio omnis peccati an sit necessariò euitanda. nu.3.pag.74
Occasio mortalis peccati proxima quæ. num.5.p.75
Occasio remota peccati mortalis non est necessariò euitanda. num.2.pag.73
Occasio quid sit. num.1.pa.795
Occasio peccati vitandi necessariò,quæ, num.4.pag.74
Occasionem peccati vt tollat pœnitens , quando cogendus. num.5.pag.76
Occidere seipsum in aliquo euentu an liceat. nu.2.p.795
Occidere alium potest,qui aliter euadere non valet.n.5.p.796. Et an id possit alij demandare. num.6.ibid.
Occisi nomen si ignoretur,quid faciet iudex. nu.9.p.612

Occisi vulnera omnia cum circunstantiis debent notari à iudice,priusquàm sententiam ferat. nu.10.p.612
Occultum quid sit. num.3.pag.169
Officium commissariatus an duret post mortem mittentis. num.3.pag.165
Omnis,qui malè agit,odit lucem. num.5.pag.255
Officialium nomine qui veniant. num.1.pag.742
Opera pœnalia sibi à Confessario imposita tenetur quilibet adimplere pro merito consequendo. num.2.pag.360
Opus nullum in statu peccati mortalis factum est satisfactorium pro pœna peccato debita. num.1.p.356
Opus consummatum quando dicatur. num.6.p.739
Ordinarij iurisdictio impeditur in delictis mixtis. pag.942
Ordinariorum potestas roboratur per Concilium Tridentinum. pag.940
Ordo procedendi in iudicio est triplex ; per denuntiationem, per inquisitionem,& per accusationem. nu.17.pag.530
Ouis morbida separanda est ab ouili , ne totum gregem inficiat. pag.824

P

PActum cum accusatore facit indicium ad assumandas contra reum informationes. num.16.p.591
Papa est Christi Vicarius. pag.865
Papa potest dispensare cum monacho, vt contrahat matrimonium. num.1.pag.506
Papa potest dispensare cum monacho,vt sit proprietarius iusta de causa. num.2.p.506
Papa potest limitare iurisdictionem ordinariorum. nu.3.p.17
Papa,&cæteri Prælati de iure sibi reseruant non tantùm censuras;verùm & alias culpas. pag.822
Papa est supra Concilium. Pag.861.& 862
Papam pro Vicario Christi non agnoscens , est schismaticus hæreticus. pag.859
Paradisus duplex : sicut & infernus duplex. num.4.pa.476
Parentibus in necessitate constitutis vt subueniat religiosus,an exire possit à Religione. num.17.p.456
Pastorum est populi vitia,& peccata resecare. num.8.pag.9
Patres in Religionibus sunt iudices. num.8.pag.527
Paulus Apostolus cum S. Petro Ecclesiæ Romanæ fundator fuit. pag.851
Peccare cum spe veniæ,an aggrauet peccatum. num.1.pag 360

Peccare cum spe veniæ an sit circunstantia aggrauans peccatum. num.3.pag.364
Peccat, qui post absolutionem ex Iubilæo, non curat implere cætera, quæ in diplomate continentur nu.3.p.396
Peccat mortaliter quis mentiendo de peccato mortali in confessione. nu.2.p.264
Peccator an possit se obligare ad iterum confitendum peccatum semel ritè confessum. num.2.pag.56
Peccator occultus publicè petens Eucharistiam, debet communicari. num.4.pag.178
Peccatum bestialitatis grauius, quàm quodcumque aliud peccatum carnis. num.32.pag.761
Peccatum non nisi in confessione cognitum, Deus vult, vt in secreto permaneat. num.2.pag.370
Peccatum veniale, dum est in voluntate, non dimittitur, nec remittitur sine actu pœnitentiæ. num.3.pag.344
Peccatum mortale ex genere potest esse veniale triplici ex capite. num.6.pag.245
Peccatum veniale quando fiat mortale. num.9.pag.247
Peccatum semel confessum potest iterum confiteri. nu.3.p.267
Peccatum quando habet plures reseruationes, inquirendum, quid necessarium sit ad tollendam reseruationem; itaut absolutio valida sit. num.1.pag.66
Peccatum carnis committitur aut naturaliter, aut contra naturam. num.17.pag.777
Peccatum mortale quando fiat veniale. num.8.p.246
Peccatum mortale, vel veniale potest esse tale duplici ex capite. nu.5.p.245
Peccatum veniale multipliciter tolli potest. num.5.p.345
Peccatum validè remissum non manet ampliùs reseruatum. num.1.pag.66
Peccatum Gomorrheanum quid sit: num.20.pa.779
Peccatum nefandum nefanda sortitur nomina. nu.20.pag.779
Peccatum mortale est necessaria materia confessionis. num.4. pag.261
Peccatum mortale aliàs confessum, an possit iterùm subiici confessioni. num.4.pag.162
Peccatum contra naturam causa fuit diluuij ex S. Methodio. num.21.pag.779
Peccatum multiplex in tactibus. num.31.pa.788
Peccatum veniale vt tollatur, an sufficit quicunque dolor. num.4.pag.345
Peccatum euitatur considerando Deum iudicem. nu.15.p.132.

Fugiendo

Fugiendo occasiones peccandi. num.15.pag.133. Custodiendo sensus. num.15.pag.133. Principiis obstando. numero 15. pag.133. Oratione. num.15. pag.134. Frequentia sacramentorum. num.15.pag.135. Quotidiana conscientiæ examinatione. ibid.pag.135
Peccatum, quod reuelatur de licentia pœnitentis, tenendum est sub sigillo. num.4.pag.191
Peccatum carnis aliquando cum secunda persona committitur. num.17.pag.777
Peccatum veniale, manens idem numero in genere moris nunquam potest fieri mortale. num.10.pag.248
Peccatum quid sit. num.2.pag.242. & quotuplex. num.3.p.243
Peccatum suum vt bis quis confiteatur, an præcipere potest Ecclesia. num.1.pag.55
Peccatum carnis quid sit. nu.1.pag.762. & 763
Peccatum mortale an fiat ex pluribus actibus venialibus. n.12. pag.249
Peccati venialis occasio an necessatiò vitanda. num.1.pag.73
Peccati circumstantia an sit tacenda in confessione, quando ex illa Confessarius venit in cognitionem complicis. nu.6.p.45
Peccati alicuius an sit iteranda confessio. num.9.pag.46
Peccati grauitas ex duplici capite considerátur. numero 13. pag.29
Peccata interiora reseruare an sit error. num.8.pag.25
Peccata legitimè confessa possunt esse materia sacramenti pœnitentiæ. num.3.pag.348
Peccata ad euitanda, septem remedia. num.15.pag.132
Peccata alicuius qui audiuit à confessario, an ad sigillum teneatur. num.18.pag.309
Peccata retinere quid sit. num.6.pag.7
Peccata reseruata an habeant excommunicationem; vel non. num.1.pag.64
Peccata mortalia, & venialia in quo differant. num.4.pag.244
Peccata semel confessa an possint iterùm esse iusta materia sacramenti pœnitentiæ. num.1.pag.61
Peccata reseruata an habeant excommunicationem, vel non. num.1.pag.64
Peccata ritè confessa nemo iterùm confiteri tenetur. n.3.p.233
Peccata honestis vocibus sunt explicanda, vel quoad circunstantias, vel quoad modum narrandi. numero 1. pag. 277. & seqq.
Peccata vel sunt venialia, vel mortalia simplicia, vel mortalia cum reseruatione adiuncta. num.1.& 2.pag.374. & 375

Peccata plura venialia an efficere possint vnum mortale. nu.11 pag.248
Peccata venialia sunt fugienda propter multa incommoda, quę inferunt. nu.13.p.251
Peccata semel legitimè absoluta an sint iterùm confitenda. num.2.pag.43
Peccata semel confessa an possint iterùm confessioni subiici. num.2.pag.61
Peccata reseruata habens ad quid teneatur. num.1.pag.41
Peccatorum circunstantiæ quæ necessariò sint confitendæ. num.2.pag.273
Peccatorum circunstantiæ an sint sub sigillo. nu.16.p.308
Peccatorum confessio laico facta, an sit sacramentalis. num.48 pag.89
Pedagium vnde dicatur. pag.895
Pedagia iniusta esse possunt triplici ex causa. pag.895
Pedagia noua imponentes, & exigentes excommunicationem incurrunt. pag.894
Pedagia exigentium nomine qui comprehendantur. pag. 896
Pedanei, & subalterni iudices leuiores causas extremo iudicio terminare possunt, & nonnisi in grauissimis causis ad supremos iudices dătur recursus. pag.877
Percutiens seipsum malo animo, incurrit in excommunicationem. num.25.pag.807
Percussio grauis quæ dicatur. num.12. pag.800. Et an extendatur ad superiores Religionis. num.14.pag.800
Percussores clericorum an semper incidant in excommunicationem. pag.913
Perditissimi, & magni peccatores in principio mitiùs, & blandiùs sunt tractandi. num.6.p.130
Peritia insignis in literis, & in armis an prosit contra delictum num.17.p.719
Persona Ecclesiastica ad forum sæculare potest in aliquibus casibus trahi. pag.944
Persona, cui reuelatur aliquod peccatum de consensu pœnitentis, an teneatur ad sigillum. num.5.pag.192
Personarum acceptor non debet esse confessarius. numero 5. pag.258
Petri Apostoli auctoritas cur ponatur in Bulla Cœnæ Domini. pag.851. cur etiam S. Pauli. ibidem
Philippus Pulcher cum tribus Galliæ ordinibus cur prouocauerit à Pontifice ad Concilium. pag.883
Platina plebeius homo, & obscurissimo loco oriundus. pag.882

Pœna

Pœna qua dignus sit sigillum confessionis frangens. num.20. pag.310
Pœna talionis an sit in vsu. num.12.pag.564
Pœna absoluentium absque facultate, quæ. num.1 pag.99
Pœna aperientium literas alienas. num.2.pag.809
Pœna fori pœnitentiæ medicinalis est magis, quàm iudicatiua. num.3.pag.98
Pœna statuti vt infligatur, omnes circunstantiæ statuto expressæ concurrere debent. num.19.pag.710
Pœna delicti an aliquando remittatur propter merita in principem, vel rempublicam. num.18.pag.720
Pœnæ non sunt extendendæ vltra proprios casus. pag. 887. & pag.897
Pœnæ à legibus, & statutis assignatæ sunt imponendæ à iudicibus. num.9. pag.701.
Pœnæ eorum, qui sine facultate à Bullę casibus absoluunt. p.962
Pœnitens est liber, vt se præsentet Generali, vel Prouinciali, quando vrerque in conuentu reside. num.1.pag.95
Pœnitens an sine suo consensu possit obligari ad bis confitendum idem peccatum. num.3.pag.57
Pœnitens tenetur quærere absolutionem, cessante impedimento. num.5.pag.58
Pœnitens mentiens de veniali in confessione, quando peccet mortaliter. num.3.pag.264
Pœnitens an aliquando accedere possit ad communionem absque præuia confessione. num.2.pag.161
Pœnitens vt absoluatur, sufficit signum aliquod in mortis articulo, quo peccatum manifestetur. num.7.pag.294
Pœnitens in confessione debet se recognoscere miserum peccatorem venia indignum. num.1.pag.252
Pœnitens promittens se præsentaturum superiori, dum id non facit, semper tenetur. num.1.pag.376
Pœnitens à Confessario regulari absolutus an teneatur pro illa vice suo Rectori confiteri. nam.15.pag.150
Pœnitens per se explicare debet sua peccata, si scit, & potest. num.3.pag.261
Pœnitens non absolutus an communicandus cum aliis. num.2. pag.176. An priuatim, si petat. num.3.pag.177
Pœnitens non acceptans conditionem sibi à confessario imposiram, absoluendus an sit. num.12.pag.59
Pœnitens paratus esse debet ad pœnitentiam acceptandam. num.1.& 2. pag.328
Pœnitens complicis personā explicare poterit, si nullū sequatur incommo

incommodum: nisi detrimentum aliquod famæ apud Confessarium. num.4.pag.366
Pœnitens sumendo indulgentiam, an teneatur exequi pœnalia opera sibi à Confessario imposita. num.1.pag.359
Pœnitens non debet esse morosus in se præsentando. num. 4. pag.43
Pœnitens lege necessaria satisfaciendi sacerdotis arbitrio an astrictus sit. num.3.pag.331
Pœnitens promittens se præsentaturum superiori pro reseruatis, postea verecundia ductus an id possit facere per aliam interpositam personam. num.3.pag.379
Pœnitẽs an teneatur ad sigillum de suis peccatis. n.19.pag.310
Pœnitens an teneatur ad sigillum, modò se, aut confessarium non infamet. num.310
Pœnitens, qui sæpè confitetur, minus est expositus dæmonis suggestionibus. num.2.pag.320
Pœnitens ignarus debet sequi opinionem sui Confessarij. n.1. pag.140
Pœnitens verax esse debet in confessione. num.1.pag.263
Pœnitens quando excommunicatus est, & non aufert priùs excommunicationem, si ad confessionem accedat, ipsa confessio nulla est. num.4.pag.282
Pœnitentis conditio, & qualitas inspicienda est in pœna imponenda. num.10. pag.131
Pœnitenti in quibus casibus à confessario sit deneganda absolutio. num.3.pag.289
Pœnitenti an sufficiat velle satisfacere Deo in hoc mundo, vel in purgatorio. num.2.pag.329
Pœnitenti aliquando in petitione confessarij an sit indulgendum. num.13.pag.94
Pœnitenti non est grauamen, si de reseruatis cogatur bis confiteri. num.2 pag.42
Pœnitentem velle nominare peccati complicem quando Confessarius præuidet, ei debet occurrere, & impedire. num.5. pag.367
Pœnitentes an possint accedere ad Pœnitentiarios Papæ pro absolutione à reseruatis. num.15.pag.53
Pœnitentes, qui vt plurimùm non habent nisi venialia, & frequentant confessionem, non indigent diligenti examine. num.3.pag.292
Pœnitentiarij minores à quibus absoluere possint. num.18. pag.152
Pœnitentiarij Papæ super omnes fideles, etiam regulares, potestatem

testatem habent in foro conscientiæ. num.1.pag.380
Pœnitentiarij minores possunt absoluere vndecumque venientes ab omnibus casibus peccatorum, & sententiis Episcopis reseruatis. num.2. pag.107. An per Bullam cruciatæ id eis concessum sit. num. 3. pag. 108. Talem facultatem an aliis communicare possint. num.4.pag.108
Pœnitentia satisfactoria iuncta an in aliam commutari possit. num.1.pag.231
Pœnitentiæ quantitas Confessarij arbitrio relinquitur. num.8. pag.130
Pœnitentia iusta est imponenda. num.7.pag.130
Pœnitentia restitutoria, vel ad exeundum à peccato necessaria, non potest ab inferiori commutari. num.1.pag.231
Pœnitentia iuncta non solùm in æqualem: verùm & in minorem commutari potest. num.4.pag.233
Pœnitentiæ in mutatione an est necesse, vt peccata præterita denuò pœnitentes confiteantur. num.2.pag.232
Pœnitentiæ tempora Episcopi arbitrio decernuntur. num. 6. pag. 7
Pœnitentiam publicam pro peccatis secretis non licet imponere pœnitenti, nisi ex consensu ipsius. num.2.pag.69
Pollutio procurata est peccatum mortale, & casus reseruatus. num.16.pag.776
Pollutio nocturna quando sit peccatum, & quando non. n.13. pag.771
Pollutionis nocturnæ plures possunt esse causæ. n.14.pag.774
Pontifex est supremus Ecclesiæ monarcha. pag 878
Pontifex Romanus est Episcopus, & pastor totius orbis, cuius ouile sunt omnes Catholici. num.3.pag.17
Pontifex, qui non est electus iusto numero Cardinalium, & & eius sequaces, sunt puri schismatici. pag.860
Pontifex summus grauiores culpas reseruare potest suo iudicio. num 7. pag.8
Pontifex cur in Bulla Cœnæ Domini vtatur præcipuè illis verbis: *Excommunicamus & anathematizamus.* pag.851. Et quid sibi velint illæ voces. pag.846
Pontifex de facto non reseruat sibi, nisi culpas excommunicationi obnoxias. pag.822
Pontifex an possit iuri patronatui laicorum derogare. pag.920
Pontificis leges simul atque publicatæ sunt Romæ, omnes obligant. pag.973
Pontificis potestas nuntiis data an ab officialibus discuti debeat. pag.929.

Pontificis solius est Concilia œcumenica indicere, congregare, & confirmare. pag.879
Potestas ordinaria quæ sit. num.16.pag.530
Potestas delegata quæ dicatur. num.16.pag.530
Præceptum de suscipienda Eucharistia an obliget tantum semel in anno. num.2.pag.334
Præceptum de confessione an obliget semel in anno.n.3.p.335
Præceptum in scriptis positum an obliget ad mortale. num.6. pag.33
Præceptum quodcunque Regulæ S.Francisci an sit votum.n.17. pag.518
Præceptum affirmatiuum, obligans ad aliquem actum, præscripto die,vel tempore,transacto illo an obliget.n.5.p.337
Præceptum de confitendo obligat specialiter tempore paschatis. num.4 pag.336
Præceptum regulæ de nihil sibi appropriando non est fortius, quàm lex Dei. num.16.pag.517
Præcepta Superiorum semper sunt intelligenda secundum legem naturalem, & diuinam. num.14.pag.537
Prædicatores in casu necessitatis possunt confiteri extra suum ordinem. num.5.pag.282
Prælatus debet inquirere in communi de obseruantia regulæ, & statutorum. num.3.pag.544
Prælatus cautus esse debet, ne ex tanta frequentia confessionum nutriantur scrupuli in anima subditi. num.3.pag.63
Prælatus monasterij an rectè faciat ordinando aliquam processionem ex intento, vt illius occasione mulieres possint in monasterium ingredi. 34.pag.492
Prælatus an cogere possit subditum per pœnas, vt pluries confiteatur. num.8.pag.341
Prælatus quando pœnas ex arbitrio imponere possit. num.10. pag.702
Prælatus an semper denuntiationem recipere debeat. num.27. pag.542
Prælatus excedens in correctione,an incidat in canonem.n.18. pag. 803
Prælatus regularis in suos habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori. num.1.pag.121
Prælatus, causa cœpta, quasi permanentem iurisdictionem acquirit in subditum. num.5.pag.122
Prælatus est pastor spiritualis. num.2.p.62
Prælatus an iusiurandum exigere possit à suis subditis. num.7. pag.34

Prælatus

Prælatus an teneatur concedere facultatem,vt quis ab alio absoluatur à reseruatis. num.1.pag.87
Prælatus in visitatione an possit præcipere sub præcepto sanctæ obedientiæ, vt subditi ei dicant omnia,quæ sunt contra regulam, & statuta. num.5.pag.32
Prælatus potest præcipere sub pœna excommunicationis. n.8. pag. 34
Prælatus prohibens veniale obligat subditum sub mortali. num.11.pag.27
Prælati regulares an à reseruatis sedi Apostolicæ occultis absoluere possint. num.6.pag.109
Prælati omnes tam sæculares, quàm regulares tria possunt sibi reseruare. num.3.pag.17
Prælati regulares an in foro exteriori possint suos religiosos conuictos de crimine abortus procurati absoluere. num.11. pag.741
Prælati regulares in suos subditos habent iurisdictionem quasi Episcopalem. num.2.pag.11
Prælati regulares tenentur aliquando sub peccato mortali corrigere aliqua peccata venialia subditorum. num.11.pag.27
Prælati possunt admittere testes aliàs inhabiles. num.23.pag. 653
Prælati prouinciales non possunt absolui ab hæresi occùlta. num.7. pag.116
Prælati regulares multa possunt ex priuilegio,quæ non possunt de iure communi. num.5.pag 13
Prælati regulares potestatem habent ligandi,& soluendi. n.3. pag. 122
Prælati regulares an possint punire delinquentem absque accusatore. num.3.pag.557
Prælati præceptum pro monitione est. num.13.pag.125
Prælati omnia acta suspectorũ de hæresi ad Inquisitores transmittere debent. num. 6. pag. 527. Contrauenientibus quæ pœnæ imponantur. num.7. ead. pag.
Prælati regulares possunt excommunicare suos subditos. n. 3. pag.12.
Prælati regulares reseruant sibi casus eodem iure, quo Episcopi. num.1.pag.11
Prælati regulares in suos habent iurisdictionem quasi Episcopalem. num.2.pag.121
Prælati regulares an omnia possint in suos subditos, quæ Episcopi in suos. num.4.pag 13

Prælati

Prælati maiores quando teneantur eligere Confessarium approbatum. num.6.pag.105
Prælati Regulares, secundum aliquos,iure humano habent in suos iurisdictionem. num.1.pag.15
Prælati regulares liberiùs, & leuioribus de causis à prælatura queunt amoueri,quàm iudices sæculares ab officio. num.22. pag.710
Prælati omnes regulares ante decretum Clem. VIII. poterant sibi reseruare casus : post decretum verò limitata est eorum potestas,quoad personas. num.1.pag.19
Prælati multis sæpè iniiciunt laqueum damnationis. num.3. pag.89
Prælati regulares possunt sibi reseruare casus in decreto Clem. VIII.positos. num.2.pag.20
Prælati regulares sunt exempti à iurisdictione Episcoporum. num.10.pag.124
Prælati regulares an teneantur in suo foro obseruare rimulas, & apices iuris, omisso strepitu iudicij. num.2.pag.696
Prælatis competit iure diuino potestas reseruandi casus. n.2. pag.16
Prælato nolente concedere subdito, vt alteri confiteatur, quid faceret subditus. num.6.pag.410
Præstigium quid sit. num.12.pag.432
Præsumptio, & ratihabitio an pro eodem sumantur. num. 6. pag. 173
Præsumptionis vitio peccat, qui cum spe veniæ, diuinæque misericordiæ fretus peccat. num.1.pag.261
Præscriptio delicti an excusetreum. num.2.pag.712
Prænaricatio quid sit. num.9.p.563
Præuentioni quando sit locus. pag.943
Princeps an maiorem habeat potestatem, quàm sit ea,quam Respublica in eum transtulit. num.5.pag.699
Princeps an possit damnare aliquem ex priuata scientia, aut ipsa non citata, aut inaudita parte. num.5.pag.698
Princeps,vel Superior an sit dominus famæ suorum subditorum. num.5.pag.621
Princeps ex priuata scientia quando possit condemnare.num.6. pag.699
Princeps an sit dominus vitæ subditorum. num.6.pag.621
Principes, & Respublicæ eiicientes subditos à suis territoriis sine iusta causa, an incidant in excommunicationem. pag.915
Principes, qui nolunt in suis locis Clericos, qui beneficium à Sede Apostolica obtinuerunt,possessionem eius accipere, & ingrediniisi suum beneplacitum habeant,& consensum, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.pag.921
Principes, & iudices sæculares iudicantes causas, & personas Ecclesiasticas,& ad sua tribunalia eos vocantes, & pœnas constituentes,an incidant in censuram Bullæ Cœnæ Domini. pag.928
Prior monasterij S. Benedicti Vallesoleti in foro conscientiæ potest absoluere monachos ab omni excommunicationis sententia. num.5.pag.13
Priuilegia vniuersali Ecclesiæ concessa qui infringere tentat, venit contra priuilegium Dei,vel imperatoris super temporalibus,vel Papæ super spiritualibus. pag.933
Priuilegia multa Ecclesiasticis dederunt Imperatores. pag.933
Priuilegia,& indulta fratribus Capuccinis à summis pontificibus concessa pro reseruatis. num.17.pag.152
Priuilegio vagantium gaudent religiosi itinerantes. n.2.p.372
Probatio semiplena quæ dicatur. num.7.pag.548
Probationes quando sunt difficiles, admittuntur probationes minus legitimæ. num.22.pag.652
Probationes imperfectæ quid probent. num.8.pag.647
Processus ex officio requirit,vt præcedat infamia. n.15.p.671
Processus factus de mandato principis an requirat diffamationem. num.18.pag.673
Propositum abstinendi à reseruatis qui non habet,an à non reseruatis absolui possit. num.3.pag.43
Proprietas quælibet an sit peccatum mortale. num.14.pag.515
Proprietas non solùm in pecunia:verùm & in alia quacumque re committi potest. num.23.pag.521
Proprietas quando constituat peccatum mortale. n.19.pag.519
Proprietarius regularis peccat mortaliter. num.3.pag.508
Proprietas an statui religiosorum repugnet. num.1.pag.506
Proprietas, quæ religiosis inhibetur, tam est de re pecuniaria, quàm de alia quacunque re. num.4.pag.508
Proprietatem vt quis incurrat,requiritur tanta quantitas,quanta sufficeret,vt aliquod furtũ laïci esset mortale. n.22.p.521
Proprietarius quis dicatur. num.6.pag.511
Proprietarij similes sunt vxori Loth.num.5 pag.508.Regi Saul.ibid.Hebræis.ibid. Machabæis. pag.510. Iudæ proditori. ibid.Ananiæ,& Sapphiræ. ibid.
Proprietarij pœna quæ sit. num.26 pag.522
Proprietarij casum quando incurrat religiosus.num.25.pa.522
Proprietariorum similitudines quamplurimæ. num.5.pag.508

Proprium apud religiosos quid dicatur. num.10.pag.513
Prouincialis an suam auctoritatem amittat ad præsentiam Generalis. num.2.pag.95
Prouinciales,& Generales ordinis Minorum an possint dispensare cum suis subditis in omni irregularitate.num.5.pag.14.
Prouinciales non subiacent casibus reseruatis quoad præsentationem:sed bene quoad culpam. num.1.pag.112
Prouinciales gaudent priuilegio Episcopi, si incidant in casus Bullæ Cœnæ Domini. num.2.pag.112
Prouinciales si in aliquem casum reseruatum inciderint,an teneantur se præsentare Generali. num.1.pag.112
Proximum sicut nos ipsos diligere debemus secundum fidei regulam. pag.892
Prouidentia Confessarij maximè necessaria in confessione. num.11.pag.285
Psalmus 81.totus applicatur ad iudices. num.27.pag.640
Purgatorij pœna quàm sit acerba. num.2.pag 320

Q

Quantitas modica quæ dicatur. num.2.pag.746
Quantitas parua in omni genere excusat à mortali. num.20.pag.519
Qui vult aliquid,vult etiam illud,sine quo illud effici non potest. num.6.pag.33

R

Ratihabitio de futuro an det valorē absolutioni. n.1.p.171
Rebellare se à suis Superioribus an inferioribus sit licitum sub prætextu studendi. num.8.pag.451
Recipere Eucharistiam in peccato veniali,an sit mortale.num.8. pag.350
Recursus ad dæmones duplex. num.10.pag.431
Recursus ad Superiores maiores pro absolutione à reseruatis culpis, an intelligatur de publicis: an verò de occultis. num.3.pag.38
Regulares itinerantes non possunt confiteri:nisi à fratribus ad confessionem approbatis. num.2.pag.407
Regularis an absoluere possit à casibus Episcopo reseruatis. num.7.pag.392
Regularis intra suum Ordinem ab approbato à suo Superiori confiteri tenetur. num.2.pag.394
Regulares prælati an possint sibi reseruare alios casus de eadem materia casus positi in Decreto Clem.VIII. n.3.p.20
Regularis an licitè transeat de vna religione ad aliam.num.12. pag.453

Regularis,

Regularis,casu reseruato in sua prouincia innodatus, pergens in aliam, an à Prouinciali illius prouinciæ absolui possit. num.1.pag.371
Regularis ad confessiones audiendas expositus,an possit absoluere pœnitentes alienigenas à reseruatis. num.3 pag.373
Regularis habens facultatem à suo Episcopo pro reseruatis absoluendis,an possit absoluere subditos alterius Episcopi ab ei reseruatis. num.4.pag.373
Regulari non licet se confiteri indifferenter extra suum ordinem absque licentia sui Superioris. num.2.pag.380
Regulares an possint appellare in correctionibus,si non sit excessus. num.16.pag.727
Regulares iuuenes pro quanto tempore obligentur ad confitendum suis prælatis. num.2.pag.406
Regulares iuuenes seruare debent statuta ordinis circa confessionem. num.1.pag.405
Regulares quid donare possint per constitutionem Clem.VIII. num22.pag.759.&760
Regulares quando absolui possint ab Episcopis. n.5.p.115
Regulares non debent mutare Confessarium absque Superioris licentia. num.1.pag.407
Regulares non possunt accipere Bullam cruciatæ ad effectum absolutionis à casibus. num.4 pag 385
Regulares an accipere possint Bullam Cruciatæ. n.1.p.384
Regulares non possunt per Bullas particulares absolui à reseruatis. num 5 pag.392
Regulares prohibentur confiteri extra suum Ordinem ex vsu, statuto,& priuilegiis. num.3.pag.381
Regulares,Episcopo mortuo,à quo sunt expositi ad confessiones audiendas,possunt prosequi. num.2.pag.165
Regulares an virtute priuilegiorum possint à Bulla Cœnæ Domini absoluere, pag.960
Regularium Superiores possunt sibi eligere Confessarium ad libitum. num.2.pag.102
Regularibus an indifferenter liceat se confiteri extra suum ordinem. num.1.pag.380
Reipublicæ damnum vbi intercedit,nullus tenetur ad sigillum secreti. num.22.pag.540
Religio perfectior quæ dicatur. num.13.pag.454
Religionem veram solus Papa probat. num.1.pag.15
Religiosus exiens à Monasterio animo vagandi siue cum habitu,siue sine eo,est apostata,& incidit in casum reseruatum. num.19.pag.458

Religiosus dans, vel procurans potionem pro abortu, seu consulens, vel auxilium præstans, an incurrat in irregularitatem. num.4.pag.738.
Religiosus accipiens aliquid de bonis monasterij, an peccet mortaliter. num.4.pag.747
Religiosus proprium aliquid retinens non incidit in peccatum mortale, si tria concurrant. num.9.pag.512
Religiosus res magnæ quantitatis accipiens, peccat, & ad restitutionem tenetur. num.6.pag.749
Religiosus sollicitatus, & minis inductus à muliere, peccans, an incidat in casum reseruatum. num.19.pag.778
Religiosus semper manere debet in monasterio. n.1.p.475
Religiosus cubans cum muliere, cùm deuenit ad actum propinquum operis explendi, sentiens se de proximo semen emissurum, si disiungat se ab illa, & extra vas seminet, an incidat in casum reseruatum. num. 8.pag.777
Religiosus extra monasterium est veluti ouis extra ouile: vnde subiacet periculis, & incursibus luporum dæmonũ. n.7.p.478
Religiosus ex communi, vel ex particulari aliquid furripiens an incidat in casum reseruatum. num.18.pag.757
Religiosus quando incidat in lapsum carnis voluntariè. num.1. pag.762
Religiosus furripiens aliquid ex communi bibliotheca an incidat in casum reseruatum. num.19.pag.757
Religiosus an possit alij donare, quæ sibi concessa sunt. num.8. pag.751
Religiosus incorrigibilis, & inobediens an expelli possit à Religione. num.27.pag.462
Religiosus, qui cum habitu exit à religione, licèt animum reuertendi non habeat, nec ad aliã religionem transeundi, peccat mortaliter quidẽ: sed nõ est excõmunicatus. n.20.p.458
Religiosus in monasterio est sicut Iacob supplantator. num.6. pag.477
Religiosus appellare potest à correctione regulari, quando modus exceditur. num.20.pag.484
Religiosus in Monasterio ponitur, vt operetur, & custodiat illud. num.5.pag.476
Religiosus percutiens Superiorem percussione graui, eiiciendus est à Religione, vel ad triremes perpetuò dãnãdus. n.27.p.807
Religiosus furãs aliquid ad vsum fratris particularis concessum an peccet, & incidat in excommunicationem. num.15.p.755
Religiosus an sit proprietarius, si ab externo numos accipiat ad libros emẽdos, quos apud se retineat in cella. num.24.p.521

Religio

Religiosus percutiens alium Religiosum excommunicatum, incidit in excommunicationem. num.26.pag.807
Religiosus fugiens ob nimiam sæuitiam Superioris, & ad maiorem Superiorem pergens, licitè id facit. num.18.pag.482
Religiosus furripiens ea, quæ vsu consumuntur, an incidat in casum reseruatum. num.20.pag.758
Religiosus iocans, aut saltans cum muliere prægnante, si abortiatur, an incidat in casum reseruatum. num.9.pag.740
Religiosus vtens falsificatione literarum, vel literis falsificatis, an incurrat in irregularitatem. num.3.pag.743
Religiosus an possit exire à suo Monasterio ob iustum grauamen, vt eat ad Superiorem. num.18.pag.457
Religiosus equo insidens, & fugiens se occidere volentem, potest in aliquo casu puerũ in via iacentẽ conculcare. n.4.p.795
Religiosus dono recipiens aliquid sine licentia Superioris, an sit proprietarius. num.13.pag.514
Religiosus vt incidat in pœnam furti, duo concurrere debent. num.2.pag.746
Religiosus nesciens mulierem esse grauidam, si ei dederit potionem, propter quam facit abortum, an incidat in casum reseruatum. num.7.pag.739.& 740
Religiosus, qui vagatur extra monasterium, est veluti Esau, qui cum extra domũ vagaretur, primogenitura amisit. n.7.p.478
Religiosus cogitans turpia, & se polluens, an incidat in casum reseruatum. num.15.pag.775
Religiosus dimittens habitum in Monasterio per breue tempus, an sit excommunicatus. num.24.pag.460
Religiosus potest suo Superiori rem occultare duplici ratione. num.8.pag.511
Religiosus an possit exire à Religione, vt parentibus in necessitate constitutis subueniat. num.17.pag.456
Religiosus eleemosynam facere potest ex iis, quæ ad suum victum pro studio destinata sunt. num.9.pag.752
Religiosus non habens nisi venialia peccata, an cogi possit, vt illa confiteatur. num.1.pag.342
Religiosus, qui cum filia spirituali fornicatur, qua pœna sit puniendus. num.28.pag.785
Religiosi itinerantes gaudent priuilegio vagantium. num.2. pag.372
Religiosi si mutent Confessarium absque licentia, an absolutio data teneat. num.11.pag.418
Religiosi fugitiui an debeant requiri, vt reuertantur ad Religionem. num.24.pag.485

 Religiosi

Religiosi se percutientes quid facere debeant. num.2.pag.155
Religiosi itinerantes an possint se simul confiteri. num.1.p.374
Religiosi se extra claustrum percutientes, an possint absolui à suis prælatis. num.22.pag.805
Religiosi laudabiliter frequentant confessionem. num.2.p.267
Religiosi quando inuicem se percutiunt, an possint à suis prælatis absolui. num.20.pag.803.& num.21.pag.805
Religiosi magis merentur suam regulam obseruando, quantum ad præmiũ vitæ æternæ, quã indulgẽtias exquirẽdo. n.6.p.392
Religiosi electi è monasterio, & fugitiui distinctio quæ. n.24. pag.485
Religiosi à Religione expulsi, si reuerti voluerint, an sint recipiendi. num.2.pag.468
Religioso an liceat sumere de rebus monasterij in magna quãtitate pro eleemosyna facienda. num.11.pag.753
Religioso è monasterio exeunti quamplurima damna eueniunt. num.7.pag.477
Religiosum percutiens ex ioco, an incidat in casum reseruatum. num.23.pag.806
Religiosum percutientes potiùs sunt fustigandi, quàm excommunicandi. num.24.pag.806
Religiosorum nouum ordinem in Ecclesia nullus instituere potest absque Summi Pontificis consensu, & confirmatione. num.1.pag.16
Religiosis non sunt imponendæ peregrinationes. num.5.p.129
Reseruare sibi possunt omnes Prælati tam sæculares, quàm regulares tria: scilicet personas, tempus, & crimina. nu.4.p.17
Reseruare casum aliquem pro vno Conuentu, & non pro alio an liceat. num.4.pag.20
Reseruandi casus rationes. num.8.pag.9
Reseruandi casus potestatem esse in Ecclesia, de fide est. num.6. pag.6
Reseruandi casus in Ecclesia facultatem negans, hæreticus est. num.8.pag.11
Reseruata, & non reseruata an teneantur superiores audire in confessione. num.10.pag.59
Reseruatio vel fit cum censura, vel sine ea. num.2.pag.66
Reseruatio nulla est in articulo mortis, etiam præsente proprio sacerdote. num.7.pag.197
Reseruatio non potest fieri de peccatis merè internis. n.7.p.25
Reseruatio casuum in mortis articulo nulla est. n.6.p.382
Reseruatio à peccatis nulla est in articulo mortis. n.1.p.193
Reseruatio quare introducta. num.12.pag.93

Reseruatio alicuius casus, vt fiat in vno loco, quamuis non fiat in alio, potest pertinere ad conscientiæ puritatem. n.4.p.21
Reseruatio fit de mortalibus grauioribus. num.12.p.28
Reseruatione Papali ablata, an auferatur & Episcopalis. n.3.p.67
Resistere debemus cõtra fidẽ præcipiẽti, etiã metu mortis. p.971
Restitutio rei à iudice pro iniusta sententia ferenda, cui sit facienda. num.24.p.638
Reuelare an teneatur quis quod scit sub sigillo secreti. num.21 pag.539
Romanos Pontifices prædecessores, tum etiam præsentem Pontificem quæ causæ mouerint ad processus, & sententias promulgandas. pag.845
Romipetas, seu peregrinos Romam deuotionis seu peregrinationis causa accedentes, & in ea morantes, aut ab ea recedentes, qui interficiunt, mutilant, deprædantur, detinent, in excommunicationem incidunt Bullæ Cœnæ Domini. p.907
Res futuras an obseruare liceat ex auibus, ex quadrupedibus, ex syderibus, & aliis huiusceмodi. num.32.p.444
Retentio alicuius rei quando est peccatum mortale. n.7.p.511
Reus, qui absque confessione damnatur, an teneatur postea confiteri veritatem. num.22.p.594
Reus conuictus de vno crimine an possit interrogari de alio crimine. num.26.pag.586
Reus an licitè possit fugere è carcere. num.4.pag.604
Reus aliquando petere potest dilationem, vt videat quid in processu contra ipsum fit. num.24.pag.596
Reus excusatur, si ex alia causa quis moriatur, quàm ex vulnere illato. num.10.pag.715.& 716
Reus quando possit torqueri. num.31.pag.599
Reus ad mortem damnatus potest limare cõpedes, fores frangere, & fuga sibi consulere. num.7.pag.606
Reus an possit reuocare suam confessionem. num.24.p.694
Reus iustè condemnatus, etiam ad mortem, tenetur parere iudici. num.1.p.603
Reus an peccet impingendo testi aliquod crimen. n.33.p.664
Reus liber est, si non constat de corpore delicti. num.12.p.614
Reus an possit frangere carceres, & aufugere. num.3.pag.604
Reus conuictus appellans an sit audiendus. num.3.pag.723
Reus liber, & immunis est ab omni impuratione, si probare possit, quòd non constat de corpore delicti. n.1.p.609. Si de eo verò non constet, iudex procedere non potest ad inquisitionem specialem. num.2.p.609
Reus contra delictum confessum potest se multis modis

defendere. num.1.pag.712
Reus cognitus innocens à iudice, an possit condemnari secundam allegata, & probata. num.33.p.589
Reus, quando confitetur delictum, an teneatur declarare complices. num.28.p.597
Reus confitens delictum non potest condemnari nisi aliter, quàm ex eius confessione de eo appareat. num.4. pag 611
Reus an teneatur respondere ad mentem iudicis. n.25. p.596
Reus conuictus an possit interrogari de sociis. num.26.p.596
Reus quando teneatur dicere veritatem. num.1.p.585
Reus innocens damnatus tantùm secundum allegata, an licitè possit seipsum defendere. num.2.p.603
Reus excusatur, si mortuus iam erat in insidiis contra ipsum. num.9.pag.715
Reo an liceat corrũpere pecunia custodes carceris. n.5. p.605
Reo an liceat decipere custodem carceris. num.6.pag.605
Reo iuridicè interrogato, & nolenti respondere, potest iudex præcipere, vt respondeat: & si nolit, præsumitur illud delictum commisisse. num.23.pag.595
Reo vt fugiat, an amici licitè consulere possint, & ei instrumenta præbere. num.8.pag.606
Reum excusat præscriptio delicti. num.2.pag.712
Reorum multitudo an excuset à pœna. n.19.p.720

S

SAcramentum vt sit, quod ab initio non fuit tale, nulla ratificatio efficere potest. num.4.pag.100
Sacramenti pœnitentiæ materia an possint esse peccata etiam legitimè confessa. num.3.pag.348
Sacramenta omnia personæ propriæ actionem exigunt, excepto matrimonio. num.4.p.225
Sacræ congregationis tribunal intra ordinem censetur. nu.30. pag.735
Sacerdos quilibet potest eligi ab infirmo ad suam confessionem audiendam in articulo mortis. num.8.pag.197
Sacerdos quilibet an sit idoneus ad confessiones audiendas. num.1.p.128
Sacerdos quilibet potest à venialibus quencumque absoluere, non propter auctoritatem ab ipso pœnitente acceptam: sed propter potestatem à Deo acceptam, & ab Ecclesia non impeditam. num.2.pag.355
Sacerdos quilibet, etiam excommunicatus, & suspensus potest absoluere

absoluere in articulo mortis. num.10.pag.189
Sacerdos quilibet an sibi eligere possit quemlibet sacerdotem in Confessarium. num.16.pag.421
Sacerdos non debet in contemptum fidei Missam celebrare etiam metu mortis. pag.971.& 972
Sacerdos pro confessionibus audiendis sedere debet in loco publico. num.5.pag.254
Sacerdos priuilegiatus an sit præferendus non priuilegiato. num.17.pag.202
Sacerdos in confessione debet signa pœnitentis inspicere. n.7. pag.225. Et actus eius nosse. eod.num.pag.226
Sacerdoti bonæ famæ, & honestæ vitæ dicenti se habuisse veniam à pœnitente ad manifestandam confessionem, an sit credendum. num.2.p.311
Sacerdotes simplices an gaudeant priuilegio eligendi sibi confessarium ad libitum. num.2.pag.119
Sacerdotes, qui nihil possunt in casibus reseruatis, quid facere debeant. num.1.pag.87
Sacerdotes regulares sunt in triplici differentia. num.1.p.374
Sacerdotes subditi an habeant facultatem sibi eligendi confessarium ad libitum. num.1.pag.118
Sacerdotibus ordinaria potestas concessa à iure communi, potest coarctari, & restringi per Episcopum. num.4.p.18
Sacrilegium est furari aliquid de Ecclesia. num.12 pag.754
Satisfactio facta in peccato mortali non irritat præteritam confessionem. num.12.pag.286
Satisfactio sacramentalis pars est Sacramenti. num.3.pag.358
Satisfactio exhibita in statu peccati mortalis an sufficiat ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, & ad implendam pœnitentiam à confessario impositam. num.2.pag.357
Satisfactionem & compensationem iniuriæ exigit Deus ab eo à quo offensus est. num.3.pag.333
Sauli Samuelis animam apparuisse quomodo intelligendum. num.13.pag.432
S.Bonauenturæ doctrina præclara de tactu impudico. n.31.p.788
Schismaticus vt quis dicatur, quid requiratur. pag.859
Schismatici an excommunicandi. pag.854
Schisma an semper sit coniunctum cum hæresi. pag.859
Schismatis peccatum vt quis incurrat, quæ requirantur, pag.859
Sciens aliquem innocentem condemnatum, si credit se suo testimonio illi posse prodesse, tenetur se offerre ad testificandum pro eius innocentia. num.5.pag.568

Scriptura an sit necessaria ad valorem gratiæ. num.3. pag.164
Secreti natura pendet ex voluntate committentis.num.3.p.191
Sedis Apostolicæ nomine qui veniant. pag.906
Senatus à principe institutus, siue diuisus sit, siue collectus, non est maior ipso principe. pag.866
Sensus illorum verborum; *Ego te absoluo.* num.8.p.317
Sententia illa est irrita, in qua ferenda non est iuris ordo seruatus,qui de ipsius iudicij substantia est. num.4.pag.697
Sententia, quæ ex actis non iustificatur, est ipso iure nulla. num.4.pag.697
Sententiæ latæ multæ possunt esse nullitates. num.4.pag.697
Sententia præcipitanter, & festinanter lata sine causæ discussione, & cognitione est ipso iure nulla. num.4.pag.697
Sententia in scriptis est ferenda: etiam in iudicio summario. num.7.pag.701
Sententia diffinitiua triplex. nu.1.pag.696
Sententia lata super aliis,quæ in processu non continentur,nec in eo probata sunt,est irrita. num.4.pag.597
Sententia de nocte lata, vel diebus feriatis an valeat apud Regulares. num.3.pag.696
Sententia definitiua quæ dicatur; & quæ interlocutoria.nu.17. pag.729
Sequestratio in aliquo loco secreto apto ad delinquendum,facit indicium. nu.15.p.591
Sermo breuis,& rigidus cum mulieribus est habendus.num.16. pag.82
Sigillum confessionis nunquam est violandum. nu.2.p.298
Sigillum confessionis quid sit. num.2.pag.300. Et quotuplex. num.4.pag.300
Sigillum qui frangit confessarius, qua pœna dignus sit. nu.20. pag.310
Sigillum confessionis quanto tempore duret. num.12.p.306
Sigillum confessionis quando non frangitur. nu.17.p.308
Sigillum in confessione ita obligat, vt neque pœnitens ipse à confessario interrogari possit extra confessionem de aliquo peccato in confessione cognito. num.9.pag.304
Sigillū cōfessionis quotupliciter violetur.n.13.14.& 15.p.306
Sigilli confessionis obligatio quanta. num.7.pag.303
Sigilli obligatio ligat etiam Superiorem,quando ab eo petitur facultas absoluendi. num.10.pag.305
Sigilli vinculum tunc est, quando interuenit confessio sacramentalis. num.18 pag.309
Sigismundus dux Austriæ, & Gregorius Archiepiscopus Moguntinus guntinus inique prouocarunt à Pij II. sententia. pag.882
Sixti V. constitutio, ne regulares absque suorum Superiorum licentia in scriptis, de vna prouincia in aliam transeant. num.21. pag.484
Sixti V. constitutio aduersus iudiciarios astrologos, & mathematicos. num.28.p 442
Socij criminis dictum an faciat indicium ad torturā.n.7.p.487
Sodomita quis dicatur. num.18.pag.777.& 778
Sodomitici peccati pœnæ ex S.Scriptura. num.23.pag.782
Soluere an eius tantùm sit,cuius est ligare. num.7.pag.37
Somnia quando à bono angelo, & quando à dæmone veniant. num.17.pag.35
Statutum, ne quis vendat personæ existenti de iurisdictione dominorum spiritualium,an sit contra libertatem Ecclesiasticam. pag.937
Statutum contra libertatem Ecclesiasticam quando fiat.p.936
Statutum puniens adulterium, non militat in eo, qui tantùm attentauit. num.9.pag.26
Statutum religionis an sit præceptiuum. num.6.pag.416
Statutum Religionis non potest restringere facultatem à summo Pontifice concessam in fauorem Religiosorum subditorum. num.3.pag.412
Statūtum de confessione reiteranda post decretum Clem.VIII. an obliget. num.7.pag.59
Statutum contra libertatem Ecclesiasticam multis modis dignoscitur. pag.936
Statuti verba, *& non possint*, confessionem, & absolutionem non tangunt. num.15.pag.421
Statuta, quibus cauetur, vt personæ Ecclesiasticæ vectigalia, portoriáue soluant,sunt contra libertatē Ecclesiasticā.p.934
Statuta qui facit contra priuilegia particularis Ecclesiæ,an incurrat excommunicationem. pag.934
Statuta *Capuccinorum* præsupponunt fratres tendere ad perfectionem. num.10.p.417
Statuta per verbum, *non possint*, an annullent absolutionem. num.12.pag.419
Sterilitas animarum conspersione aquæ benedictæ curatur. num.6.pag.347
Subditus quando quasi debitum contrahat cum suo Superiore. num.6.pag.123
Subditus quando teneatur obedire præcepto Superioris, & quando non. num.10.pag.536
Subditus se confitens Superiori, qui eum ab omnibus absoluit, an

an teneatur amplius ad illum se præsentare de reseruatis. num.1.pag.64
Subditus quid faciet, quando vult mutare confessariũ.n.3.p.408
Subditus an teneatur testificari, quando dubitat, an iure interrogetur. num.19.pag.575
Subditus regularis ad libitum potest mutare Confessarium. num.1.pag.412
Subditi an aliquando habeant facultatem sibi eligendi Confessarium. num.7.pag.106
Subditi comparentes coram iudice excommunicato ab ipso vocati, an peccent. num.12.pag.628
Subditum an prælatus cogere possit per pœnas, vt pluries confiteatur. num.8.pag.341
Suffragia S. matris Ecclesiæ. num.8.pag.186
Suffragium an possit negari propter scientiam in confessione alicui acquisitam. num.1.pag.85
Superior absoluẽs tollit omnia peccata, etiã reseruata. n.1.p.64
Superior dans suam facultatem, potest laxare pœnitentiam imponendam. num.1.pag.96
Superior, si nolit concedere necessaria Religioso, an ea sibi quis accipiens peccet. num.5.pag.749
Superior percutiens subditum, incidit in casum reseruatum. num.17.pag.802
Superior potest limitare facultatem tam Confessariis, quàm pœnitentibus. num.7.pag.416
Superioris præcepto obedire tenetur subditus, quando præcipit sub excommunicatione incurrenda ipso facto, vel dat iuramentum. num.11.pag.536
Superior concedens suam facultatem pro reseruatis, an etiam concedat absolutionem, aut dispensationem votorum, aut irregularitatum. num.5.pag.170
Superior non debet cogere Confessarium, vt explicet causam in particulari pro facultate habenda circa casus reseruatos. num.3.pag.175
Superior potest audire confessionẽ sui subditi, etiam in aliena Guardiania absque alia licentia Superioris loci. n.7.p.110
Superior audiens casum reseruatum solum ad satisfactionem imponendam, tenetur ad sigillum. num.10.pag.305
Superior an teneatur audire Confessiones subditi toties, quoties id petierit. num.2.p.61
Superior prębens se facilem in danda facultate absoluendi à reseruatis, multis malis,& grauibus occurrit. num.5.pag.89
Superior non debet cogere subditum, vt causam propalet, ob quam petit facultatem eligendi confessarium. n.10.pag.92
Superior non tenetur subdito assignare Confessariũ illum, quẽ ipse petit: sed sufficit, vt aliũ idoneum assignet. n.12.pag.93
Superior potest sibi reseruare absolutionem ab excommunicatione. num.1.pag.31
Superior regularis potest amoueri ab officio, & dignitate absque strepitu iudicij. num.21.pag.710
Superior dans facultatem pro reseruatis, an det etiam pro censuris. num.1.pag.168
Superiori non tenetur quis denuntiare, quæ audiuit contra aliquem à personis infimæ conditionis. num.8.pag.535
Superiori data est iurisdictio propter bonũ pœnitẽtis. n.6.p.90
Superiori subditus tenetur denuntiare delinquentẽ; si delictũ sit in damnũ publicum: aut in præiudicium tertij. n.12.p.536
Superiores an possint sibi reseruare casus quosdam, pro quorum absolutione ad ipsos fiat recursus. num.12.pag.48
Superiore negante suam facultatem, potest Confessarius pro illa vice pœnitentem absoluere. num.14.pag.94
Superiores regularium in causis ad S. Officium pertinentibus se immiscere non debent. num.1.pag.524
Superiores religionum an possint sibi eligere Cõfessariũ quem maluerint. n.1.p.101. etiam aliàs non approbatũ. n.4.pag.103
Superiores aduertere debent, ne accipiant visitationem alicuius; quin visitatus manu sua eam scribat. num.4.pag.544
Superiores non tenentur audire in Confessione reseruata, & non reseruata. num.1.pag.59
Superiores, & qui ius in alios habent: vt pater in filium, maritus in vxorem, possunt aperire subditorum literas. n.14.p.815
Superiorẽ inter, & subditũ delegatum differentia quæ. n.4.p.158
Superiorum est Confessarios idoneos delegare. n.2.pag.412
Superiorũ in visitatione qui habet intentionem, vt ab omnibus censuris absoluatur, etiam ab oblitis absolutus est. n.2.p.65
Superioribus Minorum ex vi regulæ interdicitur, ne fratribus dent facultatem confitendi extra suum ordinem. n.4.p.381
Superstitionum omnes species cõprehenduntur sub his tribus, nempe veneficiis, incantationibus, & sortilegiis. n.4.p.428
Surripiens scripta alicuius an incidat in casum reseruatum. num.16.p.755
Suspecti de hæresi Inquisitoribus, vel ordinariis locorum sunt denuntiandi. num.4.pag.526
Suspectis de aliquo crimine an danda sit Eucharistia. n.5.p.178
Suspicio est triplex. num.6.pag.179

T

TActus mulierum fugiendus. num.10.pag.79
Talis quisq; præsumitur,qualis in habitu reperitur.p.953
Taxas, tallias, & collectas imponentes an incidant in excommunicationem. pag.896
Tergiuersatio quid sit. num.9.pag.563
Tergiuersatione,præuaricatione, & calumnia iustitia violatur. num.8.pag.562
Testimoniũ quorũdã quare in iudicio nõ recipiatur.n.23 p.579
Testis dubitans an legitimè iudex interroget,an teneatur obedire. num.9.pag.570
Testis falsus quando debeat se retractare. num.3.pag.566
Testis quando peccet,an teneatur ad satisfactionem. n.2.p.566
Testis repertus falsus punitur pœna extraordinaria. n.7.p.617
Testis quando excusetur à dicenda veritate in iudicio regulari. n.18.pag.574
Testis deponens de auditu,an validè deponat.num. 6.pag. 587
Testis non iuratus an faciat probationem. num.25.pag.582
Testis delicta propalare an sit contra iustitiam, si reus eum aliter repellere non potest. num.32.pag.663
Testis timens sibi malum imminere, à testificando excusatur. num.20.pag.566
Testis quando incidit in casum reseruatum. num.17.pag.573
Testis corrupti, & sollicitati dictum an faciat indicium ad torturam. num.8.pag.588
Testis, qui iurauit aliquid tenere secretum, an teneatur illud reuelare, si iuridicè interrogetur.num.6.p.568. & n.7.p.569
Testis quando teneatur dicere veritatem. num.1.pag.566
Testis si in vno falsum dixit, an totum eius dictum vitietur. num 26.pag.653
Testis nolens dicere veritatem,potest torqueri. n.16.p.573
Testis inhabilis an faciat indicium. num.30.pag.661
Testis vnus an faciat indicium ad inquirendum. num.5.p.587
qui Testes esse non possint. num.9.pag.648. vsque ad pag.653
Testem ad falsum testificandum inducens, quid facere teneatur. num.4.pag.567
Testes singulares an sufficiant ad probationem plenam contra reum. num.13.pag.571
Testes aliàs inhabiles an admittere possint prælati. n.23.p.653
Testes debent esse contestes. num.11.pag.571
Testes de auditu an sufficiant ad probationem. num.12.p.571
Testes quomodo excipiantur. num 1.pag.645
Testes vt plenè probent,quatuor requiruntur.num.29.pag.660

Testes plures quando dissentiunt,quid agendum. n.28.p.658
Testes inhabiles quando possint, & quando debeant admitti. num.21.pag.651
Testes deponentes super negatiua sunt suspecti de falso. n.6. pag.617
Testes non iurati an repelli possint. num.4.pag.646
Testes inhabiles si in Religione non admitterentur,infinita religiosorum crimina remanerent impunita. n.24.pag.653
Testes falsarij quomodo sint puniendi. num.22.pag.578
Testis iuridicus quis dicatur. num.8.p.548
Testes quinam arceantur à testimonio ferendo. num.23.p.579 580.& 581
Testibus non probantes crimina opposita tenentur actione iniuriarum. num.3.pag.645
Testibus pro reo quando sit standum. num.5.pag.646
Testiũ crimina occulta licet aliquãdo reo propalare.n.31.p.662
Testium numerus quis requiratur ad iudicium. n.10.pag.570
Transitus ad laxiorem religionem an aliquando sit licitus. num.14.pag.445

V

VAriatio,mendacium,seu inconstantia, & titubatio rei faciunt indicium contra eum ad inquirẽdum.n.17.p.591
Vasalli an teneãtur reddere debita,& respondere de censibus,& tributis suis dominis excommunicatione irretitis. num.12. pag.628
Veneno quempiam occidens,grauiùs delinquit, quàm simplex homicida. num 7.pag.797
Verba illa; *De vultu tuo iudicium meum prodeat*, quid importent. num.28.pag.650
Verba illa, *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, &c.* quid operentur in absolutione. num.4.pag.234
Verba sunt intelligenda, vt cum effectu aliquid operentur. num.11.pag.27
Verecundia sola aliquando est sufficiẽs causa, vt facultas detur à superiore eligendo sibi confessarium. num.9.pag.91
Veniæ facilitas incentiuum tribuit delinquendi. num.8.p.10
Veniale peccatum multipliciter tolli potest. num.5.pag.345
Veniale peccatum, dum est in voluntate an remittatur sine actu pœnitentiæ. num.3.pag.344
Venialia tantùm peccata habentes religiosi, an teneantur confiteri. num.2.pag.343
Venialia peccata, quantumcunque aucta, & multiplicata nunquam in lethalem culpam transeunt. num.12.pag.250

Venialia tantùm peccata habenti quid faciendum tempore Confessionis. num.2.pag.348
Venialia peccata an vtiliter possint iterùm confiteri.n.4.p.348
Venialia peccata an sint sub sigillo. n.16.pag.303
Venialia peccata an sint cõfitẽda per verba generalia.n.6.p.349
Venialia peccata cuilibet sacerdoti confiteri possunt.n.1.p.554
Venialia peccata delétur aspersione aquæ benedictæ. n.6.p.346
Via media incedendum est inter duas citatas opiniones. p.835
Vicarij locorum ex consuetudine eligunt sibi confessarium in proprio conuentu. n.1.pag.117
Vicarij locorum ex consuetudine an possint sui subditi confessionem audire extra sua loca. num.8.pag.111
Victualia deferentes infidelibus an excommunicationem incurrant. pag.914
Virginis filium quare in altari eisdem oscularis labiis, quibus in lupanari oscularis filiam meretricis. num.16.pag.83
Viro probo dicenti se habuisse facultatem reuelandi aliquod peccatum,an fides sit adhibenda. num.22.pag.311
Vitanda quæ in iteranda eorundem peccatorum confessione. num.3.pag.268
Vniuersitas an excommunicari possit. pag.869
Vniuersitas,collegium, conuentus,seu capitulum an si excommunicentur, excommunicatio teneat. pag.871
Votum quid sit. num.18.pag.518
Voti omnis violatio an sit peccatum mortale.num.18.pag.519
Vsus notitiæ in Confessione comparatæ cum morali periculo reuelationis directæ,vel indirectæ,an sit licitus. n.1.pag.68
Vtens duobus confessariis,an dimidiet confessionem.n.4.p.292
Vulneratio quid sit,& quomodo intelligatur. num.10.pag.799
Vulneratus lethaliter non potest viuere vltra quadringenta dies. num.12.pag.717
Vulneratus si post illatum vulnus processit de malo in peius, & intra breue spatium mortuus est, præsumitur mortuus ex vulnere, & vulnerans tenetur de occiso. n.11.p.716.& 717

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca